EXERCITIA SCHOLASTICA IN VNIUERSAM THEOLOGIAM PRACTICAM, &...

Dionysius Daxecortesius, Giacomo Rufano, Giuseppe Doni

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
30 — D
M 12

Digitized by Google

8, 50 Z. 12

Digitized by Google

Digitized by Google

EXERCITIA SCHOLASTICA IN VNIVERSAM THEOLOGIAM Practicam, & Speculatiuam.

In quibus relicta inutilium diſputationum ſuperfluitate, & dimiſſo cauilloſo opinionum examine Veritas ipſa (quæ paucis eſt contenta doceri) clare, & breuiter enodatur, & irrefragabili Sacrarum Scripturarum, approbatorum Conciliorum, ſummorumq; Pontificum auctoritate roboratur, necnon Sanctorum Patrum, & orthodoxorum Theologorum præcipuè Doctoris Subtilis doctrina eadem veritas oſtenditur ſolida, firma, & ſtabilis aduerſus Hæreticos, tam veteres, quam recentiores,

OPVS SANE NEDVM SACRÆ THEOLOGIÆ ſtudioſis verum etiam Sacrarum Scripturarum Interpretibus, Concionatoribus, & Confeſſarijs valde vtile & neceſſarium.

Cum duplici Indice, vno Librorum, Capitulorum, & Articulorum; Altero rerum notabilium.

AVCTORE

P. DIONYSIO DAXECORTESIO BERGOMENSE

Ordinis Minor. ſtrictioris Obſeru. Prouinciæ D. Antonij Sacræ Theol. Lectore Generali, alias S. S. Inquiſitionis Conſultore.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Patauii, Typis Petri Mariæ Frambotti, *Superiorum permiſſu*. MDCLXXVII.

Ad usum P. Joseph de Bonis.

Digitized by Google

[illegible] Google

DEO OPTIMO MAXIMO.

REuertitur ad te, vnde exiuit hoc Opuſculum tuum, vt purificatum ab inſtrumenti imperfectionibus inde ſuam perfectionem conſequatur iuxta illud vulgatum; Vnum quodque perfectum eſt, cum reducitur ad ſuum principium. Dixi Opuſculum tuum, vere tuum, omni iure tibi deuinctum, & omnibus titulis tibi debitum; Fuiſti enim eius cauſa obiectiua, effectiua, & finalis. Cauſa quidem obiectiua, quia totum eſt in contemplatione tua Diuinæ eſſentiæ; tuarum perfectionum, tam intrinſecarum, quam extrinſecarum, nec non eorum, quæ nonniſi à te reuelata ſciri poſſunt. Cauſa etiam effectiua, quia mihi dediſti poſſe, & operari, Præſtitiſti enim Intellectui lumen ſplendidum naturale, & fidei, roboraſti voluntatem conſtantia, & fortitudine in aduerſis; ſanitatem quoque corporis in ætate cadente conſeruaſti, & tandem iocunditatem, & delectationem in opere, & labore vberrime elargitus es, Denique fuiſti Cauſa finalis, quia conſcius mihi circa meam inhabilitatem, & inſufficientiam meam ſemper refugit animus à prælo, ſed propoſita maiori

nominis tui gloria, & proximi mei vtilitate, ac fructu alacriter me accinxi ad laborem, & operam, Accipe igitur ad honorem tuum, quod tuum eſt, & à me cum humili gratiarum actione oblatum; & mihi in hac miſerabili vita gratiam tuam, & poſt mortem ſempiternam gloriam concedere digneris. Amen.

Sic humiliter rogo ego tuus
miſerabilis ſervus

Frater Dionyſius.

Can-

Digitized by Google

Candido ac beneuolo Lectori.

FActus ſum inſipiens (verbis Apoſtolicis 2. Cor. Cap. 12. V. 11. tibi alloquor) nam coegerunt me, quibus nec debui, nec valui, nec volui contradicere, aut repugnare; Applicaui animum ad prælum, à quo naturaliter alienus fuit; In hoc opere ante oculos nihil aliud habui, niſi maiorem Dei gloriam, & tuum iuvamen, & profectum; Quid reuera præſtiterim, tuum erit iudicare, & experiri poſtquam totum opus aliquo otio percurreris; Si peritus es, & doctus in lectura habebis, quod benignè eſcuſes; & tibi erit occaſio maiora, & meliora tentandi; ſi vero eris Nouitius habebis, vnde facili, & paruo labore proficere valebis; Accipe ergo grato animo, quod in tui comodum labore præſtiti non mediocri. Errata, & quidem non pauca, quæ quacumque Cauſa, aut defectu irrepſerunt, non ſunt talia candide Lector, quæ tu ipſe emendare non poſſis; Ideo tædio affectus eorum ſeriem texere non curaui; Tu ergo ea, qua polles Charitate, & ſapientia illa corrigito, & bene vale.

EGo infraſcriptus, cum verbatim perlegerim opus, cuius titulus eſt: Exercitia Scholaſtica in vniuerſam Theologiam practicam, & ſpeculatiuam à R. P. Dionyſio Bergomenſi ordinis Minorum ſtrictioris obſeruantiæ Sacræ Theologiæ Generali Lectore compoſitum, ſtatim, ac in ipſum defixi oculos tanti viri in ſcribendo laborem, nec non ea, quæ à ſubtili Doctore, plurimiſque alijs Doctoribus ſparſim dicuntur, nouo ordine, nouaque methodo collecta admiratus ſum; In quo, cum nihil à ſancta fide, boniſque moribus alienum, vel diſſonum reperérim, immo totum ſana, vtilique doctrina reſperſum viderim, & legentibus vtilitatem non paruam, Religionique decorem maximum allaturum cognouerim, vt caligantibus mortalium oculis in huius peregrinationis itinere lucem adferre poſſit, ſi ijs, ad quos pertinet, videbitur prelo dignum cenſeo.

Datum Patauii in Conuentu Sancti Caroli die 24. Nouembris 1675.

Fr. Adrianus ab Adria ſtrictioris Obſeruantiæ Sancti Franciſci Sacræ Theologiæ Lectoris actualis.

EGo infraſcriptus vidi, & accurate perlegi Exercitia Scholaſtica in vniuerſam Theologiam practicam & ſpeculatiuam a R. P. Dionyſio Bergomenſi Ordinis Minorum ſtrictioris obſeruantiæ S. Franciſci Lectore Generali compoſita; nihilque in ipſis, quod corrigerem; multa vero paucis plurima continentia, quæ laudarem, inueni; Vnde cum in nullo offendant; immo (vtpote ſolida vberrimaque doctrina vndequaque referta (vt ſpero) ſint profutura; vt publicam lucem videant cenſeo, immo, & exopto; ſi tamen ijs, ad quos ſpectant, videbitur.

Dat. Patauii in noſtro Conuentu S. Caroli die 24. Nouemb. anno 1675.

Fr. Franciſcus à Baſſano Minorum Sancti Franciſci ſtrictioris Obſeruantiæ Lector actualis.

VOlumen hoc Exercitiorum Scholaſticorum in vniuerſam Theologiam practicam, & ſpeculatiuam à R. Adm. Patre Fr. Dionyſio Bergomenſi Fratrum Minorum ſtrictioris Obſeruantiæ Lectore Generali elaboratum ſumma cum voluptate perlegi; & non ſolum nihil in eo orthodoxæ veritati, bonis moribus, noſtriſque legibus difforme inueni; quin potius reperi, quod Auctor cunctas materias pulcherrimo ordine diſponat, mira facilitate elucidet, nec minori ſubtilitate, in qua ſe Scoti Magiſtri ordinis verum aſſeclam oſtendit, reſoluat; Quare digniſſimum iudico, & animitus exopto, vt opus hoc confeſtim lucem videat; & hinc ex Paduano Conuentu ad omnes orbis litterarij oras pertranſeat; Ita dixi Paduæ 14. Iunij 1675.

Fr. Federicus Sticmelius Prouinciæ Thuringiæ Pater, & Theologiæ Lector Iubilatus.

Frater.

Digitized by Google

FRater Iacobus Maria de Spinetulo Ordinis Minorum ſtrictioris Obſeruantiæ Ex Procurator Generalis, ac in tota Reformatorum familia Commiſſarius Generalis, & ſervus: Dilecto nobis plurimum in Chriſto Patri Fratri Dionyſio à Bergomo Lectori Theologo eiuſdem ordinis ſalutem in Domino ſempiternam.

Cum opus ſacrum à te compoſitum, cui titulus eſt (Exercitia Scholaſtica in vniuerſam Theologiam practicam, & ſpeculatiuam) à duobus Religionis noſtræ Theologis, quibus id commiſimus, reuiſum, & approbatum fuerit iuxta Apoſtolicas, noſtrique ordinis conſtitutiones tenore præſentium eum ſalutaris obedientiæ merito facultatem impartimur, quatenus ſeruatis ſeruandis typis mandare poſſis. Datum Romæ ex Conuentu noſtro S. Franciſci Transtyberim die 7. Decembris 1675.

Fr. Iacobus Maria à Spinetulo Commiſſarius Generalis.

FRater Franciſcus Maria totius Ordinis Fratrum Minorum Seraphici Patris noſtri Sancti Franciſci Miniſter Generalis & ſervus; Dilecto nobis in Chriſto Patri Fratri Dionyſio Bergomenſi eiuſdem ordinis ſtrictioris obſeruantiæ, Lectori Theologo ſalutem in Domino.

Cum iuxta Apoſtolicas ſanctiones, ac ordinis noſtri conſtitutiones opus à te compoſitum, cuius titulus eſt; Exercitia Scholaſtica in vniuerſam Theologiam practicam, & ſpeculatiuam à duobus Patribus Religionis noſtræ Theologis à nobis deputatis reuiſum, & approbatum fuerit; His noſtris patentibus, litteris facultatem cum ſalutaris obedientiæ merito tibi tribuimus, quatenus ſeruatis ſeruandis illud ad maiorem Dei gloriam typis mandare poſſis; Vale noſtri tuis in precibus memor; Datum Romæ in Conuentu noſtro Araceliтano die 14. Decembris 1675.

Frater Franciſcus Maria Miniſter Generalis.

OPus doctiſſimum, ac exoptatum, cuius Inſcriptio eſt; Exercitia Scholaſtica in vniuerſam Theologiam practicam & ſpeculatiuam a R. Patre Dionyſio à Bergomo ordinis Minorum ſtrictioris obſeruantiæ elaboratum iuſſu Reuerendiſs. Patris in Ciuitate, & Diœceſi Patauina Generalis Inquiſitoris a me infraſcripto diligenter viſum, & examinatum fidei orthodoxæ, probatæque morum doctrinæ haudquaquam diſſonum, quinimmo Ioannis Scoti Doctoris ſubtilis ſententiæ conſonum ac [illegible] veritati ſummè conſentaneum recognoui; adeo vt ſeruatis ſeruandis typis mandare poſſit, & valeat.

Ita eſt ego Frater Sanctes Sacenſis Lector Generalis ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ Prouinciæ Sancti Antonij Pater, & S. Officij Conſultor.

Nel

NEl Libro intitolato. *Exercitia Scholaſtica in Vniuerſam Theologiam* &c. Compoſto dal R. P. Dioniſio da Bergamo Lettor Theologo de Minori Oſſeruanti Riformati non v' eſſendo coſa alcuna contro la ſanta fede Catholica, ne contro li Sacri Canoni l'habbiamo licentiato, che poſſa ſtamparſi da Pietro Maria Frambotto in Padoua; In fede di che &c.

Data in Padoua li 28. Gennaro 1676.

Frat' Oliuiero Thieghi da Ferrara Minor Conuentuale Inquiſitor Generale del Sant' Officio di Padoua.

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del P. Inquiſitore nel Libro intitolato, *Exercitia Scholaſtica in vniuerſam Theologiam practicam, & ſpeculatiuam Auctore Patre Dionyſio Bergomenſi ordinis Minorum ſtrictioris obſeruantiæ* non v'eſſer coſa alcuna contro la ſanta Fede Catholica, e parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contra Prencipi, e buoni coſtumi, concediamo licentia à Pietro Maria Frambotto di poterlo ſtampare, oſſeruando gl'ordini, &c.

Data in Venetia li 5. di Febraro 1675.

{ Aluiſe Mocenigo Reform.

{ Silueſtro Valier Reform.

Gio. Battiſta Nicoloſi Segret.

IN-

Digitized by Google

INDEX

LIBRORVM, CAPITVLORVM, ET ARticulorum Primæ Partis exercitiorum Scholaſticorum in vniuerſam Theologiam practicam, & ſpeculatiuam.

Liber primus prœemialis, ſiue Præludialis; Caput primum. De ſacra Doctrina Theologica quantum ad omnes eius cauſas, tam intrinſecas, quam extrinſecas.

Articulus primus. De cauſa efficiente Doctrinæ Theologicæ. Pag. 3

Articulus ſecundus. De cauſa formali Doctrinæ Theologicæ. 15

Articulus tertius. De cauſa materiali Doctrinæ Theologicæ. 60

Articulus quartus. De cauſa finali Doctrinæ Theologicæ. 72

Liber Secundus de Vno, & Trino.

Caput primum. De prædicatis quiditatiuis diuinis, & eorum modis intrinſecis.

Articulus primus. De Prædicatis diuinis quiditatiuis. 81

Articulus ſecundus. De modis intrinſecis diuinæ eſſentiæ in communi, & in particulari de infinitate, & ſimplicitate Dei. 90

Articulus tertius. De immutabilitate, & æternitate Dei. 99

Articulus quartus De ineffabilitate, & incomprabenſibilitate Dei. 111

Articulus quintus. De viſibilitate, & inuiſibilitate Dei. 118

Art. ſextus. De immenſitate, ſumma perfectione, & neceſſe eſſe Dei. 140

Caput ſecundum. De diuinis attributis, & perfectionibus, tam in communi, quam in particulari.

Articulus primus. De diuinis attributis, & perfectionibus in communi. 148

Articulus ſecundus. De vnitate, veritate, & bonitate Dei. 152

Articulus tertius. De intellectu, & ſcientia Dei. 167

Art. quartus. De Præſcientia Dei. 181

Articulus quintus. De voluntate diuina, & diuino amore ſui, & creaturarum. 191

Articulus ſextus. De diuina prouidentia. 201

Articulus ſeptimus. De prædeſtinatione ſanctorum, eiuſque natura, obiecto, termino cauſis, & effectibus. 215

Articulus octauus. De reprobatione malorum. 251

Articulus nonus. De potentia, ſeu omnipotentia Dei. 262

Articulus decimus. De iuſtitia, & miſericordia Dei. 270

Caput tertium. De Deo vt trino; Hoc eſt de ineffabili Sanctiſſimæ Trinitatis Miſterio.

Articulus primus; De proceſſionibus ſeu productionibus diuinis. 283

Articulus ſecundus; De principio termino, & natura dictarum productionum. 294

Articulus tertius. De relationibus diuinis, & notionibus diuinarum perſonarum. 304

Arti-

Articulus quartus. De perſona in communi, & de numero diuinarum perſonarum. 316
Art. quintus. De perſona Patris. 325
Articulus ſextus. De perſona Filij. 330
Articulus ſeptimus. De perſona ſpiritus Sancti. 339
Art. octauus. De proprietatibus communibus tribus perſonis diuinis. 346
Liber Tertius. De Angelorum creatione, diſtinctione, numero, intellectu, voluntate, motu, loco, merito, gloria, malitia, cuſtodia, & impugnationem &c.
Caput primum. De creatione in communi.
Articulus primus. De quiditate, & natura creationis nec non de cauſa efficiente creationis. 356
Articulus ſecundus. De termino communi creationis, & de eius cauſa finali. 368
Caput ſecundum. De perfectionibus naturalibus Angelorum.
Articulus primus. De creatione Angelorum de eorum natura, diſtinctione, proprietatibus, & numero. 378
Articulus ſecundus. De loco motu, & menſura Angelorum. 393
Caput tertium. De intellectu, & voluntate Angelorum in communi.
Articulus primus. De intellectu Angelico, eius obiecto, intellectione, & modo intelligendi. 409
Articulus ſecundus. De voluntate Angelica, & actibus eius. 427
Caput quartum. De perfectionibus ſupernaturalibus Angelorum.
Articulus primus. De gratia, merito, & beatitudine bonorum Angelorũ. 435
Art. ſecundus. De malorum Angelorum peccatis, & damnatione. 443
Caput quintum. De perfectionibus Angelorum, partim naturalibus, partim ſupernaturalibus.
Articulus primus. De ſalutari bonorum Angelorum miniſterio erga homines. 455
Articulus ſecundus. De infeſta Dæmonis cõtra hominẽ impugnatione. 479
Articulus tertius. Proſequitur ſermo de eadẽ impugnatione Dæmoniaca. 501
Liber quartus. De creatione creaturę puræ materialis, & creaturæ partim ſpiritualis, & partim materialis, ideſt hominis in natura integra.
Caput Primum. De creatura pure materiali.
Articulus primus. De creatione Cæli empyrei, & materiæ primæ. 523
Articulus ſecundus. De operę primæ diei hoc eſt de luce. 533
Articulus tertius. De operibus ſecundæ, & quartę diei, hoc eſt de Cęlis aſtris, & ſideribus, connexis, & annexis. 545
Caput ſecundum. De operibus tertiæ diei hoc eſt de elementis, & elementatis inanimatis, & animatis.
Articulus primus. De elementis, tam in communi, quam in particulari. 567
Articulus ſecundus. De elementatis ſeu mixtis inanimatis animatis vegetatiuis. 580
Articulus tertius. De Paradiſo terreſtri eius ornatu lignis, & fluminibus. 591
Articulus quartus. De operibus quintæ, & ſextæ diei hoc eſt de auibus, piſcibus, & animalibus terreſtribus. 603
Caput tertium. De productione primorum parentum Adami, & Euæ quoad eſſe ſubſtantiale, tam corporale, quam ſpirituale.
Articulus primus. De formatione Adæ,

quan-

Digitized by Google

quantum ad corpus. 611

Articulus ſecundus. De formatione corporis Euæ. 625

Articulus tertius. De eſſe ſubſtantiali ſpirituali. Hoc eſt de Anima rationali primorum parentum. 635

Articulus quartus. De potentijs animæ rationalis primorum parentum cum ſuis perfectionibus. 644

Articulus quintus. De diuina Imagine, & ſimilitudine in Animabus Adæ, & Euæ. 662

Caput quartum. De excellentijs ſtatus Innocentiæ.

Articulus primus. De collocatione Adæ in Paradiſo, productione Euæ, & amborum immortalitate. 670

Articulus ſecundus. De inſtitutione coniugij Adæ, & Euæ, & propagatione filiorum. 680

Articulus tertius. De iuſtitia originali, & triplici dominio, nempe Dei ſuper hominem, hominis ſuper ſe ipſum, & hominis ſuper animalia. 691

Caput quintum. De vniuerſi integritate perfectione, & pulchritudine nec non de ceſſatione diuina ab omni opere quod patrarat.

Articulus primus. De vniuerſi integritate perfectione, & pulchritudine. 706

Articulus ſecundus de ceſſatione diuina ab opere ſuo, & ſanctificatione Sabbati. 713

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ORDO, ET DIVISIO
Totius operis Theologici.

VErè nihil honeſtius, & honorabilius, nihil vtilius, nihilue iocundius, & delectabilius accidere poteſt homini in hac lacrymarum valle degenti, quam Deum contemplari, & eius perfectiones iugiter admirari, & de ipſo ſæpè colloqui, & ſermocinari; Hoc eſt enim ad viuum participare æternam illam fęlicitatem in enigmate, qua fruiturus eſt facie ad faciem poſt exitum ex his miſerijs cum Sanctis illis, ac Beatis ſpiritibus, qui eundem Deum clarè intuentur, & ei tanquam ſummo bono præſenti propter ſe inhęrent, & eo ſummè delectantur, nec ceſſant quotidie ipſum laudare, & clamare dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Hoc de Deo ſermocinari aliàs vocari poteſt Theologizare; Theologia enim ex nominis interprętatione ſecundum D. Auguſtinum 8. de Ciuitate Dei eſt ſermo, vel ratio, ſeu diſſertio, aut diſputatio de Deo, ſeu de Diuinitate, nam Theologia græcè dicta eſt à Theos quod eſt Deus, & logos quod eſt ſermo, quaſi ſermo ſeu doctrina de Deo. Hic autem ſermu non procedit naturali lumine ſermocinando de Deo quoad prædicata comunia, vel propria ex comunibus; ſed ſupernaturali lumine reuelationis quo ad prædicata eius propria ex proprijs ſumpta, quæ naturaliter ab intellectu Creato cognoſci nequeunt.

Inde fit vt tanquam ex eius obiecto, & materia circa quam verſatur ſuam generalem ſortiatur diuiſionem; Deus autem duobus modis ſpectari poteſt vno modo in ſe, alio modo vt participari poteſt à Creatura, quæ tanquam Diuinæ eſſentiæ, & naturæ particeps habet attributionem ad Deum, & ſub obiecto iſtius doctrinæ continetur; Iterum Deus duobus modis participari poteſt à Creatura; primo, modo quodam naturali, & comuni rebus omnibus Creatis nempè per creationem, conſeruationem, & prouidentiam generalem; Secundò, modo quodam ſupernaturali, &

proprio rebus intelligentia prædktis.

Iuxta hæc in quattuor principales partes Doctor Subtilis cum Magiſtro ſententiarum ſecernit hanc ſacram Doctrinam; quarum prima pars conſiderat Deum in ſe ipſum quantum ad ſuam eſſentiam, & ſuas naturales perfectiones, inter quas habet præcipuè, vt ſit vnus in eſſentia, & trinus in perſonis; Et hanc complectitur liber primus Sententiarum; ſecunda pars conſiderat Deum, quatenus participatur à cunctis rebus in operibus creationis, conſeruationis, & generalis prouidentiæ. Et hanc expendit liber Secundus, in quo etiam agitur de duplici Statu hominis, ſcilicet naturæ integræ; Et naturæ corruptæ; Tertia pars agit de eodem Deo quatenus poſt lapſum primi Parentis participatur per opera reſtaurationis, & redemptionis eiuſdem, & poſterorum eius à peccato, & poteſtate Diaboli, & hanc amplectitur tertius liber. Vltima tandem pars eundem Deum ſpeculatur, quatenus ſe comunicat in operibus glorificationis per duplicem curationem rationalis creature ſemiplenam, quæ fit in via per gratiam, & plenam, quæ fit in Patria per collationem gloriæ.

Hæc Diuiſio Magiſtri Petri Lombardi, & Scoti.

TAmen non erit incongruum, ſed valdè conſentaneum clariori intelligentiæ eandem Sacram Theologiam in duas partes principales diuidere, itaut prima pars contineat quattuor libros, ſecunda verò pars tres alios ſicque tota hæc Sacra Doctrina partiatur in ſeptem libros; ſic ipſam diuidimus.

In primo libro (qui erit procemialis) erit Sermo de ipſa Sacra Theologia quoad omnes eius cauſas tam intrinſecas quam extrinſecas.

In ſecundo libro de Deo Vno, & Trino cum omnibus ſuis requiſitis.

In tertio de Angelorum creatione tam in comuni, quam in particulari, natura, diſtinctione, Intellectu, voluntate, tam in actu primo, quam in actu ſecundo, motu, loco, merito, gratia, gloria, malitia, & damnatione Angelorum malorum; De Cuſtodia, & impugnatione hominum.

In quarto de Creatione materialis Creaturæ, & præcipuè hominis

minis tam ſecundum ſtatum naturæ integræ quo ad eſſe naturale morale, & politicum, & quo ad eſſe ſupernaturale. In quinto de ſtatu primorum Parentum, & ſuorum deſcendentium in natura corrupta, ſeu ſtatu peccati.

In ſexto de Incarnatione Verbi Diuini; de eius Sanctiſsima Matre Maria Virgine; De Redemptione & reparatione Generis humani, & alijs conſequentibus.

In ſeptimo tandem de reſtitutione hominis ad amiſſam perfectionem tam ſecundum quid & incompletam per gratiam virtutes dona & ſacramenta; quam ſimpliciter & completam per collationem æternæ gloriæ & fœlicitatis. In quibus omnibus pertractandis diſcutiendis, & concludendis ſi in aliquem errorem Dœmone inſtigante, & Deo permittente incurram non ex induſtria dictum eſſe volo, ſed per incuriam aut ignorantiam ab homine qui errare poteſt elapſum, etiam nunc pro recantato haberi peto; teſtor enim, & teſtatum eſſe volo me nolle vnquam ab ea fide quam Catholica tenet Eccleſia, vel latum pilum diſcedere. Dicam etenim cum D. Auguſtino quod errare potero, ſed hæreticus nunquam ero.

De Sacra Doctrina Theologica quantum ad omnes eius Cauſas tam intrinſecas, quam extrinſecas.

CAPVT VNICVM.

De Cauſa efficiente Doctrinæ Theologicæ Art. 1.

1 HOc nomen (Theologia) eſt amplum in ſua ſignificatione; nam primo ſignificat illam cognitionẽ Diuinam, quæ ex lumine naturali, & rerum Creatarum notitia comparari valet, ſecundum quod ex cognitione viſibilium ad inuiſibilium cognitionẽ aſcendimus; Hinc fit vt prima philoſophia (quæ eſt metaphiſica Theologia ab Ariſtot. 6. Metaph. appellata fuerit, Theologia inquam naturalis, nam hæc (vt docet D. Booauentura in Opuſculo de Luminaribus Eccleſiæ. Ex naturali conſideratione principiorum ſubſtantiæ particularis & creatæ ad eſſeatiam vniuerſalem, & increatam cognoſcendam mens aſſurgit prout habet rationem principij primi, & finis vltimi; non tamen in ratione Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; aſcendit enim ad conſiderandum illud eſſe in ratione Principij omnia originantis; & in hoc conuenit cum phiſico qui origines & principia rerum contemplatur; aſcendit quoque ad ſpeculandum æternum eos, quatenus eſt vltimus finis, in quo conuenit cum morali, & Ethico, qui omnia in vnum finem ſiec in vnum ſummum bonum reducit conſiderando fœlicitatem practicam

ſeu ſpeculatiuam licet veram felicitatem non agnouerit.

Immo dicendum eſt quamlibet doctrinam, in qua de rebus diuinis ſub quibuſcumque prædicatis diſputatum fuit non incongrue Theologiam naturalem fuiſſe nominatam, earumque rerum Diuinarum Scriptores Theologos appellatos.

2 Secundò hoc nomen Theologia ſignificat illam cognitionem Diuinam ſeu de Deo, quæ naturali ratione inueniri non potuit, ſed primordialiter ex diuina reuelatione innotuit, & hoc quadrupliciter contigit; Primò narratiue, vt in Libris Canonicis Sacræ Scripturæ, in quibus clareſcit celſiſſima Dei Maieſtas, & illius infinita magnitudo, Virtus, & potentia; altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ eius, incomprehẽſibilis bonitas, pietas, & miſericordia, ſuper beatiſſima. Perſonarum Trinitas, ineffabilis Diuini Verbi generatio, Sanctiſſima Spiritus Sancti proceſsio, gratuita electorum prædeſtinatio, iuſta malorum reprobatio; Creaturarum omnium factio, & diſtinctio, vniuerſalis de ipſis prouidentia, primorum parentum miſerabilis caſus, benigniſſima eorum ſubleuatio, medicinalis ſacramentorum inſtitutio, generalis mortuorum reſurrectio, extremi Iudicij examen, electorum glorificatio, reproborum damnatio, aliaque mirabilia opera eius paſſim enarrantur.

Secundò expoſitiue in Sanctis Patribus Græcis, & Latinis, qui ſuperno lumine ducti animum applicuerunt ad explicandus ſacras litteras, ad patefacienda arcana cæleſtia ad muniendam fidem, ad impugnandas hæreſes, & deſtruendos errores.

3 Tertio inquiſitiue per viam auctoritatis, ideſt aſſumendo veritates veteris ac nouæ legis teſtimonia qui Sanctorum Doctorum, vt in Magiſtro ſententiarum, cuius volumen ob id ſententiarum liber inſcribitur, quia in eo collecta, & redacta ſunt ſententioſa dogmata Sanctorum Patrum ad Diuina, & ſupernaturalia ſpectantia.

Quarto inqiſitiue per viam rationis, & argumentationis præſuppoſita fide, ſicut Scotus & alij Scholaſtici, qui pro corroboranda ac defendenda veritate tam luculenter compegerunt tot quæſtiones & articulos aduerſus hæreticos qui eam connati ſunt omnino ſubuertere.

Eadem Theologia in initio habitá per reuelationem poteſt accipi adhuc quadrupliciter. primo modo pro habitu fidei, qui cum alijs virtutibus ſupernaturalibus infunditur in baptiſmate, Secundò pro habitu aquiſito per auditũ facta reuelatione ex actibus productis ab Intellectu qui dicitur habitus fidei aquiſitæ. Tertio pro actuali notitia articulorum fidei in ſymbolis, Apoſtolico Niceno, & D. Athanaſij contentorum. Quarto pro notitia concluſionum deductarum ex eiſdem articulis cognitis forma ſilogiſtica interueniente.

4 Theologia accepta primo modo nempe pro habitu fidei. De potentia Dei ordinata eſt neceſſaria ad ſalutem omnibus hominibus tam adultis, quam infantibus ſicut ipſe baptiſmus, de cujus neceſsitate dicitur Ioan. 3. niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei; De hac fide loquitur D. Paulus ad Hebræos 11. cum dicit, ſine fide impoſibile eſt placere Deo, & ratio eſt quia nullus inimicus Dei poteſt Deo placere, ſed quiſlibet homo ſine habitu fidei eſt Dei inimicus. Ergo nullus homo ſine habitu fidei poteſt placere Deo; maior eſt euidens; minor probatur primo per D. Paulum loco citato vbi ait fidem eſſe ſubſtantiam (ideſt

tun-

fundamentum) rerum ſperandarum; cui ſcilicet iuſtificatio & amicitia Dei, & bona quæ in alia vita ſperamus innituntur, ergo fides habitualis eſt homini neceſſaria ad ſalutem. Secundo probatur per Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. can. 7. vbi de hac fide dicitur ſine qua nulli vnquam contigit iuſtificatio; & Cap. 8. dicitur fides eſt humanæ ſalutis initium fundamentum, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo.

5 Theologia accepta ſecundo, & tertio modo eſt neceſſaria ad ſalutem ſolum Adultis nam ſolum Adulti poſſunt elicere actum fidei. Hæc aſſertio ſecundum Dei potentiam ordinatam intellecta ſic probatur illud eſt neceſſarium ad ſalutem quo non habito homo damnatur, ſed fides eſt huiuſmodi iuxta illud Marci 16. qui non crediderit condemnabitur, ergo fides eſt neceſſaria ad ſalutem; Secundo altior vita altiori indiget cognitione, ſed vita gratiæ eſt altior quam vita naturæ ergo indiget cognitione ſupra naturam, quæ eſt cognitio fidei; Tertio probatur ex Doctore Subtili qu. 1. Prologi omni agenti propter finem neceſſaria eſt triplex cognitio ſui finis prima quis ſit determinate; ſecunda quomodo qualiter & quibus medijs acquiratur; tertia an illa ſufficiant At homo eſt agens propter vltimum finem, & naturaliter non poteſt habere de illo illam triplicem cognitionem, ergo deſuper debet neceſſario inſtrui, maior eſt nota nam non habens illam trinam cognitionem non poterit diſponi ad efficaciter operandum vt patet; Minor propoſitio probatur quo ad primam partem quia Philoſophi qui cæteris ingenioſiores fuerunt non ſunt aſſecuti cognitionem finis determinati, & beatitudinis; probatur quoad ſecundam, & tertiam partem quia media neceſſaria ad vltimum finem conſequendum ſunt merita, quorum principium eſt gratia; Hæc autem à voluntate Dei pendet contingenter ad extra operante, cuius cognitio naturaliter haberi non poteſt abſque ſpeciali reuelatione, ergo nec mediorum, nec eorum ſufficientiæ; neque eiuſdem vltimi finis, neque circumſtantiarum reddentium illum appetibiliorem nempe ſecuritatis, & perpetuitatis; qualis cōpleta fęlicitas dici nō poteſt, quę amitti poteſt, & eſt incerta caduca, & fragilis; ſed quomodo poteſt ſtare Origenis ſententia (ſi tamen illius eſt) qui ponebat quaſdam alternationes Beatitudinis, & miſeriæ, ita vt tranſactis aliquot annorum curriculis Animas beatas dicat iterum in corpora mortalia reuerti, & in eis moleſtias pati: & inde iterum ad beatitudinem euocari, & à beatitudine rurſum ad miſeriam deflecti, quo facto fiet perpetuus quidā circulus beatitudinis, & miſeriæ, quæ potius erit perpetua miſeria.

6 Dicet aliquis; In Homine datur Intellectus agens cuius eſt omnia facere, & Intellectus poſſibilis, cuius eſt omnia fieri ex 3. de Anima Cap. 2, ergo datur in homine actiuum, & paſſiuum principium ſufficienter productiuum, & receptiuum cuiuslibet cognitionis ſibi neceſſariæ. Reſpondetur ex Scoto q. 1. Prol. præter iam poſitas in argumento potentias requiri etiam obiectum ſcibile; quod cum potentia Intellectiua neceſſario (regulariter loquendo) tanquam cauſa partialis requiritur ad producendam cognitionem, quod in Caſu noſtro non eſt naturaliter præſens, nec proportionatum Intellectui humano pro ſtatu iſto; Dixi obiectum ſcibile (regulariter loquendo) requiri tanquam Cauſam partialem cognitionis; quia Deus ſimpliciter & abſolute ſe ſolo poteſt quam

libet

libet cognitionem produceri ſupplendo actiuitatem Intellectus agentis, & obiecti, & eam in Intellectu poſſibili infundere.

7 Dicet ſecundo ens inquantum ens eſt obiectum naturale adæquatum Intellectus humani, ergo naturaliter poteſt quodlibet ens ſub eo contentum attingere & cognoſcere; Reſp. ex Scoto q. 1. Prol. ens finito & infinito comune eſſe ſolum obiectum adæquaquatum noſtri Intellectus quo ad naturalem inclinationem, non autem quoad naturalem attingētiam; Id enim pro ſtatu iſto eſt quidditas ſenſibilis vel formaliter, vel virtualiter: Ex natura vero potentiæ eſt quodlibet ens abſolutum, vel reſpectiuum, cuius terminus non eſt Deus; Quare pro ſtatu iſto non eſt naturaliter notum ens inquantum ens eſſe obiectum adæquatum noſtri Intellectus quo ad naturalem inclinationem, nec Anima noſtra eſt ſibi naturaliter nota quo ad prædicata propria ex proprijs, ideſt quoad ſingularem ſuam naturam, & proprietates eiuſdem neque etiam ſub illa ratione ſub qua inclinatur ad Deum, vt ſuum vltimum finem.

8 Inſtabit tertio ſenſus non ordinatur in aliquam perfectionem ad quam ex naturalibus non poſſit attingere & ſimile dicit philoſophus 2. de Cœlo, quod ſi natura dediſſet Stellis motum progreſſiuum dediſſet eis organa ad motum, ergo cum natura intellectualis non ſit minus nobilis quam ſenſus, & ipſa ſit ordinata ad beatitudinem videtur, quod ad ipſam poſſit naturaliter peruenire. Reſpondetur non eſſe parem rationem de ſenſu & Intellectu; quia ſenſus ob eius imperfectionem eſt limitatus ad certum genus entis ſcilicet ad ſenſibilia, & materialia, & ideo ei non eſt opus eleuari ad percipienda ſenſibilia, niſi eſſet aliquod excellens ſenſibile; ſed Intellectus verſatur circa totum ens tam ſenſibile, & materiale quam ſpirituale & immateriale, & ex perfectione ſua poteſt eleuari ad aliquem actum in quem tota natura creata non poteſt ita Scotus in 4. d. 49. q. 2.

Ad confirmationem de Stellis inquit, quod natura dediſſet organa ad motum ſi poſſent organice moueri: quod eſſet ſecundum eſſe materiale, quod tunc ſtellæ haberent, id vltro conceditur & nihil eſt contra præſens propoſitum.

9 Licet hæc doctrina Theologica ſecundo modo accepta de Lege ordinaria ſemper fuerit homini ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem in omni ſtatu tam innocentiæ quam naturæ integræ, & lapſæ, & non ſolum homini; verum etiam Angelis quamdiu fuerunt viatores, Tamen iſta neceſſitas in omni ſtatu, & lege diuerſimode ſe habuit quo ad credibilia, nam in lege naturæ fuit neceſſarium ad ſalutem credere Deum eſſe remuneratorem iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos Cap. 2. accedentem ad Deum oportet credere primo quia eſt, ſecondo inquirentibus ſe remunerator eſt loquitur hic D. Paulus de remuneratione ſpirituali quæ fit per communicationem gloriæ, quam philoſophi naturaliter cognoſcere non poterant niſi per fidem tertio. Item oportuit Credere Deum eſſe Creatorem & iuſtificatorem ſecundum modos ſibi beneplacitos; quarto etiam quod Anima ſit immortalis. In lege autem veteri vltra illa quatuor erat neceſſaria fides articuli illius de Chriſto venturo; in qua maiores tenebantur plura Credere, quam minores & quanto magis appropinquabat aduentus Chriſti plura tenebantur Credere, quia plura proponebantur credenda.

In lege autem gratiæ omnes tenentur

Digitized by Google

tur credere explicitè articulos fidei etiam ſimpliciſſimi, illos articulos inquam de quibus particularis ſolemnitas fit per ſingulos annos in Eccleſia vti natiuitatis paſſionis, Reſurrectionis, Pentecoſtes &c.

10 Neceſſaria eſt in Eccleſia Dei Sacra Scriptura ad ſalutem hominum & conſeruationem fidelium neceſſitate finis ſimpliciter ſuppoſita Diuina ordinatione probatur ſic homo eſt ordinatus ad vitam æternam: ergo indiget aliqua Regula, per quam certò & infallibiliter dirigatur infinem ſuum, talis eſt ſcriptura diuinitus reuelata vt docet D. Bonauentura in Opuſc. vbi ait, quod triplex refulget intelligentia in ſcripturis; Prima docet quid credendum quantum ad fidem. Secunda docet quid expectandum quantum ad ſpem. Tertia quid operandum quantum ad Charitatem; Item Sacra Scriptura de ſupernaturalibus beneficijs, ac munificentijs Dei nos inſtituit de omni charitate, pietate, ac gratia eius erga nos, de ſupernaturali beatitudine, ad quam conditi ſumus ab illo de modo, ac medijs pertingendi ad illam ergo eſt neceſſaria; Item docet nos agnoſcere nosmetipſos, culpas, negligentias; in gratitudines, inſipientias noſtras, quibus expoſiti ſumus ergo eſt neceſſaria. Præterea docet, qualiter debeamus aduerſarijs noſtræ ſalutis reſiſtere; in omni gratia, & virtute proficere, diuino amore nos potat, & reficit, & in omni aduerſitate conſolatur ergo eſt neceſſaria.

11 Ob muteſcant igitur omnes Antiqui & moderni Heretici, quos eſſe innumerabiles aſſerit Scotus q. 2. Prol. quibus omnibus hoc vnum fuit commune Sacris videlicet Scripturis detrahere nam eas ſipiſſime aliter quam decet prò libito interpretantur & ſi forte contra aliquum ipſorum aſſertionem locus aliquis adferatur tam patens, vt interpretationibus quantumlibet tenebroſis minime valeat earum claritas offuſcari: ſtatim librum illum ex canone Scripturæ Sacre reijcere conantur dicentes librum illum indignum eſſe qui in catalogo ſacrorum librorum connumeretur; Nam cum Scriptura Sacra ſit miſtica quędam turris Dauid, ex qua omnis armatura fortium, & Catholicorum virorum pendet, ideo Hæretici conantur Scripturas Sacras minuere ne arma habeamus quibus eorum inſanus doctrinas proſternere valeamus; ideo ab aliquibus vnus liber, ab alijs alius reijcitur pro vt cuicumque expediens videtur, & ſuæ aſſertionis talis libri Doctrina repugnat; ex his libertini eas omnes abiecere dicentes ſe ſequi ſpiritum viuificantem, Carpocrates, Cerdoni, Seuerus, poſt aliquot Annos Manicheus deinde Albunenſes, hi omnes totum vetus teſtamentum reiecerunt: Cerdon ſolum Euangelium Lucæ recipit. Sic etiam Marcion eius diſcipulus, & Ebion reijcit actu Apoſtolorum; Qui Ebion pariter reijcit omnes Epiſtolas D. Pauli; Alogiani non recipiunt Euangelium Ioannis nec eius Apocalypſim; Horum & aliorum omnium poſtremus & teterrimus tartari filius Lutherus Machabeorum libros omnino negat, eo quod in eis laudantur & approbantur pia opera promortuis exhibita; nec dubitauit D. Iacobi Epiſtolam Sanctitate plenum ore illo nefando ſtramineum appellare; quia in ea docet fidem ſine operibus mortuum eſſe que omnia ex diametro pugnant cum impietate Lutheri; Contra hos & omnes alios Hereticos ſtat immobilis Eccleſiæ Catholicę Authoritas quę nobis ſuo Catalogo proponit Sacrarum Scripturarum canonicos & autenticos libros de quo catalogo dicetur

tur

Digitized by Google

tur ſequenti articulo.

12 Non eſt mirum, quod Hæretici; qui auſi ſunt Sacras Scripturas damnare, orthodoxorum Eccleſiæ Patrum doctrinam contempſerint, vt Ariani teſte D. Athanaſio orat. 1. contra eoſdem, Petrus Abailardus teſte D. Bernardo epiſt. 190. Neſtorius teſte Socrate lib. 7. Hiſt. Cap. 32. Paulus Samoſatenus teſte Euſebio lib. 7. Hiſt. Cap. 26. Lutherus initio libri de abroganda miſſa priuata, Caluinus lib. 2. Inſtit. cap. 2. & alij; & tamen Theologia expoſitiua neceſſaria eſt in Eccleſia Dei ad interpretandas Sacras Scriptura. Alias peruerſeretur ordo Eccleſiæ oſtenſus à D. Paulo, qui ſcribens ad Epheſ. 4. dicit dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas; alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & doctores ad conſumationem ſanctorum, ideſt ad ſalutem fidelium, in edificationem corporis Chriſti ideſt Eccleſiæ; & addit Apoſtolus; vt iam non ſimus Paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. Idem alibi ſub alijs verbis repetit; Et reuera non ſolum eſt neceſſaria traditio Scripturarum verum etiam Intellectus earum, quæ cum ſint difficiles, & obſcuræ. Neceſſario interpretandæ ſunt exponendę probatur exemplo Ieſu Chriſti Domini noſtri qui vt habetur Lucæ 24. poſt Reſurrectionem apparuit duobus Diſcipulis euntibus in Caſtellum nomine Emmaus, & incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. Idem fecit alijs vicibus vt patet in Euangelijs; quem poſtea ſecuti ſunt Apoſtoli & ſucceſſores: ſic tamen quod nulli hominum iure tenemur in interpretatione ſacrarum litterarum credere propterea quod quilibet homo ſolus errare poteſt erit ergo opus iudicium interpretationi ad Eccleſiam referre penes quam ius eſt diſcernendi Sacras Scripturas ab humanis nam hæc errare non poteſt cum à Spiritus Sancto ſit edocta; nullus enim verius ſcripturam aliquam interpretari poteſt quam qui mẽtem & ſpiritum ſcripturis habet. At certum eſt Eccleſiam ſpiritum Dei & S. Scripturę habere, ſic enim Chriſtus promiſit, dicens Ioan. 14. alium Paraclitum dabo vobis qui ſuggeret vobis omnem veritatem; & Matthei 28. ego vobiſcum ſum vſque ad conſumationem ſæculi.

13 Hæretici nituntur ſuam opinionem hæreticalem defendere ſic, Sacra Scriptura eſt faciliſſima & aperta ergo non indiget interpretatione; probant quadrupliciter antecedens primo ex illo Pſal. 18. vbi dicitur præceptum Domini lucidum illuminãs oculos, ſecundo ex alio Pſal. 118. Lucerna pedibus meis Verbum tuum; tertio ex illo Matthei 5. Vos eſtis Lux Mundi quarto ex illo Deuter. 3. Mandatũ quod ego prę cipio tibi hodie non ſupra te eſt neque procul poſitum, in quibus verbis inſinuatur facilitas ſacrarum ſcripturarum. Ad primum reſpondetur, quod Propheta loquitur de Lege Euangelica, quæ non ſolum eſt recta, ſed etiam lucida, quia quæ lex antiqua dicebat ſub figuris & vmbris, lex noua dixit apertè; quando ſcilicet Chriſtus ore proprio promulgans legem nouam docuit Apoſtolos & per Apoſtolos eodem modo docuit omnes fideles & totam Eccleſiam, vnde iure optimo dicere poterat ego ſum lux mundi Ioan. 8. Ad ſecundum eſt aperta reſponſio nimirum Verbum Dei ſane & ingenue intellectum eſſe lucernam pedibus humanis ad rectè ambulandum; & docere veram viam, &

com-

Digitized by Google

compendioſam ſemitam, vt ſecure peruenire poſſimus ad finem noſtrorum laborum, qui eſt ęterna Beatitudo. Ad tertium eſt quoq; perſpicua reſpõſio Dominum Ieſum loqui de luce probitatis, & exemplo bonorum operum. Vnde addidit ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera bona veſtra. Ad quartum Reſpondetur, quod intelligitur de facilitate implendi mandata decalogi, cum adeſt auxilium gratiæ Dei, non autem de facilitate intelligendi ſcripturas.

14 Interpretantes Sacras Scripturas debent eſſe ſupernaturaliter illuſtrati, vt recte interpretari valeant; probatur ex illo Lucæ 24. vbi dicitur, quod Chriſtus aperuit Apoſtolis ſenſum, vt intelligerent Scripturas; Immo Deus in exponendis Sacris Scripturis Eccleſiæ ſuæ Sanctæ Doctores illos tribuit, quos vnicè dilexit, & ab illis amari intellexit; nam arcana amicis, & familiaribus potiſſimum deteguntur; patet ex illo Gen. 18. vbi Dominus dicit, num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum, & Ioan. 14. Saluator inquit, qui autem diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum; rurſum Ioan. 15. iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit, quid faciat Dominus eius; Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis; ab iſtis Dei amicis in alios ſimiliter amicos deriuatus eſt rectus ſpiritus Sacras Scripturas interpretandi vſque ad nos; Quales igitur eſſe debent ſacrarum ſcripturarum interpretes D. Bonauentura de luminaribus Eccleſiæ. Egregie deſcribit dicens; niſi verbum ſonet in aure cordis, niſi ſplendor verbi luceat in oculos mentis, niſi vapor & emanatio omnipotentis Dei inſtillet guſtum ſuauitatis; niſi ſempiternitas impleat Animum non eſt homo aptus ad intelligentiam viſionum. Videant modo Sectarij Lutherus & Lutherani Caluinus, & Caluiniſtæ, & Cæteri alij in commeſſationibus, & ebrietatibus, in cubilibus, & impudicitijs, in contentione, & emulatione quomodo recte Sacras Scripturas interpretari valeant; & quomodo ſuis Cauponibus, & ſuis Cauponiſtis, & alijs eiuſdem farinæ viris, ac mulieribus concedant ſpiritum eaſdem Sacras Scripturas interpretandi; in quibus intelligendis Antiqui Patres fere totam vitam in ieiunijs, orationibus & alijs corporis afflictionibus conſumpſerunt.

15 Viſa neceſſitate Theologiæ ſumptæ pro fide, & ſumptæ pro Sacra Scriptura, & ſumptæ pro expoſitione ſiue interpretatione eiuſdem Sacræ Scripturæ tandem videnda eſt neceſſitas eiuſdem Theologiæ quatenus eſt Scholaſtica, quæ conſiſtit in explicatione eorum, quæ aut ex rebus fidei bene perſpectis conſequuntur, aut minime conſequuntur, aut eis repugnant, ad quod munus obeundum Scholaſtici adhibent methodum, & ordinem, qui conſiſtit in forma diſſerendi in diſtinctione quæſtionum, & argumentorum in exacta cognitione rerum ipſarum, de quibus aliquid, vel negando, vel affirmando enunciat; qua poſita aduertentia dicendum eſt Theologiam Scholaſticam non ſolum eſſe vtiliſſimam, ſed neceſſariam in Eccleſia Dei; quod ipſemet ſaluator comprobat exemplo ſuo, qui vti ſolebat argumentationibus ex principijs fidei, & ex rationibus ductis tanquam neceſſarijs ad perſuadendum hominibus viam ſalutis vt patet apud Mathęum 22. & Lucæ 11.

16 Idem exercuit D. Paulus ad Romanos, & ad Galatas vbi probat multis argumentis hominem non iu-

B ſtifica-

Digitized by Google

ſtificari ex operibus legis, ſed per fidem Ieſu Chriſti, ergo neceſſaria eſt Theologia ſcholaſtica; Concilia quoque tum Generalia, tum Prouincialia ad dilucidanda arcana, & miſteria fidei, ad confutandas hæreſes, ad mendacia deſtruenda, atque ad falſas opiniones inſurgientes Theologiã Scholaſticam adhibuerunt; Item, & Sancti Patres eadem vſi ſunt ad aſſerend am fidem; Sanctus enim Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum refert Cap. 10. & 11 à temporibus Marci Euangeliſtæ fuiſse ſcolam Eccleſiaſticam quam ſic nominat Euſebius, cui præfuerunt Diuinarum rerum Doctores; & ratio ipſa oſtendit, nam Theologia Scholaſtica non eſt eſsentialiter diſtincta à Theologia expoſitiua, primo quia ex eiſdem principijs procedit; ſecũdo quia ex eodem lumine ſupernaturali proficiſcitur; tertio quia eaſdem veritates demonſtrat, ergo ſi vna eſt neceſsaria, & altera quoque erit neceſsaria.

17 Nihilominus Hæretici maxime noſtri temporis hanc Theologiam, qua eorũm mendacia, & falſitates apertæ fiunt, & ad viuum deteguntur, contendunt eam eſse errorum, & abhominationum ſentinam, ignorantiam veritatis, & inanem fallaciam, damnantes & blaſphemis declamationibus in odium vocantes illius methodi nouum dicendi genus, & in ea frequentes voces nouas; immo teterrimus Diaboli filius Lutherus impudenter auſus eſt Academias, vbi ea docetur Appellare Antichriſti lupanaria; & ad particularia deſcendentes dicunt Hæretici quod Paulus ad Cor. obſecrat, vt idem ſapiamus, ſed Doctores Scholaſtici non idem ſapiunt, quia de eadem materia aliquãdo diuerſas habent opiniones. Reſpondetur ea quæ tractantur à Scholaſticis eſse duplicia, quædam ſunt, quæ verſantur circa dogmata fidei atque Eccleſiæ definita, & in his Theologi idem ſapiunt, alia vero ſunt, quæ in opinione hominum verſantur, & in his aliquando diſsentiunt, cum hoc tamen ſubiecti correctioni Sanctæ Romanæ Eccleſiæ; ſecundo dicunt, quod Theologia Scholaſtica proponit inutiles quæſtiones contra pręceptum D. Pauli ad Titum ergo non eſt neceſsaria. Reſpondetur quæſtiones poſse eſse in duplici differentia quædam ſunt neceſsariæ & vtiles in ædificationem fidei, & Eccleſiæ, aliæ vero ſunt inutiles & noxiæ D. Paulus damnat ſecundas non primas quæſtiones, quas Scholaſtici reſoluunt & decidunt.

18 Tertio Lutherus dicit D. Paulum monere Colloſenſes, ne permittant decipi per Philoſophiam, & inanem fallaciam quod dictum Lutherus contendit quadrare in Theologos Scholaſticos; Reſpondetur Lutherum ipſum fallaciter procedere; nam D. Paulus nõ reijcit veram philoſophiam naturalem, quæ aliquando inſeruit Theologíæ Scholaſticæ patet Romanorum 1. Cap. 4. dicunt quod Theologi in ſua methodo ſunt importuni inutiles, immo pernicioſi; Quibus Reſpondemus quod & ſi ipſis videantur importuni quia ipſis latrant; nobis tamen opportuni fiunt quia nos cuſtodiunt, illis pernicioſi, quoniam eos morſibus lacerant nobis vtiles, & ſalutares exiſtunt, quoniam illos abſterrent, & ad fugiendum compellunt; quinto dicunt ea quæ tractant ſcholaſtici eſse remota nihil ad dogmata Chriſtianæ Religionis pertinentia; Reſpondetur negando, nam quomodo remota audent dicere quæ Symboli Apoſtolicis articulis cohærent? quo pacto remota vocitant quæ ad interpretationem miſteriorum Religio-

Digitized by Google

nem noſtram conſtituentium faciunt, quibuſue tantam cognitionem alſequimur.

19 *Sexto* dicunt Inuenta Theologorum eſſe monſtra. Reſpondemus eoſ mentiri, nam illis videntur Monſtra quia ingrata offeruntur, nec illorum palato ſatisfaciunt nobis tamen non hominum, ſed immortalis Dei inuenta Animis hominum Cęlitus illapſa Creduntur ſuauiſſimo nos cibo alentia ſettimo dicunt voces quas Theologi Scholaſtici adhibent eſſe interminatas, ignotas, confuſas abſque acumine extra rem, imperfectas, obſcuras, tenebroſas. Reſpondemus illis ſic videri, nobis autem, ſunt determinatæ, notæ, ab Intellectu noſtro apprehenſæ acumine excellentes & ad rem facientes, denique ſi illis imperfectæ videntur, nobis tamen perfectæ, ſi illis obſcuræ, nobis illuſtres, ſi illis tenebroſæ, nobis Lucidæ & Lux clariſſime corruſcans præſentia æterni ſolis, qui diuinis radijs, & nos ſui ſplendoris participes efficit, & nos ſuo calore inflammat, fouetque pellendo & arcendo opacas tenebras à Confuſo Chao inanium cogitationum illarum exeuntes; Vere Cæci & duces Cæcorum, quorum oculi cæcutientes non poſſunt ſentire tantum ſplendorem quem emittit, ſol iſtius luminoſiſſimę Theologiæ Scholaſticæ.

20 Eadem Theologia eſt doctrina diuina non ſolum, quia de Deo tractat ſecundum rationem ſuę naturalis eſſētię & ſuarū naturalium perfectionum, & ducit ad Deum, vt ad ſuum finem, intellectualem Creaturam; Sed etiam, quia fluit à Deo Patre luminum iuxta illud Apocalip. 22. & oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ ſplendidum tanquam Cryſtallum procedentem de ſede Dei, & agni; per hunc fluuium intelligitur ſacra & ſupernaturalis Doctrina vt exponit D. Bonauentura in principio opuſculi & quod hæc ſacra Theologia ſit ſupernaturalis facili ratione probari poteſt; nam omnis notitia immediate Cauſata à Deo eſt ſupernaturalis ſed Theologia immediate Cauſata eſt à Deo, vt conſtat ex Apoc. loco citato; Item cognitio de Credibilibus eſt ſupernaturalis, ſed Theologia eſt cognitio de Credibilibus, ergo eſt ſupernaturalis, maior eſt manifeſta nam Credibilia excedūt facultatem naturæ & captum noſtri Intellectus; Vlterius Doctrina, aut notitia, ſiue ſpecies Intelligibilis, quæ producitur ab Agente, quod non eſt natum Cauſare naturaliter talem notitiam eſt dicenda ſupernaturalis, ſed Theologia producitur ab Agente videlicet à Deo, qui pro ſtatu iſto non eſt naturaliter motiuus noſtri Intellectus; nam Deus habitat lucem inacceſſibilem 1. ad Timoth. 6.

21 Homo pro hoc ſtatu non poteſt cognoſcere veritates Theologicas ſupernaturales ſine ſupperaddito dono; à quo Intellectus perficiatur vt lumine fidei aut prophetico probatur ex illo Matth. 16. vbi Chriſtus Dominus Petro Agnoſcenti, & profitenti cum humanitate coniunctam Diuinitatem dixit beatus es Simon Bariona quia caro & ſanguis non reuelauit tibi ſed Pater meus qui in Cœlis eſt; probatur etiam ratione, nulla potentia poteſt in id tendere, quod excedit virtutem ſuam niſi ab aliqua forma ſuperaddita perficiatur, vt aqua non poteſt calefacere niſi per ſuperadditum calorem; ſed eiuſmodi veritates excedunt facultatem Intellectus Viatoris ergo nō poteſt naturaliter. Confirmatur medio Scoti Intellectus noſter eſt improportionatus veritatibus Theologicis quantum eſt ex ſe; ita quod ex natura ſua non poteſt attingere, id eſt ha-

Digitized by Google

bere actiuitatem ad cognoſcendum naturaliter tales veritates, quia generationem eius quis enarrabit? & ſic de alijs, ergo notitia huiuſmodi veritatum non poteſt virtuti Cauſarum naturaliter agentium aquiri.

23 Capacitas paſſiua Intellectus eſt ſufficiens ad recipiendam quamcunque cognitionem quam Deus producere poſſet ita Scotus q. 1. Prol. & 4. diſt. 49. q. 11. nam Potentia intellectiua eſt in potentia obedientiali per quam poteſt proportionari ad recipiendam quamcunque cognitionem ſibi à Deo conferribilem alias ſi deberet proportionari per aliam diſpoſitionem, eſſet proceſſus in infinitum. ergo poteſt recipere naturaliter cognitionem cuiuslibet rei, ac proinde veritatum, ſupernaturalium. Ad huius aſſertionis & probationis intelligentiam ſciendum eſt ex Scoto loco citato quod intellectus poſſibilis poteſt comparari ad duo, ſcilicet vel ad notitiam ipſam ſimpliciter, vel ad agens ipſius notitiæ. primo modo notitia non eſt ſupernaturalis eo quia intellectus poſſibilis ad quãcumque cognitionem naturaliter inclinatur, ſecundo modo talis notitia eſt ſupernaturalis ſi ab Agente producatur, quod non eſt natum naturaliter huiuſmodi notitiam producere, ſecus autem eſt, ſi intellectus poſſibilis moueatur ad cognitionem naturaliter ab intellectu agente & Phantaſmate, tunc enim cognitio illa naturalis cenſebitur, propterea quod ex illis duobus proficiſcitur.

24 Alio modo poteſt dici cognitio, Seu notitia ſupernaturalis quia nimirum eſt ab Agente ſupplente, vicem obiecti ſupernaturalis; pro quo aduertendum eſt quod agens ſupplens vicem obiecti ideſt Deitatis, vel eſſentiæ, in Cauſando, vel rappreſentando veritates Theologicas poteſt eſſe duplex vnum perfectum, vt eſt ſpecies diſtincte rappreſentans Deitatem aliud imperfectum, vt imperfecte docens, vel ſpecies confuſè rappreſentans; Primum Agens reuelans hanc veritatem Deus eſt vnus & trinus per productionem ſpeciei impreſſæ diſtincte repreſentantis Diuinam eſſentiam, & conſequenter cognitionem eiuſdem veritatis ſupplet perfecte vicem obiecti ſupernaturalis, quia talem notitiam Cauſat, qualem Diuina eſſentia Cauſaret, ſi potentiæ intellectiuæ eſſet in, ſe præſens, & cognitio quæ per talem ſpeciem haberetur ſupernaturalis dicenda eſſet triplici de cauſa, prima quia Deus, qui eſt Agens ſupernaturale cauſaret eam, ſecunda quia ſpecies ſuppleret vicem eſſentiæ, quæ eſt obiectum ſupernaturale, tertia quoniam illa cognitio eſſet a forma quæ regulariter non ſequitur ad actionem naturalem; quando vero Agens reuelans cauſat imperfectam & obſcuram quoniam eam cauſat de obiecto non ſub propria ratione cognitò tunc imperfecte, gerit vicẽ obiecti ſupernaturalis; ſi vero agens ſupernaturale ſuppleret vicem obiecti naturalis & cauſaret notitiam eius puta Geometriæ illa notitia geometrica eſſet quidem ſupernaturalis, quia eſſet cauſata ab agente ſupernaturali, non tamen eſſet ſupernaturalis ex parte obiecti eo quia eſt naturaliter attingibile ab intellectu noſtro pro ſtatu viæ.

25 Vt ſciatur quomodo hæc Doctrina à Deo reueletur anclare, vel obſcure notãdum eſt Scoto duobus modis poſſe agentem cauſare in aliquo intellectu notitiam aliquarum veritatum vno modo oſcure reuelando ſcilicet notitiam vel cognitionem obſcuram & confuſam, qualem non produceret obiectum ſi eſſet in ſe præſens;

alio

alio modo perfecte; & hoc dupliciter abſtractiue, & intuitiue; primo modo fit, cum agens cauſat in aliquo cognitionem Theologicam per ſpeciem diſtinctæ rappreſentantem obiectum illius cognitionis, ſecundo modo ideſt intuitiue & tunc fieret per exhibitionem præſentiæ obiecti, ita quod veritas cognita terminaret ad obiectum in propria exiſtentia, hoc præſuposito. Dicendum eſt primo Deum non clarè, ſed obſcurè nobis reuelare hanc doctrinam, quia reuelans hanc veritatem Deus creauit Mundum cauſat in mente noſtra aliqualem notitiam ideſt obſcuram eiuſdem veritatis; cauſat enim notitiam obiecti non ſub propria ratione cogniti; etenim termini illius veritatis ſub propria ratione non attinguntur à nobis neque intuitiue neque abſtractiue, ſed modo confuſo quo veritas reuelata cognoſcitur a nobis quatenus reuelata eſt.

26 Dicendum ſecundo. In Patria Deum reuelare eiuſmodi notitiam Theologicam perfecte, & intuitiue, quia ibi per ſuam voluntatem immediate cauſat viſionem deitatis ſub ratione deitatis, eo vel maxime quia eſſentia diuina, ſiue deitas intuitiue viſa notitia ſimplici ſtatim reddit notas intellectui beato omnes veritates neceſſarias virtute in ſe ipſa contentas, & incluſas. Dicendum tertio. Angelis viatoribus, ideſt antequam eſſent Beati Deum reuelaſſe hanc doctrinam perfecte non tamen intuitiue, ſed abſtractiue; probatur, quia eis indidit Deus ſpeciem impræſſam diuinæ eſſentiæ eam perfecte rappreſentantem, vt clarè docet Scotus in 2. diſt. 3. q. 9. probatur antecedens. Species illa abſolute poſſibilis eſt, & maxime conueniens intellectui Angelico, cui concedẽda eſt omnis perfectio conueniẽs intellectui creato, quod vero ſit poſſibilis patet primo ex parte Dei, quia eſt omnipotens vt poſſit efficere quod non implicat contradictionem, ſecundo ex parte rei quia illa ſpecies diſtinctæ rappreſentans non eſſet ratio videndi Deum beatifice; neque eſſet infinita in eſſendo. Sed ſolum in rappreſentando ſicuti eſt viſio Beatorum, quæ appellatur ſpecies expreſſa; Cum non implicet Deum potuiſse clarè etiã reuelare hanc doctrinam homini pro ſtatu iſto, docent multi hanc reuelationem factam fuiſse clarè Moyſi, qui fuit Doctor Hebræorum, & Paulo, qui fuit Magiſter Gentium; probabiliter enim de his tenetur quod Deum viderint viſione clara, ſed horatia & certè de facto id Scotus de Paulo docet in 2. diſt. 3. q. 9. vbi ex raptu Pauli colligit impreſsam ſpeciem diuinæ eſsentiæ remanſiſse in eius intellectu, cuius virtute raptus inde meminit; Idem docet in 4. diſt. 49. q. 12. ad ſecundum principale. Cum ergo clarè viderint Deum ſequitur clarè innotuiſse. Eis miſteria fidei; Idem probabiliter ſecundum ſententiam Scoti dici poteſt talem reuelationem claram multis alijs factam fuiſse ſcilicet primo homini in ſtatu innocentiæ cui impoſitum fuit ſtatim creato præceptum, vt Deum ſuper omnia diligeret, & alijs etiam Patribus veteris teſtamenti.

27 Pro pleniori notitia huius termini reuelationis aduertendum eſt vt tradit D. Bonauentura opuſc. de 7. Itineribus æternitatis triplicem eſse reuelationem nimirum ſenſibilem ſiue exteriorem; intellectualem, & ſuper intellectualem ſiue interiorem; Prima fit dupliciter nimirum quandoque per ſigna ſenſibilia, vt cum res videtur corporalibus ſenſibus extra abſque ſignificatione miſtica vt illa Pharaonis, & quorundam aliorum qui nullum

lum ſenſum ſpiritualem, vel myſticum intellexerunt; aliquando fit ſenſibus exterioribus, in quibus ſignificatio myſtica latet, qualis fuit facta Patribus veteris legis, & nouæ vt puta Moyſi cum de Rubo ardenti Dominus ſenſibiliter apparuit in ſubiectu Creatura Exod. 3. Et Apoſtolis, cum ſuper eos deſcenderit Spiritus Sanctus in igneis linguis in die Pentecoſtes; Actuum 2. & D. Paulo, cum Damaſci Ieſus Chriſtus eidem luce de Cęlo circumfuſo apparuit; Actuum 9 ſecunda reuelatio ſcilicet intellectualis, (quæ ſic dicitur quia non fit oculis Carnis, ſed mentis) duobus modis fieri contingit, interdum fit, quando animus illuminatus formalibus rerum viſibilium ſimilitudinibus præmonſtratis, ſiue præſentatis ad inuiſibilium cognitionem ducitur qualiter Ioannes in Apocalypſi vidit, qui & veritatem in illis intellexit; & Adæ qui viſa muliere ex propria coſta ædificata facta eſt ei reuelatio mentalis, in qua intellexit miſtycam Chriſti cum Eccleſia futuram coniunctionem; Aliquando fit huiuſmodi reuelatio cum ſpiritus humanus per internam inſpirationem ſuauiter tactus nullis mediantibus rebus viſibilibus ad Cæleſtium cognitionem erigitur, de hac reuelatione Saluator dixit Petro Matth. 18. caro, & ſanguis non reuelauit tibi; ſed Pater meus, qui in Cęlis eſt per interiorem ſcilicet in ſpirationem; de qua etiam Dauid Pſalm. 84. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Tertia reuelatio, quę ſuper intellectualis vocatur ea eſt, per quam ſpiritus noſter æternitati vnitur & hæc ſecundum eundem Doctorem ſeraficum Doctorem fit per ardētiſſimam dilectionem, & experimentalem notitiam.

28 Facta reuelatione Credibilium poteſt quis naturaliter aſſentire articulis fidei ita Doctor Subtilis 3. diſt. 23. quamuis enim nemo naturali lumine intellectus poſſit propria inquiſitione venire in cognitionem articulorum fidei tamen poſtquam alicui reuelati ſunt poteſt alius etiam firmiter aſſentiri eis atque firmiter eis adhęrere; diſtinguit tamen ibi duplicem fidem alteram infuſam, quæ nobis in baptiſmate infunditur, alteram aquiſitam, & hanc docet reperiri poſſe in homine ſine fide infuſa; quod exemplo oſtendit de puero Iudæo non baptizato inter nos nutrito more qui noſtro diſciplinato, hic profecto habitu aquiſito ex auditu crederet, & adhęreret omnibus fidei articulis ita firmiter ſicut nos aſſentimur. Idem docet quolib. 14. art. 1. Poteſt Deus per abſolutam potentiam puro homini comunicare claram notitiam, ſeu euidentiam articulorum fidei non ſolum quidditatiuam ſed etiam demonſtratiuam propterquid quia Theologia eſse poteſt ſcientia proprie dicta in intellectu viatoris ſtante ſimpliciter ſtatu viæ cum citra cognitionem intuitiuam poſſit virtute diuina habere diſtinctiſſimum conceptum Dei, qui virtualiter continens alias veritates de Deo optime aſsumi poteſt tanquam medium propter quid ad demonſtrandas de eo eaſdem veritates; Non poteſt tamen Deus abſoluta ſua potentia ſimul cauſare eiuſdem credibilis ſcientiam, & fidem de eodem, quia manifeſte implicat contradictionem ſcientiam, quę eſt cum euidentia ex parte rei poſse fidei cohęrere quæ eſt ſine euidentia credibilis; Item ſicut ſcientia & opinio de eodem non inſimul compatiuntur, ita cohęrere nequaquam poſsunt ſcientia & fides.

De

Digitized by Google

De Cauſa formali ſacræ Theologiæ. Art. 2.

1 IOannes Duns Scotus Doctor ſubtilis verus minorita franciſcanus cuius laus eſt in ſcholaſtica Theologia per omnes orthodoxas vniuerſitates, ſuæ religioſæ profeſſionis rigoroſus, rigidus, & ſtrenuus extitit executor, ſicque fuit exemplar non minus clarum in opere, quam in ſcripto, & non minus dignum quod imitetur in morum ſanctitate, quam ſubtilitate Doctrinæ, & vtinam omnes eius profeſſores ad vtrumque pariter conarentur; Hic inſignis doctor in Prologo lib. 1. ſent q. 2 agit de ſacris ſcripturis, de earum veritate & ſufficientia ad ſalutem noſtram ſed multa ſcitu digna ſupponit, ex quibus neceſſariora hic apponenda duximus opportunum. Dicimus ergo tantam eſſe ſcripturæ immenſitatem & maieſtatem vt vnico nomine comprehẽdi nequaquam valeat; Hinc eſt quod varias appellationes ſortita ſit pluribus que nominibus decorata; Nam ſacras litteras, ſcripturas, vel ſimpliciter ſcripturas ſacras, aut diuinitus inſpiratas, ac Deificas, libros ſacros, ac Deificos libros, authenticos, vel Canonicos, biblia, pandectam ſacram, ſacram bibliothecam, teſtamentum, aut teſtamenta inſtrumentum, vel inſtrumenta verbum Dei, eloquia Dei &c. dici apud omnes notiſſimum eſt; ſicut & alia habere nomina metaphorica; Dicitur enim puteus, & fons aquarum viuentium, manna Cœli, lignum vitæ, mel ſuauiſſimum, vinum ſaluberrimum, menſam omnibus delicijs refertam, paradiſus voluptatis, pictura ſacra &c. nimis longum eſſet omnia iſta nomina declarare; & quare ſacræ ſcipturæ ſint indita.

2 Prima Dei ſcriptura ipſa natura eſt; nam conſtans eſt Patrum omnium aſſenſio multa per res nobis ſignificari diuinitus; eſt enim modus inſtruendi, & docendi proprius diuinæ ſapientiæ; Vnde non alienum à veritate erit, ſi dixerimus diuinam ſacræ ſcripturæ doctrinam non tunc ſolum inchoaſſe cum ſcriptis mandari cępit, ſed multo ante cum ad noſtram eruditionem & ſublimiora miſteria ſignificanda prouidebat altiſſimus, qui per Patriarcharum geſta, per admirandas mundi euentus, per ipſam naturæ conditionem cępit erudire mortales. Vnde non male ſunt locuti, qui primam Dei ſcripturam ipſam dixerunt naturam, ſiue vniuerſum multis conſtans naturis. Vnde D. Baſilius hom. 1. Hexameron. vniuerſa hæc mundi moles perinde eſt ac liber litteris exaratus; Ideo Dauid dixit Pſalm. 18. Cœlos enarrare gloriam Dei, & opera manuum eius annunciare firmamentum; neque eſſe loquelas, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum; Conueniunt ergo tum oracula ſcripturarum, quam Patres quot ſupernarum & terrenarum rerum genera ſunt; tot voces eſſe, ſiue caracteres, ſeu verba diuinam maieſtatem notificantia, & ſic non minor eſt antiquitas ſacri eloquij, quam rerum naturæ, cum vtraque inceperit ipſa mundi creatione; Iſte modus inſtruendi hominem de rebus humanis & diuinis peruenit & durauit vſque ad Moyſen primum ſacræ paginæ. Eccleſiaſticæ immo naturalis & humanæ ſcriptorem cum ante eum nullus fuerit, qui inuenerit alphabetum, quo littere ſcriberentur, ita paſſim cum Ruperto lib. 4. de glorificat. Trinitatis cap. 3. vbi dicit Moyſes preceſſor omnium Propheta-

rum

Digitized by Google

rum, cuius ſcriptura profluens non ab homine, ſiue à litteratura manuſcripta cuiusvis hominis, ſed ab ipſius ore quaſi fons ſcripturarum eſt, nam cæteræ omnes ſcripturæ quaſi riui ſunt eiuſdem fontis.

3 De Moyſe & alijs ſacrarum ſcripturarum ſcriptoribus ſic D. Auguſtinus ſcribit ad D. Hieronymum epiſt. 19. Ego enim fateor Charitati tuæ ſolis eius ſcripturæ libris, qui iam canonici appellantur didici hunc timorem honoremque deferre, vt nullum horum auctorum ſcribendo erraſſe firmiſſime credam, aut ſi aliquid in eis offendero litteris quod videatur contrarium veritati, nil aliud quam mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe vel me minime intellexiſſe non ambigam; Alios autem ita lego, vt quantalibet ſanctitate, vel doctrina polleant non ideo verum putem, quia ipſi illa ſenſerunt, ſed quia mihi per alios auctores canonicos ſcilicet ſacræ ſcripturæ, aut probabili, aut euidenti ratione, quod à vero non abhorreat perſuadere potuerunt. Qui nam autem ſint libri vere Canonici audiamus definitionem Eccleſiæ Catholicæ, & apoſtolicæ Romanæ que talis eſt. Sacroſancta Æcumenica & Generalis Tridentina Synodus &c. hoc ſibi perpetuo ante oculos proponens, vt ſublatis erroribus puritas ipſa Euangelij in Eccleſia conſeruetur; Quod promiſſum ante per Prophetas in ſcripturis ſanctis dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius proprio ore, deinde per ſuos Apoſtolos tãquam fontẽ omnis, & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ omni creaturę prædicari iuſſit Matth. 28. perſpiciens que hanc veritatem, & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Santo dictante, quaſi per manus traditæ ad nos vſque peruenerunt, orthodoxorum Patrum exempla ſecuta omnes libros, tam veteris quam noui teſtamenti, cum vtriuſque vnus Deus ſit auctor; nec non traditiones ipſas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes tanquam, vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu Sancto dictatas & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſeruatas pari pietatis affectu ac reuerentia ſuſcipit, & veneratur; ſacrorum vero librorum indicem huic decreto ad ſcribendum cenſuit; ne cui dubitatio ſuboriri poſſit quinam ſint qui ab ipſa Synodo ſuſcipiuntur.

4. Sunt vero infraſcripti; Teſtamenti Veteris quinque Moyſi ideſt Geneſis Exodus Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Ioſue, Iudicum, Ruth, quattuor Regum, duo Paralipomenon Esdræ primus & ſecundus qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Eſther, Iob, Pſalterium Dauidicum centum quinquaginta pſalmorum, Parabolæ, eccleſiaſtes canticum canticorum, ſapientia Eccleſiaſticus, Iſaias Hieremias cum Baruch, Ezechiel Daniel, duodecim Prophetæ minores ideſt Oſeæ Ioel Amos, Abdias, Ionas Micheas Naum Abacuc, Sophonias Aggæus, Zacharias, Malachias. duo Machabeorum primus & ſecundus. Teſtamenti noui; Quattuor Euangelia ſecundum Matthęum Marcum Lucam & Ioannem actus Apoſtolorum à Luca Euangeliſta conſcripti quattuordecim Epiſtolæ Pauli, ad Romanos duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Thimotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos Petri Epiſtolæ duæ, Ioannis Apoſtoli tres, Iacobi Apoſtoli vna; Iudæ Apo-

ſtoli

Digitized by Google

ſtoli vna, & Apocalipſis Ioannis Apoſtoli; Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica, legi conſueuerunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prędictas ſciens, & prudens contempſerit; anathema ſit. Sancta ſynodus Tridentina prædictum ſacrorum, & Canonicorum librorum indicem, vel Catalogum per traditionem accepit à Concilio Florentino ſub Eugenio IV, Eugenius à Gelaſio Papa in Concilio Romano, Gelaſius à D. Auguſtino lib. 2. de Doctrina Chriſtiana Cap. 8; & D. Auguſtinus à Concilio Carthaginenſi 3, Patres huius Concilij ab Innocentio Papa epiſt. 3. ad Exuperium Tholoſanum Epiſcopum. Vixit autem Innocentius circa annum 402.

5 Prædicta ſancta Synodus in prædicto decreto tria facit, & diſponit; Primum aſſignat Sacras Scripturas Canonicas de fide tenendas ab omnibus Chriſti fidelibus. Secundum vult Verbum Dei non ſcriptum, nempe traditiones Diuinas, & Apoſtolicas eſſe omnino eiuſdem auctoritatis; & fidei cuius ſunt ſcripturæ Canonicæ, & pari reuerentia acceptandæ. Tertium vult, quod ſacri libri, ſiue ſacræ ſcripturæ legantur nonniſi, qui iam in vulgata editione latina legi, & interpretari, ab antiquo conſueuerunt. Circa; Primum inſurgunt duæ præcipuæ difficultates enodandæ; prima an librorum Canonicorum Canō fuerit ſimul conſtitutus, & an Apocryphus aliquādo potuerit fieri Canonicus, 2. Difficultas. An aliquæ ſcripturę Canonicæ perierint; Pro reſolutione notandum eſt primo; quod Apocryphus gręce tantum ſignificat ſicut occultus & abſconditus latine, hinc Theſauri abſcō-diti ſunt, apochryfi, ſed in hoc ſenſu non accipimus libros Canonicos vt Apocryphos, quia olim tempore perſecutionis Diocletiani Imperatoris cū à Chriſtianis libri Biblici occultarentur, fuiſſent tunc omnes apocryphi, & multi hodie, qui ſunt apocryphi non eſſent tales, quia in omnium manibus ſunt, & ab ipſis etiam hereticis in ſuorum codicem librorum inſeruntur v. g. tertius & quartus Eſdræ. Sed ij dicuntur Apocryphi, quia eorum auctoritas in Eccleſia eſt obſcura; ſed dupliciter, aut quia poſitiue reprobata eſt, & obſcurata, aut quia certe declarata non eſt, neque ſuper candelabrum poſita, vt luceat omnibus; qui in domo ſunt.

6 Secundo notandum eſt Eccleſiam, vt veterem, & noui teſtamenti ſpectari poſſe; & hanc, vel primitiuam, vel hodiernam, aut poſteriorem, & eandem poſſe ſe habere dupliciter circa libros, de quorum auctoritate diuina quæritur; Primo, vt actum exerat, quem vocant poſitiuum, id que dupliciter; Primo librum approbando, ſiue de eius diuinitate, & ſanctitate teſtificando, aut ſecundo poſitiue improbando, ſeu teſtificando eum in ſe canonicum non eſſe, & ſic eum non acceptare. Notandum eſt tertio Eccleſiam librum aliquem, vel ab auctore immediate accipere, vel ab alijs; ſi ab auctore, vel enim exploratiſſima eſt auctoris huius diuina inſpiratio, vel non eſt, ſi eſt, alio libri examine opus non eſt. De eo ſtatim teſtificari poteſt Eccleſia; ſi ab auctore, cuius non explorata ſit diuina inſpiratio, & cognita; ſeu ab auctore alio, quam ab auctore primo accipit, examine opus eſt; antequam Eccleſia poſſit teſtificari de illo eum eſſe diuinum, & tunc vel examen illud ſtatim adhibet, veritatemque ſtatim comperit, vel de huiuſmodi libro veritatem, ſeu diuinitatem non

G ſta-

Digitized by Google

ſtatim comperit, ideoque nec ſtatim de eo teſtificatur, ſed teſtificationem ſuſpendit, ac differt; Notandum eſt quarto Eccleſiam continue proficere, vt in virtutibus, & bonitate, ita in ſciẽtia, & doctrina Deo eam quotidie plenius illuſtrante. Propter hoc in Canticis Cap. 6. Eccleſia comparatur aurorę. Quæ eſt iſta inquit quæ progreditur quaſi aurora conſurgens; aurora autem temporis ſucceſſu magis ſplendet, vehementius rutilat, progreditur aurora, conſurgitque ſol, & effundit ob oculos noſtros Lucis ſuæ vberiores radios; Quo fit, vt multa nunc ſciamus, quæ à primis Patribus, aut dubitata, aut prorſus ignorata fuerunt.

7 Iuxta hæc dicendum eſt, quod Eccleſia poſtea quam libros cępit habere diuinos non ſtatim eorum omnium totum ſimul habuit Canonem, ſed ſucceſſiue; patet, quia in vtroque teſtamento libri alij alijs prius ſcripti ſunt, multis enim ante ſæculis ante Prophetarũ v. g. Iſaię & Malachię &c. libros fuerunt libri Moyſis, & in nouo teſtamento multo tempore ante D. Pauli Epiſtolas ad Corinthios ad Timotheum; Ante Apocalypſim fuit Sãcti Matthei Euangelium; Cõfirmatur, quia Eccleſia vetus ius, atque auctoritatem habuit libros examinandi an in ſe Canonici ſeu diuini ſint, & de ijs teſtificandi, ac pronunciandi, ergo & eccleſia noſtra non minorem habet auctoritatem & Spiritus Sancti aſſiſtentiam quã illa, ergo eodem modo poteſt procedere, & ſic teſtificationem differre, vt & de facto diſtulit, ergo non ſtatim eorum omnium totum habuit canonem, ſed ſucceſſiue, tandiu ergo licuit de aliquibus dubitare, quamdiu inter Catholicos res non erat liquida, nec Eccleſiæ auctoritas acceſſerat, quæ non niſi diureque bene examinata noluit de his certi quid decernere, diuinamque illis auctoritatem dare, at re ab eccleſia ſemel conſtituta nemini de earum auctoritate dubitare licuit. Dices ſi Canon ſucceſſiue conditus eſt, & in eo poſitæ ſunt aliquæ ſcripturæ, de quibus prius dubium erat, nunquam finiendus foret ille canon, quia ſunt plures aliæ ſcripturæ, de quibus controuerſia eſt & ex authoritate Eccleſiæ poterunt vt Canonice omnibus proponi; Reſpondetur; quod & ſi non ſit veriſimile hunc ſacrum Canonem eſſe augendum, nihil tamen vetare quominus in poſterum augeatur, ſiue poſſunt de nouo aliqui libri à viris Deo plenis prodire; de quorum auctoritate diuina hactenus dubitatum eſt in canonem admitti, vt ſi v. g. orationem Manaſſe, (de cuius, auctoritate dubitatur) ſcriptutis ſacris annumeraret eccleſia. Ex his colligitur librum qui fuit Apocryphus tantum negatiuus id eſt ab eccleſia ſimpliciter non acceptatus poſſe fieri canoni cum ſecus dicendum de libro Apocripho poſitiue reprobato & reiecto.

8 Secundæ difficultatis deciſio, in qua querebatur, an aliquæ ſcripturæ canonicæ perierint, præſuponit id dupliciter poſſe intelligi primo, vt talis liber pereat antequam recipiatur ab eccleſia in canone quo tempore adhuc proprie non eſt canonicus, ſed ſolùm poteſt dici canonicus quoad ſe, quia cum ipſe ſit diuinæ auctoritatis eſt talis, qui recipi poteſt in Canonem; quẽadmodum ſi ſapientia eccleſiaſticus, & Tobias &c. excidiſsent ante Chriſtum cum non haberentur in Hebræorum Canone; ſecondo vt id fiat poſtquam iam admiſsus eſt ab Eccleſia liber in Canonem, & eſt iam canonicus quo ad nos; & quaſi in actu ſecundo; Quo poſito dicimus plures libros canonicos

quoad

quoad ſe, & quodamodo in actu primo perijſſe; patet, nam plures libri de facto non reperiuntur, & tamen in ſacris voluminibus citantur, & ſunt de illis, qui quoad ſe ſunt canonici, ergo plures, vt tales perierunt; Nonne dicitur, quod tria millia parabolarum compoſuit Salomoni 3. Regum 4. Sed liber, quem nunc habemus Salomonis Parabolarum, ſeu Prouerbiorum longe abeſt ab hoc numero. Ergo perierunt; ſi obicias Eſdras è captiuitate Babilonica dicitur eos libros, qui captiuitatis tempore interciderant reſtituiſſe, ſiue ex memoria, ſeu diuino afflatus ſpiritu, ergo non perierunt: Reſpondetur negando (quamuis ſit opinio cõtraria probabilis) & quidem probabilius, quia veriſimile eſt Eſdrã libros ſacros eos duntaxat, qui Caldeorum vaſtationem, & incendium euaſerant reſtituiſſe, Non ex memoria, aut diuina inſpiratione eos dictando, ſed à mendis repurgando.

9 Quod vero tales ſcripturæ perierint, & cur Deus permiſerit libros illos perijſſe, ex Origene in prologo Canticorum reſponderi poteſt ſicut ipſe ait, quod placuit Spiritui Sancto auferri de medio, quod eſſent de ſcripturis quæ appellantur apocryphę; pro eo quod multa in eis corrupta, & contra fidem veram inueniantur à maioribus tradita; Nõ placuit de eis dari locum nec admitti ad auctoritatem; Si vero iam fuerant in Canone Hebræorum non eſt mirum, quod perierint ob peccata Iudæorum, ſic enim & ipſam Fęderis arcam Deus è templo ſuſtulit tabulaſque digito ſuo ſcriptas à Moyſe confringi voluit, quid mirum igitur ſi & libros aliquos, quos ipſe dictauerat eadem de cauſa perire permiſerit? nec ad eius prouidentiam pertinuit impedire, cum ſimiles cauſas habuerit; cur multa, quæ ipſe locutus fuerat per Prophetas Eliam, & Eliſeum, Samuelem, alioſque plurimos qui dicuntur ad reges, vel ad populum miſſi; vt Dei voluntatem illis inſinuarent ſcribi noluerit, cui dubium eſſe poteſt innumera alia, quæ egit dixitque Chriſtus; de quibus Ioannes cap. vltimo, potuiſſe eſſe vſui eccleſiæ. Si ſcripta fuiſſent? Item vltima Pauli acta; cæterorumque Apoſtolorum vbiuis terrarum geſta potuiſse fidelibus ad fidei, morumque inſtructionem inſeruire, quæ tamen omnia ſcribi noluit, & ſic concludendum, quod ſicut non fuit contra diuinamprouidentiam, vt multa à Chriſto; & Spiritu Sancto per Prophetas, per Apoſtolicos viros diuino ſpiritu plenos prolata perirent, nec vlla deinceps eorum ſupereſset memoria, ita non fuit contra diuinam prouidentiam, vt qui iam tempore illo ſteterant libri exciderent ob cauſas iam aſsignatas.

10 Non ſunt audiendi, ſed omnino reprobãdi Hæretici, qui dixerunt doctrinam omnem hactenus à Deo per Moyſen, & Prophetas, per Chriſtum, & Apoſtolos traditam fuiſſe imperfectam, & ad ſalutem conſequendam inutilem; Tales fuerũt impijſſimi Dauid georgiani; ſeu Dauidici, vt refert Prateolus, quod cum ſit omni impietate impium, per ſe ipſum ruit; Veriſſimum enim eſt fidei Catholicæ, dogma ſacram ſcripturam, & Theologicã doctrinam perfectam, & ſufficientem traditam fuiſſe; abſit hoc à nobis opus Dei tam præclarum dicere fuiſſe, & eſſe imperfectum, cum omnia opera à Deo immediate prodeuntia ſint valde perfecta, & in ſuo eſſe ſufficientia; vnde optime dixit D. Bonauentura in Prologo breuiloquij ſacram doctrinã eſſe per diuinam reuelationem, ideo eſſe talem, quod in ea nihil ſit cõtemnendum tanquam inutile, nihil reſ-

puendum tanquam falſum, nihil repudiandum tanquam iniquum; pro eo quod Spiritus Sanctus eius Auctor nihil potuit dicere falſum; nihil ſuperfluum, nihil diminutum, hæc ille Sãctus Doctor; Item nulla ſcientia, nulla doctrina, nulla ars eſt tam apta ad declarandum, perſuadendum, ac defenſandum credenda, ſicut ipſa ſacra Doctrina, in qua fidei argumenta plene, ac profundiſſime continentur, ergo eſt ſufficiens, & perfecta.

11 Secundò perſuadetur medio Scoti; Illa doctrina, quæ oſtendit homini cognitionem finis determinati, & mediorum ad finem eſt perfecta, & ſufficiens. Sed ſacra Theologia eſt huiuſmodi, ergo eſt perfecta, & ſufficiens, minor probatur, nam Theologia aperit in particulari, quid ſit finis hominis, nempe Dei viſio clara, & fruitio conſumata, vt dicitur Ioan. 17. hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te. Item docet quomodo Beatitudo obtineatur ab homine in corpore, & anima ſimul poſt reſurrectionem Iob 2. & in carne mea videbo Saluatorem meum; Præterea oſtendit, quod huiuſmodi beatitudo ſit perpetua, & æterna Matth. 25. Ibunt iuſti in vitam æternam, & Sap. 3. iuſtorum Animæ in manu Dei ſunt &c. Amplius ſacra doctrina determinat media neceſſaria ad finem conſequendum, & eorum ſufficientiam vtpote 10. mandata, quę in varijs ſacræ paginæ locis explicantur vnà cum cæteris pro diuerſitate temporis iuxta Dei volũtatem ab homine requiſitis, vt conſtat Exodi 20. Deut. 5. & tandem Matth. 19. vbi cum quæreretur à Chriſto Domino, quid faciam, vt vitam habeam, reſpondit, ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata & paucis interiectis hoc fac, & viues.

12 Confirmatur per Sanctum Bonauenturam in Opuſculis in 3. parte centiloquij. In ſacra doctrina de 7. in vniuerſum agitur, videlicet de Trinitate Dei, de creatura mundi, de corruptela peccati, de Incarnatione Verbi, de gratia Spiritus Sancti, de medicina Sacramentali, de ſtatu finalis Iudicij; Præterea inquit ipſe. In ſacra doctrina continentur præcepta, mandata, teſtimonia, & exempla, præcepta ad declinandum à malis, mandata ad faciendum bona teſtimonia ad credendum vera, exempla ad imitandũ, & explendum honeſta, timor incutitur præceptis, fides roboratur teſtimonijs, ſpes erigitur exemplis, Charitas conſumatur mandatis, ergo ſacra doctrina eſt perfecta. Amplius in ſacra doctrina ſunt documenta innuentia, promiſſa incitantia, ſacramenta adiuuantia, & conſilia perficentia, quæ ſunt conſilium paupertatis altiſſimæ, Caſtitatis mundiſſimæ, & obedientiæ, ſiue humilitatis ſubiectiſſimæ. Ergo eſt perfecta & ſufficiens.

13 Dices ſacra Doctrina continet Legem veterem, & nouam, ſed vetus dicitur imperfecta, ergo. Secũdo multa ſunt problemata apud Doctores, quorum certa reſolutio haberi non poteſt ex ſacris litteris; Ad primum reſpondetur, quod Lex vetus dicitur imperfecta non quidem abſolute, ſed comparatiue, hoc eſt reſpectu legis nouæ; illa enim dicebatur Lex figuræ; Lex pœnæ, Lex litteralis, Lex occidens, Lex ſeruitutis, & Lex oneris; Lex autem Euangelica dicitur Lex veritatis, Lex gratiæ, Lex ſpiritualis, Lex viuificans, Lex amoris, Lex libertatis, Lex facilitatis; Pro cuius reſponſionis intellectu notandum quod iſtę duę leges ſcilicet vetus, & noua non differunt quaſi omnino diuerſæ vel quaſi contrariæ, quod patet ex duobus primo ex parte Latoris, quia Lator vtriuſque legis eſt vnus ſcilicet Deus

ſecun-

Digitized by Google

ſecũdo ex parte *finis*, qui vtriuſque eſt vnus, vt ſcilicet homines ſubdãtur Deo. Differũt autem ſicut perfectum; & imperfectũ; Nam vetus dicitur imperfecta primo, quia per eã gratia adiuuãs non confertur, ſecundo, quia per eã homo non iuſtificatur à culpa; tertio quia per eam non producitur operatio meritoria, Lex autem noua eſt virtute perfecta, quia per eam confertur gratia iuſtificatur homo à culpa, & efficitur per eam faciles operatio meritoria; Ad ſecundam obiectionem reſpondetur ſecũdum Origenem in Homilia de Arca Noe, quod nulla ſcientia omnia ſcienda explicauit in ſpecie bene tamen in genere, ex quibus poſſunt alia ſufficienter elici; Vnde plures veritates non expreſsæ in ſcriptura, virtualiter in ea continentur inquit Scotus ſicut Concluſiones in *principijs*, ad quarum inueſtigationem vtilis fuit Doctorum intelligentia, & Labor.

14 Quantum ad ſecundum nempe ad vim, & valorem traditionum aſſerendum eſt prædictam ſacrarum ſcripturam ſufficientiam ad ſalutem humanam neceſſario requirere concurſum ſacrarum traditionem; quia, plurima ſunt, quorum cognitio eſt neceſſaria ad ſalutem, & tamen horum nullum eſt veſtigium in ſacra ſcriptura, niſi habeatur per traditionem; & multa ſunt hæreticorum dogmata, quæ teſtimonio ſcripturarum minime refelli poſſunt, ſed ſolum vniuerſalis Eccleſiæ traditione reijciuntur, ad Infernũ vt infra; magis patebit; clament igitur Hęretici vſque ad infernũ & rabide latrent cõtra veriſſimam aſſertionem traditionum, quod veritatem eius nec labefactare, aut mordere poterunt; Ideo hoc iaciendum eſt ſolidiſſimum fundamentum, quo tanquam firmiſſimo præſidio hęreticis omnibus circa hoc repugnare poterit; Nempe vniuerſalis eccleſiæ traditiones, aut definitiones in his, quę fidem ſpectant, etiam ſi aperta ſcriptura in earum comprobationem deſit, non minoris ſunt auctoritatis, quam ipſa ſacra ſcriptura, & ratio eſt, quia non minori lumine, & irrefrabilitate Spiritus Sanctus aſſiſtit Eccleſiæ loquenti quam aſsiſtat ſcribenti iuxta illud Matthei 10. non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis, immo longe efficaciori modo ſecundum D. Hieronymum in Epiſtola ad Paulinum de omnibus ſacræ ſcripturæ libris, vbi ſic ait; Habet neſcio quid latentis energiæ viuæ vocis actus, & in aures diſcipuli de auctoris ore transfuſa fortius ſonat. Poſito hoc ſolidiſſimo fundamento pergamus ad vlteriora.

15 Nam cum cognitio neceſſaria ad ſalutem humanam non fuerit redacta in ſcriptis, debuit per traditionem humano generi ſubminiſtrari in quolibet ſtatu tã naturæ, quam legis ſcriptæ Moſaicæ, & Euangelicæ; alias non fuiſset humano genere ſufficienter prouiſum de rebus neceſsarij ad ſalutem; Hinc ſequitur ſacram ſcripturam, & traditionem eundem gradum neceſſitatis obtinere ſi proportionaliter accipiantur; ſi nimirum ſacra ſcriptura à Spiritu Sancto dictata comparetur cum traditione Diuina, quæ pariter inſtincta eiuſdem diuini ſpiritus ad nos peruenit per continuam, & non interruptam ſucceſſionem. Quod autem cognitio neceſsaria ad ſalutem humani generis non ſemper fuerit ſcripta patet diſcurrendo per varias ætates Eccleſiæ Dei, quæ incepit ab Adam vſque ad conſumationem ſeculi duratura iuxta promiſsum Chriſti Matth. vltimo, & ecce vobis cum ſum vſque ad conſumationem ſæculi;

Nam

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Nam ab Adam vſque ad Moyſen colebant homines Deum fide, ſpe & Charitate, & externis ritibus, vt patet ex Gen. vbi introducuntur Adam, Abel, Seth, Enoch, Noe, Abraham & alij homines iuſti, & ex D. Auguſtino lib. 11. de Ciuit. Dei, vbi deducit Ciuitatem Dei ab initio Mundi vſque ad finem; At nulla fuit ſcriptura ante Moyſen, vt patet, tum quia omnium conſenſu Moyſes fuit primus ſcriptor ſacer, tum quia in Geneſi non fit mentio doctrinæ ſcriptæ, ſed ſolum traditæ Gen. 18. ſcio, (inquit Deus) quod Abraham præcepturus filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini.

16 Igitur annis bis mille conſeruata eſt religio ſola traditione, non fuit igitur ſcriptura ſimpliciter neceſſaria, ſed loco eius ſuffecta fuit traditio. Deinde à Moyſe vſque ad Chriſtum per alia duo millia extiterunt quidem ſcripturæ; tamen eæ ſolæ erant Iudæorum, reliquæ autem gentes; in quibus etiam erat apud aliquos vera Religio, & fides. Per ſolam traditionem non ſcriptam conſeruabant ſuam Religionem, & fidem; Quod autem ex Gentibus præter Iudæos, multi alij ad Eccleſiam pertinerent, patet ex Iob & amicis eius, & ex D. Auguſtino, qui hoc conſtanter aſſerit lib. 1. de peccato Originali Cap. 24. & lib. 1. de præдeſt. Sanctorum Cap. 9. & lib. 18. de Ciuit. Dei Cap. 47. Immo in ipſo Populo Dei, & ſi ſcripturæ extarent, tamen Iudæi magis vtebantur traditione, quam ſcriptura, vt patet ex illo Exodi 13. narrabis filio tuo in illo die dicens hoc eſt quod fecit Dominus &c. & Deuteronomij 32. interroga Patrem tuum; & annunciabit tibi &c. Iob. 8. interroga generationem priſtinam, & Pſalmi 43. Deus auribus noſtris audiuimus &c. & Patres noſtri nunciauerunt nobis; & Pſalm. 77. quanta mandauit Patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera; filij, qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt ea filijs ſuis.

17 Immo à Chriſti aduentu per annos multos fuit Eccleſia ſine ſcriptura, ita vt adhuc ſuo tempore ſcribat Iræneus libr. 3. Cap. 4. fuiſſe gentes aliquas Chriſtianas; quæ ſolis traditionibus ſine ſcriptura optime viuerent; Ex qua deductione ſatis apparet ſcripturas nôn eſſe ſimpliciter neceſſarias, & earum defectum traditionem ſuppleuiſſe; & etiam modo ſupplere, cum ſcripturæ, quæ extant non omnia contineant, vt ſufficiant ipſæ ſine traditione; quod multis rationibus oſtendi poteſt; Primo ex multis, quæ ſine periculo ignorari non poſſunt, & tamen in ſcripturis non continentur, ac primum tempore teſtamenti veteris ſine dubio non minus fœminæ, quam viri remedium aliquod habebant, quo à peccato originali purgarentur, & tamen pro maſculis inſtituta erat circumciſio ſecundum multorum opinionem, quid autem eſſet pro fæminis nuſquam habet ſcriptura; Deinde eodem tempore non eſt vllo modo credibile non fuiſſe remedium vllum pro maſculis morientibus ante octauũ diem, quo ſolo poterant circumcidi, & tamen nihil extat de hac re in ſacra ſcriptura; tertio probatur, Gentiles multi ſaluari poterant, & ſaluabantur tempore teſtamenti veteris, & vere ad eccleſiam pertinebant; & tamen nihil prorſus de eorum iuſtificatione à peccato originali, alijſque peccatis in ſcriptura habetur.

18 Quarto neceſſe eſt noſce extare libros aliquos vere diuinos, quod certe vllo modo ex ſcripturis haberi poteſt; nam etiam ſi ſcriptura dicat libros Prophetarum, & Apoſtolorum eſſe

diui-

diuinos, tamen non certo id Credam, niſi prius Credidero ſcripturam, quæ hoc dicit, eſſe diuinam; Nam etiam in Alcorano Mahomet paſſim legimus ipſum Alcoranũ de Cœlo à Deo miſſum, & tamen ei non Credimus. Itaque hoc dogma neceſſarium, quod ſcilicet ſit aliqua ſcriptura diuina non poteſt ſufficienter haberi ex ſacra ſcriptura; proinde cum fides nitatur Verbo Dei, niſi habeamus verbum Dei non ſcriptum nulla nobis erit fides; quinto non ſatis eſt ſcire eſſe ſcripturam diuinam, ſed oportet ſcire, quæ ſit illa, id quod nullo modo poteſt ſciri ex ſcripturis, quomodo enim colligemus ex ſcriptura Euangelia Marci & Luce eſſe vera, Thomæ & Bartholomei eſſe falſa? cum ratio potius dictet magis credendum libro præferenti titulum Apoſtoli, quam non Apoſtoli; & vnde colligam Epiſtolam ad Romanos eſſe vere Pauli Epiſtolam; Epiſtolam vero ad Laodicenſes quæ nunc circumfertur non eſſe Pauli, cum vtraque præferat titulum Pauli? & cum Paulus epiſtola ad Colloſſenſes Cap. vltimo dicat ſe ſcripſiſse ad Laodicenſes, nuſquam autem dicat ſe ſcripſiſse ad Romanos; & quis nõ diceret Paulum vere ſcripſiſse ad Laodicenſes.

19 Sexto oportet etiam non ſolum ſcire, qui ſunt libri, ſed etiam in particulari illos, qui ſunt in manibus eſse illos; Non enim ſatis eſt credere Euangelium Marci eſse verum, Euangelium Thomæ non eſse verum, ſed oportet etiam credere hoc Euangelium, quod nunc legitur nomine Marci eſse illud verum, & incorruptum, quod ſcripſit Marcus, quod certe ex ſcripturis haberi non poteſt, quomodo enim ex ſcriptura colligam hoc Euangelium non eſse ſuppoſititium, vt dicunt Maumettani, vel certe totum deprauatum vt dicebant olim Manichei, & nunc Anabaptiſtæ? Septimo quanto tempore predicarunt tam Chriſtus quam Apoſtoli viua voce Euangelium priuſquam ſcripto illud committeretur? nam Mattheus qui primus omnium ſcripſit, non niſi octauo anno poſt mortem Chriſti Euangelium ſuum conſcripſit, & poſtquam conſcriptum eſset; & plures etiam Epiſtolæ ab Apoſtolis conſcriptæ eſſent. Nonne D. Paulus 2. Theſalon. Cap. 2. V. 14. adhuc monet fideles dicens? Tenete traditiones, quas accepiſtis ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram, & quodnam obſecro aliud depoſitum comendat Timotheo cuſtodiendum Paulus, niſi formam ſanorum Verborum, quæ ex ore eius audierat 2. Epiſt. Cap. 1. V. 13. & quænam oro ſunt illa multa, quæ Chriſtus ante mortem dicebat nõ poſse modo ab Apoſtolis portari? Ioan. cap. 18. V. 12. ſed poſt reſurrectionem ipſos portari edocuit Actorum Cap. 1. V. 3. per dies quadraginta apparens eis, Loquens de Regno Dei?

20 Vbi ſcripta ſunt alia illa multa, quæ dixit & fecit Ieſus Ioan: vltimo, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſse eos; qui ſcribendi ſunt libros. Vnde niſi ex traditione ſcimus de numero multorum horum non eſse Euangelia, quæ circumferuntur Sanctorum Petri, Andreæ, Thomæ & Bartholomei, æque atque Matthæi Marci, & Lucæ, maxime cum illi ſint Apoſtoli, hi poſtremi Marcus, & Lucas non niſi Chriſti Diſcipuli; Ex dictis ſequitur contra Hæreticos Modernos Verbum Dei ſcriptum alias veriſſimum, (ſi de Canonico eſt ſermo) non eſse ſufficiẽs ſine verbo Dei non ſcripto; ideſt ſine traditionibus, quæ æqualiter fuerunt neceſsariæ ad ſalutem humano generi

pro

Digitized by Google

pro quolibet ſtatu naturæ, Legis Moſaicæ; & Legis Euangelicæ. Vnde cuilibet ſtatui Eccleſiæ correſpondebant traditiones proportionatæ condicioni fidelium. In ſtatu naturæ præter alias erant quatuor traditiones: Prima, erat neceſsarium Credere Deum eſse Creatorem vniuerſę Creaturæ, nimirum quod Deus in principio Creauerit Cœlum & terram; ſecunda Deum eſse remuneratorem; Ideſt Credere tunc debebant, quod Deus pro rectè factis debita præmia largiturus eſset, & conſequenter pro male factis demeritatas pęnas illaturus: Tertia Deum futurum iuſtificatorem tam à peccato originali, quam ab alijs ſecundum modos ſibi beneplacitos; Quarta animam rationalem eſse immortalem.

21 In ſtatu Legis ſcriptæ erant duplices traditiones nempe Moſaicæ & Phariſæorum; Moſaicæ erant tres pręcipuæ, Prima; quod omnes, & ſinguli libri, qui in canone Iudæorum conſignabantur eſsent verè Diuini, & à Deo inſpirati; Hoc fide tenebant Iudæi, & tamen nunquam in veteri teſtamento ſcriptum eſt; Secunda quod fæmellæ haberent aliquod remedium contra peccatum originale non minus quam Maſculi qualecumque tandem fuerit illud remedium, quod vllibi in teſtamento veteri non inuenitur ſcriptum; Hæc traditio erat neceſsaria ad ſalutem, quia ſine remedio non poterant ſaluari fęmellæ qualecumque tandem fuerit illud remedium, ſiue fides Parentum, ſiue aliquid aliud ad hoc à Deo inſtitutum, quod tamen debebant ſcire in particulari, nō per ſcripturam Canonicam, quæ nullibi reperiebatur, ergo per traditionē; Tertia quod cruenta ipſorum ſacrificia ſignificauerint mortem Chriſti. Hoc etiam erat dogma fidei, quod tamen in veteri teſtamēto non reperiebatur ſcriptum; Nam fide credebant quædam cruenta ſacrificia à Deo inſtituta eſse pro expiatione peccatorū, vel ergo putabant eiuſmodi ſacrificia per ſe, & propria virtute expiare peccata, vel virtute mortis & paſſionis Chriſti, quę per illa ſacrificia ſignificabatur; ſi prius putabant erant hæretici, ſi poſterius erant fideles, ſed vnde habebant hanc fidem & firmam perſuaſionem? nō ex ſcriptura, quia nuſquam in veteri teſtamento reperiebatur ſcriptum ergo ex traditione neceſsaria ad ſalutem; Non quod neceſse fuerit ſingulos de populo credere futuram Chriſti mortem per cruenta ſacrificia prefigurari, ſed quod neceſse fuerit aliquos, io credere præſertim ſacerdotes, & doctores, quibus incumbebat cura docendi, & inſtruendi alios; alioquin tota Sinagoga in hoc quidem puncto, quod ſane erat grauiſſimum fuiſset ſine fidę quod abſurdum eſt. Vide D. Thomam 22. q. 2. art. 7.

22 Traditiones Phariſæorum, quas Chriſtus in Euangelio reprehendit erant hæ. Prima quod ante ſumptionem cibi lauandæ eſsent manus Matthæis 6. prima acceſserunt ad Ieſum ſcribæ, & Phariſæi dicentes, quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum, non enim lauant manus cum panem manducant; ſecunda quod etiam inter comedēdum illa lotio ſępe eſset repetenda Marci 7. Tertia Phariſæi, & omnes Iudæi niſi crebro lauerint manus non manducant tenentes traditiones ſeniorum. Hinc in nuptijs Canæ Galileæ erant 6. hidriæ poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum Ioan. 2. 6. In quibus hidrijs erat à qua ad lauandum manus inter prandendum, tertia quod venientes è foro non deberent cibos capere, niſi loti eſſent; Marci 7. & alia mul-

Digitized by Google

multa tradita ſunt illis baptiſmata ſeruare calicum, nimirum, & vrceolorum; quarta quod cum peccatoribus non eſſet ſumendus cibus; Matth. 9. 11. Et videntes Phariſæi dicebant Diſcipulis eius; Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter? Quinta, quod ne quidem permittendum eſſet, vt quis à peccatoribus tangeretur Lucæ 7 39. Videns autem Phariſęus, qui vocauerat eum intra ſe dicebat; Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ, & qualis eſſet mulier, quæ tangit eum; quia peccatrix eſt; Immo Phariſæorum erat illa vox, recede à me non appropinques, quia immundus es. Iſaiæ 65. 5.

23 Sexta; quod in Sabbato non liceret ægros ſanare Lucæ 6. 7. obſeruabant Scribæ, & Phariſęi ſi in Sabbato curaret, vt inuenirent vbi accuſarent eum: & Ioannis 9. 16. dicebant ergo ex Phariſæis, quidam non eſt hic homo à Deo, quia ſabbatum non cuſtodit; loquebantur de Chriſto, qui cæco viſum reſtituerat in Sabbato. Septima; quod famelici non poſſent ſpicas vellere, & comedere in ſabbato; Matth 12. 1. abijt Ieſus per ſata ſabbatho, diſcipuli autem eſurientes cæperunt vellere ſpicas, & manducare; Phariſęi autem videntes dixerunt ei; Ecce Diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere ſabbathis; Octaua quod frequenter eſſet ieiunandum, & orandum; Matth. 9. 14. Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant, idem Lucæ 5. 33; Nona, quod omnium rerum etiam minimarum decimæ Deo eſſent offerendæ. Matth. 23. 23. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, qui decimatis mentham, anethum, & Cyminum, & reliquiſtis, quæ grauiora ſunt legis, Iudicium miſericordiam, & fidem hæc oportuit facere, & illa non omittere, quaſi diceret Phariſæi datis decimas omnium rerum etiã minimarum, quod non facitis ex præcepto Dei ſcripto in lege Moſaica; ſed ex veſtra traditione non ſcripta, & interim negligitis ea, quæ vobis in lege præcepta ſunt; Hæc debebatis facere, & illa non omittere.

24. Decima traditio, quod qui iuraret per templum, & altare non eſſet reus criminis, qui autem iuraret per aurum templi, vel per oblationes, quę in altari fiebant eſſet reus; Matth. 23. contra hos ſic Chriſtus inuehebat; Væ vobis cæci, qui dicitis quicumque iurauerit per templum nihil eſt; qui autem iurauerit in auro templi debet &c. Vndecima, quod filij non tenerentur reipſa parentes ſuos honorare, aut illis benefacere, ſed quod abunde ſufficeret munus Deo aliquod offerre Matth. 15. 3. Ideo contra hos Chriſtus pariter inſurgebat dicens; Quare vos trãſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit; honora Patrem tuum, & Matrem, & quicumque maledixerit Pátri, aut Matri morte moriatur. Vos autem dicitis, quicumque dixerit Patri, aut Matri, munus, quodcumque eſt ex me tibi proderit, & non honorabit Patrem ſuum, & Matrem ſuam, & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. Hæ fuerunt præcipuæ traditiones Phariſęorum quantum ex Euangelio licet colligere; & quanquam aliquæ earum eſſent bonę ex ſuo genere, aliæ malæ, aliæ indifferentes, aut inutiles; Phariſæi tamen propter omnes reprehendabantur à Chriſto ob tres cauſas, primo, quia ipſi ex earum obſeruatione quærebant inanem gloriam, & opinionem ſanctitatis apud homines, cum nihil minus, quam ſancti eſſent ſicut; oſtendit Ieſus. Matth. 23. 5. omnia vero opera faciunt, vt videantur ab hominibus; Hinc paſſim

D in

Digitized by Google

in Euangelio vocantur Hypocrytæ, & ſepulcra dealbata. Secundo, quia ex quarumdam obſeruatione ſectabantur opes, & diuitias præſertim ex longis orationibus, quas in eum finem recitabant. Matth. 23. 14. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi Hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: vbi comedere, ſeu deuorare domos viduarum nihil aliud eſt, quam ſpoliare, ſeu exhaurire, nam viduæ veniebant ad Phariſæos tanquam ad homines ſanctos (quippe qui ſanctitatem ſimulabant), & eorum orationes prætio emebant; tertio quia ſuperſtitioſe minutiora quædam ſeruabant, & alia maiora negligebant, vt paulo ante dictum eſt;

25 In lege quoque Euangelica & gratiæ fuerunt traditiones neceſſariæ ad ſalutem; quas plurimum fecit D. Paulus, & in ſuis Epiſtolis ſolicite commendauit; præcipue 1. Cor. 11. laudo inquit vos, quod per omnia memores mei eſtis, & ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis. Deinde ego enim accepi à Domino, quod, & tradidi vobis (& concludit) cætera vero cum venero diſponam; quid autem diſpoſuerit nuſquam ſcriptum inuenitur; Item 1. ad Timoth. Cap. vltimo ò Timothee depoſitum cuſtodi, & 2. ad Timoth. 1. formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti; bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis, & Cap. 2. tu ergo fili mi conſortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & quæ audiſti à me per multos teſtes, hęc commenda fidelibus hominibus, qui Idonei erunt, & alios docere; In his locis nomine depoſiti nō poteſt intelligi ſcriptura, ſed Theſaurus doctrinæ, & intelligentia dogmatum diuinorum; Ideſt tàm ſenſus ſcripturarum, quàm aliorum dogmatum, quàm totam doctrinam propagari volebat per traditionem; vt explicant Griſoſtomus; & Theophilactus in hunc locum; quo alludunt plurimi veteres patres, quos omnes recenſere eſſet nimis longum, & tædioſum.

26 Non tamen omnes ſunt reticendi, quamuis ab hæreticis omnes reijciantur; Et primus ſit Sanctus Dionyſius Areopagita Cap. 1. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ dicens. Primi illi noſtri ſacerdotalis muneris duces ſumma illa, & ſuper ſubſtantialia partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis nobis tradiderunt; Iſte glorioſiſſimus Martyr, & feruentiſſimus Pontifex fuit filius Apoſtoli Pauli per Euangelium genitus, & ſtrenuus eius Diſcipulus; ſimilia dicunt Fabianus Papa, & Martyr Epiſt. 2. ad Epiſcopos orientis, S. Innocentius primus in epiſt. 1. S. Leo primus ſerm: de Quadrageſſima, & alibi ſæpe; Ireneus lib. 3. cap. 4. Clemens Alexandrinus in libro de Paſchate, Origenes in cap. 6. Epiſt. ad Romanos, Euſebius lib. 1. de Demonſtratione Euangelica, Tertullianus lib. de Corona Militis; Ciprianus lib. 2. Epiſt: 3. Athanaſius in libro de Decretis Nicenę Synodi contra Euſebium, Baſilius de Spiritu Sancto cap. 27. Nazianzenus orat. 1. in Iulianum, Griſoſthomus in 2. Theſſalonicenſium; & alij plurimi.

27 Item Patres concilij generalis Nicęni primi ex traditionibus damnarunt hæreſim Arij, vt diſerte teſtatur Theodoretus lib. 1. Hiſtor. cap. 8. D. Stephanus Romanus Pontifex & Martyr. baptizatos ab Hæreticis, Iterum baptizari vetuit, reſcribens Sancto Cypriano verbis illis; Nihil innouetur niſi quod taditum eſt; ita Breuiarium Romanum die 2. Auguſti; Nicenum quoque ſecundum pariter generale concilium actione 6. quid autem (inquit)

Digitized by Google

quit) cum multis alijs, quæ in Eccleſia obſeruantur ſine ſcriptura nobis imaginū veneratio tradita ſit, ab Apoſtolorum temporibus late per Hiſtorias traditum eſt; & actione 6. in fine ſic ait, ſi quis traditionem Eccleſiæ ſiue ſcripto, ſiue conſuetudine valentem non curauerit anathema ſit; Idem reperitur in Concilio 8. generali actione 8. & poſt actionem vltimam Canon. 1. Profitentur Patres ſi ſeruaturos omnes traditiones, non ſolum Apoſtolicas, ſed etiam Eccleſiaſticas: Ex quo mirum videri non deberet Lutheranis, ſi tale aliquid etiam docuit & ſtatuit Tridētinum Concilium ſeſſ. 4. vt ſupra; Traditiones igitur concedendæ ſunt tanquam neceſſariæ ad ſalutem.

28 Pro quarum ſufficienti intelligentia notandum eſt traditiones dupliciter diuidi poſſe, vno modo per earum Auctores, ſecundo per diuerſam materiam, quam concernunt; priori modo diuiduntur in traditiones diuinas, Apoſtolicas, & Accleſiaſticas; diuinæ dicuntur, quæ acceptæ ſunt à Chriſto Apoſtolos docente, & nuſquam in diuinis litteris inueniuntur, tales ſunt eæ, quæ ad materiam, & formam ſacramentorum pertinent; pauca enim de his habemus in diuinis litteris, & tamen certum eſt ſacramentorum eſſentiam non potuiſſe niſi à Chriſto inſtitui; Ideo enim Apoſtolus 1. Cor. cap. 11. Loquens de Sacramento Euchariſtiæ dicebat, ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis &c. Traditiones Apoſtolicæ proprie dicuntur illæ, quæ ab Apoſtolis, inſtitutæ ſunt non tamen ſine aſſiſtentia Spiritus Sancti, & nihilominus non extant ſcriptæ in eorum Epiſtolis, qualis eſt, Ieiunium quadrageſimæ, & quatuor temporum, & aliæ multę; ſolent tamen interdum etiam diuinæ traditiones dici Apoſtolicæ, & Apoſtolicæ dicuntur diuinæ. Diuinæ traditiones dicuntur Apoſtolicæ non quod ab illis ſint inſtitutæ, ſed quod ab eis primum Eccleſiæ traditæ ſint, cum ipſi ſeorſim eas à Chriſto accepiſſent; & Apoſtolicæ dicuntur diuinæ, non quod eas Deus immediate inſtituerit, ſed quod non ſine ſpiritu Dei eas Apoſtoli inſtituerint, quomodo omnes Epiſtolæ Apoſtolorum dicuntur diuinæ, & Apoſtolica ſcripta etiam ſi quędam in eis ſint præcepta diuina, & quædam proprie Apoſtolica vt patet ex illo 1. Corint. 7. præcipio non ego ſed Dominus, & poſtea dico ego non Dominus.

29 Ad dignoſcendas veras, & germanas Apoſtolorum traditiones quinque ſequentes regulæ plurimum conducent; Prima quando vniuerſa Eccleſia aliquid tanquam fidei dogma complectitur, quod non inuenitur in diuinis litteris neceſſe eſt dicere ex Apoſtolorum traditione id haberi; quia cum Eccleſia vniuerſa errare non poſſit, cum ſit columna, & firmamentum veritatis 1. Timoth. 3 & cum de ea dictum ſit à Domino Ieſu Chriſto Matth. 16. Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam, certe quod Eccleſia de fide eſſe credit ſine dubio eſt de fide, at nihil eſt de fide niſi quod Deus per Apoſtolos, aut Prophetas reuelauit, aut quod euidenter inde deducitur; non enim nouis reuelationibus nunc regitur Eccleſia, ſed in ijs permanet; quæ tradiderunt illi, qui miniſtri fuerunt ſermonis, & propterea dicitur Ephes. 2. ædificata ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum; igitur illa omnia, quæ Eccleſia fide tenet tradita ſunt ab Apoſtolis, & Prophetis, aut ſcripto, aut Verbo; tales ſunt. Prima perpetua Virginitas B. V. Mariæ Matris Dei ſe-

D 2 cun-

cunda quod tota ſcriptura veteris, ac noui teſtamenti ſit vere diuina, & à Deo inſpirata; tertia quod ſymbolum fidei ſit vere Canonicum, & Apoſtolicum, quarta; quod infantes ſint baptizandi; quinta quod in Baptiſmo pronunciari debeat hæc forma verborum; ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; ſexta quod Baptizati ab Hæreticis non ſint rebaptizandi; ſettima quod certus, ac determinatus ſit ſacramentorum numerus in nouo teſtamento.

30 Secunda Regula eſt, quando vniuerſa Eccleſia aliquid ſeruat, quod nemo conſtituere potuit niſi Deus, (quod tamẽ nuſquam inuenitur ſcriptum) neceſſe eſt dicere ab ipſo, Ieſu Chriſto, & Apoſtolis eius traditum ob eandem rationem ſuperioris regule, nam eccleſia vniuerſa non ſolum non poteſt errare in credendo, ſed nec in operando, ac præſertim in ritu, & cultu diuino; recteque D. Auguſtinus epiſt. 118, docet inſolentiſſimæ eſſe inſaniæ æſtimare non recte fieri, quod ab vniuerſa Eccleſia fit, ergo illa, quę Eccleſia non poteſt recte ſeruare, niſi à Deo ſint inſtituta, & tamen ſeruat, neceſſe eſt dicere eſſe à Deo recte inſtituta etiam ſi nuſquam legatur; talis eſt baptiſma paruulorum; erraret enim grauiſſime Eccleſia, ſi ſine Dei mandato paruulos, qui actu non credunt baptizaret; talis eſt etiam babtiſmus Hæreticorum, quod ſit ratus, & non iterandus, & propterea Auguſtinus mandatum non rebaptizandi ab Hæreticis baptizatos ad Apoſtolorum traditionem reuocat, non enim poteſt Eccleſia dare Baptiſmo virtutem, ſi eam à Chriſto non habet. Tertia regula eſt, id quod in Eccleſia vniuerſa, & omnibus retro temporibus ſeruatum eſt merito ab Apoſtolis creditur inſtitutum, etiam ſi illud tale ſit, vt potuerit ab Eccleſia inſtitui; hæc regula eſt D. Auguſtini libro 4. contra Donatiſtas cap. 24. exemplo ſit ieiunium quadrageſimæ; Id enim poterat ab Eccleſia inſtitui; ſi Chriſtus, vel Apoſtoli non inſtituiſſent, tamen dicimus, & probamus à Chriſto, vel Apoſtolis eſſe inſtitum, quia ſurſum verſus aſcendentes, & quærentes originem inſtituti non inuenimus niſi tempore Apoſtolorum, ergo merito creditur eorum traditio.

31 Quarta regula eſt, cum omnes Doctores Eccleſiæ comuni conſenſu docent aliquid ex Apoſtolica traditione deſcendere, ſiue in concilio generali congregati, ſiue ſcribentes ſeorſum in libris, illud credendum eſt Apoſtolicam eſſe traditionem; Ratio huius regulæ eſt, quia ſi omnes Doctores Eccleſiæ cum in aliqua ſententia conueniunt errare poſſent, tota Eccleſia erraret, quippe quæ Doctores ſuos tenetur ſequi, & ſequitur; Exemplum primi eſt Imaginum veneratio, quam eſſe ex Apoſtolica traditione aſſeruerunt Doctores Eccleſiæ congregati in generali Concilio Nicæno ſecundo actione vltima; Exemplum ſecundi vix inuenitur, ſi debeant omnes penitus Patres, qui ſcripſerunt expreſſe aliquid dicere; tamen videtur ſufficere, ſi aliquot Patres magni nominis expreſſe id aſſerant, & cæteri non contradicant, cum tamen eius rei meminerint; tunc enim illam eſſe, omnium ſententiam non temere id dici poterit; Quando enim in re graui aliquis veterum errauit ſemper multi inueniuntur qui contradicunt, hac regula probamus Apoſtolicam traditionem eſſe quadrageſimale ieiunium quia diſertè id aſſerunt Ireneus, Epiphanius, Hieronymus, Ambroſius, & Leo; & nullus contradicit, cum tamen omnes huius obſeruationis meminerint.

32. Quin-

32 Quinta regula;eſt id ſine dubio credendú ex Apoſtolica eſſe traditione,& deſcédere;quod pro tali habetur in illis eccleſijs,vbi eſt integra & continuata ſucceſſio ab Apoſtolis, hanc regula tradit Iræneus lib. 3. cap. 3. & Tertullianus lib. de præſcriptionibus ratio regulæ eſt quia Apoſtoli tradiderunt ſucceſſoribus ſuis cum officio Epiſcopatus etiam doctrinam religiones, ſi ergo in aliqua eccleſia aſcendendo per epiſcopos ſibi inuicem ſuccedentes perueniamus ad Apoſtolum aliquem, & non poſſit oſtendi quod vllus eorum Epiſcoporum introduxerit nouam doctrinam, certi ſumus ibi conſeruari Apoſtolicas traditiones, & quidem olim inueniebatur ſucceſſio non interrupta non ſolum Romæ ſed etiam Epheſi, Corinti, Antiochiæ, Alexandriæ Hieroſolymæ, & alibi, ac propterea Tertullianus remittit homines ad quamlibet ex Apoſtolicis eccleſijs, vt ibi inueniant Apoſtolicas traditiones, & Theodoſius L. cunctos Populos Cod. de ſumma Trinit., & fide Catholica iubet omnes ſeruare eam fidem, quam prædicabant eo tempore Damaſus Romæ, & Petrus Alexandriæ duo Pontifices duarum præcipuarum Eccleſiarum Apoſtolicarum: At nunc defecit certa ſucceſſio in omnibus Eccleſijs Apoſtolicis, præterquam in Romana, & ideo ex teſtimonio huius ſolius Eccleſiæ, ſumi poteſt certum argumentum ad probandas Apoſtolicas traditiones, ac tunc potiſſimum cum doctrina, vel ritus earum Eccleſiarum à doctrina, & ritibus Eccleſiæ Romanæ diſſentiant.

33 Eccleſiaſticæ traditiones proprie dicuntur conſuetudines quædam antiquæ vel à Prelatis, vel à Populis inchoatæ, quæ paulatim tacito conſenſu populorum vim legis obtinuerunt; Et quidem traditiones diuinæ eandem vim habent, quam diuina præcepta, ſiue diuina doctrina ſcripta in Euangelijs. Et ſimiliter Apoſtolicę traditiones non ſcriptæ eandem vim habent, quam habent Apoſtolicæ Epiſtolæ ſcriptæ vt in Concilio Tridentino ſeſſ. 4. aſſeritur; & ratio eſt manifeſta; nam Verbum Dei non eſt tale, neque habet vllam auctoritatem, quia ſcriptum eſt in membranis, ſed quia à Deo profectum eſt vel immediate, vt ſunt ſermones Domini, vel mediantibus Apoſtolis, vt eſt decretum Apoſtolorum; Actuum 15. viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis Eccleſiaſticæ autem traditiones eandem vim habent, quam decreta, & conſtitutiones eccleſiæ ſcriptæ; Nam etiam in Republica Ciuili eadem eſt vis cóſuetudinum approbatarum, quæ eſt legum Ciuilium, vel Criminalium ſcriptarum vt patet diſt. 1. cap. conſuetudo, & L. Diuturna ff. de Legibus.

34 Secundo modo traditiones diuiduntur in traditiones de fide, & traditiones de moribus, quæ rurſum, aut ſunt perpetuæ, aut temporales, & hæ vel vniuerſales, vel particulares, & vlterius, vel neceſſariæ vel liberæ. Traditio de fide eſt, quæ concernit materiam fidei, vt quod ſint ſeptem Sacramenta Eccleſiæ à Chriſto Domino inſtituta, vel quod B. Virgo Maria fuerit ſemper Virgo ante partum, in partu, & poſt partum, & ſimiles: Traditio ad mores pertinens eſt, quæ pariter concernit materiam morum, vt aliquando,& certis diebus ieiunandum ſit, & feſta celebranda; Traditio perpetua eſt, quæ eſt inſtituta, vt ſemper ſeruetur vſque ad conſummationem ſæculi, vt ſunt ſupradictæ; Temporalis eſt, quæ eſt inſtituta ad certum, & determinatum tempus, vt obſeruatio

qua-

Digitized by Google

quarũdam Ceremoniarum Legalium, quæ ſeruandæ erant vſque ad plenam Euangelij promulgationem, vt facilius Eccleſia ex Iudæis, & Gentilibus coaleſceret; Traditio vniuerſalis eſt, quæ toti Eccleſiæ ſeruanda traditur, qualis eſt Paſchatis, Pentecoſtes, & aliorum ſimilium magnorum feſtorum celebratio,& obſeruatio; Particularis eſt, quæ traditur vni tantum, aut pluribus Eccleſijs, qualis erat tempore Diui Auguſtini ieiunium ſabbati quod Petrus Romanæ Eccleſiæ tradiderat,& ab ea ſola, & quibuſdam alijs ſeruabatur, vt docet D. Auguſt. Epiſt. 86. ad Caſulanum. Traditio neceſſaria eſt, quæ traditur in forma præcepti, vt celebratio Paſchæ in die dominico poſt. 14. Lunam Martij. Libera eſt, quæ traditur in forma Conſilij, vt aſperſio aquæ luſtralis.

35 Sicut eſt ſummus ſacrarum ſcripturarum, Conciliorum, veterum Patrum, & Theologorum orthodoxorum conſenſus in concedendis, & approbandis legitimis traditionibus, ita ſummus eſt Hæreticorum in illis reijciendis, & reprobandis, & maxime Hæreticorum noſtri temporis, qui ſolam ſacram ſcripturam,ſiue verbum Dei ſcriptum admittunt, & peccant in quatuor, primo; quia in hoc antiquos Hæreticos imitantur; ſecundo diſſentiunt inter ſe; tertio multa falſa, & mendacia Catholicis imponunt, quarto contra eoſdem Catholicos argumentantur. Quantum ad primum pateret antiquorum Hæreticorum, & modernorum conſenſus, ſi per ſingulas ętates eſſet tempus diſtinctè diſcurrẽdi; ſed ſatis erit aliquos recẽſere; Sic Ariani diſputãtes de Diuinitate Chriſti prouocabant ad ſcripturam, aſſerit D. Auguſtinus contra Maximinum in principio primi libri; Idem teſtatur Epiphanius hæreſi 69. & 73. Macedoniani, & Eunomiani nolentes admittere hanc locutionem; gloria Patri, & Filio,& Spiritui Sancto, dicebant non inueniri in ſacra ſcriptura; teſtatur D. Baſilius de Spiritu Sãcto cap. 25.& 29. Euthicetes de duabus naturis in Chriſto dicebat,ego à ſanctis ſcripturis non didici de duabus, cui reſpondit Mammas Presbyter,neque de Homouſi in à ſanctis ſcripturis edocti ſumus; ita habetur in generali Concilio Calcedonenſi actione prima, idem de Pelagianis refert D. Auguſtinus in lib. de natura, & gratia cap 39. & de Donatiſtis, qui pariter ſcripturas vrgebant, refert idem ſanctus, qui eis, ex aduerſo traditiones, & Eccleſiæ conſuetudinem obijciebat lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 19. & alibi.

36 De antiquioribus Hęreticis Valentinianis, Marcioniſtis, & alijs ſimilibus teſtantur Iræneus lib. 3. cap. 2, & Tertullianus lib. de præſcriptionibus Hæreticorum. Diſſentiunt pariter Hæretici moderni inter ſe; Alij enim omnino reijciunt traditiones, vt Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 8. v. 8. & eius ſequaces; Alij quaſdam admittunt, vt Khemnitius in examine Concilij Tridentini ſeſſ. 4. admittit traditionem verarum ſcripturarum, & de Baptiſmo paruulorum ſecundum Origenem, & Auguſtinum de Confeſſione fidei, abrenunciatione Sathanæ, & alijs ritibus in baptiſmate; Alij alias ſecundum cerebrum cuiuſcumque. Mendacia quoque intolerabilia nobis impingunt; Primum nos docere ſine traditionibus humanis ſacram ſcripturam inſufficientem eſſe, & imperfectam; ſecundum mendacium, nos docere, quod per traditiones humanas mereamur gratiam iuſtificationis, & remiſſionem peccatorum; & quod huiuſmodi traditiones agnoſcamus pro noſtro mediatore, & iuſtificatore,

Digitized by Google

ita Philippus Melancton in Apologia confeſſionis Auguſtanæ art. 15. de traditionibus humanis; & hoc pluſ quam falſum eſt; Item nos docere omnes noſtras traditiones eſſe Apoſtolicas; ita Caluinus lib. 4. inſtit. cap. 18. v. 19. quod quoque falſum eſt vide alia Khemnitij mẽdacia apud Cardin. Bellarminum lib 4. de verbo Dei non ſcripto. cap. 3.

37 Fundamenta Hæreticorum in arena poſita ſunt, non eſt mirum, quod eorũ ædificium patiãtur ruinam primum eſt illud Deuter: 4. 2. non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec auferetis ab eo, ergo traditiones omnino non ſunt admittendæ; quia nihil ad verbum Dei ſcriptum addendum eſt; ineptiſſime, quia oppugnant Apoſtolos, & præcipue D. Paulum, oppugnant Sanctos Patres antiquos, qui traditiones amplexi ſunt; immo, Contra Kemnitiũ, & alios Lutheranorum; deinde turpiſſime errant in intelligentia illius ſcripturæ, quia ibi ſicut, & Deut. 17. 19. 20. & cap. 24. 14. & cap. 31. 29. & Ioſue 17. eſt ſermo de diuinis præceptis, Ceremonialibus, & iudicialibus, quæ Deus volebat punctualiter obſeruari in vetere teſtamento: Vnde arguere à punctuali obſeruantia talium præceptorum ad reiectionem traditionum, eſt ineptiſſima argumentatio; quæ ſi haberet aliquam veritatem oporteret negare, talia præcepta, & aduerſarios per conſequens debere circumcidi; ſecundum fundamentum eſt illud Deut. 12. 32. quod tibi præcipio hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam, vel minuas, ergo traditiones non ſunt admittendæ. Reſpondetur hoc pariter ruere, ſicut primum, nam ſicut in primo erat ſermo de omnibus præceptis iudicialibus, & ceremonialibus. Hic agitur de ſacrificio vni, & ſoli Deo exhibendo, nec circa hoc erat aliquid addendum, vel minuendum quoad talia ceremonialia, quæ etiam ſi ſubſiſterent non valeret argumentum, alias maleféciſſent Iudei obſeruando feſtum encæniorum, & Rechabitæ obſeruando præceptum Patris ſui de perpetua abſtinentia, totum enim hoc non erat in ſcriptura; & tamen fuit laudabile.

38 Tertium fundamentum eſt illud ad Galatas 1. 8. licet nos, aut Angelus de Cœlo euangelizet vobis præter quam quod euangelizauimus vobis anathema ſit, ergo pręter Euangelium non licet admittere traditiones, hęc ratio ſi quid valeret, valet contra aduerſarios, qui euangelizant aliquid contra id, quod D. Paulus euangelizauit nempe contra traditiones. Reſpondetur ſecundo. Aduerſarij non habent ſenſum ſcripturæ, nam totus ſcopus Apoſtoli erat perſuadere Ceremonias Moſaicas abrogatas eſse, & nihil conferre ad iuſtificationem, quæ debet eſse ex fide in Chriſtum contra Pſeudos apoſtolos; qui tunc oppoſitum Galatis perſuadere conabãtur, ita ibi cap. 2. 16. & cap. 3. 9 & cap. 5. 1. Quartum fundamentũ eſt illud Apoc. 22. 18. conteſtor omni audienti verba Prophetiæ libri huius, ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas has ſcriptas in libro iſto, & ſi quis diminuerit de verbis libri Prophætiæ huius, auferet Deus partes eius de libro vitæ ergo non licet apponere traditionem. Reſpondetur hoc fundamẽtum condemnat Lutheranos, qui non ſolum diminuunt &c. ſed totũ hunc librum ſuſpectum habẽt, nec eũ pro canonico agnoſcunt, non tamen cõdemnat traditiones, quia nõ prohibet, ne verba prophetię, Apocalypticę admittãt traditiones diuinas conſonas, & non aduerſarias; alioquin non lice-

bit addere Prophetias Iſaiæ Ieremiæ nec aliorum prophetarum, ſed ſolum prohibet, ne dicta verba Apocalypſis ab aliquo deprauentur, quod duobus modis fieri poſse inſinuant, additione, & diminutione. Quintũ fundamẽtum eſt illud 2. ad Timoth. 3. 16. omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia. Reſpondetur aliud eſse vtile, aliud eſſe ſufficiens; concedimus cum Apoſtolo, ſcripturas veteris teſtamenti, quas Timotheus ab infantia didicerat, & de quibus loquitur Apoſtolus eſse diuinitus inſpiratus, & vtiles eſse ad docendum ſicut ſunt tales, etiã ſcripturæ, noui teſtamenti; tamen nec iſtæ nec illæ ſunt ſufficientes, ſine traditionibus, vt probatum eſt; nec fuit ſuperfluum in hac re pluribus immorari.

39 Quia, quod eſt traditio apud Latinos quodammodo eſt Cabala apud Hebræos, explicata traditione, aliqua de Cabala dicenda ſunt ex pluribus, quæ de ea ſcripſerunt Petrus Galatinus in ſuis Arcanis, Ioannes Picus Comes Mirandulanus, Sixtus Senenſis & tandem Franciſcus della Haye; nam vti Diuina traditio in Eccleſia eſt quarundam rerum ad fidem pertinentium per manus tradita receptaque notitia, ita Cabala apud Hebræos eſt arcanorum, & reconditorum Sacrę Scripturæ miſteriorum per manus tradita, atque recepta notitia. In primis notandum cum Mirandulano in Apol. Horrendum fuiſſe antiquitus hoc nomen Cabala, & inauditum. Immo his noſtris temporibus etiam apud Sanctam Romanam Inquiſitionem male ſonare, vt in ſequenti numero videndum eſt; Interim referenda eſt origo Cabale quam aſſignat Rabbi Reuchl. Miſſus eſt (inquit) Angelus Rachiel ad Adam collapſum, & mœrore plenum, vt conſolaretur eum, cui dixit. Ne ſupra modum conficiaris gemitu, & moleſtia, quod te duce Genus humanum in ſummam corruit perditionem, quoniam originale hoc peccatum expiabitur, nam ex tua propagatione naſcetur homo iuſtus, & pacificus vir heros, qui per placidam oblationem mittet manum ſuam, & ſumet de ligno vitæ, & eius ligni fructus erit omnium ſperantium ſalus; quo ſermone finito ille damnatus, & ærumnoſus Adam inter miſerias omnes, in quas incidit, inter dolorem, inter luctum quo in tanta calamitate fuerat affectus confidens in Deum mutandi delicti ſpem concepit; & idcircò incredibili erga factorem ſuum tactus amore, Diuinæ clementię gratiam habuit, hic ille potius contemplans quam rationabiliter loquens.

40 Sed vt ſeparemus in hac re impurum à puro, (vt vere opus eſt) notandum eſt vlterius, quod Cabala in genere duplex eſt, altera vera, & altera falſa; Falſa atque impia eſt ementitum quoddam Iudaicæ traditionis Genus, quod improbi quidam Iudæi à Moiſe & Patribus vſque ad ipſos emanaſſe dicunt, in numeris vanitatibus & falſitatibus refertum nihil aut parum à Necromantia diſtans; Explicat enim ſecreta quædam Dei nomina, ipſorumque virtutes occultas, quibus ad ligandos Dęmones, & ad præſtigia facienda Necromantici nonnulli apud Iudæos vtuntur aſſerentes Chriſtum Saluatorem huius artis ope omnia miracula ediſſe. Hoc ſuperſtitionis genus Cabala improprie appellatum cum omnibus libris ad huiuſmodi Cabalã pertinentibus Sancta Romana inquiſitio ſuo decreto damnauit; & quidem merito quia eſt vndequaque pernicioſa, & impia, vtpote, quæ cum ſcriptura ſacra horrenda profanatione et

contra

Digitized by Google

coniuncta, agitque de exorciſmis, & incantationibus varijs. Item amuletis, & fucis huiuſmodi; Vera, & bona Cabala eſt ſcientia de Diuino auditu, id eſt Diuinitus accepta, & oretenus alijs tradita, & ſcientia myſtice & enigmaticè, quodam modo propoſita de rebus Diuinis, Angelicis, Theologicis, cœleſtibus, & Metaphiſicis, de Angelis, & Spiritibus. Miris ſymbolis, & arcanis docendi modis, & ſecundum Mirandulanum procedit ſecundum ſenſum Anagogicum latine loquendo; Hanc Sixtus Senenſis approbat lib. 2. Bibliothecæ. Eſt Cabala, inquit vna, vera, & pia, quæ arcana ſacræ legis miſteria iuxta Anagogen elucidat, & hāc nunquam damnauit Eccleſia; quam Cabalam, Serarius in Ioſue optimam, & laudatiſſimam appellat, quid enim inquit, vel Deus, vel Sancti iſti Moyſes Ioſue &c. traderent, vel acciperent, niſi optimum, & laudatiſſimum; Noſter Galatinus lib. 1. de Arcanis Cap. 6. mirè hanc Cabalam effert apud della Haye Auctorem Bibliæ maximę in Prolegomenis in vniuerſam ſacram ſcripturam ſect. 28. Cap. 3.

41 De hac bona Cabala poſſumus dupliciter loqui, nempe late, & ſtrictè; primo modo (ſaluo meliori iudicio) poſſumus dicere Deum patefeciſſe Adamo, quę erant ſibi credēda, & agenda, quæ ad ſalutem erant neceſſaria, quæ tradidit filio ſuo Abel, & alij Patres vſque ad Moyſen veri cultus doctrinam habuerunt per traditionem, & Cabalam per iugem ſucceſſionem à Patribus in filios, & à filijs in Nepotes deriuatam; Ita D. Epiphanius lib. contra Hæreſim Manicheorum. Iuſtitia (inquit) fuit tempore Abel, & Enoch, quibus non erat ſcripta, ſed tradita per ſucceſſionem ex Patribus ad filios. Dicere ergo poſſumus ab Adamo Cabalam originem habuiſſe; ſecundo modo ſcilicet ſtricte pro ſecretiori quadam, & myſtica ſcripturæ expoſitione, quæ olim in lege veteri non erat ſcripta neque paſſim omnibus, ſed ſenioribus duntaxat, & in lege ſapientioribus non ſcripto, ſed ore tradebatur, atque ita ab his ad alios ſucceſſiue ordinabatur, ob idque ſubinde hæc Legis Interpretatio Lex de ore appellatur; Huius Interpretationis origo ſecundum quoſdam graues Rabinos, & poſt eos iam citatum Mirandulanum, fuit ab ipſo Moyſe; ſic autem ait; Cum Moyſes montem Syna conſcendiſſet duplicem à Deo Legem accepit vnam litteralem, quam ipſe litteris exaratam (ex præcepto Dei,) omnibus Iudæis euulgauit, alteram ſpiritualem, quam (ita iubente Deo) non ſcripſit, ſed ſolis 70. Sapientibus, quos ipſe ſibi ad cuſtodiam legis delegerat, occulte communicauit, eiſque itidem præcepit, ne eam ſcripto proderent, ſed ſucceſſoribus ſuis viua voce reuelarent, & illi poſteris ſuis eodem in perpetuum ſeruato ordine aperirent.

42 Nemo eſt, qui facile id reuocet in dubium de Moyſe, quin hanc miſteriorum notitiam à Deo acceperit; Ruſumque illud valde perſe probabile ipſum non eam accepiſſe notitiam pro ſe ipſo tantummodo, vtque ſecum interiret; ſed, vt eam alijs comunicaret; ſic ille eruditus Mirandulanus: Quod autem Deus Moyſi præter legem ſcriptam aliam legem ſpiritualem, ſiue myſticam eiuſdem legis expoſitionem ſeparatam reuelauerit; Teſtes ſunt Eſdras, Paulus, Origenes, & D. Hilarius, qui in expoſitione Pſalmi 2. ſic ait; Erat iam à Moyſe conſtitutum in Synagoga 70. eſſe Doctores, nam idem Moyſes quamuis veteris teſtamenti verba in litteris condidiſſet; tamen ſeparatim quædam ex occultis

E Le-

Digitized by Google

Legis ſecretiora miſteria, 70. ſenioribus, qui Doctores deinceps manerent intimauerat: cuius Doctrinæ etiam Dominus in Euangelio meminit dicens. Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi omnia ergo quæcumque dixerint vobis ſeruate, & facite, ſecundum autem opera eorum nolite facere; Doctrina ergo eorum manſit in poſterum, quæ ab ipſo ſcriptore legis accepta in hoc seniorum numero, conſeruata eſt. Hæc D. Hilarius. Cum igitur vſque ad tempus Babylonicæ captiuitatis (proſſequitur citatus Comes Mirandulanus) nihil de hac ſecretiori expoſitione ſcriptum eſſet Eſdras poſt vrbis reædificationem & legem à ſe reſtauratam voluit huiuſmodi Cabaliſticã expoſitionem litterarum monumentis mandari ne forte perderetur, propter captiuitates, & diſperſiones Iudaicas, in quibus ſeruari poterat ordo, & priſca conſuetudo tradendi Cabalam per manus.

Accitis ergo ad ſe fideliſſimis notarijs redegit omnia Cabalę miſteria in libros 70. iuxta numerum 70. Seniorum Synagoge ſolis ſapientibus in poſterum communicandos; Volunt ergo poſt captiuitatem babylonicam Eſdiã cum Concilio magno ſeniorum, cui ipſe præerat, hæc omnia myſteria in 70. libris iuxta ſeniorum numerum optimo conſilio congeſſiſſe; Cum enim metus eſſet, ne hæc Cabalæ ſciẽtia ob frequentes captiuitates interiret, quod difficilius eſſet eam de more viua voce ad hunc modum diſperſis tradere; viſum eſt conſcribere addito tamen præcepto, vt hæc nemini præterquam ſenioribus, & ſapientibus communicarentur. Audiamus eundem Eſdram (4. Eſdræ 14.) exactis inquit 40. diebus locutus eſt mihi Altiſsimus dicens, priora, quæ ſcripſiſti in palam pone legant digni, & indigni, nouiſſimos autem 70. libros cõſeruabis, vt tradas eos ſapientibus de populo tuo; In his enim eſt vena intellectus, & ſapientiæ fons, & ſcientię flumẽ, atq; ita feci. Hęc eſt iuſſio diuina, & eius executio circa Cabalam; Deinde addit picus. Hi ſunt libri ſciẽtiæ Cabalę in quibus merito Eſdras venam intellectus ideſt ineffabilem de ſuperſubſtantiali Deitate Theologiam, ſapientiæ fontem ideſt de intelligibilibus, Angeliciſque formis exactam metaphiſicam, & ſcientiæ flumen, ideſt de rebus naturalibus firmiſſimam philoſophiam eſſe, clara voce Eſdras pronunciauit. Hi libri, Sixtus I V. Pontifex maximus (inquit Idem Mirandulanus.) maxima cura, ſtudioque curauit, vt in publicam fidei noſtræ vtilitatem, latinis litteris mandarentur, iamque cum ille deceſſit; tres ex illis peruenerant ad latinos.

44 Hi libri apud Hebręos hac tempeſtate tanta religione coluntur, vt neminem liceat, niſi anno 40. natum illos attingere; Hos ego libros inquit Picus, non mediocri impenſa mihi cum comparaſſem, ſumma cum diligentia, inde feſſis laboribus cum perlegiſſem, vidi in illis, teſtis eſt Deus, religionem non tam Moſaycam, quam Chriſtianam, ibi Trinitatis miſterium, ibi Verbi Incarnatio, ibi Meſſiæ Diuinitas, ibi de peccato originali, de illius per Chriſtum expiatione, de Cæleſti Ieruſalem; de caſu Dæmonum, de ordinibus Angelorum, de purgatorio, de Inferorum pœnis, eadem lego, quæ apud Paulum, & Dionyſium; apud Hieronymum, & Auguſtinum, ita Mirandulanus; ſed quicquid ſit de iſta Cabala, & de ſubtilitatibus ad eam pertinentibus cauendum eſt ne inaniter laboremus, cum habeamus vberrimam

mam doctrinam de quibuſcumque pertinentibus ad fidem, mores, & ſalutem apud Eccleſiam, Patres, & Theologos, ſecundum quemcumque ſenſum litteralem, alegoricum, tropologicum, & Anagogicum; audiamus opportunum monitum Sixti Senenſis dicentis; vt eos non damno qui moderate & apte hæc ſuis locis interdum accomodant; ita eos non laudo, qui eadem nimis anxie, & inutili, ac prorſus inani labore perſequuntur, cum me non prætereat ex hoc fonte emanaſſe prodidioſam Valentinianorum, & Gnoſticorum inſaniam, qui vt Ireneus, & Epiphanius vterque primo aduerſus Hæreſes libro oſtendunt omnem ſcripturam Diuinam ſecundũ ſubtilitates Cabalæ, examinantes inaudita nouarum hæreſum portenta inuulgarunt.

45. Quantum ad tertium diſpoſitum à Concilio Tridentino; nimirum quę nam ſit ſacrorum librorum editio, quam omnes amplecti, & conſectari debeamus tanquam firmam & authẽticam, comunique totius Eccleſię conſenſu receptam; nam, & ſi omnes conſentiant ſcripturam, vt ſacroſanctam, & grauiſſima autoritate præditam habendam illam eſſe Dei Verbum, illam à Spiritus Sancto eſſe profectam, vt Eccleſia vti conſueuit, & a Patribus in controuerſiis fidei dogmatibus citatur, & in cultu Diuino, & ſacris concionibus adhibetur ſit vera, & germana, nec non authentica ſcriptura; An vero Græca illa per ſeptuaginta viros translata; An vero Hebræa, quæ fons eſt, & origo omnium aliarum ſanè id inquirere eſt maxime neceſſarium; nã omnes nouę ſectæ ſacram ſcripturam pro ſe ſtare, ſuaque dogmata confirmare volunt; Dum enim vnus ſic, alius vero ſic; & tertius atque quartus alio atque alio modo ſcripturas vertunt, tanta Bibliorum fęcunditate factum eſt, vt nulla fere Biblia amplius habeamus, ideo neceſſum fuit hoc per ſacrum Concilium Tridentinum definiri, & determinari ad tollendam confuſionem, quæ ex varietate Verſionum orta eſt, & vt nobis non contingeret omni vento doctrinę circumferri; Non eſt autem in dubium vocandum, quod ſi exemplar Hebraicum maneret incorruptum, cum ſit fons, & origo omnium cæteris eſſet anteponendum, tum quia eſſet antiquius, & aliarum editionum prototypus, tum quia magis in propria lingua phraſes eius hoc eſt Spiritus Sancti loquentis conſeruarentur, quam in Idiomate alieno ſic, quæ eſſet magis authenticum, ideſt ex ſe auctoritatem maiorem habens, & certiorem certitudinem præſtans.

46 Textus Hebraicus ipſorummet Prophetarum, vel ſcriptorum Hagiographorum, ſiue Canonicorum manu fuit conſcriptus & fuit Authenticus; quia nomine, Textus Hebraici intelligimus ſcripturam ſacram veteris teſtamenti, quam ſcriptores ſacri Spiritu Sancto ſpecialiter inſpirante, ac ſuggerente conſcripſerunt; Auctor enim ſacræ ſcripturæ eſt duplex primarius, & ſecundarius, primarius eſt ſpiritus Sanctus, qui nec falli, nec fallere poteſt; Secundarius eſt ſcriptor Canonicus, qui ita mouetur ab Auctore primario, vt non poſſit aliud, vel aliter ſcribere, quam intendat, & ſuggerat Spiritus Sanctus; Vnde procedit omnis auctoritas ſacrarum ſcripturarum; Cũ igitur textus ſacer Hebraicus Spiritu Sancto mouente & dictante fuerit conſcriptus quis ita à Iudicio alienus vt neget illum habere auctoritatem diuinam, & irrefragabilem? Textus Hebraicus poſt Captiuitatem Babilonicam reſtitutus ab Eſdra fuit

Digitized by Google

authenticus, patet quia non humana induſtria, ſed Spiritu Sancto plenus ſcripturam ſacram reparauit, ſiue reſtituerit ex memoria codices perditos (vt volunt aliqui) ſiue in meliorem ordinem redegerit, & collatis varijs codicibus à mendis, quæ temporis vitio irrepſerant repurgauerit; Textus Hebraicus quo vſi ſunt ſeptuaginta Interpretes fuit authenticus, patet verſio enim illorum diuino nutu, & conſilio Spiritu Sancto aſſiſtente, ac inſpirante perfecta fuit; Vnde ſicut fuit opus diuina virtute, ita fuit certiſſimę, ſummæ, & Diuinę auctoritatis, cui nulla alia verſio præferri poſſit, & conſequenter fuit maximè authentica comuni plauſo & approbatione recepta; ex quo euidenter ſequitur textum etiam hebraicum, cui verſio illa hebraica in re ad miraculum conformis fuit, & ex quo manauit veluti riuulus ex fonte fuiſſe infallibilis auctoritatis, & vere authenticum.

47 Sacri Hebræorum Codices fuerunt authẽtici vſque ad Chriſti aduentum, neque fuere corrupti, patet primo, quia nunquam Dominus, & Apoſtoli, qui cætera arguebant crimina in Scribis, & Phariſæis de hoc crimine, (quod erat maximum) reticuiſſent; ſecundo, quia Ioannis 5. adhortatur Dominus Phariſæos, & Scribas ad lectionem ſacrarum ſcripturarum dicens, ſcrutamini ſcripturas, quia illæ teſtimonium perhibent de me, & Matth. 23. adhortatur populum Iudæorum, vt Scribas de ſcripturis diſſerentes audiant, & illis credant, quæcumque vobis dixerint ſeruate &c. Si ergo Chriſtus Dominus ad ſcrutandas ſcripturas illos prouocat, ſignum eſt ſacros codices ſuo tempore non fuiſſe corruptos, alias eos mitteret ad ſcrutandas ſcripturas erroribus contaminatas; Immo idem Ieſus Chriſtus ex illis ſe eſſe Meſſiam oſtendebat Diſcipulis in itinere ad Emaus, nec aliunde afferrebat teſtimonia, Chriſtus ergo ſuo ore ſacroſancto affirmat; & declarat textum Hebraicum ſcripturæ eſſe authenticum; Immo idem Textus Hebraicus, quo vſus eſt D. Hieronymus in ſua verſione fuit authenticus, probatur euidenter, quia verſio vulgata quam probat, & recipit Eccleſia tanquam authenticam, eſt D. Hieronymi quoad maiorem ſui partem, qui textum Hebraicum latine eſt interpretatus. Vnde conſequitur ipſum etiam eſſe authenticum, nec enim maior eſſe poteſt auctoritas verſionis, quam exemplaris, ad quod efformata eſt, atque ita verum, vt nullus, qui vere ſapiat, dubitare debeat, nam ſi tunc deprauati erant, cum D. Hieronymus translationem latinam edidit; non haberet Eccleſia veram ſcripturam quod eſſet abſurdum.

48 Quibus tamen non obſtantibus graues equidem Auctores aliqui contendunt Codices Hebraicos, quibus nunc vtimur, infinitis ferè in locis ab originalibus deficere, Iudæorumque malitia corruptos, ita inter alios Galatinus lib. 1. de Arcanis cap. 8. & Titelmanus in Collat: ſuper Epiſtolam ad Rom: & in Apologia pro veteri interprete, citantur aliqui veteres Patres pro hac ſententia, qui de perfidia Iudæorum conqueruntur; vt Iuſtinus, Origenes, & Euſebius, quaſi ſcripturas fallauerint, & corruperint, Griſoſth: ad Philippenſes. cap. 3. hom. 11. vbi ait; ne facerent, quod in alijs fecerunt, dolentes namque litteras inficiati ſunt ſcripturam, in illam intendere non valentes; & D. Athanaſius lib. aduerſus Iudæos inquiens de eis ait; ſed tamen tam manifeſtis ſcripturis, & de Chriſto, prophetijs, excęcauit: Satanas Iudęorum oculos, & abſurdas fecit Annanarum aures, vt talia teſtimonia falſa ſcriptione falſaret; probatur primo

hęc

hæc ſententia; ſi codices Hæbrei eſſent incorrupti, & integri igitur in dubijs recurrendum eſſet ad Hebraicos codices, & emendanda noſtra vulgata ex eorum lectione, ſicque interpretantes ſacram ſcripturam neceſſario ſcire deberent linguam Hæbream; ſecundo probatur; ſub opinione & lite verſatur codices Hebraici fuerint corrupti necne, igitur quantumuis incorruptos codices qui eſſe tueatur non ſine metu & formidine deprauationis id credet cum in opinione nulla ſit certitudo veraque firmitas; Cur ergo audebit quis dicere à vulgata editione Iudicio ſanctæ Synodi pro authentica habita recedendum eſſe, & recurrendum ad Hebraica volumina, quæ opinatiue timentur corrupta; Veriſimile ergo videtur ſaltem poſt D. Hieronymũ textum Hebræum fuiſſe corruptum inſpecta totis mille & trecentis annis tanta illius perfide gentis inſtabilitate viciſſitudine & varietate ſtatus ac in Chriſtum, & Chriſtianos implacabili odio; nec hoc mirum videri debet cum maiori tempore ſederint iuxta Oſeæ vaticinium cap. 3. num. 4. ſine Rege, & ſine Principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod non eſt mirum inquam, quod ſteterint ſine integritate Legis hebraicæ ob eorum inueteratam malitiam omnia bona ſpiritualia corrumpentem.

49 Lectio, ſiue textus Hebraicus Samaritanus proximum ſibi locum vẽdicat poſt Hebraicum quo ad Antiquitatem, & alias circumſtantias; Hoc quidem ex hiſtoria conſtat poſt defectionem à Roboamo 10. Tribus Ieroboamo & Regibus Iſraelis adhæſiſſe, quorum Regia ſedes tandem facta eſt ſamaria, ſicut Hieroſolyma Regum Iuda; Vnde ſchiſma in Religione factum, quo alio loco, & tempore, ab aliiſque ſacerdotibus, quam Lex poſtulabat colebatur Deus; Lex tamen Moyſis manſiſſe videtur, eiuſque doctrina etiam inter decem Tribus vigebat, quod ſine exemplaribus pentateuchi fieri non potuit; Cum vero à Salmanaſſare abducti erant decem tribus, alienigenæque in eorum locum introducti, qui Deum verum ignorãtes à leonibus infeſtabantur. Miſit Rex vnum è Sacerdotibus captiuis, qui legem Dei ipſos doceret; Vnde licet eum Idolorum ſuorum cultu mixtum, legem tamen Moyſis, & cultum ab ipſo præſcriptum, gentes iſtæ profitebantur; nec vllus dubitare poteſt Sacerdotem illum legem attuliſſe non alijs Characteribus deſcriptam, quam quibus Iſraelitæ à Moyſe ad illum vſque diem vſi fuerant; ab eo autem tempore Samaritanos antiquis litteris hebraicis ſaltem in lege deſcribenda vſos fuiſſe nulla eſt ratio, cur dubitemus. Recipiunt vero Samaritani tantum Pentateuchum ideſt quinque libros Moyſis, quos ad hunc vſque diem in Damaſco in ſichem, aliiſque locis, vbi habitant ipſorum, reliquiæ publicæ legunt antiquis Characteribus deſcriptos. Iſti Samaritani non recipiunt reliquos libros hiſtoricos, nec Propheticos, nec traditiones, quas Iudæi cum verbo ſcripto æquant, & ratio poteſt eſſe quia Pentateucus fœdus inter Deum & Populum, cultumque cum promiſſis, & minis, quæ ad omnes pertinebant, quorumque cognitio Iudæis omnibus neceſſaria erat, in ſe continebat.

50 Ad textum Hebraicum ſequitur Caldaica interpretatio tanquam riuus ex fonte deductus; Cum enim Deo propoſitum fuiſſet cum Verbi ſui Theſauro gratiam Chriſti Domini communicare nõ ſolum prouidit quo tempore miſſi fuerunt Apoſtoli per vniuerſum orbem terrarum vt nouum teſtamentum ſcriberetur ea lingua, quæ

tunc

tunc fuit notiſſima, & in multarum nationum vſu; vt per eos paulatim innoteſcerent gentibus res populi ſui, & ita præparatio fieret ad opus illud mirabile conuerſionis gentium; ita pariter de Caldaica interpretatione veteris teſtamenti dicendum eſt; Pro cuius intelligentia notandum eſt diſperſiones Iudæorum duas fuiſſe præcipuas; vna apud Chaldæos, altera apud Græcos, in quibus ipſi Iudæi cum aſſueuiſſent linguis populorum, apud quos habitabant, apud eoſdem paulatim Hebraica obſoleuit; Ne igitur, quæ non intelligerent, in ſinagogis legerentur, & nulla eſſet audientium edificatio prouiſum fuit, vt Biblia ſacra illis linguis verterentur, quæ in vſu erant apud diſperſos Iudęos. Inde origo fuit Targumim, ſeu Paraphraſeon Chaldaicarum in plurali & targum in ſingulari; Verſio autem Chaldaica vocatur Targum, ideſt interpretatio, ac Paraphraſis & explanatio, ſicuti Targen eſt idem, quod interpretari, & explanare; Targum poteſt ſpectari primo reſpectu librorum, quos interpretatur, acvertit, & ſic eſt triplex, ſcilicet Pentateuchi, Prophetarum, & Hagiographorum, ſecundo reſpectu ſtyli quo ſcriptum eſt, ſicque duplex Targum Babilonicum & Hieroſolymitanum; tertio reſpectu Auctorum ipſius, & ſic eſt triplex, Targum Onkeli, Targum Ionathæ & Targum Rabi Ioſephi cæci: Targum Chaldaicum plurimum prodeſt, & potiſſimum in articulo hodie apud nos, & Iudæos controuerſo de Meſſia; nam Parafraſtæ illi eius tum perſonam, tum officiũ tam clare multis in locis explicant, vt vel ex illis ſolum Iudæos de obſtinata ſua pertinacia conuinci poſſe Iudicent, qui in ijs maxime ſunt verſati, de qua re videndus eſt Lucas Burgenſis, qui erudite ſcripſit de Paraphraſibus Chaldaicis.

51 Syriaca lingua quaſi proles quædam, & Hæbraicæ, & Chaldaicæ linguæ; Hæbrei namque, qui vſque ad Captiuitatem Babilonicam hebraice ſolum ideſt lingua ſua loqui conſueuerant; cum abducti eſſent in Babilonem cæperunt obliuiſci linguam propriam, & addiſcere alienam ideſt Chaldaicam, & quia perfecte eam pronunciare non poterant, ſemperque ex hebræa aliquid retinebant, factum eſt vt quædam lingua tertia naſceretur mixta ex Chaldaica, & hebraica, atque ea eſt, quam pro vulgari ac materna deinceps Hebręi habuerunt vſque ad Chriſtum Dominum noſtrum, & Apoſtolos, in qua loquebãtur cõmuniter, quę quidem Syriaca dicta eſt à regione, vbi maxime eius vſus viget, ſiue Hieroſolymitana à Ciuitate præcipua Hebræorũ, quemadmodum lingua Chaldaica, quæ hoc nomen habet à regione Chaldæa, vocata eſt etiam Babilonica à Ciuitate Babilonia Chaldææ nobiliſſima, Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 4, ait, Certum eſt nullum librum veteris teſtamenti ſcriptum eſſe à primo Auctore in hac lingua, niſi fortaſſis ſit liber primus Machabeorum; & Eccleſiaſticus; Serarius vero cap. 15. Prolog. ait vetus teſtamentum Syriaca lingua ſumma in veneratione apud orientales haberi, & publice in eorum Eccleſijs antiquiſſimis conſtitutis in Syria, Meſopotamia, Chaldæa, Ægypto, & denique vniuerſi Orientis partibus diſperſis, & diſſeminatis lectum hactenus, & legi ex aliorum auctoritate teſtatur; Moyſes Barcepha Syrus lib. de Paradiſo. p. prima ſciendum eſt inquit vetus teſtamẽtum pluribus translationibus ex Hebrea lingua in Græcam eſſe tranſpoſitum, Syriace vero redditum eſſe vna quidem interpretatione ex ipſo Hebræo; altera vero ex Græco; De nouo teſtamento eſt

va-

Digitized by Google

varia ſententia, nam à Syris ipſis putatur Syriacæ huius verſionis in nouum teſtamentum Auctor Sanctus Marcus Euangeliſta; ſed Cardinalis Belarminus, & ſerarius negant Sanctum Marcum fuiſſe auctorem, quia veteres Patres, qui in Syria, Paleſtina, Ægypto verſati ſunt, Clemens Alexādrinus, Cyrillus Alexandrus, Theophilus Epiphanius huius rei aliquam mētionem feciſſent, cum tamen ipſi ni verbulo huius meminerint.

52 Longum eſſet plura de Arabicæ linguę antiquitate, amplitudine, & vſu enarrare, quæ à varijs ſcriptoribus ſcripta ſunt, ſed ex illis hæc nobis annotaſſe ſatis erit. Poſt linguarum confuſionem in Saba, vel Sabea (quæ poſtea Arabia dicta eſt) à Seba Chuſi filio Chami nepote ita nominata, fuit hæc lingua per 3000. annos ſine aliarum mixtione concluſa; Cum vero Arabia deſerta per Iſmaelem habitata erat, lingua hæc etiam inter eius Poſteros propagata eſt, qui ab Hagar Hagareni vocantur, & hi quidem, quia Peregrini Arabes facti, vt Sabæi Arabes nati appellati ſunt; Poſt annum vero Chriſti 620. ortus eſt Impoſtor ille Mahumetes, qui cum Arabs eſſet, doctrinam ſuam, quæ in Alcorano eſt conſignata arabico ſermone conſcripſit; quæ quidem ſuperſtitio, tum Mahumetanorum victorijs, tum ob alias cauſas longe, lateque per orbem diffuſa eſt, ita vt vniuerſam penè Aſiā, & Africam, & bonam Europæ partem occupapit, nulla poſt linguarum diuiſionem tantum terrarum tractum poſſidente, & licet barbara ante Mahumetem eſſet, poſtea tamen culta Turcæ etiam plerique Barbari eidem dant operam; Et cum Mahumetani preces ſuas publicas effundunt, vbique in lingua Arabica orant, etiam vbi Arabica non eſt vernacula, & Alcoranum in hac lingua tantum legi permittant, Hinc factum eſt vt vbicumque valet Mahumetana impietas hæc lingua (niſi vernacula ſit) in ſcholis vt latina & Græca apud nos pro eruditorum lingua à pueris addiſcatur; Ipſique Chriſtiani, qui per Imperium Turcicum Perſicum, aliorumque Mahumetanorum terras diſperſi viuunt per magnam Aſiæ, & Africi partem, vt & Iudæi Samaritani hac lingua vtantur, immo ſacros codices in hanc tranſtulerunt tum Iudæi, tum Chriſtiani.

53 Hæc lingua tanta facilitate diſcitur, vt inter omnes linguas nobiles facillima ſit; adeo, vt ſi quis paucis mēſibus quotidie quaſdam horas huic linguæ impendat, progreſſus laudabiles facturus ſit; & inter quattuor, vel quinque hebdomadas fundamenta linguæ ediſcere poſſit, Non enim neceſſe eſt hebraicam diſcere vt hanc calleas, Vtilitas vero longe maxima, non tantum ad peregrinationes per totum Aſiam, Africam, & Europæ partem, ſed & ad ſcientias ediſcendas, cum infinitos ferè libros Arabes habeant Medicos, Geographos, Mathematicos, hiſtoricos, politicos, Chimicos &c. Præter plurimos Græcorum, Latinorumque Authores antiquos, etiam aliquos, quos in Europa deſideramus in ſermonem arabicum traductos; ita vt infinitam habeant librorum ſuppellectilem, & Accademias multas, in Africa fuiſſe triginta Academias teſtantur Aliqui, in Bibliotheca Feſſana 32000. libros, fuiſſe teſtantur alij, & in Bibliotheca Regis Maroccani, quæ in Bibliothecam Regis Hiſpaniarum aucta erat circa annum Chriſti 1610. erant libri 7800. Maxima tamen eius vtilitas, & neceſſitas eſt ad linguam hebræam, & Sacra Biblia intelligenda, cum Hæbrea lin-

lingua mutila, & exigua ex parte in Veteri teſtamento; eſt ex Arabica, quæ adhuc integra eſt, ſuppleri, & diſci poſſit; Licet itaque Verſiones Biblicæ, quas habemus Arabicè antiquitate reliquis cedant, vtilitate tamen ad verum textus ſenſum eruendum multum conferre poſſunt.

54 Inter verſiones ſacrorum Bibliorum Veteris teſtamenti ex Hæbreo textu in linguam Græcam Verſio ſeptuaginta Interpretum ſecũdum probabiliorem ſententiam eſt prima, & antiquiſſima, cum facta fuerit anno ante Chriſti natiuitatem circiter 300. prope Alexandriam in Ægypto in vicina Vrbi illi Inſula Pharo; opera & diligentia Ptolomæi Philadephi tertij ab Alexãdro Magno Ægyptiorum Regis; de quo ſic Philo Alexandrinus; Virtutibus regijs ſupra omnes ætatis ſuæ enituit, ſuperiorumque ſæculorum Principes Nobiles, cuius nunc quoque ex tanto temporum interuallo decus Inclytum ob tot relicta per Ciuitates, regioneſque monumenta magnificentiæ, vt in Prouerbium abierint ſumptuoſa opera ab illo Philadelphica nominata; Quandoquidem in Vniuerſum Ptolomæorum domus. Cæteris regijs prænituit, Inter Ptolomæos vero Philadelphus; vnus enim hic plura digna laude geſſit, quam omnes reliqui eius familiæ; Quippe qui tantum inter eos eminuit, quantum caput in toto corpore. Hic cum eſſet librorum ſtudioſiſſimus Bibliothecam ampliſſimam, & regia Maieſtate dignam conſtruxit Alexandriæ, cui præfecit Demetrium Phalerium virum curioſiſſimum, qui rogatus aliquando à Rege quam multa millia librorum eam comparaſſet; ait ſe iam habere circiter ducenta millia, ſed habiturum quingenta millia; Hic Ptolomęo ſuaſit, & perſuaſit, vt ſacros Iudæorum libros conquireret, ac peritos linguæ Hæbraicæ, & Grçcæ peritos in Græcum ſermonem transferri curaret, Rex ergo datis ad Eleazarum ſummum Pontificem fratrem Simonis Iuſti filium Oniæ primi Nepotem Iaddi ſummorum Pontificum, & miſſa Legatione Ariſtæo prçcipuo eius Duci, & Præfecto obtinuit 72. Interpretes ſenes, a quibus ſacrorum librorum in Græcam linguam fieret interpretatio; Quare per Legatos Impetrati hi 72. Seniores Alexandriam cum ſacris libris venerunt, ibique eam interpretationem in Pharo Inſula Regis magna voluptate abſoluerunt, quæ in Regia Bibliotheca fuit poſita.

55 Hæc Interpretatio fuit prorſus Diuina, quia Deo dictante, & dirigente in idem conſentientes Interpretes, quamuis ab inuicem corpore ſeparati eam miraculoſa (vt dicitur) celeritate perfecerunt tempore nimirum 72. dierum; fuit ſolemniter & communiter approbata; nam eam ſuſpiciens Rex adorauit; & Iudæi, qui Alexandriæ plurimi erant eam perlegi cum audiuiſſent; laudibus maximis eam celebrarunt, & ſanxerunt, vt verſio hæc nunquam mutaretur in poſterum; & ſacerdotes, & ſeniores imprecati ſunt ijs, qui ex ea quidquam mutarent, adderent, & demerent. Feſtus Verſionis huius dies anniuerſarius inſtitutus fuit, quod (vt dictum eſt) ſancti ſpiritus aſſiſtentia & miraculoſe facta fuerit; & quod eam tanquam Diuinam citauerint Chriſtus & Apoſtoli. Et reuera eſt in dubitate authentica (ſi eſt ſermo de pura & emendata) nam & Eccleſia decreto tacito ſeu expreſſo, vt authentica haberi voluit, Sixtus enim V. Summus Pontifex in Diplomate prefixo verſioni 70. Interpretum ita loquitur; volumus & ſan-

cimus

cimus ad Dei gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem, vt vetus teſtamentum iuxta 70. recognitum, & expoſitum ab omnibus recipiatur ac retineatur non autem quomodocumque, ſed vt authentica verſio; Vnde proſequitur ſummus Pontifex; prohibentes, ne quis de hac noua Græca editione audeat in poſterum, vel addendo, vel demendo quidquam immutare; Nec Eccleſia poteſt improbare verſionẽ, quam aliquando pro authentica habuit: hoc enim eſſet iudicare infidelem & inſinceram quam aliquando pro fideli, & ſincera habuit, ſed fuit olim authentica vſque ad tempora D. Hieronymi, & Auguſtini, & deinceps eius Auctoritas non fuit imminuta aliquo Eccleſiæ decreto quod deroget 70 Interpretum auctoritati, ergo manet adhuc authentica, ſi tamen manet ſincera & incorrupta.

56 Vltra dictam verſionẽ 70. ſunt aliæ quibus vetus teſtamentum translatum eſt ex Hæbreo in Græcum & prima fuit facta ab Aquila Pontico anno 12. Imperij Adriani Imperatoris. Hic primum fuit Gentilis, deinde Chriſtianus, tum ab Eccleſia pulſus quod aſtrologiæ Iudiciariæ ſtudioſus eſſet, ad Iudæos ſe contulit & tunc hoc opus fecit, ideo eius fides claudicat. 2. fuit Theodotionis Comodo Imperante, & ſi ex Hæretico Marcionita proſelyti Iudæorum facti vetus teſtamentum ex Hæbrea lingua ad Græcam, & quidem maiori fide. 3. Simachi Seuero Auguſto Imperante; Hic primum Ebionita, vel Samaritanus cum apud ſuos principatum obtinere non poſſet, Iudæis ſe adiunxit, ac ſecundo circumciſus eſt; Horum trium interpretum verſionibus in ijs, quæ de Chriſto, fideique Chriſtianæ rebus ſunt nulla olim, vel exigua fides adhibita fuit, ſicut nec nunc eſt adhibenda, & merito ſi attendatur quales hi fuerint interpretes nempe impij, inconſtantes; Apoſtatæ, veræ Religionis oſores, & qui ſine ſemper malo verterunt vt aduertit D. Epiphanius lib. de ponderibus, & menſuris; In cæteris præſtatur aliqua fides; D. enim Hieronymus pluries præcipuè in Prophetis ex eorum verſione verum ſenſum eruit; quorum etiam verſionibus in concinnanda ſua verſione latina adiutum fuiſſe non eſt dubium; 4. & 5. translatio ſine nomine Auctorum, repertæ ſunt in dolijs quibuſdam, 4. apud Vrbem Hierico anno 7. Imperij Antonini Caracallæ. 5. apud Nicopolim Alexandro Imperante; 6. fuit Origenis, qui interpretationem. 70. ita emendauit, vt aliquibus ex Theodotione admixtis, alijſque diſtractis, varijs ſignis, & notulis, vt nouam editionem feciſſe videatur; 7. fuit Luciani Præsbyteri, & Martyris ſub Diocletiano, & Maximiano crudeliſſimis Imperatoribus paſſi, qui magno labore nouam editionem molitus eſt extinctis multis vitijs in trãslationibus enumeratis 8. editio fuit Heſychij, vel potius 70. à Presbytero Heſychio iterum emendata, atque Ægypti Eccleſijs tradita, & ab illis magno applauſu recepta. Hæc de verſionibus veteris teſtamenti ex Hebreo in Græcum ſermonem vide adud Bellarminum de Verbo Dei lib. 2. cap. 58.

57 Certum eſt primis temporibus ante D. Hieronymum, & D. Auguſtinum fuiſſe vnam verſionem latinam ex Græco communem, & vulgatam inter omnes alias, quæ tunc eſſe potuerunt, & eam fuiſſe optimam & authẽticam, quia Latina vetus Eccleſia, & primitiua hac ſola editione vſa eſt; Quis autem fidelis credat editionẽ in illam, quæ Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, ac Magi-

ſtram iam naſcentem aluit, & fouit, eam in quam editionem non fuiſſe authenticam? Quis credat primos illos Eccleſiæ Proceres, & Epiſcopos ex editione Apocrypha,& nõ authentica fidei fundamenta ieciſſe, & hæreticorum errores confutaſſe? Quis credat Romanam Eccleſiam per tot ſæcula vera, & authentica ſcriptura caruiſſe? At ſiue temporis vitio, ſiue librariorum incuria, ſiue Amanuenſium incogitantia, ſiue aliorum malitia, vel ignorantia plurimæ in eam irrepſere corruptelæ. Quibus puritas, & ſinceritas ſacrorum codicum plurimum contaminata eſt; Cui tanto malo citiſſimum remedium attulit Spiritus Sãctus per vigilantiam ſupremi Paſtoris Eccleſiæ. Nam D. Damaſus ſummus Pontifex, qui illius gubernaculum tenebat D. Hieronymum Hæbraicè, Græce, & Latinè ad miraculum doctũ excitauit, inuitauit, perſuaſit, vt vetus teſtamentum, non vt antea ex Græco, ſed ex Hebræo transferret, vt ſic vna eſſet apud omnes verſio, quam magnis difficultibus compleuit, & perfecit; quæ eſt verſio noſtra vulgata, quam hodie probat, & recipit Eccleſia quoad teſtamentum vetus; In qua re iſdem D. Hieronymus omnem induſtriam peritiam, & fideliter adhibuit; cui etiam probabiliſſime aſtitit Spiritus Sanctus, ne erraret in his, quę ad fidem, moreſque, & cætera grauioris ponderis pertinent, in cæteris rebus leuioris momenti ſibi,& humanę ſuæ ſcientiæ relicto; & hoc decens, ac rationabile fuit, vt Eccleſia latina totius Chriſti Eccleſiæ pars nobiliſſima haberet vnum ſacrarum ſcripturarum interpretem latinum; qui non humanis tantum prędidijs omnibus; ſed & diuino interpretationis munere inſtructus eſſet; Nam alia Spiritus Sancti Chariſmata quæ 1. Corint. 12. recenſentur fuere quibuſdam in Chriſti Eccleſia donata; Quid ni ergo, & hoc interpretationis ſermonum Chariſma? Et ſi donatum fuit cuipiam, S. Hieronymo certe non fuit denegatum.

58 Hæc Verſio latina D. Hieronymi ſic explicata, fuit,& eſt authentica. Ita Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. definit, inſuper eadem ſacroſancta Synodus conſiderans non parum vtilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit, & declarauit, vt hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quæ longe tot ſeculorum vſu in ipſa Eccleſia probata eſt in publicis diſputationibus, predicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur, & vt nullus eam reijcere quouis prętextu audeat, vel præſumat; exponamus ſingula; Dicitur primo. Non parum vtilitatis accedere Eccleſiæ Dei &c. nullo enim modo expedit in Eccleſia tot, tam quæ varias eſſe verſiones, ſed vnicam eſſe probatam; cui omnes adhibeant fidem, id que ipſa experientia probatum eſt, & ipſimet Hæretici & potiſſimum Lutherus conqueruntur tot nouas prodire verſiones; Si ex omnibus latinis editionibus; non loquitur Concilium de Hæbraicis Græciſque verſionibus, ſed ad ſolas alias latinas reſtringit, ſic, vt vulgata noſtra tantummodo latinis, quæ circumferuntur verſionibus omnibus ante lata ſit, eſt quoque ſermo tantum de ijs, quæ circumferuntur actualiter. Pro Authentica habeatur, quia certum eſt nihil in ea inuentum eſſe, quod fuerit à veritate Chriſtianæ fidei deuiũ falſum, ac mendax, vel contrarium dogmatibus, ac regulis orthodoxis, vel præter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum, vel in præiudicium

ve-

veritatis omiſsũ, vel adeo deprauatum, vt occaſionem pernicioſe errandi attulerit, vel hæreſibus, vel prauis dogmatibus materiam, ac fomitem præſtiterit. Iuris conſulti ſumpto ex Græcis vocabulo authentica ea ſcripta pronunciant quæ fidem in Iudicijs faciũt, & certam, ac publicam auctoritatem habent; Vnde dicitur in Concilio; In publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus authentica habeatur, hoc eſt, vt nemo illam reijcere quouis prætextu audeat, & præſumat, cum ergo certam fidem faciat in lectionibus &c. recte ex Iuris conſultorum ſententia nominatur.

59 Sacrarum ſcripturarum arcana ſunt difficilia cum naturalis rationis limites excedant quia vt ait Salomon Eccl. 1. cunctæ res difficiles ſunt ſcilicet homini ad intelligendum, qui cur intelligat eas eſſe difficiles, ſubdit non poteſt eas homo explicare ſermone, ſi quidem, vt Beatus Hieronymus ſuper prologo in Pentateucum inquit, quod melius nouimus, melius proferimus, & per oppoſitum quod minus intelligimus minus bene proferimus, quia non poſſumus ea ad plenum intelligere, ſed valde imperfecte; quod ſi verum eſt de abditiſſimis naturæ, quæ remotiſſima ſunt à ſenſibus, & verius erit de ijs, quæ ſunt ſupra naturalem captum miſerabilis noſtri intellectus, qualia ſunt abſcondita ſcripturarum; obſcuritas eorum oritur ex duplici capite primo ex rebus ipſis, quæ tractantur in ſacra ſcriptura ſecundo ex modo quo tractantur.

60 Res, quæ tractantur ſunt quadruplices 1. Hiſtoriæ. 2. Vaticinia, ſeu Prophetiæ 3. miſteria fidei præſertim de Trinitate, Incarnatione, prædeſtinatione fide iuſtificante, de preſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, & de ſimilibus 4. præcepta, & documenta moralia de virtutibus, & vitijs, tametſi neque in his, neque in Hiſtorijs ſit fortaſſe magna obſcuritas ex parte rerum, ſumma tamen eſt in prophetijs & miſterijs fidei; Hæc enim ſuperant hominum captum, & intelligentiam, neque percipiuntur à nobis niſi in Enigmate iuxta illud Apoſtoli 1. Cor: 13, 12. Hæc dicta ſunt quantum ad res quæ pertractantur in ſacra ſcriptura; Modus etiam tractãdi obſcurus eſt propter has cauſas, prima quia in ſcriptura frequentes ſunt hyperbolæ metaphoræ, & allegoriæ &c. Quibus tanquam inuolucris multæ veritates occultantur, quæ Lectori non ſtatim innoteſcunt. 2. auget hanc obſcuritatem, quod aliquando vnum, & idem vocabulum nunc proprie, nunc figurate vſurpatur in eadem ſententia v. g. Ioannis 4, 13. omnis qui bibit ex aqua hac ſitiet iterum, qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei non ſitiet in æternum. Vbi ſitire, & bibere primo loco ſumuntur corporaliter; ſicut, & vox aqua, in 2. ſpiritualiter, 3. non ſolum in vocibus, & dictionibus, ſed etiam in rebus ipſis reperiuntur figuræ; & vna res eſt figura alterius, vt Agnus Paſchalis fuit figura Chriſti, mare rubrum Baptiſmi, manna Corporis Chriſti in Euchariſtia; ex quibus, & alijs cauſis; quæ breuitatis cauſa prætereuntur; cõcluditur magna obſcuritas ſcripturarum.

61 Hanc obſcuritatem voluit Deus in intelligẽdis S. ſcripturis ob diuerſas rationes quarum prima eſt ad excitandũ magis hominum deſiderium, quorum ea eſt cõdicio, vt ſuapte natura facile inueſtigata faſtidiãt, & cõtemnant recondita vero magis deſiderent, ac deſiderata ardentius inquirant, & inuenta ſuauius deguſtent, ſecunda vt in Eccleſia ſeruaretur ordo inter do-

ctores, & diſcipulos. Inter Paſtores, & oues iuxta illud Epheſ. 4, 11. & 1. Cor. 12.29; Tertia ratio, vt maior Authoritas ſit, & Maieſtas ſcripturæ, quę vileſceret, ſi omnibus etiam Infidelibus eſſet obuia, & clara contra illud Matthei 8, 7. nolite ſanctum date canibus &c. Quarta ad comprimendam humani ingenij ſuperbiam, & temeritatem labore edomandam, vt dum obſtruſos diuinæ ſapientiæ ſenſus ſe penetrare poſſe ſibi arrogat, demum deſperans cogatur vnam cum illo Æthyope Eunucho exclamare, quomodo hęc intelligere valeo, niſi aliquis oſtēderit mihi, & cogatur dicere cum Saluatore Matth. 11, 25. confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus &c. Quinta ratio eſt meritū fidei, in hoc enim homo meretur, quia credit, quod non videt; Vnde in Apocalip. 5. dicitur, & vidi in dextera ſedentis ſuper Tronum librum ſcriptum intus & foris ſignatum ſigillis ſeptem; Nec hæc obſcuritas reſultat in dedecus ipſius ſcripturæ; Sed maximum honorem; quod reconditis miſterijs, & prophetijs non liceat cuicumque faciliter appropinquare.

62 Dices ſi arcana ſcripturarum. Sunt altiſſima; vtpotè ſupernaturalia, & excedentia limites naturæ, primo non ſunt inquirenda iuxta illud Eccleſ. 3. altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Reſpondetur quod perſcrutatio eſt, duplex, vt docet D. Bonauentura q. 2. Prol. vna immoderata ex curioſitate, aut cōfidentia proprij intellectus procedēs; quæ merito vituperatur Prouerb. 25. qui ſcrutator eſt Maieſtatis opprimetur à gloria: Alia eſt perſcrutatio diuinorum Arcanorum moderata, & reuerentialis cum recognitione imbecillitatis propriæ mentis ex zelo pietatis, & veritatis emanans deſiderio, & intentione defendendi fidem contra impugnantes; eandem & appropinquandi notitiæ credendorum, prout in hac vita Deo preſtante fieri valet, quę perſcrutatio rite laudatur, de qua Regius Propheta ait, beati qui ſcrutantur teſtimonia eius; Item mirabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt ea Anima mea; & de qua Chriſtus Dominus Ioan. 5. locutus eſt, Scrutamini ſcripturas; & quamuis labor ſit magnus, vtilitate tamen ſatis, ſuperque compenſatur ſudor requie; Animi contentio tranquillitate, & licet Theologica arcana, & ſupernaturalia miſteria per multum difficultatis habere videantur, multo plus tamen habent veræ, ſolidæque voluptatis, quantum eſt enim tenere ſapientiam, quam loquitur Apoſtolus 1. Corint. 2. inter perfectos. Sapientiā vero non huius ſæculi neque Principum huius ſæculi, qui deſtruuntur; ſed Dei ſapientiam in Miſterio; quam nemo Principum huius ſæculi cognouit.

63 Hęc ſacrarum ſcripturarum obſcuritas maxime aperitur, & clareſcit; ſi varij earum ſenſus, quos continent; diligenter attendantur. Pro quorum notitia aduertendum eſt, quod ſenſus dupliciter accipitur. Vno modo proprie, alio modo tranſlatiue, ſiue metaphorice; primo modo interdum ſignificat potentiam ſenſitiuam, quæ partitur in interiorem, & exteriorem, aliquādo ſignificat actum, & officium earum; ſecundo modo ſignificat animi ſententiam, ac inteligentiam; ita vſurpauit D. Paulus 1. ad Cor. cap. 2. nos autem ſenſum Chriſti habemus, ideſt intelligentiam, & ſic exponitur illud ſapientiæ 7. optaui, & datus eſt mihi ſenſus; ideſt intelligentia, ſic ſumitur ſenſus ſacrarum ſcripturarum: Hunc ſenſum optime exponit D. Thomas p. 1. q. 1. art. 10. vbi dicit;

Digitized by Google

cit; Auctor ſacræ ſcripturæ Deus eſt, in cuius poteſtate eſt non ſolum, vt voces accomodet ad ſignificandum, quod etiam homo facere poteſt, ſed etiam res ipſas. Illa ergo ſignificatio prima, qua voces ſignificant res, pertinet ad primum ſenſum, qui eſt ſenſus Hiſtoricus, ſiue litteralis; illa vero ſignificatio, qua res ſignificatæ per voces ſignificant alias res. Dicitur ſenſus ſpiritualis, qui ſuper litteram fundatur; Hic autem ſenſus ſpiritualis eſt triplex, Allegoricus, qui contingit quādo res geſtæ in veteri teſtamento ſignificant res gerendas in noua lege, ſecundus moralis, quando ea, quæ in Chriſto capite ſunt facta, vel in ijs qui Chriſtum ſignificant, ſunt ſigna eorum, quæ nos agere debemus; tertius eſt Anagogicus, quando ſcilicet per res quaſdam geſtas in tempore ſignificant ea, quæ ſunt in vita æterna futura.

64 Quattuor ſenſus prędicti ſolent oſtendi in hac voce Ieruſalem, quæ litteraliter vrbem Paleſtinæ; Allegorice Eccleſiam militantem; Anagogice Eccleſiam triumphantem; tropologice Animam rationalem viatricem ſignificat, & iuxta hos quattuor ſenſus quattuor ſunt Doctores Eccleſiæ, qui interpretando ſacram ſcripturam in aliquo ſenſu excelluerunt, D. Hieronymus in ſenſu litterali, D. Ambroſius in ſenſu allegorico, D. Auguſtinus in ſenſu anagogico; & D. Gregorius in ſenſu tropologico, ſiue morali; Tribus ſenſibus miſticis correſpondent tres virtutes Theologicæ; fides correſpondet ſenſui Allegorico; ſpes Anagogico, Charitas tropologico, ſiue morali; quattuor ſenſus prædicti ſequentibus verſibus explicantur; littera geſta docet: quid credas allegoria, moralis quid agas, quid ſperas Anagogia. Senſus litteralis ſeu hiſtoricus eſt ille, quem voces immediate ſignificant ex intentione Spiritus Sancti; vel eſt ille, quem Spiritus Sanctus immediate intendit per voces. Nota circa hanc definitionem; quod ſenſus litteralis ſufficit, quod ſit intentus à Spiritu Sancto, quem littera ſignificat per voces, ſiue in ſignificatione propria, ſiue metaphorica; Vnde nō eſt neceſſe quod verba ſumantur in ſignificatione propria ſed ſatis eſt, quod verba ſumātur in ſignificatione translatiua, vt cum dicitur ego ſum vitis vera, & vicit Leo de Tribu Iuda, ex quo colligitur ſenſum litteralem eſſe geminum, vnum metaphoricum, qui conſurgit ex ſignificatione impropria vocum, alterum non metaphoricum qui conſurgit ex propria ſignificatione vocum; ſecundo nota quod ſenſus litteralis primo vocibus, & non rebus debet ſignificari ſicut è contra miſticus proxime rebus, remote vero, & ſecundario vocibus ipſis.

65 An vero in vna littera ſacrę ſcripturę plures ſenſus litterales reperiantur; D. Auguſtinus 12. Confeſſionum cap. 20, 24, 26, & 31, Nicolaus de Lira prol. 3. Super ſcripturam; D. Bonauentura in opuſculis, D. Thomas vbi ſupra; & alij docent, quod ſic, nam cum Auctor ſcripturæ ſacræ ſit Deus, qui omnia ſuo intellectu comprehendit poterit eiſdem Verbis intendere plures ſenſus, quos talis verborum concentus recte permittit; huius rei veritatem inſinuant plures loci ſacræ ſcripturæ, in quibus neceſſario oportet admittere geminum ſenſum litteralem, vt locus ille pſalmi 2. filius meus eſtu, ego hodie genui te explicatur de generatione æterna Chriſti, & de temporali, nec non de Reſurrectione Chriſti, Item locus ille 2. Regum 7. ego ero illi in Patrem, ipſe erit mihi in filium dupliciter exponitur ſecundum litteram vno modo de Chriſto, ideſt

ideſt de filio Dei Incarnato, & adhunc Intellectum inducit Apoſtolus ad Hebreos 1. ad probandum Chriſtum Dei filium procedendo ſecundum ſenſum litteralem nam allegoricus non eſt argumentatiuus. Secundo ad litteram exponitur de Salamone.

66 Cum ergo tot poſſint eidem litteræ ſenſus accomodari hic aduertendum eſt nullum eorum ſenſuum miſticorum adducendum in argumentatione, ſed illum tantum qui vere, & germane litteram explicat, quem litteralem ſenſum, vt dixi noſtri Theologi appellant; nam cum alij ſenſus intra littere corticem magis lateant oportet vt cum ratiocinatione, & diſcurſu, & per quaſdam rerum ſimilitudines deducantur; in quibus deducendis facilis eſt error cum per humanam inquiſitionem hoc fiat; ſic enim Donatus, & ei ſuccedens Rogatus dicentes intra illos ſolos, & eorum aſſeclas Eccleſiam contineri, volenteſque errorem ſuum ſacræ ſcripturæ teſtimonio probare adducunt illud Canticorum 1; Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubas in meridie? per hoc efficere volentes, Eccleſiam ad ſolam meridionalem plagam, quam ipſi incolebant redactam eſſe, futile ſatis argumentum & ex falſa intelligentia, vt patet, nempe ex ſenſu miſtico ſatis obſtruſo & minime patente Infideli; ſic etiam Lutherus volens oſtendere omnem hominem cuiuſcumque ſtatus, aut ſexus eſſe ſacerdotem aſſumit illud 1. Petri. 2. Vos autem genus electum regale ſacerdotium &c. At litteralis ſenſus patentior eſt cum ex vocum ſignificatione, aut ex eius coniunctiſſimo vicino hauriatur; quo fit, vt ſolus ſenſus litteralis efficax ſit ad dogma aliquod deſtruendum vel fulciendum; ſic enim ait D. Auguſtinus in Epiſt. ad Vincentium Donatiſtam quæ in ordine eſt 48. Quis autem tam imprudentiſſimè nitatur aliquid in Allegoria poſitum pro ſe interpretari, niſi habeat, & manifeſtiſſima, teſtimonia quorum lumine illuſtrentur obſcura? ita D. Auguſtinus.

67 Iſti quatuor ſenſus habuerunt plures contradictores ſaltem tres miſtici, & precipue fuerunt Lutherus & Caluinus cum ſuis Lutheranis, & Caluiniſtis, qui omnes paſſim docent ſacram ſcripturam quoad ſenſum litteralem (qui precipuus eſt) eſſe claram, perſpicuam, & intellectu facilem; Item iactant, quoslibet ſuæ ſectæ habere internam inſpirationem, internum ſpiritum, & internum inſtinctum, & non niſi ipſis conceſſum, quo poſſunt infallibilem ſacrarum ſcripturarum intelligentiam habere, & eaſdem firmè, & valide interpretari; Hinc eſt, quod etiam Laicis, & mulierculis permittunt libertatem legendi, & interpretandi ſacram ſcripturam. & eo res iam redijt, vt nullus ferè ſit Caupo, aut Sartor apud Lutheranos, & Caluiniſtas, qui non putet de ſuo marte ſcripturam intelligere, & interpretari poſſe, ideoque alterius inſtructione non indigere; ſed in vtroque dictorum aſſertorum errant in primo quidem, nam ſi ſacra ſcriptura eſſet clara; duo illi Diſcipuli euntes in Emmaus non indiguiſſent Luce 24 v. 27. Chriſto interprete ad intelligendas ſcripturas quæ de ipſo erant, nec Eunuchus ille Candacis Reginæ, Ethiopum non indiguiſſet inſtructione Philippi Diaconi ad intelligẽdum Iſaiam Prophetam Actuum 8. 31; Hoc maxime oſtenditur ſudore tot ſublimium ingeniorum in explicandis difficillimis ſententijs ſacrarum ſcripturarum Ezechielis de viſione quatuor Animalium; & Danielis de 70. Hebdomadibus, & ſimilibus &c.

68 Ex-

Digitized by Google

68 Errant quoque in ſecundo, nam ſi cuique eſſet obuium ſacram ſcripturam interpretari poſſe peruerteretur ordo diuinus à D. Paulo deſcriptus ad Epheſios 4; 11. vbi dicit, quod Deus dedit quoſdam Apoſtolos, & Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores; nam ſicut in humano corpore ſunt multa membra, & non omnia exercent idem officium; ita in Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti miſticum multi ſunt fideles, & non omes eandem à Deo gratiam, & operationem habent, nam vni datur ſermo ſapientię alij operatio virtutum &c. Et vt loquitur idem Apoſtolus Rom: 12, 3. Vnicuique ſicut Deus voluit & diuiſit menſuram fidei; Vnus ergo non debet alterius officium miniſteriale vſurpare; Dicunt ſtare pro ſe Pſalmiſtam Pſalm. 118. v. 115, dum dicit Lucerna pedibus meis verbum, & lumen ſemitis meis, ergo vnicuique Verbum Dei eſt clarum, & apertum, vt quis libet poſſit illud intelligere, & interpretari. Reſpondetur hoc non probare eorum intentum, nam aliud eſt Verbum Dei eſſe clarum intelligenti illud, quod concedimus, aliud eſſe clarum nobis paupercolis viatoribus, quod negamus; Alias iſdem Propheta toties non oraſſet, reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua; & da mihi intellectum vt ſciam teſtimonia tua &c.; Cum dicunt ſe ſolos habere internam inſpirationem; internum ſpiritum, & internum inſtinctum quo poſſunt infallibiliter ſacram ſcripturam intelligere, & ſolide interpretari. Reſpondetur hoc eſſe effugium confutationis gratis inuentum ad eludendam rationem conuincentem, nec poſſe per ſacram ſcripturam, ad quam in ſimilibus ſolent confugere probari; Dicerent melius ſe habere inter ſe ſeminarium diſcordiarum, & fomentum diſſenſionum. Scilicet ſpiritum ſuperbiæ, impedientem ingreſſum veritatis in illorum mentem.

69 Pergunt vlterius in ſuis adinuentionibus & dicunt ſacram ſcripturam eſſe adeo claram, & euidentem, vt ipſa ſola ſit omnium controuerſiarum fidei Iudex infallibilis; quod falſum eſt; quod ſic probatur, Iudex inter duos litigantes debet clare pronunciare ſententiam, vt vterque litigantium manifeſte intelligat quænam ſit ſententia Iudicis, & alter eorum fateatur illam pro ſe, alter contra ſe latam eſſe; alioquin niſi id fiat non ceſſabunt à lite, ſed vterque ſuam cauſam proſſequetur; At ſcriptura non poteſt eſſe talis Iudex; quia Lutherani, & Caluiniſtæ multis annis litigant de his punctis; Primo de Baptiſmo Paruulorum; Secundo de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia. Tertio de prę deſtinatione, & de multis alijs, & tamen ſcriptura, quam volunt eſſe Iudicem, has lites non poteſt dirimere, nec terminare; Quod ſi ſacra ſcriptura poſſet hoc facere, vel ceſſaſſent lites, vel Caluiniſtarum, & Lutheranorum ſuperbia noluiſſet huculque ſententiæ tanti Iudicis aquieſcere, eligant quod volunt, non poſſunt ſe expedire ab iſtis eorum abſurdis.

70 Secundo probatur; ſuppoſito, quod in ſcriptura duo conſideranda ſint nempe littera, & ſenſus ſicut in homine Anima & corpus; Littera occidit ſpiritus viuificat 2. Cor. 3, 6. & D. Auguſtinus ſerm. 70. de tempore; frequenter (inquit) ad monui Charitatem veſtram fratres dilectiſſimi, vt his lectionibus, quæ in diebus iſtis in Eccleſia recitantur, non hoc tantum attendere debeamus; quod ex littera ſonare cognoſcimus: ſed remoto velamine litteræ viuificatem ſpiritum

re

requiramus; infælices Iudæi, & plus infęlices Hæretici, qui dum ſolum litteræ aſpiciunt corticem quaſi corpus, ſine Anima, ita ſine viuificatione ſpiritu mortui remanſerunt, & remanent; abſit igitur, vt dicamus ſacram ſcripturam ſecundum litteram eſſe ſufficiẽtem Iudicem controuerſiarum fidei, ſed potiùs ducere in errorem; ſic errabant Iudæi requirentes Meſſiam in Moyſen, & Prophetis ſecundum corticem litteræ, & in errore hucuſque perſeuerant 2. Cor. 3, 15. non reſpicientes ſpiritum viuificantem latentem, coopertum velamine ſacrificiorum, & Ceremoniarum Muſaicarum, quibus dicebat Chriſtus Ioan. 5. 39. ſcrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam eternam habere.

71 Et non ſolum Hebræos litteras occidit, ſed etiam plures Hæreticos, qui exinde in ſuis erroribus perierunt. Sabelliani dicebant non eſſe tres Perſonas in diuinis, ſed vnam tantùm, quę tamen habebat tria nomina propter diuerſa officia, eandemque perſonam vocari Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, ex quorum ſententia ſequebatur Patrem carnem factum, mortuum, & paſſum, ideo etiam Patri paſſiani appellati ſunt teſte D. Auguſtino de Hæreſibus cap. 41. Vnde illis tantum malum? non niſi ex littera occidente, ego & Pater vnum ſumus Ioan. 10, 20. Ariani dicebant Chriſtum non eſſe Deum, ſed inferiorem Deo; Vnde? ex littera occidente, Pater maior me eſt Ioan. 14, 24, nō enim Chriſtus loquebatur, vt Deus, ſed, vt homo. Vide Athanaſium orat. 2. contra Arianos, Hilarium. l. 11. de Trinit. Macedoniani negabant Spiritum Sanctum eſſe Deum ex illo Apoſtoli 1. Cor. 2, 10. ſpiritus omnia ſcrutatur etiam profunda Dei; vnde ſic concludebant; Qui ſcrutatur quærit, qui quærit dubitat, qui dubitat eſt ignorans, qui ignorat Deus non eſt, ergo Spiritus Sanctus non eſt Deus, non aduertentes Deum vere ſcrutari renes, & corda Pſalm. 7. 10, Eodem modo poſſumus (ſi tempus concederet) diſcurrendo per ſingulas ætates concludere de omnibus ferè Hęreticis vſque ad Lutherum, & Caluinum incluſiue, qui in hoc longe ſuperarunt ſuos anteceſſores ſcripturarum peruerſores.

72 Tertio probatur ex condicione controuerſiarum; nam multę ſunt controuerſiæ circa fidem, & Religionem, quarum, vel nulla fit mentio in ſcriptura, vel certe non ſufficiens ad hoc ſcriptura de illis ferre ſententiam poſſit; ergo in ijs dirimendis alius Iudex querendus eſt; Eiuſmodi autem controuerſię ſunt hæ, 1. An libri Tobiæ Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabeorum ſint Canonici nec ne 2. quot ſunt ſacramenta Eccleſiæ ſiue noue legis, 3. an exorciſmus adhiberi poſſit in Baptiſmo, 4. An baptizati ab Hæreticis ſint rebaptizandi, 5. an Baptiſmus vna merſione conferri debeat, 6. An Chriſtiani loco ſabbati debeant colere diem Dominicum, 7. an B. Virgo permanſerit Virgo poſt partum, 8. an Petrus Apoſtolus fuerit Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, 9. an ſymbolum fidei ſit vere Canonicum, & Apoſtolicum, 10. an in veteri teſtamento fuerit aliquod externum remedium pro feminis contra peccatum originale; ſi ſacra ſcriptura etiam cum traditionibus non poteſt dirimere controuerſias de fide, & Religione, multo minus Princeps, vel Magiſtratus ſecularis quia auctoritas reſoluendi dubia ſcripturæ, & fidei eſt ſpiritualis, & diuina, quæ poteſtati ſeculari conuenire non poteſt, neque hoc vnquam fuit in vſu nec apud Chriſtianos neque apud Hebræos, nam & Moyſes qui quæ-

Digitized by Google

ſtiones ad Deum ſpectantes. decidebat erat Sacerdos. Pſalm.98.v.6. Moyſes, & Aaron in Sarcerdotibus eius, & litigantes ad Sacerdotes remittuntur Deut. 17. 9. Et limites vtrique Magiſtratui ſtatuuntur 2. Paralipomenon q. 11. Proprium ergo eſt ſupremi Magiſtratus ſpiritualis lites ſpirituales de fide & Religione decidere, & terminare & inter Chriſtianos competit ſupremo Paſtori ſpirituali, Monarchæ, & Capiti Eccleſiæ, ac vicario Chriſti in terris puta Romano Pontifici; cuius ſententia ſicuti eſt ſenſibilis, & manifeſta ita eſt infallibilis, & inobliquabilis.

73 Hæretici nituntur probare intentum, & propoſitum ſuum & primo ſic: quicumque primario & infallibiliter terminat & definit quæſtionem de Eccleſia, & capite eius, ille eſt ſupremus; & infallibilis controuerſiarum Iudex; at ſola ſcriptura primario, & infallibiliter terminat, & definit quęſtionem de Eccleſia, & eius capite, ergo ſola ſcriptura eſt ſupremus, & infallibilis controuerſiarum Iudex; Reſpondetur ad minorem cum diſtinctione; nam terminare, & definire quęſtionem poteſt dupliciter intelligi, primo per modũ Iudicis, ſecundo per modum normæ; Vterque enim tam Iudex quam norma dicitur terminare, & definire quęſtionem, ſed diuerſo modo, Iudex per modum cauſæ effectiue, vel efficientis, norma per modum cauſæ exemplaris; Vnde ſicut alius eſt Architectus, qui Domum ædificat, aliud Idea ſecundum quam ędificat; ſic etiam aliud eſt Iudex, qui effectiue terminat, & definit controuerſiam, aliud norma ſecundum quam definitur, & terminatur controuerſia. Maior eſt vera de Iudice effectiuę definiente, & minor eſt vera de norma ſecundum quam definitur, ſed negatur conſequentia, ſi inferatur ergo ſacra ſcriptura ſola eſt infallibilis controuerſiarum Iudex effectiue; Concedunt ergo Catholici ſacram ſcripturam non ſolam; ſed cum traditionibus eſſe normam infallibilem terminãdi controuerſiam de fide, non autem Iudicem, qui infallibiliter effectiue terminet.

74 Secundo probant, quicquid ab ipſo Deo ideo inſpiratum, & dictatum eſt, vt de articulis fidei, & Religionis Chriſtianæ ad ſalutẽ neceſſarijs certò & infallibiliter nos erudiat, veram doctrinam confirmet, falſam reijciat, & condemnet. Illud loco Dei fungitur officio ſupremi, & infallibilis Iudicis in controuerſijs fidei, & Religionis, talis eſt ſacra ſcriptura ergo &c. Reſpondetur illud officium quod deſcribitur in maiori propoſitione non eſt proprium Iudicis ſed commune Iudici, & normæ, ſed diuerſo modo, vt ſæpe dictum eſt, nam Iudex per modum Cauſæ efficientis, norma vero per modum cauſæ exemplaris infallibiliter nos erudit, veram Doctrinam confirmando, & falſam reijciendo. Eſt autem magnum diſcrimen inter ſententiam Iudicis, & normæ, ſiue legis; nam ſententia Iudicis tunc ſolum exequitur, quando orta eſt controuerſia de aliqua re ad fidem, vel Religionem pertinente; at ſententia legis, ſeu normæ ſemper neceſſaria eſt etiam in rebus clariſſimis, vbi nulla poteſt eſſe controuerſia; ſemper enim tenentur pij homines ſequi ſententiam, & Iudicium ſcripturę, quando ipſa tanquam norma, ſeu lex præcipit aliquid, vel prohibet. Hac diſtinctione, ac differentia inter Iudicem effectiuum, & normam exemplarem iudicandi diſſoluuntur plura alia ſimilia argumenta quibus, Hæretici nituntur probare ſacram ſcripturam eſſe Iudicem effe-

Digitized by Google

ctivum controuerſiarum, ſed nihil ad propoſitum, ideo conſulto prætereuntur, tanquam ſuperflua, & inutilia.

75 Satis dictum eſt de principijs fidei, dicendum eſt aliquid etiam de Concluſionibus ex ipſis principijs deducendis, & de ſcientia Theologica, qua deducuntur; Pro cuius intelligẽtia ſciendum eſt ſacram Theologiam tribus modis accipi poſſe; primo pro notitia ſimplici, & incomplexa obiecti Theologici; 2. pro notitia complexa articulorũ fidei obſcurè à Deo reuelatorum; 3. pro notitia concluſionum, quæ ex illis tanquam ex principijs deducuntur; Et nos eodem lumine fidei aſſentiri notitiæ ſimplici, & complexæ articulorum, ſiue principiorum, & Concluſionum, quæ ex principijs deducuntur, & non lumine diſtincto, vt opinantur Thomiſtæ. Ita Scotus in 3. diſt. 25. q. vnica; Quare ſcientia hic accepta pro habitu, vel notitia Concluſionum Theologicarum; & intellectus etiã ſpectatus pro habitu principiorum, ſiue articulorum fidei non ſunt duo habitus ſpecie diſtincti, ſed ſolum vnus habitus ſpecificus circumloquens eundem fidei habitum perfectum, & imperfectum, quia ſcientia non accipitur hic, vt à philoſopho deſcripta eſt 1. Poſt. ſed pro notitia credendorum explicita; Intellectus vero pro notitia eorundem implicita; Molina hic dicit notitiam articulorum fidei, & notitiam cõcluſionum Theologicarum ex ipſis deductarum eſſe diuerſos habitus ſpecie diſtinctos, quia notitia articulorum eſt fidei proprie, notitia vero Concluſionum eſt quidem fidei, ſed non proprie, ſed late ſumptæ; ſed hoc dictum nihil contra concluſa probat; Nam eſto Principia ſiue articuli in ſe ſint formaliter reuelati, Concluſiones vero virtute ſolum in principijs, tamen eis non aſſentimur propter earum euidentiam, ſed tantum propter veritatem reuelantis, cui aſſentimur, ſed hæc eſt eadem comparatione principiorum fidei, & concluſionum deductarum ex illis, ergo non poteſt eſſe alius habitus concluſionum ab Habitu principiorũ; probatur conſequentia, quia idem eſt vtrobique obiectum ſub eadem ratione formali nempe veritate reuelantis.

76 Vrget vltra Molina in ſcientia aquiſita alius eſt habitus principiorũ; qui dicitur Intellectus, & alius habitus concluſionis, qui dicitur ſcientia, ergo à ſimili in cognitione confuſa alius erit habitus cognoſcendi articulos, aliuſque cognoſcendi concluſiones deductas ex illis. Reſpondet Scotus negando paritatem, quia in aquiſitis intellectus aſſentitur vero complexo propter euidentiam rei; Alia enim formaliter eſt euidentia principiosum ex ſuis terminis, alia Concluſionum ex principijs, licet hæc ſit cauſata ab ipſis, vt dictum eſt. Non ſic eſt in creditis, quibus ſolum aſſentimur propter veritatem reuelantis, nec valet vltra obijcere dicendo; in aquiſitis non aſſentimur Concluſionibus propter euidentiam rei ex terminis, ſed quia euidenter ſequuntur ex principijs; Id autem accidit etiam in creditis, ergo negatur maior propoſitio, quia Concluſiones habent formaliter propriam euidentiam, cauſatam tamen ab euidẽtia principiorum: & proinde eis aſſentimur propter euidentem veritatem terminorum ſaltem remote, quam formaliter imbibunt; Non ſic eſt in Creditis quorum euidentia eſt veritas reuelantis, vt ſupra dictum.

77 An vero hæc ſacra doctrina ſit proprie ſcientia; Reſpondetur reſolutionem huius quæſiti dependere ex ſequentibus dictis; primum dictum eſt

eſt Theologiam hic accipi, vt eſt ſermo de Deo, ſiue clarus, ſiue obſcurus, quoad eius prædicata propria ex proprijs ſumpto, quæ ſolum ſuper naturali lumine cognoſci poſſunt. Secundum dictum eſt ſcientiam proprie dictam quatuor inuoluere condiciones, quarum prima eſt, quod ſit notitia certa excludens deceptionem, & dubitationem; ſecunda, quod ſit de obiecto neceſſario excludens contingentiam; Tertia, quod ſit cum euidētia rei abijciens obſcuritatem. Quarta, quod ſit per Cauſam cum applicatione ad ſcibile per diſcurſum ſilogiſticum, Tertium dictum eſt Theologiam ſpectari poſſe quatuor modis per comparationem ad id, in quo eſt; primo modo in ſe 2. in Intellectu Diuino 3. in Intellectu Beatorum 4. in Intellectu noſtro. Quartum dictum eſt hanc ſacrā Theologiam duo genera propoſitionum continere nempe neceſſariarum, & contingentium; Propoſitiones neceſſariæ ſunt, quæ de Deo, & tribus perſonis formantur ad intra; Propoſitiones vero contingentes ſunt, quæ formantur ad extra circa Creaturas. Quę propoſitiones contingentes duobus modis ſpectari poſsūt vno modo quo ad poſſibilitatem, quam logice in ſe ipſis abſolutè formaliter inuoluunt. Et ſimplice quatenus poſſibiles ſunt relatiua comparatione omni potentiæ Dei V. gratia, quod res ſint Creabiles, humana natura à Verbo ſit aſſumptibilis, quod Deus ſit Creativus, & naturæ humanæ ſuſceptiuus; Secundò modo conſiderantur quoad actū exiſtendi, vt quod Deus mundum creauerit, naturam humanam ſuſceperit.

78 Quintum dictum eſt ex Scoto 3. ſent. diſt. 24. duobus modis ſcientiam poſſe accipi primo modo, vt eam accepit Philoſophus primo poſt: pro notitia certa euidente de obiecto neceſſario, & per cauſam; altero modo, vt eam accepit idem Philoſophus Ariſtoteles ſeſto Ethicorum cap. 4. pro habitu, quo determinate verum dicimus, quibus prenotatis ſit primum aſſertum; Theologia in ſe & in intellectu, diuino non eſt ſcientia primo modo quo ad omnes quatuor condiciones requiſitas quia ſic ſcientia accipitur, vt eſt notitia Concluſionis per diſcurſum cauſata à notitia principiorū, & proinde inuoluit pluralitatē notitiarum, & obiectorum ergo non poteſt eſſe ſcientia ſecundū hanc quartā condicionē in intellectu Diuino, qui vnico actu omnia intuitiue cognoſcit, quatenus cognoſcibilia ſunt, & hoc incauſabiliter, cum igitur hęc includat imperfectionem dicendum eſt abſolute loquendo in ſe, & in intellectu diuino Theologiam eſſe proprie ſcientiam, quia per ſe de ratione ſcientiæ ſolum tres priores condiciones requiruntur, quod ſcilicet ſit cognitio certa, de obiecto neceſſario, cum euidentia rei, talis eſt Theologia in ſe, & in intellectu diuino.

79 Aſſertum ſecundum. Non eſt determinate verum, quod in intellectu Beatorum Theologia ſit ſcientia quo ad quattuor omnes condiciones, probabilius tamen eſt, quod ſit prima pars colligitur ex D. Auguſtino 15. de Trinit. Cap. 16. fortaſſe inquit, non erunt ibi volubiles cogitationes noſtrę ab alijs in alia euntes atque redeuntes, ſed ſcientiam noſtram vnico intuitu videbimus; ergo ſecundum Auguſtinum Beati per ſcientiam Beatam forte non diſcurrunt, & proinde non habent ſcientiam diſcurſu comparatam cum pluritate notitiarum per illationem vnius ex alia; ſecunda pars probatur quia quidditas obiecti in quocunque lumine viſa virtualiter continet veritates, quas poteſt facere notas Intelle-

Qui paſſiuo à tali obiecto; Cum ergo veritates multæ in intellectu noſtro fiant notæ per alias veritates prius notas immediatas eodem modo notę fiūt intellectibus Beatorum; nec auctoritas D. Auguſtini cogit (inquit Scotus) primo, quia dubitatiue loquitur. Secundo, quia loquitur de viſione Beata, quæ eſt ſimplex notitia Diuinitatis, non de notitia complexa, quam habēt Beati de alijs prædicatis Dei, & præcipuè de obiectis ſecundarijs, in qua recitiſſime diſcurrunt propter eximiam vim intellectus, nec ad hoc indigent tempore.

80 Aſſertum tertium. Nullo modo in intellectu Viatorum Theologia eſt proprie ſcientia quia ſcientia ex ſæpè citato philoſopho 1. poſt: eſt cum euidētia ex parte rei. Noſtra vero Theologia eſt ſermo de Deo cum imperfectione obſcuritatis; ſed objiciunt aliqui, Theologus ſuas deducit Concluſiones ex præmiſſis fidei, quas accipit, vt veras cum certitudine, & euidentia, quam habent in ſe ipſis, & in lumine ſuperioris ſcientiæ Dei, & Beatorum, ergo eius Theologia eſt proprie ſcientia in intellectu Theologi Viatoris; Reſpondetur nos Viatores accipere profectò præmiſſas fidei tanquam veras cum certitudine, & euidentia, quam credimus habere in ſe ipſis, & proinde non euidenter à parte rei, ſed obſcurè ſcilicet ex reuelatione, & ex teſtimonio Dei dicentis, illas accipimus; Quare cum illa euidentia, quam putamus principia fidei in ſe ipſis habere immediate nobis non innoteſcat ex Cauſis intrinſecis in eſſendo, ſed ſolum ex teſtimonio extrinſeco reuelantis Dei. Non poſſumus ex eis inferre ſcientificas Concluſiones ita probe Scotus 3. diſt. 24.

81 Aſſertum 4. In nullo intellectu neque creato neque increato poteſt Theologia de contingentibus veram rationem ſcientiæ habere, vt de ea loquitur Ariſt. 1. poſt: Cap. 2. quia debet eſſe de obiecto neceſſario, & non contingenti; itaut idem manens habitus ſcientificus non poſſit ei obiectiuè ſubeſſe falſum; quemdamodum non poteſt, quandoque eſſe ſcientificus, & non ſcientificus ex 7. Metaph. ergo ita neceſſario ſcientia proprie ſumpta eſt de obiecto neceſſario, vt non poſſit eſſe obiecti contingentis, ac proinde Theologia de contingentibus nullo modo dicitur modo prædicto ſcientia, niſi ſcientia acciperetur, ſicut eam accepit Ariſt. 6. Ethic. quia per fidem cognoſcimus Theologicas veritates etiam contingentes, quatenus reuelatę ſunt à Deo, qui mentiri non poteſt, & proinde firmiter ſine opinione, & ſuſpicione illis aſſentimur, & adhæremus, atque adeo certam de illis habemus ſcientiam; prout eſt habitus quo determinate verum dicimus; ſi veritates Theologicæ ſpectentur ſecundū poſſibilitatem, vt præſcindunt ab actuali exiſtentia nos Viatores habemus de illis veram ſcientiam poſterioriſticam, quia prædictæ veritates ſecundū poſſibilitatem ſunt neceſſariæ; rurſus habent etiam cauſam à priori, qua poſſunt de Deo demonſtrari tam ex parte rei, ſicuti eſt non repugnantia, quam ex parte Dei, vt eſt omni potētia Dei. Si quis objiciat; neceſſitas non eſt de eſſentia intrinſeca ſcientiæ; ſi quidem nulla ſcientia eſt ſuapte natura entitas neceſſaria cum ſit Creata, & naturaliter defectibilis per obliuionem, vt experientia patet &c. Ergo ſciētia Theologica proprie dicta; poteſt eſſe etiam de propoſitionibus contingentibus, non præſcindentibus ab actuali exiſtentia reſpondet Scotus neceſſitatem non eſſe de ratione ſcientię entitatiue, ſed obiectiue quatenus eſt de Veritatibus

tibus

Digitized by Google

tibus neceſſarijs quibus non poteſt ſubeſſe falſum.

82 Aſſertum 5. Sacra Theologia ſecundum omnem modum præfertur omnibus ſcientijs iuxta illud Eccleſ. 1. ſapientiam Dei præcedentem omnia quis inueſtigabit? Nam ſi quæ ſunt nobilitates in mundanis ſcientijs non collectim, ſed ſparſim reperiuntur in ſingulis, etenim mundi ſapientes aſſerunt Metaphyſicam eſſe omnium ſcietiarum nobiliſſimam propter vniuerſalitatem ſubiecti; Mathematicam ob certitudinem modi, ſcientiam Animaſticam ob dignitatem materiæ, moralem propter vtilitatem finis, tales nobilitates aggregantur in Theologia; primo ex parte originis, nam Theologia in ſupernaturali lumine eſt fundata, & ſupernaturaliter à Deo reuelata, aliæ autem ſcientiæ ex naturali lumine ſunt inuentæ. 2. ex antiquitate, nam Theologia fuit ſemper cum Deo, & nõ eſt ante eum; Scientiæ vero aliæ ſunt omnino temporales ſimul cum homine originem habentes; 3. ex præſtantia ſubiecti; conſiderat enim Deum non tantum ſub ratione entis, ſed quatenus Deus eſt, ſicque eſt quid ſimpliciter infinitum ceteræ aliæ ſcientiæ verſantur circa obiecta finita Creata, & limitata ad ſenſibilia. 4. ex certitudine, nam certitudo aliarum ſcientiarum oritur ex lumine naturali rationis humanæ, quæ errare poteſt; certitudo autem Theologiæ ex lumine Diuinæ ſcientiæ, & ſumma auctoritate reuelantis, qui nec fallere, nec falli poteſt, aut mentiri.

83 Quinto ratione finis; nam ordinatur ad finem vlterius non ordinabilem ad alium finem, nam finis Theologiæ eſt æterna beatitudo ad quam fines aliarum ſcientiarum ordinantur, tanquam ad vltimum earum finem; 6. ex ordine, quia in vno quoque genere eſt dare vnum primum, quod ſit metrum, & menſura omnium aliorum ſecundum Ariſt. 10. Met. 1. in genere habituum Intellectualium debet eſſe aliquis primus, qui dignitate præcedat alios. talis eſt ſine contradictione habitus Theologicus. 7. ex ſinceritate, & puritate, Theologia eſt ſincerior, purior & verior pluſquam çeteræ ſciẽtiæ, ergo eſt nobilior. antecedens probatur. quia Theologiæ nihil falſitatis, nihil erroris eſt admixtum, ſicut illis; quamuis enim ſubtiliores, ac meliores philoſophi multa vera de Deo, de ſubſtantijs ſeparatis, de elementis, de ſpheris, de hominibus, cæteriſque Creaturis ſint locuti; in pluribus tamẽ circa hæc errauerunt; naturale equidẽ lumen eſt defectuoſum; ſupernaturale autem eſt lympidum erroris, ac falſitatis excluſiuum. 8. ex ſoliditate, & firmitate; fundamentum enim Theologiæ eſt Chriſtus qui eſt petra ſolidiſſima, ſupra quam eſt fundata veritas Theologica. Ideo dicit Propheta Dauid, quod veritas Domini manet in æternum; Nam tantorum Martyrum ſanguine eſt confirmata; & magni periculi res eſt; ſi poſt Prophetarum Oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidẽ quaſi nouellam diſcutere præſumatur.

84 Aſſertum 6. Sacræ Theologiæ ſeruiunt omnes aliæ ſcientiæ. ſic Sanctus Bonauentura in libello de reductione artium ad Theologiam. vbi habet hæc verba; patet etiam quomodo omnes cognitiones famulantur Theologiæ, & ideo ipſa aſſumit exempla, & vtitur vocabulis pertinentibus ad omne genus cognitionis; & reuera pulcherrimum Victoriæ genus exterorũ teſtimonijs ſua confirmare, accuſantium orationibus ſua defendere, & hoſtium armis ſua tueri, ſic egregie triũphàrunt Dauid, & Iudith de ſuis inimicis,

Digitized by Google

micis, dum eorum Capita proprijs enſibus præciderunt; Amplius Diuina ſapientia Philoſophos Philoſophis oppoſuit, qui cæleſti doctrina, atque humana pręſtantes Hæreticos, Gentiles, Paganos omnibus modis oppugnantes repugnanteſque ſuperarent, quod plurimorum exemplis manifeſtatur, ſed ſufficiet vnus Iuſtinus philoſophus, & vna Catharina Virgo Alexãdrina ambo inſignes Martyres, ille ex ipſis Ethnicorum ſententijs eos conuicit, ac ſuo gladio iugulauit, nec dubitauit Apologiam pro Chriſtianis ad Antoninum Imperatorem mittere; Catharina vero 50 philoſophos immiſſos ad eam coarguendam ita ſapientia Diuina & humana, quibus plena erat conuicit, & confutauit, & ex lupis in oues tranſmutauit, vt nõ dubitauerint pro Chriſti fide confirmanda iugulum præbere, & ſanguinem profundere.

84 Sacra Doctrina eſt vere argumentatiua, nam eſt ſuarum quæſtionũ ſufficienter probatiua, & oppoſitarum obiectionum ſolutiua, ſignum enim veritatis eſt ſolutio dubiorum in contrarium; probatur primo teſtimonio Apoſtoli 2. ad Timotheum Cap. 3. omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendũ, ideſt ad redarguenda, & conuincenda falſa dogmata, (ita hunc locum Pauli interprętantur Patres, ergo theologia eſt argumentatiua ideſt ad ipſam pertinet vti rationibus, & argumentis; Hoc idem colligitur ex illo ad Titum primo, vbi Paulus ait Epiſcopum debere eſſe amplectentem eum, qui ſecundum Doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere; Idem confirmatur exemplo Chriſti Domini; qui paſſim vti ſolebat argumentationibus ex illo enim Ioan. 7. ſi circumciſionem accipit homo in ſabbato, vt non ſoluatur lex Moyſis mihi indignamini, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato argumentatur à fortiori ad reuincendam eorũ ingratiſſimam murmurationem; ita paſſim etiam Apoſtoli argumentabãtur in ſuis Epiſtolis Canonicis, & præcipuè D. Paulus 1. Cor. Cap. 15. arguendo deducit concluſiones ſic diſputans, ſi Chriſtus reſurrexit, ergo nos reſurgemus; horum exempla ſecuti ſunt antiqui Patres, & Concilia.

85 Et ratio clara eſt, nam Theologia vtitur omnibus medijs, quibus alię ſcientiæ vtuntur; nam arguit ab Auctoritate & ratione, ergo eſt argumentatiua; Ad huius intelligentiam nota, quod ſeptem ſunt principales loci auctoritatiui, & argumentorum vere Theologicorum ſedes, quorum primus eſt Auctoritas ſacræ ſcripturæ, ſeu Verbum Dei ſcriptum. Secundus eſt Auctoritas traditionum Apoſtolicarum conſeruatarum in Eccleſia ideſt Verbum Dei non ſcriptum; Tertius eſt Auctoritas ſummorum Põtificum, cum ea, quę ſunt fidei definiunt. Quartus Auctoritas Conciliorum œcumenicorum. Quintus Auctoritas omnium ſacrorum Doctorum Eccleſiaſticorũ; Sextus communis omnium conſenſus, cum de eo in re aliqua ad Religionem pertinente conſtiterit; Septimus veritas naturaliter certa & euidens, quando ad eam quoque veritas fidei adhibetur ex aliquo reliquorum locorum qui numerati ſunt, deprompta; Qui ſi dicatur Theologum interdum ex ratione naturali probabili, ex humana hiſtoria, & auctoritate Philoſophorũ argumentari; Reſpondendum eſt eiuſmodi loca non proprie, ſed minuteriáliter eſſe Theologica. Hinc D. Thomas q. 1. art. 8. extraneos appellat hos argumentandi modos. Vtitur enim illis Theologus ad illuſtrandam magis do-

doctrinam ipſius Theologiæ.

86 Sacra Theologia non argumentatur ad ſua principia probanda, quæ ſunt articuli fidei, nam cæteræ ſcientiæ non probant ſua principia, ſed accipiunt illa tanquam nota lumine naturali, ergo, & Theologia accipit ſua principia tanquam nota lumine fidei; ſi arguatur quod ſancti Doctores fidei dogmata plurimis rationibus perſuadent, vt D. Auguſtinus libris de Ciuitate Dei,& D.Thomas contra Gentes. Reſpondetur, quod Sancti Doctores non intendunt demonſtrationes facere eorum, quæ ſunt fidei, ſed perſuaſiones vehementes, quod ſint poſſibilia, nec rationi naturali repugnantia; Pro quorum notitia aduertēdum eſt, quod argumentari de his, quæ ſunt fidei quattuor modis intelligi poteſt; primo propter eorum comprehenſionem per demonſtrationem, 2. propter eorum manifeſtationem, 3. propter repugnantium fidei reprobationem. 4. propter eorum approbationē; Ex his quæ ſunt fidei nullatenus licet argumentari propter eorum comprehenſionem per demonſtrationem, patet, quia ea, quæ ſunt fidei demonſtrari non poſſunt, quandoquidem concluſio, quæ per demonſtratiorem colligitur ex principijs naturę continetur in illis tanquam in cauſa, ſed ea, quæ ſunt fidei non poſsūt habere cauſas naturales ſui eſſe ergo &c; præterea ex effectibus naturalibus euidenter demōſtrari nequeunt; quia nō ſunt aliqui effectus nobis euidentes, qui habeant proportionem cum his, quæ ſunt fidei, cum ſint ſupra totum ordinem naturæ.

87 Ratiocinari licet de his, quæ ſunt fidei propter eorum manifeſtationem, propter repugnantium fidei reprobationem, & propter eorum quę ſunt fidei approbationem; hæc Concluſio quoad ſingula membra eſt manifeſta tum ex Doctrinā Patrum, tum etiam ex œcumenicis Concilijs celebratis, in quibus ea, quæ ſunt fidei, explicata & approbata fuerunt, ac falſa dogmata reiecta, atque damnata fuerunt; poſtremo conſtat ex modo procedendi ſcholaſticorum Theologorum, qui in ſuis quæſtionibus ratiocinantur, & argumentantur propter tria prædicta; Tamen non licet ratiocinari de his, quæ ſunt fidei, vt eis propter rationem aſſentiatur, quia tunc tollitur meritum fidei, ſed quando quis habet voluntatem credendi propter ſolam auctoritatem, tunc ratio ſuperueniens non minuit meritum fidei, ſed auget ſolatiū, ſed dices cur Doctores Theologi tandiu immorantur in rationibus naturalibus cum ſint extraneæ ab hac ſcientia? Reſpondetur propter duas rationes. Prima eſt, vt condeſcendant imbecillitati noſtri Intellectus, qui naturaliter ex his aſcendit ad Diuina, & iſte modus eſt ſibi naturaliter inſitus. Secunda eſt, vt oſtendant ſapientibus huius ſæculi, quod hæc non ſunt adeo repugnantia Intellectui, vt ipſi exiſtimant immo, quod conſona ſunt, & nullum irrationabile continent; Nota circa illam auctoritatem primæ Petri, parati reddere rationem de ea, quæ in vobis eſt fides, ly per rationem B. Petrus non intelligit probationem per medium naturale, ſed per medium Diuinum, quod eſt eſſe reuelatum; quaſi dicat. Si quis petat à nobis, quare tenemus Deum eſſe incarnatum, parati ſimus reddere rationem quia reuelatum eſt à Deo, à quo non poteſt eſſe falſum; & hæc eſt optima ratio.

88 Theologia argumentatur contra Aduerſarium negantem quædam principia, ſi tamen alia admittat, vt quando ex vno articulo fidei confirmat alium contra Hæreticos, quia Metaphy-

Digitized by Google

taphyſica, quæ ſuprema eſt inter omnes ſcientias humanas argumentatur ex vno principio conceſſo contra illos, qui aliud negant, ergo, & Theologia, quæ omnibus ſupereminet, ſimiliter procedit; talia enim ſunt principia Theologiæ; & ita connexa, vt mutuo ſe iuuare poſſint, & vnum ex alio probari; Confirmatur, quia hæc doctrina non habet ſuperiorem ſcientiam, cuius ſit probare eius principia contra negantes illa, ſicut habent aliæ ſcientiæ, quarum principia probat Metaphyſica tanquam ſuperior, ergo ſupereſt, vt ipſamet Theologia efficere debeat, cum fuerit neceſſe; Non argumentatur tamen Theologia contra Aduerſarium negantem vniuerſa principia, quia Theologus non poteſt Aduerſario ſufficiẽter probare principia Theologiæ, ſi nihil penitus concedat ex reuelatis Aduerſarius; In tali caſu Theologus ad argumenta Aduerſarij contra eoſdem articulos facta reſpondere debet, nam cum ſint fallacia, peccantia ſcilicet in materia, vel forma, vel in vtraque ſolui poſſit.

89 Vt ſciamus ad ſacram Theologiam pertinere probare ſua principia duo dubia hic reſoluenda ſunt, primũ, An Theologia habeat aliquam ſubalternationem alteri ſcientiæ. Secundum dubium, An Theologia habeat ex ſe, vel alia ſcientia ſuam certitudinem; Pro euidentia primi notãdum eſt duplicem poſſe inter ſcientias ſubalternationem propriam ſcilicet ſiue perfectam, & impropriam, ſiue imperfectam, & ſimilitudinariam, ſubalternatio perfecta, & propria tria principaliter requirit vnum eſt, quod ſubiectũ vnius ideſt ſubalternatæ contineatur ſub ſubiecto alterius, ſcilicet ſubalternantis ſecundum, quod principia ſcientiæ ſubalternatæ ſint concluſiones ſcientiæ ſubalternantis; Tertium, quod ſubiectum ſcientiæ ſubalternatę addat differentiam accidentalem ſubiecto ſcientiæ ſubalternantis cuius principia ſupponit; ſicut proſpectiua, quæ agit de Linea in re viſibili, atque in ordine ad diuerſum modum, quo res apparet ob diuerſam diſtantiam, ſupponitque, vt principia Concluſiones Geometriæ, quæ circa lineam abſolute verſatur: ob eam rationem eſt illi ſubalternata; ſimiliter muſica, quę tractat de numero ſonoro ſubalternatur Arithmeticæ, quæ diſſerit de numero abſolute; ſubalternatio vero impropria, & imperfecta non conſiſtit in tribus illis ſupradictis requiſitis, ſed in quadam ſimilitudinaria ſuperioritate vnius ſcientiæ ſuper aliam.

90 Theologia noſtra non eſt perfecta, & omnimoda ſubalternatione ſubalternata ſacræ ſcripturæ, quia eadem ſunt principia in vtraque ſcilicet articuli fidei ſub eodem lumine obſcurè cogniti; Idem dicendum de Theologia Dei, & Beatorum nempè quod Theologia noſtra non eſt perfectè ſubalternata Theologiæ Dei, & Beatorũ probatur, primo, ſcientia ſubalternans, & ſubalternata non poſſunt eſſe primo de eiſdem veritatibus, ſiue prædicatis, quæ per demonſtrationem probantur ineſſe ſubiecto, ſed Theologia noſtra poteſt eſſe de eiſdem prædicatis, ſiue de eiſdem veritatibus, de quibus eſt ſcientia beatorum, ergo non ſubalternatur illi. Maior eſt manifeſta, quia principia ſcientiæ ſubalternatæ ſunt Concluſiones ſcientiæ ſubalternantis, ergo non ſunt primo de eiſdem veritatibus ſcitis. Minor probatur, quia Deus poteſt nobis reuelare principia ſcientiæ Beatorum, ergo Theologia noſtra, & Beatorum poſſunt eſſe de eiſdem veritatibus, ergo vna alteri nõ ſubalternatur.

91 Secundò probatur, habens ſciẽ-

tiam

tiam ſubalternatam poteſt habere ſcientiam ſubalternantem, & è conuerſo, ſed hoc in propoſito eſt impoſſibile, nam ſicut Viator, vt ſic non poteſt clarè videre ſuas concluſiones, & principia, ita, nec Beatus poteſt habere ineuidentem cognitionem concluſionum noſtræ Theologiæ, quia eas euidenter ſcit in Diuina eſſentia, ergo Theologia noſtra non eſt ſubalternata ſcientiæ Beatorum. Tertiò probatur ſubiectum ſcientiæ ſubalternatæ addit differentiam accidentalem ſupra ſubiectum ſcientiæ ſubalternantis, vt dictum eſt, ſed Theologia noſtra non ſic ſe habet reſpectu ſcientiæ Beatorum, quia in vtraque Deus eſt ſubiectum primum, & adæquatum; ergo Theologia noſtra non ſubalternatur Theologiæ Beatorum; Quarto probatur ſcientia ſubalternata in eodem ſubiecto ſcientiæ ſubalternanti continuatur, ſed Theologia noſtra, vt in nobis Viatoribus non poteſt cõtinuari ſcientiæ Beatorum, quia iam eſſemus comprehenſores, ergo non ſubalternatur ei.

92 Theologia noſtra ſubalternatur quodammodo ideſt impropriè Theologiæ Beatorum & Dei, nam principia Theologiæ noſtræ deriuantur ex ſcientia Diuina, eiuſque infallibilitati innituntur, ergo ſubalternatur quoad hunc ſenſum Theologiæ Dei; Item multa ſunt nobis immediatè reuelata à Chriſto, & miniſterio Angelorum Beatorum, ergo quodammodo ſubalternatur Theologiæ Beatorum; Rurſus Theologia noſtra ordinatur ad Theologiam Beatorum, cum tota eius contemplatio ad claram viſionem ordinetur, ergo quoad hunc ſenſum Theologia noſtra poteſt dici ſubalternata Theologiæ Dei & Beatorum; Si loquamur de ſcientia humanitus adinuenta abſolutè negandum eſt Theologiam noſtram ſubalternari alicui ſcientiæ naturaliter acquiſitæ & lumine naturali comparatæ, quia Deus non ponitur ſubiectum Theologiæ ſub aliqua ratione accidentali, ſed ſub propria & quidditatiua, ideſt ſub ratione Deitatis ergo &c. Item quia non poteſt demonſtrari aliqua proprietas Theologiæ de ſubiecto Theologico per principia naturalis ſcientiæ; quia tunc illa proprietas poſſet naturaliter ſciri, & ſic de illa non eſſet cognitio Theologica, ſed naturalis, ergo noſtra Theologia prorſus non ſubalternatur vlli ſcientiæ naturali.

93 Reſolutio ſecundi dubij. An ſcilicet Theologia habeat ex ſe ſuam certitudinem, vel habeat aliũde, ſuperius tacta eſt, hic tamen vberiori doctrina reſoluendum eſt; Dicendum igitur eſt ſacram Theologiam eſſe habitum omnium ſcientiarum certiſſimum, ſic communiter Theologi, & præcipue D. Bonauentura, qui in Prologo Breuiloquij ſic ait, loco certitudinis rationis prouidit Deus huic ſcripturæ, certitudinem auctoritatis, quæ adeo magna eſt, vt omnem perſpicacitatem humani ingenij ſuperexcellat, & quia non eſt certa auctoritas eius, qui poteſt fallere, & falli, nullus autem eſt, qui falli non poſſit, & fallere neſciat niſi Deus. Et Spiritus Sanctus, ergo Theologia, quæ procedit a Deo non poteſt non eſſe niſi certiſſima, quod probatur ex illo Apoc. 21. vbi D. Ioannes Euangeliſta, ait; Oſtendit mihi Dominus, vbi verbo oſtenſionis Diuinæ ſapientiæ certitudinem inſinuare voluit; quid eſt enim oſtendere, niſi non obſcurè, ſed apertè demonſtrare? Vnde demonſtrationes appellantur rationes Mathematicæ, quæ apud Philoſophos, primum obtinent certitudinis gradum; Hoc igitur verbo oſtenſionis docemur cer-

tiſſimam indubitatamque, atque veriſſimam eſſe Theologiam. Id ſignificare voluit Chriſtus Dominus cum Matth. 24. dixit Cœlum, & terra tranſibunt. Verba autem mea non tranſibunt; Quaſi dicat nihil firmius imaginari poteſt Cœlo, & terra; tamen firmiora ſunt quæ ego aſſero.

94 Amplius ſumma Veritas Chriſtus, idem confirmat Matth. 16. dum ait; ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non preualebunt aduerſus eam; Petra hæc principalis eſt Verbum Dei; tam viuũ, quam ſcriptum, & non ſcriptum, ergo eſt tam firmum, & certum, quod contra ipſum tota Diabolorum poteſtas non poteſt prępualere; Quod rurſus cõfirmat Lucæ 21. Dabo vobis os; & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij veſtri; Idem teſtatur D. Paulus. ad Galatas 1. dicens ſi nos, aut Angelus de Cœlo aliud vobis euangelizauerit præter id, quod Euãgelizatum eſt anathema ſit; quibus verbis prædicator veritatis indicat ſacram Doctrinam certitudine ſuperare omnem Angelorum cognitionẽ; Rurſus. Cor. 2. docet eam captiuare intellectum in obſequium Chriſti, & deſtruere omnem ſcientiam extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei; Vnde non eſt mirum dicere ſacram Theologiam ſuperare omnes ſcientias naturaliter inuentas maxime in certitudine, quod faciliter probatur ſic, certitudo nihil aliud eſt, quam determinatio intellectus, & adhæſio firma ad aliquod verum: ſed in aſcenſu Theologico eſt firmior determinatio, & adhæſio, quam in alijs ſcientijs, ergo eſt certior; minor probatur, nam cauſa determinãs intellectũ ad veritates Theologicas (quę eſt lumen Diuinum infuſum, per quod inclinamur ad aſſentiendum) eſt vehementior, quam in alijs ſcientijs, in quibus cauſa eſt aſcenſus ipſe, atque humana ratio, quæ eſt infirma.

95 Item probatur Illa ſcientia, quę in ſua cognitione maiorem habet immutabilitatem habet maiorem certitudinem, ſed Theologia in ſuo aſſenſu habet maiorem immutabilitatẽ, ergo maiorem habet certitudinẽ; Maior propoſitio patet, nam ex immutabilitate oritur ſtabilitas, & ex ſtabilitate firmitas, & certitudo; Minor probatur, tria ſunt, quæ reddunt aliquam ſcientiam firmam, primum eſt res cognita, ſecundum eſt medium, per quod cognoſcitur, tertium eſt lumen, ſub quo cognoſcitur, ſed hæc tria reperiuntur in Theologia magis immutabiliter, quam in quacumque ſcientia humanitus inuenta ergo; Minor probatur primo, ex parte rei cognitæ, ſiue obiecti, quia nulla ſcientia eſt, quæ conſideret primam veritatem, quæ eſt omnino immutabilis tanquam ſubiectum niſi Theologia, ergo ratione rei ſcitæ, eſt immutabilis ergo, certiſſima, ſecundo probatur ex parte medij, nam medium, per quod fit cognitio veritatis huius eſt auctoritas, quæ mentiri non poteſt, & cui non poteſt ſubeſſe falſum; quod in medijs aliarum naturalium inueniri non poteſt, tertio probatur ex parte luminis, quia lumen fidei, ſub quo fit iſta cognitio, eſt adeo immutabile, quod ſub ipſo nequeat cognoſci, & intelligi niſi verum, itaque cum Theologia maiorem habeat immutabilitatem, quã omnes alię ſcientiæ humanitus inuentæ ſequitur, quod ipſa maiorem habeat certitudinem.

96 Sed obijciet aliquis, quod prima principia humanæ ſcientiæ, nullus negat neque negare poteſt, ſed principia Theologiæ multi negant, & de illis multi dubitant, ergo humana ſcientia eſt

eſt certior quam Theologia; Item lumen naturale; quo ſcientiæ naturales comparantur; eſt à Deo; neque poteſt inclinare ad falſum, ſed eodem lumine in ſcientijs naturalibus ita penetramus veritatem principiorum, & Concluſionum, vt euidens ſit nobis, ea ita ſe ſe habere, fide autem penetramus, ea, quæ fide tenemus neque euidens, eſt nobis ea veritatem habere, aut reuelata eſſe à Deo; ergo Theologica cognitio non erit certior; quam ſit cognitio principiorum, & concluſionum ſciẽtiarum naturalium; Item Hugo de Sancto Victore affirmat, quod fides eſt certitudo quædam Animi de rebus abſentibus ſupra opinionem, & infra ſcientiam conſtituta, ergo minor eſt certitudo in ipſa fide, quam in habitu ſcientiæ. Reſpondetur ad primũ, quod prima principia lumine naturali, nullus negat; quoniam habent euidentiam, & claritatem adæquatam eiuſdem ordinis; at principia Theologica quæ ſunt articuli fidei non habent huiuſmodi claritatem, aut euidentiam, aut lumen eiuſdem ordinis cum intellectu creato. Sed habent auctoritatem Diuinam quæ certior eſt quacumque euidentia, & claritate naturali.

97 Reſpondetur ad ſecundum, quod quamuis lumen naturale intellectus, quo ſimul cum notitijs principiorum aſſenſum præbemus principijs, & concluſionibus ſit à Deo, neque ſecundum ſe incliner ad falſum facile tamen errare poſſumus in eius via credentes eſſe verum, immo euidenter verum, quod eſt falſum, at fides, & Theologia, quæ innititur infallibili Dei reuelationi adeo certa eſt, ac firma; vt falſa nulla ratione eſſe poſſit, & ob id maiorem habeat certitudinẽ, quam ſcientiæ naturales; Ad tertium dicitur, quod fides eſt duplex, quædam eſt ſuaſa ex rationibus probabilibus; & hæc eſt infra ſcientiam, alia eſt inſpirata ad aſſentiendum primæ veritati propter ſe ipſam, & hæc eſt ſupra omnem ſcientiam; Hugo loquitur de prima, non de ſecunda. Ex dictis colligitur, hanc ſacram doctrinam nõ recipere ſuam certitudinem à quacumque ſcientia, ſeu ratione naturali, ſed eam recipere à Deo; ſicut certitudo fidei in diſcipulo addiſcente pendent à certitudine ſcientiæ, quæ eſt in Magiſtro docente; Vnde Theologia Dei, & Theologia Beatorum, & Theologia noſtra ſunt eiuſdem certitudinis, Scotus q. 3. Prol. & diſt. 24. 3. ſent. quamuis principia ſint diuerſa, nam principia Theologiæ viatorum ſunt articuli fidei obſcurè cogniti, Principium vero Theologiæ Dei, & Beatorum eſt clara viſio Dei, & omnium in eo contentorum.

98 Conceditur tamen ſecundum Doctorem Subtilem Deũ poſſe communicare viatori cognitionem abſtractiuam euidentem articulorum fidei; quia Deus poteſt cõmunicare Viatori omnem cognitionem quæ non trahit illum extra ſtatum viæ. Sed cognitio abſtractiua Dei euidens non trahit illum extra ſtatum viæ, nam ſola cognitio intuitiua, & beatifica trahit hominem extra ſtatum viæ; pro cuius intelligentia notandum eſt ex Scoto quolib. 6. & 7. duplicem eſſe notitiam vnam intuitiuam, alteram abſtractiuam; Intuitiua eſt illa, quæ habetur de re ſecundum ſuam actualitaté, & præſentialitatem; abſtractiua ea eſt, quæ habetur de re, vel de quidditate rei abſtrahendo illam ab eius actualitate, & præſentialitate; ſicut exempli gratia cognitio viſus eſt ſemper intuitiua, quia terminatur ad rem ſecundum ſuam præſentialitatem cognitio vero imaginationis videtur abſtractiua, quia

ſemper terminatur ad rem abſentem abſtrahendo eam quaſi à ſua preſentialitate; Hęc comunicatio non implicat contradictionem; & de facto videtur cõceſsa D. Paulo, qui poſt raptum recordabatur ſe vidiſſe diuinam eſſentiam, & ſubinde Deum eſſe vnum, & Trinum: ergo poſt raptum habebat huius pronunciati euidentiam; Deus eſt vnus & trinus, ſed non per notitiã intuitiuam, ergo per abſtractiuam.

99 Sacra Theologia eſt vere ſapientia, probatur per inductionem; Theologię Dei conuenit hoc nomen ſapientiæ. Deus enim nihil cognoſcit niſi per rationes altiſſimas nempè per ſeipſum, & eſſentiam ſuam, ita vt nihil moueat Intellectum eius, niſi eſſentia eius. Quantum ad Theologiam Beatorum patet per eãdem probationem. Quãtum ad Theologiam Viatoris patet, quia ei conueniunt condiciones requiſitæ ad ſapientiam, quæ ex fonte Peripateticorum Principis hauriuntur præſertim 1. Met. ſunt 5. prima eſt, vt ſit certiſſimus habitus procedens ex certiſſimis Cauſis. Secunda, vt ſit cauſa ſui, & non alterius ſcientiæ. Tertia, vt circa maxime difficilia, & à ſenſibus remota verſetur. Quarta, vt ab illo habitu omnia quodammodo in vniuerſali cognoſcantur. Quinta, vt ab alia ſcientia non dirigatur; ſed ipſe habitus dirigat alias ſcientias; hæ omnes cõueniunt Theologiæ viatoris. 1. quia eſt certiſſimus habitus, qui innititur lumini infallibili, ſcilicet lumini fidei pro ſtatu iſto viæ, & lumini gloriæ pro ſtatu patriæ, cuius ſubiectum eſt maxime ſcibile, ſcilicet veritas prima, & medium cognoſcẽdi ſunt Verba ęternæ veritatis. Secunda etiam, quia eſt cauſa ſui, propterea quod non refertur ad aliam ſcientiam, præterquam ad viſionem beatificam, tanquam ad finẽ vltimum. Tertia, quia verſatur circa maxime difficilia, quoniam circa ſupernaturalia; quæ à ſenſibus ſunt remotiſſima. Quarta, quoniam ab ipſa quodammodo cognoſcuntur omnia, & quaſi in vniuerſaliſſima cauſa, nempe per Diuinam reuelationem. Quinta, quia non dirigitur ab vlla alia ſciẽtia, quinimo omnes alias ſcientias tanquam Regina habet ordinare, & in ſuum vſum trahere, prout ſibi videbitur expedire. Ex quibus condicionibus ita communiter ipſa ſapientia deſcribitur, quod ſit habitus certiſſimus alijs longe pręſtantior omnia quodammodo, & difficilia per cauſas altiſſimas, & abſolutè primas conſiderans gratia ſpeculationis ſic ſecundum Ariſtotilem vbi ſupra; ſed ſecundum veritatem ſapientia eſt ſcientia ſapida ordinata non ad ſpeculationem tantum, ſed magis ad Amorem, & guſtum vitæ æternæ &c.

De Cauſa materiali Sacræ Theologiæ. Art. III.

1 CVm hic proponitur conſideratio quattuor cauſarum ſciẽtiæ Theologicæ non eſt intelligendũ, quod reuera dentur propriè quattuor Cauſæ eiuſdem, quia nulla ſcientia propriè poteſt habere quattuor Cauſas ſcilicet efficientem, materialem, formalem, & finalem, ex quibus ſimul Cauſetur, cum ſit forma ſimplex accidentalis, cui repugnat habere quattuor Cauſas. Habet tamen ſcientia creata duas Cauſas efficientem ſcilicet, & finalem; quod ſi aliquando ei attribuatur materialis, & formalis nõ propriè ſed metaphorice vtraque accipienda eſt; Vnde (vt ſecundum propoſitum intentum loquamur.) Materia eſt triplex, nempe in qua, ex qua, & circa quam, Materia in qua, eſt ſubiectum re-

recipiens in ſe aliquod accidens. Vnde Intellectus eſt materia cuiuslibet ſcientiæ, quia quælibet ſcientia, cum ſit accidens in Intellectu ſubiectatur; Materia ex qua eſt illa, ex qua cum forma conſtituitur compoſitum; Materia vero circa quam eſt ipſum obiectum potentiæ; circa quod verſatur ipſa potentia: & habet quattuor nomina id, quod ſcientia conſiderat, vel circa quod verſatur, nimirum genus ſcibile, ſubiectum, obiectum, & materia, primo vocatur genus ſcibile ob continentiam, & communitatem, Secundo ſubiectum ratione ſuarum paſſionum, ſeu proprietatum de ipſo ſubiecto demonſtrabilium; Tertium objectum quia eſt id, in quod fertur potentia; Quartum, Materia circa quam, quia eſt obiectum virtutis cognoſcentis.

2 Subiectum ſiue obiectum eſt duplex materiale, & formale ſubiectum materiale (dictum etiam ſubiectum quod) alicuius ſcientiæ, eſt res directe conſiderata in tali ſcientia, ſic Corpus naturale eſt ſubiectum, ſeu obiectum quod, & materiale totius Philoſophiæ naturalis; ſubiectum vero formale (dictum etiam ſubiectum quo) eſt modus, ſub quo in illa ſcientia obiectum materiale conſideratur; ſic naturalitas eſt obiectum quo in eadem Philoſophia naturali quia ſub ratione naturalitatis corpus naturale in ea conſideratur; Itē ſubiectum poteſt multipliciter dici primum; primo prędicatione, & eſt illud, quod prædicatur de omnibus per ſe conſideratis in illa ſcientia. 2. Perfectione, & eſt illud, quod eſt perfectius inter omnia conſiderata in tali ſcientia. 3. Cauſalitate, & eſt id, cuius virtute & actiuitate ſcientia illa aquiritur, vt Intellectus, vel Deus infundens ſcientiam. 4. Virtute, & eſt illud, ex cuius quidditate Intellectus poteſt elicere omnes, vel principales demonſtrationes illius ſcientiæ. 5. Ordine, & eſt illud, quod primo ſcitur in ſcientia, vt eſt prima concluſio demonſtrata in ordine concluſionum. 6. Ad æquatione, & eſt illud, de quo ſcientia tractat, & eſt ei commenſuratum, ſicut eidem obiecto ſcientia eſt commenſurata.

3 Subiectum ſcientiæ requirit ſuas condiciones in illa ſcientia, Scotus 3. quæſtione Vniuerſalium tres enumerat, quarum prima eſt, quod de eo in tali ſcientia præſupponatur quid, & quia ideſt poſſibilis exiſtentia, & defi nitio. 2. Quod paſſiones de eo demōſtrētur per eius definitionem, 3. Quod omnia conſiderata in tali ſcientia ad ipſum reducantur; Præter has tres à Scoto aſſignatas poſſunt adduci aliæ quinque. Prima eſt, quod ſubiectum ſpecificet ſcientiam ſicut Cauſa prima continens ſcientiam, vel habitum, & menſurans, non tamen eſt intelligendum, quod ſpecificet eam intrinſecè, ſicut differentia, vel ſicut forma intrinſeca eius, ſed per modum Cauſæ extrinſecę eius. Secunda condicio eſt, quod ſubiectum tribuat ſcientiæ vnitatem extrinſece, ſcilicet & obiectiue; 3. Condicio eſt, quod ſubiectum primum largiatur ſcientiæ dignitatem, vel nobilitatem, vt tradit Ariſt. 1. de Anima bonorum honorabilium, &c. 4. Condicio eſt, quod ſubiectum ſciētiæ eſt ſubiectum principiorum talis ſcientiæ, ſiue ſint immediata, ſiue mediata; mediata enim reducuntur ad immediata, immediata ad terminos, quorum primus eſt ſubiectum; 5. Quæ traditur a Scoto 3. quæſtione Prol. eſt quod virtualiter cōtinere debeat omnes veritates, quæ per habitum ſcientiæ, de tali ſubiecto ſciri poſſunt; Nam veritates alicuius habitus mediatę dependent ex veritatibus immediatis, ſed primum ſubiectum habitus ſcien-

tifici

Digitized by Google

tifici continet veritates immediatas; ergo continet omnes veritates etiam mediatas; Minor probatur, quia veritates immediate pendent ex ſubiecto, & propria definitione eiuſdem ſubiecti.

4 Præterea cauſa adæquata continet effectum adæquatum, ſed ſubiectum eſt Cauſa habitus adæquata, ergo continet ipſum adæquate; ſed non contineret ipſum adæquate, ſi non extenderet ſe ad omnes veritates eius; Pro huius condicionis perfecta intelligentia nota, quod continere in propoſito eſt in ſua quidditate actu habere vnde Intellectus formare poſſit omnes propoſitiones neceſſarias in tali demonſtratione per quam aquiritur ſcientia. 2. Nota, quod continentia eſt ſextuplex, prima dicitur potentialis, qua aliquid eſt in potentia, vt ad aliacoarctari, & determinari poſſit, ſic genus continet ſpeciem, & generaliter omnia ſuperiora continent potentialiter ſua inferiora, & materia continet formam. 2. Eſt continentia eſſentialis, qua aliquid continet aliud, quod eſt ſibi de eſſentia, ſic definitum continet ſuam definitionem, & quodlibet inferius ſuum ſuperius. 3. Eſt continentia identica, qua cõtinens facit vnum realiter cum contento; ſic ſubiectum continet identice ſuas proprias paſſiones, Anima rationalis ſuas potentias, & eſſentia Diuina ſua attributa. 4. Eſt continentia eminẽtialis, qua aliquid continet aliud nobiliori modo, quam ipſum contentum ſit in ſe, & propria natura, ſic Deus continet Creaturas. 5. Virtualis in eſſe reali, qua aliquid poteſt aliud producere in eſſe reali, ſic ſol continet calorem. 6. Eſt continentia virtualis in eſſe cognito, qua aliquid poteſt producere cognitionem ſui cõtenti, ſic ſubiectum continet virtualiter ſuas paſſiones. 3. Nota, quod cum dicitur ſubiectum eſſe Cauſam adæquatam, & per conſequens continere virtualiter, non debet intelligi totaliter ſimpliciter, ſed totaliter obiectiue, non enim obiectũ ſine Intellectu cauſat ſcientiam in ſuo tamen ordine cauſandi eſt cauſa totalis notitię illius Cõcluſionis; & non ſolum illius notitiæ, ſed etiam aliarum illius ſcientiæ. 4. Nota quod entia rationis, & ſi non in ſe tamen in ſuo fundamento poſſunt continere virtualiter, & ſic fundamẽtaliter remotè poſſunt virtualiter continere, ſed non formaliter, & propinque; Quando igitur ſubiectum eſt ens reale abſolutum, & ſpecies ſpecialiſſima (non ſubiectum genericum, ſiue genus) dicitur continere virtualiter, & intelligitur de Virtuali continentia obiectiua. Vnde ad hanc condicionem ſubiecti ſequuntur omnes aliæ condiciones, bene enim ſequitur, continet virtualiter, ergo eſt ſpecificatiuum, ergo dignificatiuum, ergo omnia alia propter ipſum conſiderantur, ergo eſt, quod occurrit primo notum, ergo poteſt eſſe ſubiectum principiorum illius ſcientiæ, ergo in ſcientia paſſiones illius conſiderantur; omnia iſta neceſſario ſequuntur ad iſtam virtualem continentiam.

5 Ad indagandum obiectum formale alicuius ſcientiæ notandum eſt, quod ſicut homo poteſt cognoſci, aut in quantum Animal rationale, aut in quantum ſubſtantia, aut in quantum riſibilis, aut in quantum nobiliſſimus Animalium; ſic etiam proportionaliter quæcumque alia res, primo modo cognoſcitur perfecte, quia in ratione definitiua, ſecundo in communi, & confuſe, quia in conceptu ſuperiori, tertio in conceptu poſteriori, quia paſſio eſt poſterior ſuo ſubiecto, quarto adhuc minus proprie, quia in conceptu cuiuſdam reſpectus ad extra; ſic pa-

Digitized by Google

ei formiter poteſt Deus quadrupliciter intelligi, primo ſub ratione propria, & quidditatiua in quantũ Deus. Secundo ſub ratione communi in quãtum ens infinitum. Tertio ſub quadam quaſi paſſione in quantum iuſtus, bonus, ſapiens &c. Quarto ſub quodam reſpectu ad extra, vt ſub ratione Glorificatoris, ſeu Reparatoris; ſub vna iſtarum rationum ſtatuendus eſt Deus pro ſubiecto totius Theologiæ, quæ ratio cum ſit obiectum formale eiuſdem debet pariter eſſe ratio continendi virtualiter omnes veritates Theologicas, eo modo quo explicatum eſt.

6 Iſtis prælibatis dicendum eſt primo. Materiale obiectum, circa quod tanquam primum adæquate verſatur hæc ſacra ſcientia quoad omnes veritates eius in quocumque Intellectu ſibi proportionato eſſe Deum, ſic Doctor Subtilis q. 3. Prol., quia ſubiectũ eſt, quod virtualiter continet omnes veritates illius habitus, cuius ponitur obiectum, ſiue ſubiectum. At Deus hoc modo ſe habet in ſacra Theologia quoad omnes veritates eius tam neceſſarias ſiue ad intra, quam contingentes ſiue ad extra, ergo Deus eſt tale ſubiectum in Theologia, maior patet ex dictis; Minor etiam quoad veritates neceſſarias, probatur vero quoad veritates contingentes. Etenim eo modo quo contingẽtes veritates poſſunt habere ſubiectum virtualis continentię tale obiectum, ſiue ſubiectum eſt ipſemet Deus; vt realiter identificatur ſuis decretis liberis, vel ſuæ voluntati, à cuius decretis determinatam ſortiuntur veritatem omnia contingẽtia; probatur 2. illa eadem minor, vel potius declaratur; Diuerſa quidem ſacra Theologia ſpeculatur, omnia tamen ſuo modo continentur in Deo, ſiue eminenter ſecundum entitatem, ſic res omnes creatæ ablatis imperfectionibus, ſiue virtualiter, vt res omnes ſecundum earum poſſibilitatem, ſiue exemplariter ſic res in eſſe cognito, ſiue formaliter, vt perfectiones omnes ſimpliciter.

7 Vnde colligitur omnes Theologicas veritates ſpectare ad Deum; omnes enim, vel Deum reſpiciunt tanquam primum ſubiectum, vt ſunt, quę inſunt ei per rationem Deitatis, vel reſpiciunt partes quaſi ſubiectiuas ipſius primi ſubiecti, vt ſunt veritates, quæ dicuntur de tribus Perſonis, vel tandem reſpiciunt ea, quæ ad primum ſubiectum referuntur, & ſic ſunt veritates omnes formatę de creatis rebus quantum ad reſpectum quem habent ad Deum, vel vt eſt præcisè Deus, vel vt eſt determinata Perſona, vt ſunt veritates formatæ de aſſumpta natura à Verbo, ergo optime Deus, vt ſic ſtatuitur materiale obiectum Theologiæ; Aduerte tamen, quod Deus ſub ratione Deitatis non eodem modo eſt ſubiectũ quo ad veritates neceſſarias, & contingentes, quia neceſſariarum dicitur ſubiectum, quoniam eas virtualiter continet ex natura rei, & neceſſario, at reſpectu contingentium Deus eſt primum ſubiectum; nõ quod virtualiter omnes illas contineat, ſed quia eſt primum, cui ineſſe debet primum prædicatum primæ veritatis, quæcumq; illa ſit inter veritates contingentes; hic ſupponitur, quod in omni materia ſpeciali de contingentibus in Theologia tractatis eſt tantum vna prima contingens, in quam omnes aliæ reſoluuntur; vt in materia de Spiritu Sancto eſt illa prima Spiritus Sanctus eſt viſibiliter miſſus; At in materia de Incarnatione eſt illa prima Verbum eſt Caro factum. Simpliciter autẽ in omni materia eſt iſta Deus vult aliquid ad extra; quo circa ſicut in neceſ-

ceſſarijs eſt ordo mediatarum ad immediatas; adeo vt cenſeatur hæc ſecundum Scotum Deus; Ita in contingentibus eſt ordo, & prima, ad quam reſoluuntur eſt iſta Deus vult, eiuſque primum ſubiectum eſt Deus. & primũ prædicatum eſt velle, Deus namque creat mũdum, quia vult iuſtificat quia vult, &c.

8 Ex dictis ſequitur non dari reſpectu contingentium in ſacra Theologia ſubiectum primum virtualis continẽtiæ, ſed ſolum vltimæ reſolutionis, & etiam prædicationis, tam in Theologia in ſe, ſed etiam in Intellectu Diuino, & Beatorum, quod quidem primum ſubiectum eſt ipſe Deus, quia primum ſubiectum, de quo immediate enunciantur omnia prædicata contigentia per intuitionem extremorum eſt Deus vt ſic, ergo vt Deus dicitur ſubiectum Prædicationis in prædicatis contingẽtibus notis Intellectui Diuino, & intellectui Beatorum. Hinc patet reſolutio apparentis contradictionis in dictis Doctoris Subtilis, dum dicitur, quod prius dixerit incontingentibus non eſſe aſſignandum ſubiectum, deinde docuerit ſubiectum aſſignari Deum vt ſic, reſpondet enim Lichetus, Scotum prius eſſe locutum de obiecto virtualis continentiæ, & poſterius de ſubiecto prædicationis, de quo prius noto enunciantur prædicata contingentia; reſpondet ſecundo Bargius, quo ad poſterius Scotum eſſe locutum, quod ſicut omnes veritates neceſſariæ reſoluuntur in Deum eſſe, ita omnes contingentes in Deum velle, qui actus eſt fundamentum radix, & origo omnium contingentium.

9 Dices velle alia à ſe, quod eſt primum prædicatum in cõtingentibus immediatius, dicitur tam de voluntate, quam de Deo; Hęc enim propoſitio Deus vult, vera eſt propter hanc, quia voluntas vult; Reſpondet Bargius, quod voluntas diuina eſt primũ ſubiectum quo reſpectu velle, non autem primum ſubiectum quod; de quo prædicatur velle vt dictum eſt; Dices ſecundo nullum prædicatum contingens, competere poteſt eſſentiæ, ſiue Deitati niſi, vt accipitur, ſub voluntate, ergo eſſentia, ſeu Deus non poteſt eſſe ſubiectum primum, cui inſit, primum prædicatum contingens: Reſpondetur, quod eſſentia præciſe eſto non ſit ſubiectum virtualis continentiæ; tamen via reſolutionis eſt primũ; hoc eſt vltimum ſubiectum, in quod omnia prędicata abſolutè reſoluuntur; Dices, tertio primum ſubiectum omnium articulorum reparationis noſtræ dicitur potius verbum quam Deus ſub ratione Deitatis ergo &c. Reſpõdetur quod eſto articuli reparationis noſtræ proxime reſoluantur in Verbum, quatenus ſibi vniuit naturam humanam ſicut docet Scotus in 3. d. 7. q. 1. immediate tamen, ſeu vltimate reſoluuntur potius in Deitatem, in quam omnes vltimate reſoluuntur.

10 Dicendum ſecundo in Theologia noſtra ſubiectum non eſſe Deum, neque motiuum, neque terminatiuũ, quia Deus quoad rationem Deitatis nec mouet intellectum noſtrum pro ſtatu iſto, vt faciat nobis notas euidenter veritates Theologicas, nec à nobis ſub ratione Deitatis diſtincte concipitur non ſolum naturaliter, ſed neque per fidem, Etenim in credibilibus eſt aliquod principium immediatum, & neceſſarium ſcilicet hic Deus ſub propria ratione trinus in perſonis, & vnus in eſſentia, ſed ad illam propoſitionem immediatam non attingimus; quia nec terminos ſub proprijs rationib. eorum intelligimus, ſed ſolum in conceptibus vniuerſalibus in illis proprijs conceptibus virtualiter incluſis. Quare

Deum

Digitized by Google

Deum concipimus, non propria ratione eius in ſe, ſed virtute entis, & cauſæ &c. Ad conceptus autem proprios Dei in ſe ſicuti eſt Deitatis, Trinitatis perſonarum, vnitatis eſſentiæ, & naturæ non deuenimus in via clarè, nec confusè, ſed intelligimus in communi quid eſſentia, & quid perſona, & poſtea credimus eſſe tres perſonas, & vnam eſſentiam in tribus perſonis ita Scotus in 3. diſt. 24. in fine.

11 Dicendum tertio in Theologia noſtra obiectum, ſeu ſubiectum terminatiuum eſt ens infinitum, quia habitui non habenti euidẽtiam ex obiecto ſolum adſcribitur; ſubiectum primum, de quo tãquam de perfectiſſimo noto immediate formantur veritates illius habitus, ſed Theologia noſtra nõ habet euidentiam ex obiecto, cum ſit obſcura, ergo non habet obiectum virtualis continentiæ, ſed ſolum obiectum, de quo tanquam de primo noto formamus omnes veritates Theologicas reuelatas; Hinc optime monet Tartaretus ens infinitum eſſe ſubiectũ per acceſſum, quia dicit conceptum propinquiorem Deitati, quæ nata eſt (quantum eſt ex ſe) facere euidentes veritates Theologicas. Dices; quælibet proprietas Dei eſt infinita, qua maior excogitari non poteſt, ergo tali ſub ratione optime poteſt Deus poni obiectum Theologiæ Viatorum. Reſpondet Scotus proprietates Dei eſſe ſolum infinitas, vel identicè, vel formaliter tantum in ſuo genere, non autem omnimode ſcilicet formaliter, & radicaliter, hoc eſt infinitate primaria, ſicut eſt Diuina eſſentia, quæ habet infinitatem à ſe & eſt radix infinitatis alterius; ſicque eſt ratio continendi virtualiter veritates neceſſarias Theologicas quaſcumque in Deo.

12 Si quæratur ſub qua ratione Deus ſit conſtituendus ſubiectum Theologiæ. Reſpondetur; ſi eſt ſermo de Theologia in ſe, vel intellectu Diuino aut intellectu Beatorum ponendus eſt non ſub ratione glorificatoris, vt exiſtimauit Egidius Romanus; nec ſub ratione boni, vt varro, nec ſub ratione entis infiniti, vt Henricus, nec ſub ratione Amabilis, vt Thomas de Argentina, nec in quantum eſt cognoſcibilis à nobis ſupernaturaliter in Enygmate, vt Marſilius, nec ſub ratione reuelabilis, vt Capreolus, nec ſub ratione finita, vt Alfonſus Toletanus, nec ſub ratione cognoſcibilis in ſacra ſcriptura, vt Ioannes Bacconitanus, nec ſub ratione non apparentis, vt non nulli alij; Horum omnium Doctorum rationes recenſere, & ſingulas impugnare eſſet nimis longum, & à propoſito noſtro alienum. Satis confutantur ſimul, ſi dicamus nullam prædictarum rationum, eſſe Deo ſubiecto materiali eſse rationem formalem continendi virtualiter veritates Theologicas; Relinquitur ergo Deum ſub ratione Deitatis eſse formale ſubiectum ſacræ, Theologiç. Dei & Beatorum, quia ſcientia perfectiſſima, & nobiliſſima, eſt de perfectiſſimo, & nobiliſſimo ſubiecto, ſub perfectiſſima, & nobiliſſima ratione inſpecto. At ſacra Theologia Dei, & Beatorum eſt perfectiſſima, & nobiliſſima ſcientia, ergo debet habere nobiliſſimum, & perfectiſſimum obiectum, ſub perfectiſſima ratione formali; ſed Deus; Solus eſt perfectiſſimum, & nobiliſſimũ obiectum, & deitas, eſt perfectiſſima ratio formalis ipſius, ergo Deus ſub ratione Deitatis, eſt ſubiectum, ſiue obiectum Theologiæ Dei; & Beatorum.

13 Probatur ſecundo illa eſt vera ratio formalis alicuius ſubiecti, quæ eſt illi ratio continendi virtualiter veritates illius ſcientiæ, cuius eſt ſubie-

ctum, ſed Deitas, eſt Deo ratio continendi virtualiter veritates Theologicas, ergo Deitas, eſt vera ratio formalis, ſub qua Deus eſt ſubiectum Theologiæ, hæc eſt enim ratio ſimpliciter prima, & quidditatiua ipſius Dei, aliæ autem rationes ſunt poſteriores, & quaſi paſſiones, ergo, 3: probatur. Sub illa ratione Deus eſt ſubiectum Theologiæ, per quam præcipue Theologus poteſt demonſtrare proprietates Theologiæ, ſed hæc eſt ratio Deitatis, & nulla alia; ergo &c; Item eſt ratio, ſub qua conſiderata in Theologia ad Deum habent attributionem; ſiue ſint quaſi partes ſubiectiuæ, vt ſunt tres Perſonæ Diuinæ, ſiue ſint quaſi paſſiones, vel proprietates, vt ſunt attributa omnia, ſiue ſint effectus Creationis, conſeruationis, adminiſtrationis, reſtaurationis, ſanctificationis, & retributionis; ſicq; ſtat ſtabilita opinio Doctoris ſubtilis dicentis in 3. q. Prolog. Deum eſse ſubiectum Theologiç Dei, & Beatorum ſub ratione formali Deitatis. Siue eſsentiæ diuinæ.

14 Formale obiectum motiuum in Theologia viatorum, eſt reuelatio facta à Deo, quia omnibus veritatibus Theologicis aſsentimur per hanc rarationem reuelationis, quæ eſt vna in omnibus; Item quia ſub hac ratione noſtra Theologia omnia pertinentia ad ipſam reſpicit, conſiderat, & ſpeculatur; Hoc determinat Scotus in 3. diſt. 25. q. 2. & diſt. 35. q. vnic. in priori enim manifeſte, docet fidem reſpicere omnia credibilia, vt reuelata à Deo, quç formalis ratio eſt vna in omnibus credibilibus; & in poſteriori idem repetit inquit veritatem reuelantis, quæ eadem eſt reſpectu primorum articulorum, qui formaliter in ſe ipſis reuelati ſunt, & reſpectu aliorum ex ipſis deductorum, vt ſunt concluſiones, ex articulis deductæ ſolum virtualiter, & implicitè in illis reuelatæ eſse formalem rationem, propter quam aſsentimur veritatibus Theologicis; ſed notandum eſt, hic ſermonem eſse de formali obiecto mouente intellectum noſtrum, vt aſsentiamur veritatibus Theologicis, & non de obiecto terminatiuo, hoc eſt neque de eo, quod formaliter terminat aſsenſum fidei, qualis eſt ſcibilitas, quæ in articulis continetur innoteſcens ex reuelatione; neque de eo; de quo primo noto enunciamus Theologicas veritates, ſicut eſt ens infinitum.

15 Secundo notandum quod cum Scotus in Prol. q. 3. docet Deum ſub ratione infiniti entis eſse ſubiectum noſtræ Theologiæ non loqui de obiecto motiuo, ſed de ſubiecto prædicationis, ſeu attributionis per acceſſum, prout apertè colligitur ex littera Scoti; ſi dicas cum Alberto Magno. Ratio formalis obiecti debet eſſe aliqua forma, vel potius aliquid formaliter in ipſo obiecto exiſtens, at reuelatio non eſt in re reuelata, ergo non poteſt eſſe ratio formalis; Reſpondetur argumētum equiuocare de ratione formali; maior enim eſt vera de ratione formali terminatiua, ſub qua obiectum cognoſcitur à potentia, quæ in propoſito eſt ſcibilitas, quam in ſe habent credibilia nota per reuelationem, in minori vero eſt ſermo de ratione formali motiua, per quam Intellectus mouetur ad aſſentiendum ipſis reuelatis. Si iterum dicas; Ratio formalis obiecti (ex Scoto) habitus realis non poteſt eſſe ens rationis, at reuelatio formaliter ſumpta, tam actiue ex parte reuelantis quam paſſiue ex parte reuelati dicitur reſpectus rationis, ergo &c. Reſpondetur, quod reuelatio hic accipitur, vt ſe tenet ex parte reuelantis; ſumitur enim non formaliter pro forma illa, quæ in tempore Deum reuelan-

Digitized by Google

tantem determinat, quæ eſt reſpectus rationis, ſed materialiter pro actu reali Diuinæ voluntatis, quo Deus reuelat producendo in eſſe cognito veritates reuelatas in intellectu Viatoris.

16 Extenſio obiectiua ſacræ Theologiæ eſt latiſſima ob infinitam virtutem, & perfectionem ſui primarij obiecti; Hinc veriſſima eſt ſententia docens Theologiam Dei, ideſt Intellectus Diuini eſſe de omnibus cognoſcibilibus; quia obiectum primum Theologiæ ſuæ, ideſt eſsentia Diuina facit omnia alia ſaltem neceſſaria incóplexa, aut complexa actu cognita in Intellectu ſuo; quare ipſa eſſentia præcisè ſumpta eſt ratio Diuino Intellectui quaſi motiua cognoſcendi omnia; Pro cuius rei perfecta intelligentia notat hic Doctor Subtilis tria ſigna reſpectu cognitionis Diuinæ; In primo ſigno naturæ eſt eſſentia ſua primo cognita in Intellectu ſuo, & in ſecundo ſigno quidditates virtualiter continentes veritates proprias, in tertio autem ſigno ſunt veritates virtualiter contentæ in illis quiditatibus ſibi notæ; Et eſt (inquit Scotus) ordo ſecundi ad tertium non ſecundum cauſalitatem, quia ipſa eſſentia eſt immediata ratio cognoſcēdi omnia immediatione quaſi Cauſæ, ſed eſt ordo quaſi duorum effectuum eſſentialiter ordinatorum ab eadem cauſa mediate pendentium mediatione effectus, eſsentia enim Diuina facit res notas intellectui Diuino immediate, ſed eo ordine quo res in ſe ipſis ſunt cognoſcibiles.

17 Ita quod hic ordo in cognitione Diuina non eſt realis, ſed ex natura rei, non in ipſo actu intelligendi abſolutè, ſed in ordine ad obiecta, quia primo eſt eſsentia nota cū omnibus eſsentialibus, & perſonalibus ad intra, & omnibus propoſitionibus, ex illis formatis, vel formabilibus. Secundo ex tali notitia oritur ſtatim notitia incomplexa omnium creaturarum poſſibilium, & in illo ſigno creaturæ continent virtualiter omnes propoſitiones de ſe, & poſsunt eas notas facere omni Intellectui potenti moueri ab ipſis, cuiuſmodi eſt ſolus Intellectus creatus, tertio format Intellectus Diuinus omnes propoſitiones formabiles de illis creatis quiditatibus, quæ virtualiter in illis continentur non ex motione illarū quiditatum, ſed motione Diuinæ eſſentiæ, ita vt eſsentia eſt ratio omnium aliorum, & nullum illorum eſt cauſa alterius, quia eſsentia facit tam notitiam incomplexam, quam complexam, ideſt naturaliter ratio omnis cognitionis in illo Intellectu; ſed adhuc pro clariori notitia aliqua ſunt aduertenda ſcitu digna, primum moueri intellectum Diuinum ab eſsentia poteſt intelligi primo, quod eſsentia realiter, & phiſicè moueat, vt diſtinguitur contra intentionaliter mouere, & ſic Diuina eſsentia non mouet Intellectum Diuinum, quia hoc modo Deus, & omne, quod eſt in Deo eſt ſimpliciter immobile. Secundo quod intentionaliter moueat, & tamen effectiue, adeo vt realiter cauſet in Intellectu actum intelligendi, nec etiam ſic mouet. Tertio quod ſit actu, & neceſſario preſens intellectui illi, & quod naturalis eius intelligibilitas ex perfectione obiecti, & Intellectus neceſſario requirat, quod actu intelligatur ab hoc Intellectu, ac ſi realiter, & neceſſario cauſaret ſuam intellectionem, quam tamen non cauſat, ſed neceſsario ineſt ob naturalem, & infinitam perfectionem tam eſſentiæ, quam Intellectus; ſicque capitur mouere in propoſito.

18 Secundum aduertendum eſt, quod nulla cognitio habetur in Intellectu Diuino, niſi virtute Diuinæ eſ-

Digitized by Google

ſentiæ; quandoquidem ipſa actuat intellectum Diuinum, ideſt eſt ratio. Quare Diuinus Intellectus habet intellectionem Diuinæ eſſentiæ, quæ intellectio eſt maxima perfectio Diuini Intellectus. Vnde quamuis noſcat omnes propoſitiones quarumcumque ſcientiarum, non tamen dicitur Logicus, Phiſicus, aut Geometra, ſiue Metaphyſicus, quia cognoſcit metaphyſicè, vel phiſice, vel mathematice. Ideſt non virtute obiectorum talium ſcientiarum, ſed cognoſcit Theologice, ideſt virtute obiecti Theologici, quod eſt eſſentia Diuina, & ratio eſt, quia ſcientia ſolum ſpecificatur ab obiecto motiuo, & terminatiuo primario, ſed obiectum, à quo primo mouetur Intellectus Diuinus, & ad quod primo terminatur actus ſcientificus Diuini Intellectus eſt abſolutè Theologicum nempe ſua Diuina eſſentia; Dicet Hēricus Gandauenſis quolib. 6. quæſt. 9. Creatæ quiditates diſtinctæ ab eſſentia Diuina continent primo virtualiter multas veritates complexas, ergo poſſunt illas in quocumque intellectu in eſſe cognito producere. Quare non implicat dari Geometriam in Intellectu Diuino virtute quidditatis geometricæ cauſatam. Reſpondet Scotus negando conſequentiam, quia illę veritates virtualiter contentæ in ſuis terminis ſimplicibus ſolum cognoſcuntur à Deo virtute eſſentiæ Diuinæ; & proinde non virtute motiua ſuorum terminorum.

19 Inſtabis ſi eſſentia Diuina per impoſſibile non moueret Diuinum Intellectum ad notitiam illarum veritatum adhuc Diuinus Intellectus illas cognosceret, & non niſi ex illis quiditatibus prius notis Reſpondet Scotus, quod ſi in 3. inſtanti naturæ Diuina eſſentia non moueret ad notitiam illarum veritatum, nunquam Diuinus Intellectus illas intelligeret, cum non ſit ab alio mobilis, niſi à propria eſſentia; nec valet obijcere Diuinum Intellectū cognoſcere res, vt à parte rei cognoſcibiles ſunt, ſed à parte rei cognoſcibiles ſunt motiue ergo; Reſpondetur, quod ſi illa particula (vt) dicit rationem terminandi ex parte rei cognoſcibilis eſt ſemper vera, ſi vero dicit rationem mouendi eſt ſolum vera comparatione Intellectus immediate mobilis ab ea, ſicut eſt Intellectus creatus tantum; Tertium aduertendum, quod Theologia in Intellectu Diuino eſt omnis notitia, quæ non includit imperfectionem, ideſt eſt tātum illa vnica infinita notitia, quæ ſola eſt ſimpliciter perfecta in ſua realitate, nam omnis alia notitia in exiſtentia reali includit limitationem, ſicut omnis creatura in eſſe reali; omne enim quod eſt à Cauſa limitata, neceſſario includit limitationem, & modo, quo eſt Cauſa limitata, ſcilicet in exiſtentia reali.

20 Theologia Beatorum poteſt eſſe de omnibus, quia poſſibile eſt, quod Deus oſtendat omnia Beatis in ſua eſſentia, & notitias omnium cauſet in Beatis tam complexas, quam incomplexas, & ſi obijcias, quod cognoſcere omnia eſt proprium Dei. Reſpondetur, quod cognoſcere omnia virtute propria eſt proprium Dei, ſed cognoſcere omnia virtute alterius nequaquam. 2. Reſpondetur, quod cognoſcere omnia, & infinita infinite eſt proprium Dei ſed, cognoſcere infinita finite poteſt competere Intellectui Creato; Hæc de poſſibili; De facto loquendo, Theologia Beatorum non habet limitationem, ſeu terminum, niſi ex voluntate Dei oſtendentis aliquid in eſſentia; quia Deus eſt obiectum mere voluntarium reſpectu cuiuſcumque Intellectus creati, ergo Theologia Beatorum actualiter eſt de

tot,

Digitized by Google

tot, quot voluntarie Deus oſtendit eis in eſſentia ſua, ſi enim vult videri videtur, ſi non vult videri non videtur; Hinc Scotus in 3. diſt. 14. q. 2. ſuſtinet Theologiam in Intellectu Chriſti actualiter, & ſimpliciter fuiſſe, & eſſe de omnibus, ſicut Theologia in Intellectu Dinino, quia Anima Chriſti vidit, & videt omnia intuitiue, quæ videt Deus; & ratio eſt quia Deus de facto voluit, & vult dignificare Intellectum Animæ Chriſti; ſed ſic eſt dignificabilis, ergo &c.

21 Theologia noſtra ſiue Viatorũ non eſt cognitio rerum actualiter ſcibilium, primo quia aliæ ſcientiæ ſuperfluerent, ſeu non eſſent neceſſariæ. Secundo quia non omnia ſcibilia ſunt neceſſaria ad ſalutem qualia ſunt, quæ conſiſtunt in ſola ſpeculatione. Tertio quia de illis, quorum habemus naturalem notitiam, non poteſt eſſe cognitio Theologica, quoniam tunc de eodem eſſet notitia euidens, & non euidens; Theologia igitur noſtra à Voluntate Dei habet ſuum terminum, & non eſt niſi de ijs, quæ continentur in ſacra ſcriptura, & in traditionibus Diuinis & Apoſtolicis, & de illis, quæ poſſunt elici ex ipſis, quæ ſunt in ſacro Canone, & de ijs, quæ ab Eccleſia ſunt approbata, & determinata. Et ideo dicit D. Ioannes in Apocal. Cap. vltimo, qui appoſuerit ad hæc apponet ei Deus plagas &c. Pro cuius Auctoritatis declaratione notandum eſt contra Hæreticos duplicem eſſe additionem, vna dicitur diſtractiua, alia completiua prima diminuit, & ſubuertit. 2. dilucidat, primam additionem faciunt Hæretici ſecundam Catholici Doctores; Vel ſub alijs Verbis triplex eſt additio prima eſt contraria ijs, quæ habentur in biblijs; ſecunda eſt additio Alicuius impertinentis; 3. eſt expoſitio eorum, quæ habentur in Canone Bibliorum; prima eſt Hæretica: ſecunda eſt præſumptuoſa; tertia eſt fructuoſa, prima damnatur, ſecunda improbatur, tertia Laudatur.

22 Ex dictis reſultat magna difficultas, hic neceſſario diſſoluenda, & dilucidanda: & eſt talis an pluralitas, & multiplicitas ſcibilium, & cognoſcibilium ſupra dictorum in Theologia arguat multiplicitatem eiuſdem Theologiæ, cui Reſpondemus ſuppoſita diſtinctione Intellectuum Diuini Beati & Viatoris; Quantum ad primũ, notandum eſt, quod Theologia in Diuino Intellectu nihil aliud dicit, niſi actum vnum ſimpliciſſimum, quo Deus cognoſcit omnia. Ideo Theologia in Intellectu Diuino, præciſè ſpectata vna eſt formaliter, & obiectiue intrinſece, & extrinſece, eo vel maxime, quod Deus omnia cognoſcit per eſſentiam ſuam, tanquam per obiectum formale motiuum Diuini Intellectus, ſed eſſentia Diuina eſt vna, & ſingulariſſima. Ergo etiam obiectiue Theologia in Deo eſt vna, & ſingulariſſima ſcientia, Theologia vero Beatorum non eſt vna vnitate formali, & intrinſeca, ſed ſolum vnitate extrinſeca, & obiectiua; & ſpecifica, quam habet, vel immediate à Deo, tanquam ab obiecto virtualis continentiæ, vel potius tanquam ab Agente ſupernaturali ſupplente vicem obiecti virtualis continentiæ; prima pars probatur quia Theologia in Beatis formaliter, nec eſt vnus actus ſimpliciſſimus, nec vnus habitus formaliter, ſed vnus aggregatus ex tot actibus & habitibus, quot ſunt Concluſiones demonſtratæ in ipſa Theologia, diſtinctæ enim Concluſiones reſpondent diſtinctis actibus ſcientificis in Creato Intellectu aggenerantque in potentijs habitus diſtinctos; At hic Theologia non accipitur pro viſione Beatifica, ſed pro actibus,

&

Digitized by Google

& habitibus ſcientificis; quos per Cauſam diſcurrendo Beati aquirunt; Secunda pars probatur, quia Diuina eſſentia videtur à Beatis, ſicque poteſt facere notas etiam demonſtratiue veritates ſaltem, quas neceſſario continet. Vltima pars probatur, quia (vt optime Scotus docet quolib. 14.) Deus per Deitatem nequit mouere Cretum Intellectum, ſed ſolum mouet per ſuã voluntatem, ergo ſupplendo per ſuam voluntatem vicem obiecti Theologici per reuelationem claram cauſat in eſſe cognito omnes veritates Theologicas, ac proinde ab vnitate ſic clare reuelantis Theologia Beatorum optime poni poteſt vnitatem ſortiri.

23 Sed pro dictorum Intelligentia notandum eſt duobus modis poſſe ſcientiam dici vnam; ſcilicet vnitate intrinſeca, vel formali; & vnitate extrinſeca, & obiectiua, & ſcientiam poſſe accipi duobus modis; primo pro habitu vnius Concluſionis demonſtratę, vel demonſtrabilis in ſcientia; Secundo pro aggregatione omnium habituũ & Concluſionum demonſtrabilium in illa; primo modo dicitur vna formaliter, & intrinſece. Secundo modo dicitur vna vnitate extrinſeca, & obiectiua, quæ poteſt eſſe ſpecifica, & generica generis proximi, & remoti; ſi enim, quæ conſiderantur in ſcientia ſpecie differant, conueniant ſub aliquo communi, tanquam ſub genere à tali cõmuni ſcientia illa, vel habitus vnus ſecundum genus dicetur obiectiue, eſto formaliter ex multis habitibus ſpecie differrentibus aggregata ſit; Illud enim commune potentialiter cõtineret illos habitus, ſicut potentialiter contineret ſua obiecta: Cæterum ſi conſiderata in ſcientia ſolum differant numero, à quibus abſtrahitur cõmune, tanquam ſpecies ab eo communi habitus dicetur vnus ſecũdum ſpeciem. Illud enim commune contineret illum habitum virtualiter, ſicut ſpecies virtualiter continet proprias paſſiones demonſtrabiles de ſe, & de ſuis indiuiduis; Notandum ſecundo, quod cum obiectum habeat duplicem habitudinem ad potentiam, in qua generatur ſcientia, alteram motiui, alteram terminatiui, ſcientia ſolum ab vnitate obiecti motiui dicitur obiectiue vnitatem ſuam ſortiri.

24 Si dicatur, Theologia ambit veritates, tum neceſſarias, tum contingentes, quæ in nullo poſſunt habere vnitatem, ergo Theologia Beatorum non poteſt eſſe vna vnitate obiectiua. Reſpondetur quod eſto prædictæ veritates non habeant vnitatem eodem modo in obiecto virtualis continentię, omnes tamen vnitatem habent, vel in Deo tanquam ſe aliquomodo continente, vel in eo tãquam in obiecto, de quo primo enunciantur, vel in quod vltimo reſoluuntur; Si dicatur 2. Beati vnico intuitu intuentur, quicquid vident abſque diſcurſu. Rurſus non videtur Theologia Beatorum ſecerni à viſione beatifica ergo non recte negatur Theologiam beatorum eſſe formaliter vnam; Ad primam partem antecedentis reſpondet Scotus q. 3. Prol. q. 4. Laterali quod Beati quantum ad notitiam Theologicam diſcurrunt nõ tamen cum prioritate temporis, ſed cum prioritate naturæ prius ſcilicet cognoſcendo cauſam, deinde per cauſam effectum. Ad ſecundam partem reſpondet q. 3. principali negando aſſumptum; dicit enim Theologiam beatorum non eſſe viſionem beatificam, quæ eſt quaſi perfecta apprehenſio incomplexa Deitatis naturaliter pręcedens notitiam Theologicam; qua cognoſcunt alias veritates in deitate contentas, quodammodo diſcurrendo diſcurſu ſupra dicto.

25 Si

Digitized by Google

25 Si eſt ſermo de Theologia noſtra aſſerendum eſt eam acceptam, tam pro notitia habituali, quam pro notitia actuali articulorum fidei, & concluſionum, ex illis deductarum omniumque aliarum veritatum Theologicarum eſſe vnam ſcientiam vnitate ſumpta ab vnitate formalis obiecti eiuſdẽ Theologię noſtrę, quod eſt diuina reuelatio, quia ſciẽtia habet vnitatẽ ab vnitate eius, à quo veritates illius fiunt notæ intellectui, ſed omnes veritates Theologicæ neceſſariæ, & contingentes notæ fiunt nobis non propter euidentiam, quam habent ex ſuis terminis, neque per alia principia euidentia, neque ab obiecto earum, quod eſt Deus, cum Deus non moueat noſtrum intellectum per modum obiecti, ſed à Deo tanquã agente ſupplente vicem prędicti obiecti per ſuam voluntatem reuelantem, cum ergo iſta reuelatio ſit vna in omnibus, ab huius vnitate noſtra Theologia dicitur vna, vt autem, hæc clara fiant.

26 Sciendum eſt primo noſtram Theologiam poſſe duobus modis accipi, vno modo pro notitia habituali, ſiue habitus infuſi, ſiue aquiſiti in ratione tantum qualitatis, & ſic dicitur formaliter vna propter vnitatem formalem ſuæ entitatis conuenientem, & proportionatam, effectiue vero ab agente eam infundente, vel cauſante, quæ vnitas non ſolum eſt ſpecifica, ſed etiam numerica, vt Doctor ſubtilis habet in 3. diſt. 25; ſecundo accipitur pro habituali notitia habitus ſcilicet, ſiue infuſi, ſiue aquiſiti in ratione tamen habitus ſcientialis, quo potentia inclinatur ad aſſentiendum, tam articulis reuelatis, quam etiam concluſionibus, ex illis deductis, quomodo recte dixit Scotus ab habitu fidei Theologiam non diſtingui. 2. ſciẽdum eſt ex Scoto in 3. diſt. 35., quod eſto quilibet intellectualis habitus habeat vnitatem, ex vnitate obiecti, in quo habitus virtualiter continetur, tamen habitus iſte Theologicus non ſic eſt vnus, quia Deus non mouet in ratione obiecti ad cognitionem credibilium, ſed vt cauſa effectiua per reuelationẽ, ac proinde vnitatem habet ab vna ratione formali, quæ eſt diuina reuelatio, per quam mouetur noſter intellectus omnibus reuelatis æqualiter credendis.

27 Dices primo, Deus in reuelatione noſtræ Theologiæ vicem ſubit pręceptoris, ſed ab eodem pręceptore poteſt homo addiſcere ſcientias, non ſolum formaliter ſed obiectiue diuerſas, ergo. Reſpondetur primo ad maiorem; quod Deus non ſolum vicem ſubit præceptoris in reuelatione iſtius Doctrinæ, ſed etiam teſtis veridici atteſtantis. Ad minorem etiam dicimus, quod Diſcipulus addiſcit diſtinctas ſcientias obiectiue à Magiſtro, quia non ſolum aſſentitur eius dictis propter auctoritatem dicentis, ſed etiam propter euidentiam, quam habent in ſe ipſis res à Magiſtro explicatæ: Dices 2, ſi Deus alicui reuelaret veritates naturales, ſiue Mathematicas non obſtante vnica reuelatione illæ ſcientiæ eſſent obiectiue plures ergo; Reſpondetur negando conſequentiam, quia in caſu poſito reuelatio non eſſet præciſe ratio aſſentiendi illis ſcientijs, ſed euidentia earum veritatum ex natura rei; Dices 3. Diuerſa ſunt obiecta complexa, quæ reuelantur in ſacra Theologia, ergo intellectus eis aſſentit actibus diuerſis, atque adeo ex illis generantur etiam diſtincti habitus; Reſpondetur, quod formaliter ſolum generãtur habitus diſtincti non autem obiectiue, quia eſt vnica ratio motiui noſtri intellectus, vt aſſentiatur illis; Immo neque rigoroſe loquendo generantur ha-

Digitized by Google

habitus formaliter diſtincti, ſed ſolum materialiter; Etenim fides infuſa, & aquiſita tantum entitatiue diſtinguntur eſſentialiter.

28 Stat igitur verum habitus, & aſſenſus diuerſorum principiorum fidei, ac diuerſarum concluſionum ſpecie non diſtingui nec obiectiue ex parte obiecti mouentis, nec formaliter ex parte ſcibilitatis terminantis; prior pars patet, quia vna eſt ratio formalis obiecti motiua comparatione omnium nempe diuina reuelatio, 2. pars etiam probatur, quia ſicuti ratio mouens intellectum ad aſſentiendum omnibus credibilibus dicitur vna, vt dictum eſt, ita etiam ratio terminans ſupernaturalem aſſenſum vna dicitur comparatione omnium, & enim ex reuelatio Dei mouetur intellectus ad prebendum aſſenſum, & per reuelationem talis aſſenſus etiam terminatur ad credibilia ergo &c. Immo eſto diuerſa credibilia à parte rei habeant diuerſam ſcibilitatem eis tamen non aſſentimur, præciſe quatenus in ſe ipſis vera ſunt, ſed quatenus ſub reuelatione ſunt accepta; Credimus enim eſſe vera, quia reuelata, tam iuxta ſenſum cauſalem, quam formalem.

29 Et ratio euidens à priori eſt, quam Scotus aſſignat in 3. diſt. 24. in fine, quia reuelatio non cauſet euidentiam credibilium cum remaneant obſcura etiam facta reuelatione, tota ergo veritas, credibilium reducitur ad veritatem vnicam reuelantis ſicuti in ſcientijs naturali lumine aquiſitis intellectus formaliter aſſentitur veritatibus earum per euidentiam, quam habent in ſe ipſis mediatam, vel immediatam in ſuis principijs. Si obijciatur concluſionibus Theologicis aſſentitur intellectus propter euidentiam deductionis, ex reuelatis, ergo de concluſionibus comparatur habitus ſpecie diſtinctus; Reſpondetur ex Scoto negando antecedens, quia etiam concluſionibus Theologicis aſſentitur intellectus propter reuelationem, credit etiam eas in ſe ipſis habere veritatem quam preciſe accipit ſub reuelatione.

30 Si dicas concluſiones ſcimus eſſe reuelatas virtute in articulis per euidentem deductionem earum, ex illis ergo deductio illa euidens eſt, eſt ratio cur aſſentiamur concluſionibus Theologicis; Reſpondet Scotus negando conſequentiam, quia deductis concluſionibus, ex articulis fidei aſſentitur intellectus quatenus per deductionem aduertit illas eſſe à Deo etiam reuelatas ſaltem mediate, & virtualiter in Articulis; Voluntas enim diuina ſicut ad libitum reuelat intellectui noſtro pro ſtatu iſto quotquot veritates ſibi placet, ita impartitur illis proportionatam euidentiam cum infallibili certitudine veritatis. Verum eſt tamen noſtram Theologiam pro ſtatu iſto (cum ſit ineuidens, & obſcura) eſſe valde meritoriam, quia captiuãtes intellectum in obſequiũ Chriſti diuinæ veritati optimam portionem exhibemus optimum motiuum ad captiuandam, erga nos miſericordiam ſuam.

De cauſa finali Sacræ Theologiæ. Art. IV.

1 AD indagandam cauſam finalem ſacræ Theologiæ an ſcilicet ſit practica, vel ſpeculatiua aliqua ſunt prælibanda. Primum eſt quænam ſit differentia inter habitum ſpeculatiuum, & practicum; Differunt in quattuor; primo in fine; quia habitus practicus dirigit cognitionem ad opus agendum, vel faciendum. Speculativus

vero

vero ſiſtit in cognitione. Secundo in obiecto, quia practicus tractat de re operabili. Speculatiuus autem de re non operabili, 3. in modo operandi, quia practicus procedit modo compoſitiuo componendo ſcilicet regulam cum operatione. Speculatiuus vero procedit modo reſolutiuo. 4. differunt penes poſitionem ac priuationem duplicis reſpectus aptitudinalis ſcilic. prioritatis, & cõformatiuitatis ad praxim, ſiue ad opperationem, nam practicus ponit iſtum duplicem reſpectũ aptitudinalem, prioritatis quidem, quia ordine eſſentiali praxis eſt poſterior Intellectione, quæ naturaliter pręcedit praxim. Conformatiuitatis etiã, quoniam ad hoc, quod praxis ſit recta nata eſt ſequi dictamen rationis rectæ; habitus autem ſpeculativus non admittit illos duos reſpectus.

2 An vero iſti duo reſpectus; vel potius an practicum, & ſpeculatiuum ſint differentiæ eſſentiales habitus, ſiue ſcientiæ in communi. Reſpondetur, quod practicum, & ſpeculativum dupliciter accipi poſſunt vno modo, vt Practicum accipiatur pro illo duplici reſpectu aptitudinali, & ſpeculativũ pro negatione illius duplicis reſpectus, & ſic non ſunt differentiæ eſſentiales habitus, ſiue ſcientiæ in communi, quia nullus reſpectus formaliter, vel negatio reſpectus eſt differentia alicuius abſoluti, ſed habitus, & ſcientia ſunt entia abſoluta, cum ſint qualitates, Practicum autem ſic ſumptum dicit formaliter reſpectum; ſpeculatiuum vero negationem eius, ergo non ſunt differentiæ eſſentiales habitus, vel ſcientiæ in communi; Alio modo poteſt Practicum pro ratione quadam intrinſeca ipſi habitui, vel ſcientiæ, quæ quidem eſt ratio fundandi talem reſpectum, & aptitudinem, & ſpeculatiuum pro illa ratione intrinſeca, ſecundum quam repugnat tali habitui, vel ſcientiæ aptitudo, ſeu reſpectus aptitudinalis prædictus, & ſic ſecundum Scotiſtas ſunt differentiæ eſſentiales ſcientiæ in communi, per quas vni conuenit ille duplex reſpectus; & alteri repugnat; Practicum vero, & ſpeculativum primo modo accepta ſunt quædam paſſiones diuerſæ ſcientię in communi eo modo quo dicimus par, & impar eſse paſſiones diſiunctas numeri. Sicut enim numerus eſt impar, vel par. Ita ſcientia eſt ſpeculatiua, vel practica.

3 Hinc optime licebit intelligere definitionem praxis traditam à Scoto q.4. Prol. quæ eſt talis. Praxis eſt actus alterius potentiæ, quam Intellectus naturaliter poſterior Intellectione aptè elici conformiter rationi rectę ad hoc, vt rectus ſit; Quare praxis duas requirit condiciones primam, vt ſit actus regulabilis per dictamen rationis, altera vt ſit poſterior prædicto rationis dictamine, ex quo fit, vt praxis ſit actus voluntatis elicitus, vel imperatus, ex qua definitione elici poteſt definitio notitiæ practicæ (quæ alio nomine vocatur dictamen rationis) notitia igitur practica eſt actus Intellectus naturaliter prior praxi, & ipſius praxis regulatiuus. Si contra definitionem ſic arguatur Philoſophia eſt ſciẽtia ſpeculatiua, & tamen per amorem definitur; Definitur enim, quod ſit amor ſapientiæ; Rurſus ex ſapientia, quæ eſt maxime ſpeculatiua datur progreſſus ad prudentiam, vt experientia conſtat, ergo etiam ſpeculatiua ſcientia ordinatur ad praxim; Reſpondetur ad primum Philoſophiam definiri per amorem, tanquam per Cauſam extrinſecam, quia vix ſine amore perfecte aquiritur; Hinc ad ſecundum patet reſponſio, dicimus enim ex ſapientia dari progreſſum ad prudentiam,

ſam partialem ſubſeruientem, & minus præcipuam, non tamen in illum influit phiſice quatenus Regula, ſi enim eſset Regula regulans phiſice concurreret, vt cauſa magis pręcipua, & ſuperior imperans, & proinde ſubordinaret ſibi in agendo voluntatem, auferretque eius libertatem.

9 Pro intelligentia huius Doctrinæ notandum eſt voluntatem eſse indifferentem, & indeterminatam ad vtramque partem contradictionis, id eſt ad rectè, & non rectè agendum, & determinari ad vnam partem contradictionis non poſse pendere ab intellectu rappræſentante obiectum operabile per vltimum Iudicium practicum; per quod determinate dictet praxim eliciendam; primo quia libertas non eſt poſita in Indifferentia obiectiua Iudicij practici. Secundo quia Intellectus, cnm ſit potentia maxime naturalis (vt docet D. Auguſtinus 3. de Trinit. Cap. vltimo, nequit cum indifferentia iudicare; Tertio quia nequit etiam eſse ab aliquo habitu extrinſeco, neque ab habitu ſibi inherente, vt optime monet Scotus in 1. diſt. 17. q. 2. quia actio nõ eſſet libera, ſicut enim voluntas naturaliter moueretur, ita naturaliter ageret, quare ſequitur talẽ determinationem eſse ab ipſamet voluntate poſitis neceſsario prerequiſitis, cum eius indifferentia non ſit paſſiua, ſed actiua. ex primo diſt. 27. q. vnica, & diſt. 8. q. 5.

10 Si obijciatur ex 3. de Anima tex. 14. vbi Philoſophus conſtituens ordinem mouentium; & motorum dicit. Appetibile eſſe mouens non motum appetitum vero mouentem motum, ab obiecto appetibili, ergo voluntas prius quam moueat, mouetur ab obiecto præoſtenſo ab intellectu per dictamen rectum. Reſpondetur primo argumentum probare obiectum per cognitionem phyſice mouere voluntatem influendo ſcilicet in actum eius, ſed non probat, quod regulet phyſice; 2. Reſpondetur, & melius (tenendo obiectum non mouere aut influere phyſice in actum voluntatis) quod appetibile ſolum mouet metaphorice ſcilicet moraliter alliciendo, & inclinando. Sed vrgebis, quod Ariſtotelis in ſuo proceſſu tunc æquiuocaret; cum dicit Appetibile eſſe mouens non motum appetitum vero eſſe mouentem, & motum. Reſpondet Scotus Ariſtotilem ſolum aſſignare ordinem cauſarum qualitercumque mouentium, & non mouentium ſecundum eandem rationem.

11 Dices voluntas eſt potentia indeterminata ad contradictoria, ergo exigit extrinſecum determinans; Reſpondet Scotus, quod eſt indeterminata actiue non paſſiue, ideoque Sequela, ſiue conſequentia falſa eſt; ſi adhuc inſtes ex Ariſtotile 9. met: textu 3, & 10, vbi dicit potentia contradictionis non poteſt determinare ſe, quia ſimul produceret contraria. Reſpondet Scotus, quod eſt aliqua forma contradictionis, vt ſcientia, quæ eſt contrariorum, & iſta non poteſt ſe determinare cum ſit diminuta, & imperfecta, & reſpiciat ex æquo vtrumque contrariorum, & ſit ordinis naturaliter agentium, alia eſt forma, ſeu potentia indeterminata perfecta, & non diminuta habens omnia requiſita ad libere ſe determinandum, ita quod pręſentato, & præoſtenſo ſibi obiecto, poteſt ſe actiue, libere, & ex ſe determinare ad vnum contradictoriarum, & ſic non ſimul producere contraria; Iſtis iactis fundamentis de ſciẽtia practica, & ſpeculatiua in communi, reſoluamus propoſitum quæſitum: Quomodo ſcilicet ſacra Theologia ſit practica, aut ſpeculatiua.

12 Pro-

12 Probabile eſt Theologiam de neceſſarijs (quæ ſcilicet formantur ad intra) in intellectu diuino eſſe notitiam practicam; primo, quia ei inſunt condiciones notitiæ practicæ, eſt enim prior actu voluntatis prioritate ſaltem naturalis intelligentiæ, & eſt (quantum eſt ex ſe) conformatiua actus voluntatis diuinæ; ita enim ſe Deus diligit, ſicut cognoſcit ſe eſſe diligendum; ergo eſt practica, 2. quia Theologia Dei in Beatis reſpicit Deum ſub eadē ratione formali, ſicut eum reſpicit Theologia in intellectu diuino, ergo ſi ibi eſt practica, etiam hic erit practica; ſi obijciatur regulatiuum, & regulabile reciproce dicuntur, ſicut perfectiuum, & perfectibile, at in Deo non datur potentia regulabilis; ergo in eo non eſt admittenda notitia regulatiua; Reſpondetur, quod regulatiuum in actu ſolum reſpicit regulabile in re, hoc eſt voluntatem, quam regulet, nō vero regulatiuum in aptitudine, tale enim virtute ſolum reſpicit regulabile; ſi magis vrgeatur, notitia practica formaliter conſtituitur per duplicem reſpectum aptitudinalem ad praxim regulandam tanquam ad terminum; ſed in Deo non ponitur hic terminus illius duplicis reſpectus ergo; Reſpōdetur reſpectum aptitudinalem non expoſtulare terminum in re poſitum. Sed ſolum virtualiter in potentia.

13 Propter hæc, & alia ſimilia argumenta non obſtantibus prędictis reſponſionibus, probabilius eſt Theologiam quam Deus habet de ſe eſſe ſpeculatiuam; & probatur ſupradictis rationibus, & magis eluceſcit ex eorum ſolutionibus, & ſolutionibus argumentorum. Pro prima opinione dicitur ideo ad primum, quod notitia practica etiam requirit potentiam regulabilem tanquam eius terminum. Ad probationem dicitur Deum diligere ſe, vt cognoſcit diligendum ſolum per naturalem ſequelam, & concomitantiam; non vero, quod amor inducatur modo practico in voluntatem ex dictamine notitiæ practicæ. Ad 2. in caſu negatur antecedens, quia intellectus diuinus reſpicit eſſentiam, vt eſt præciſe talis naturæ ſpeculabilis, creatus vero intellectus reſpicit, vt eſt obiectum operabile ſcilicet per amorem attingibile; Dices eſſentia eſt talis naturæ, vt ſit in infinitum intenſiue diligibilis ergo intellectus diuinus intelligit eam ſic diligibilem; ergo cognoſcit, vt obiectum operabile. Reſpondetur ad vltimam conſequentiam, negando ipſam, ſi intelligatur intellectum diuinum cognoſcere eſſentiam diuinam, vt obiectum operabile ſecundum rectum dictamen rationis per diuinam voluntatē: Conceditur, quod intellectus diuinus cognoſcit diuinam eſſentiam eſſe ſumme diligibilem, & voluntatem diuinam ſumme diligere eandem diuinam eſſentiam, & hoc ex ſumma perfectione vtriuſque non ex præuio aliquo regulatiuo.

14 Theologia in intellectu diuino de rebus omnibus creatis, tam ſecundum poſſibilitatem earum præciſe, quam etiam ſecundum determinatam earum exiſtentiam actualem eſt ita ſimpliciter, & abſolute ſpeculatiua, vt nihil habeat de practico; Prima pars probatur, quia ante omne decretum diuinæ voluntatis non poteſt intellectus diuinus dictare, ſeu oſtendere voluntati aliquam rem eſſe determinate futuram, tum etiam, quia voluntas diuina tunc non eſſet libera; quia non poſſet non velle rem fore, ne tunc diſcordaret à recta regula, 2. pars probatur; nam res cognoſcuntur determinate futuræ non ante, ſed poſt decretum diuinæ voluntatis, ergo non habet illum reſpectum prioritatis ad pra-

Digitized by Google

maximè Hic præſupponuntur duo primum eſt de rebus extra ſe intellectum diuinum habere duplicem ſcientiam, ſcilicet ſimplicis intelligentiæ, & viſionis per primam cognoſcit res in eſſe poſſibili, & cognito ſic productas ſecundum tale eſſe à ſe, & ab eſſentia ſua ante decretum Diuinæ voluntatis, & de hac ſciẽtia nõ eſt hic ſermo, quia res ſic cognitæ nullum habent eſſe futurum, per ſcientiam vero viſionis intellectus diuinus habet ſcientiam de rebus futuris productis in tali eſſe per decretum diuinæ voluntatis, & de tali ſcientia diuina recte dictum eſt non habere prioritatem ad praxim, atque adeo non eſſe notitiam, ſiue ſcientiam practicam; 2. quod præſupponitur eſt quod notitia practica, & praxis ſint in eodem ſuppoſito, ſic enim Theologia prędicta in intellectu diuino non eſt vllomodo practica.

15 Dices primo, Si prædicta Theologia de contingentibus in intellectu diuino eſset ſpeculatiua, tunc diuinus intellectus adeo eſset ſpeculatiuus cõparatione creaturarum ſecundum omne eſse, vt voluntas diuina non poſset velle illum non ſpeculari, & proinde non eſset diuina voluntas potentia abſolute libera. Reſpondet Scotus conceſſo antecedente negando conſequẽtiam, ſi quidem libertas diuinæ voluntatis ſecundum exercitium non eſt ad intrinſeca, quæ omnino anteuertunt in diuina eſsentia actum ſimpliciter primum diuinæ voluntatis, ſed ſolum comparatione rerum ad extra. Dices 2. ex Auguſtino. 6. de Trinit: cap. vltimo, Vbi ait Verbum eſt ars quædam omnipotentis; atque ſapientis Dei plena omnium rerum incommutabilium, ſed ars eſt habitus eſsentialiter practicus ergo in Deo reſpectu rerum habit habitum practicum, & conſequenter regulam regulantem; Reſpondet Scotus Artem ex Ariſtotile 6. Ethicorum eſse habitum cum vera ratione factiuum, & proinde complete contentiuum rectitudinis agendorum; & ſolum diminute accipitur; cum eſt prçciſe habitus apprehenſiuus rectitudinis agendorum; ſicuti accipitur à D. Auguſtino. Verbum autem non eſt habitus talis, ſed ars ſine imperfectione ſalua propria ratione artis cuius eſt oſtendere factibile &c.

16 Dices ars appræhenſiua rectitudinis agendorum poſt determinationem diuinæ voluntatis ponitur directiua, & regulatiua potentiæ exequẽtis, ergo eius comparatione eſt ſimpliciter habitus practicus. Reſpondetur negando antecedens, quia potentia executiua in Deo non diſtinguitur ſecundum rem à diuina voluntate, ſed eſt ipſamet voluntas, quatenus eſt effectiua rerum ad extra. Dices tertio ex eodem D. Auguſtino lib. 83. qq. qu. 46. Ideas (inquit) in Deo, eſse rationes æternas, ſecundum quas formatur omne formabile, ergo notitia Dei, in qua continentur Ideæ dicitur ſimpliciter practica; Reſpondet Scotus, quod illa particula ſecundum non accipitur directiue, ſed ſolũ oſtenſiue ſpeculatiuo modo. Dices 4. vt dicit Suarez. lib. 3. de Trinit: tractat. 1. cap. 4. cum alijs recenſoribus. Scientia practica non eſt neceſsarium, quod actu regulet, & dirigat; ſed ſatis eſt quod aptitudine at notitia rerum poſſibilium eſt apta ad dirigendum; & regulandum; ergo talis notitia, ſiue ſcientia erit pratica. Reſpondetur negando minorem, quia res poſſibiles non ſunt ſuapte natura determinatę ad opus, ſed indifferentes, & indeterminatæ.

17 Theologia de neceſsarijs in quocumque intellectu creato eſt ſimpliciter notitia practica; probatur primo de Intellectu Beatorum viſio beata eſt

ſua-

ſuapte natura dictatiua beatifici amoris, terminatur enim ad Deum ſuper omnia diligendum affectione iuſtitiæ, vt eſt ſummum bonum prius propter ſe amore amicitię, quam vt eſt bonum nobis, affectione comodi ſuper omnias amandum amore concupiſcentię, ſine vlla interruptione, ergo formaliter illa viſio eſt practica cum etiam habeat illum duplicem reſpectum prioritatis, & conformatiuitatis ad praxim tanquam ad ſuum regulatum per modum regulæ. Probatur de intellectu viatoris primo per fidem viatores cognoſcunt Deum prius eſse ſuper omnia diligendum, vt eſt ſummum bonum in ſe amore amicitiæ; quam vt eſt ſummum bonum noſtrum ſuper omnia diligendum à nobis amore concupiſcentiæ. Secundo per fidem cognoſcimus Deũ eſſe vltimum finem noſtrum determinatis medijs aquirendum, ſeu attingẽdum per viſionem claram, & amorem perfectum; Inſuper hæc noſtra Theologia habet illum duplicem reſpectum aptitudinalem prioritatis, & conformatiuitatis ad ſuam praxim elicitam, & imperatam.

18 Pro vberiori dictorum intelligentia notandum eſt conformatiuitatem ad praxim, quam habet notitia practica nullo modo intelligi poſſe, niſi praxis ſit actus liber elicitus à potentia operante comparatione obiecti operabilis, ſi enim voluntas neceſſitate naturali poneretur attingere aliquod obiectum non contingeret ei circa illud errare, ſed ſemper recte agere, ac proinde notitia illius obiecti ſolum ſpeculatiuo modo eſſet oſtenſiua praxis, & non praxis directiua practice, non enim poſſet dictare ſic eſſe praxim eliciendam circa illud obiectum; cum potentia eſset naturaliter determinata ad recte operandum poſita plena apprehenſione illius operabilis. Secundo notandum creatam voluntatem comparatione totius entis, ſiue Creati, ſiue increati eſse facultatem omnino liberam, & ita eſsentialiter, vt poſitis omnibus neceſsarijs ad agendum, & operandum prærequiſitis circa vnumquodque ſaltem quantum ad exercitium actus vere, & proprie libera ſit; ſi enim increatum ens etiam clarè viſum nolle, ſiue odiſſe nequit; propterea, quod ob infinitam bonitatem, quam eſsentialiter inuoluit obiectum nolitionis, ſiue odij eſse nequeat, id ſaltem non velle poteſt propter indifferentiam; & indeterminationem, quã natura ſua obtinet comparatione omnis boni volibilis, tam participati, quã imparticipati, ſicut eſt ipſum ens ſummè bonum per eſſentiam.

19 Hinc fit, quod Beati eſto nequeãt Deum nolle, ſeu odiſſe, poſſunt tamen Deum non velle, ſeu non diligere ſuſpendendo actum amoris, & negatiue ſe habere erga illum ex 1. diſt. 1. q. 4. v. ad argumenta pro opinione, & 4. diſt. 49. q. 6. & quolib. 16. quia creata voluntas nihil neceſsario vult, ſed omnia contingenter ex D. Auguſtino 1. retractationum Cap. 9. & 22. nihil eſt magis in poteſtate voluntatis quam ipſa voluntas, quod nõ intelligitur, niſi quantum ad actum elicitum. Hinc etiam patet Beatos propria libertate errare poſſe quantum ad circumſtantias beatifici amoris, vt Deum principaliter non diligendo ſecundum affectionem iuſtitiæ propter ſe, ſed præciſe ſecundum affectionem comodi tanquam bonum ſibi; ſicut enim in poteſtate voluntatis eſt velle, & non velle, ita ſic, & ſic velle. Quare quantum eſt ex ſe libere errare poſſunt ſicut peccare poſsunt intrinſece ſpectata natura propriæ libertatis; eſto iſta potentia numquam reducatur ad actum ob cauſam extrinſece impediẽtem.

20

ceſſarijs eſt ordo mediatarum ad immediatas; adeo vt cenſeatur hæc ſecundum Scotum Deus; Ita in contingentibus eſt ordo, & prima, ad quam reſoluuntur eſt iſta Deus vult, eiuſque primum ſubiectum eſt Deus, & primũ prædicatum eſt velle, Deus namque creat mũdum, quia vult iuſtificat quia vult, &c.

8 Ex dictis ſequitur non dari reſpectu contingentium in ſacra Theologia ſubiectum primum virtualis continẽtiæ, ſed ſolum vltimæ reſolutionis, & etiam prædicationis, tam in Theologia in ſe, ſed etiam in Intellectu Diuino, & Beatorum, quod quidem primum ſubiectum eſt ipſe Deus, quia primum ſubiectum, de quo immediate enunciantur omnia prædicata contigentia per intuitionem extremorum eſt Deus vt ſic, ergo vt Deus dicitur ſubiectum Prædicationis in prædicatis contingẽtibus notis Intellectui Diuino, & intellectui Beatorum. Hinc patet ſolutio apparentis contradictionis in dictis Doctoris Subtilis, dum dicitur, quod prius dixerit incontingentibus non eſſe aſſignandum ſubiectum, deinde docuerit ſubiectum aſſignari Deum vt ſic, reſpondet enim Lichetus, Scotum prius eſſe locutum de obiecto virtualis continentiæ, & poſterius de ſubiecto prædicationis, de quo prius noto enunciantur prædicata contingentia; reſpondet ſecundo Bargius, quo ad poſterius Scotum eſſe locutum, quod ſicut omnes veritates neceſſariæ reſoluuntur in Deum eſſe, ita omnes contingentes in Deum velle, qui actus eſt fundamentum radix, & origo omnium contingentium.

9 Dices velle alia à ſe, quod eſt primum prædicatum in cõtingentibus immediatius, dicitur tam de voluntate, quam de Deo; Hęc enim propoſitio Deus vult, vera eſt propter hanc, quia voluntas vult; Reſpondet Bargius, quod voluntas diuina eſt primũ ſubiectum quo reſpectu velle, non autem primum ſubiectum quod; de quo prædicatur velle vt dictum eſt; Dices ſecundo nullum prædicatum contingens, competere poteſt eſſentiæ, ſiue Deitati niſi, vt accipitur, ſub voluntate, ergo eſſentia, ſeu Deus non poteſt eſſe ſubiectum primum, cui inſit, primum prædicatum contingens: Reſpondetur, quod eſſentia præciſe eſto non ſit ſubiectum virtualis continentiæ; tamen via reſolutionis eſt primũ; hoc eſt vltimum ſubiectum, in quod omnia prędicata abſolutè reſoluuntur; Dices, tertio primum ſubiectum omnium articulorum reparationis noſtræ dicitur potius verbum quam Deus ſub ratione Deitatis ergo &c. Reſpõdetur quod eſto articuli reparationis noſtræ proxime reſoluantur in Verbum, quatenus ſibi vniuit naturam humanam ſicut docet Scotus in 3. d. 7. q. 1. immediate tamen, ſeu vltimate reſoluuntur potius in Deitatem, in quam omnes vltimate reſoluuntur.

10 Dicendum ſecundo in Theologia noſtra ſubiectum non eſſe Deum, neque motiuum, neque terminatiuũ, quia Deus quoad rationem Deitatis nec mouet intellectum noſtrum pro ſtatu iſto, vt faciat nobis notas euidenter veritates Theologicas, nec à nobis ſub ratione Deitatis diſtincte concipitur non ſolum naturaliter, ſed neque per fidem; Etenim in credibilibus eſt aliquod principium immediatum, & neceſſarium ſcilicet hic Deus ſub propria ratione trinus in perſonis, & vnus in eſſentia, ſed ad illam propoſitionem immediatam non attingimus; quia nec terminos ſub proprijs rationib. eorum intelligimus, ſed ſolum in conceptibus vniuerſalibus in illis proprijs conceptibus virtualiter incluſis. Quare

Deum

Deum concipimus, non propria ratione eius in ſe, ſed virtute entis, & cauſæ &c. Ad conceptus autem proprios Dei in ſe ſicuti eſt Deitatis, Trinitatis perſonarum, vnitatis eſſentiæ, & naturæ non deuenimus in via clarè, nec confusè, ſed intelligimus in communi quid eſſentia, & quid perſona, & poſtea credimus eſſe tres perſonas, & vnam eſſentiam in tribus perſonis ita Scotus in 3. diſt. 24. in fine.

11 Dicendum tertio in Theologia noſtra obiectum, ſeu ſubiectum terminatiuum eſt ens infinitum, quia habitui non habenti euidētiam ex obiecto ſolum adſcribitur; ſubiectum primum, de quo tāquam de perfectiſſimo noto immediate formantur veritates illius habitus, ſed Theologia noſtra nō habet euidentiam ex obiecto, cum ſit obſcura, ergo non habet obiectum virtualis continentiæ, ſed ſolum obiectum, de quo tanquam de primo noto formamus omnes veritates Theologicas reuelatas; Hinc optime monet Tartaretus ens infinitum eſſe ſubiectū per acceſſum, quia dicit conceptum propinquiorem Deitati, quæ nata eſt (quantum eſt ex ſe) facere euidentes veritates Theologicas. Dices; quælibet proprietas Dei eſt infinita, qua maior excogitari non poteſt, ergo tali ſub ratione optime poteſt Deus poni obiectum Theologiæ Viatorum. Reſpondet Scotus proprietates Dei eſſe ſolum infinitas, vel identicè, vel formaliter tantum in ſuo genere, non autem omnimode ſcilicet formaliter, & radicaliter, hoc eſt infinitate primaria, ſicut eſt Diuina eſſentia, quæ habet infinitatem à ſe & eſt radix infinitatis alterius; ſicque eſt ratio continendi virtualiter veritates neceſſarias Theologicas qualcumque in Deo.

12 Si quæratur ſub qua ratione Deus ſit conſtituendus ſubiectum Theologiæ. Reſpondetur; ſi eſt ſermo de Theologia in ſe, vel intellectu Diuino aut intellectu Beatorum ponendus eſt non ſub ratione glorificatoris, vt exiſtimauit Egidius Romanus; nec ſub ratione boni, vt varro, nec ſub ratione entis infiniti, vt Henricus, nec ſub ratione Amabilis, vt Thomas de Argentina, nec in quantum eſt cognoſcibilis à nobis ſupernaturaliter in Enygmate, vt Marſilius, nec ſub ratione reuelabilis, vt Capreolus, nec ſub ratione finita, vt Alfonſus Toletanus, nec ſub ratione cognoſcibilis in ſacra ſcriptura, vt Ioannes Bacconitanus, nec ſub ratione non apparentis, vt non nulli alij; Horum omnium Doctorum rationes recenſere, & ſingulas impugnare eſſet nimis longum, & à propoſito noſtro alienum. Satis confutantur ſimul, ſi dicamus nullam prædictarum rationum eſſe Deo ſubiecto materiali eſse rationem formalem continendi virtualiter veritates Theologicas; Relinquitur ergo Deum ſub ratione Deitatis eſse formale ſubiectum ſacræ, Theologię. Dei & Beatorum, quia ſcientia perfectiſſima, & nobiliſſima, eſt de perfectiſſimo, & nobiliſſimo ſubiecto, ſub perfectiſſima, & nobiliſſima ratione inſpecto. At ſacra Theologia Dei, & Beatorum eſt perfectiſſima, & nobiliſſima ſcientia, ergo debet habere nobiliſſimum, & perfectiſſimum obiectum, ſub perfectiſſima ratione formali; ſed Deus; Solus eſt perfectiſſimum, & nobiliſſimū obiectum, & deitas, eſt perfectiſſima ratio formalis ipſius, ergo Deus ſub ratione Deitatis, eſt ſubiectum, ſiue obiectum Theologiæ Dei; & Beatorum.

13 Probatur ſecundo illa eſt vera ratio formalis alicuius ſubiecti, quæ eſt illi ratio continendi virtualiter veritates illius ſcientiæ, cuius eſt ſubie-

ctum, ſed Deitas, eſt Deo ratio continendi virtualiter veritates Theologicas, ergo Deitas, eſt vera ratio formalis, ſub qua Deus eſt ſubiectum Theologiæ, hæc eſt enim ratio ſimpliciter prima, & quidditatiua ipſius Dei, aliæ autem rationes ſunt poſteriores, & quaſi paſſiones, ergo, 3: probatur. Sub illa ratione Deus eſt ſubiectum Theologiæ, per quam præcipue Theologus poteſt demonſtrare proprietates Theologiæ, ſed hæc eſt ratio Deitatis, & nulla alia; ergo &c; Item eſt ratio, ſub qua conſiderata in Theologia ad Deum habent attributionem; ſiue ſint quaſi partes ſubiectiuæ, vt ſunt tres Perſonæ Diuinæ, ſiue ſint quaſi paſſiones, vel proprietates, vt ſunt attributa omnia, ſiue ſint effectus Creationis, conſeruationis, adminiſtrationis, reſtaurationis, ſanctificationis, & retributionis; ſicq; ſtat ſtabilita opinio Doctoris ſubtilis dicentis in 3. q. Prolog. Deum eſse ſubiectum Theologię Dei, & Beatorum ſub ratione formali Deitatis. *Siue eſsentiæ diuinæ.*

14 Formale obiectum motiuum in Theologia viatorum, eſt reuelatio facta à Deo, quia omnibus veritatibus Theologicis aſsentimur per hanc rationem reuelationis, quæ eſt vna in omnibus; Item quia ſub hac ratione noſtra Theologia omnia pertinentia ad ipſam reſpicit, conſiderat, & ſpeculatur; Hoc determinat Scotus in 3. diſt. 25. q. 2. & diſt. 35. q. vnic. in priori enim manifeſte, docet fidem reſpicere omnia credibilia, vt reuelata à Deo, quę formalis ratio eſt vna in omnibus credibilibus; & in poſteriori idem repetit inquit veritatem reuelantis, quæ eadem eſt reſpectu primorum articulorum, qui formaliter in ſe ipſis reuelati ſunt, & reſpectu aliorum ex ipſis deductorum, vt ſunt concluſiones, ex articulis deductæ ſolum virtualiter, & implicitè in illis reuelatæ eſse formalem rationem, propter quam aſsentimur veritatibus Theologicis; ſed notandum eſt, hic ſermonem eſse de formali obiecto mouente intellectum noſtrum, vt aſsentiamur veritatibus Theologicis, & non de obiecto terminatiuo, hoc eſt neque de eo, quod formaliter terminat aſsenſum fidei, qualis eſt ſcibilitas, quæ in articulis continetur innoteſcens ex reuelatione; neque de eo, de quo primo noto enunciamus Theologicas veritates, ſicut eſt ens infinitum.

15 Secundo notandum quod cum Scotus in Prol. q. 3. docet Deum ſub ratione infiniti entis eſse ſubiectum noſtræ Theologiæ non loqui de obiecto motiuo, ſed de ſubiecto prædicationis, ſeu attributionis per acceſſum, prout apertè colligitur ex littera Scoti; ſi dicas cum Alberto Magno. Ratio formalis obiecti debet eſſe aliqua forma, vel potius aliquid formaliter in ipſo obiecto exiſtens, at reuelatio non eſt in re reuelata, ergo non poteſt eſſe ratio formalis; Reſpondetur argumētum equiuocare de ratione formali; maior enim eſt vera de ratione formali terminatiua, ſub qua obiectum cognoſcitur à potentia, quæ in propoſito eſt ſcibilitas, quam in ſe habent credibilia nota per reuelationem, in minori vero eſt ſermo de ratione formali motiua, per quam Intellectus mouetur ad aſſentiendum ipſis reuelatis. Si iterum dicas; Ratio formalis obiecti (ex Scoto) habitus realis non poteſt eſſe ens rationis, at reuelatio formaliter ſumpta, tam actiue ex parte reuelantis quam paſſiue ex parte reuelati dicitur reſpectus rationis, ergo &c. Reſpondetur, quod reuelatio hic accipitur, vt ſe tenet ex parte reuelantis; ſumitur enim non formaliter pro forma illa, quæ in tempore Deum reue-

lan-

Digitized by Google

lantem determinat, quæ eſt reſpectus rationis, ſed materialiter pro actu reali Diuinæ voluntatis, quo Deus reuelat producendo in eſſe cognito veritates reuelatas in intellectu Viatoris.

16 Extenſio obiectiua ſacræ Theologiæ eſt latiſſima ob infinitam virtutem, & perfectionem ſui primarij obiecti; Hinc veriſſima eſt ſententia docens Theologiam Dei, ideſt Intellectus Diuini eſſe de omnibus cognoſcibilibus; quia obiectum primum Theologiæ ſuæ, ideſt eſsentia Diuina facit omnia alia ſaltem neceſſaria incõplexa, aut complexa actu cognita in Intellectu ſuo; quare ipſa eſſentia præciſè ſumpta eſt ratio Diuino Intellectui quaſi motiua cognoſcendi omnia; Pro cuius rei perfecta intelligentia notat hic Doctor Subtilis tria ſigna reſpectu cognitionis Diuinæ; In primo ſigno naturæ eſt eſſentia ſua primo cognita in Intellectu ſuo, & in ſecundo ſigno quidditates virtualiter continentes veritates proprias, in tertio autem ſigno ſunt veritates virtualiter contentæ in illis quiditatibus ſibi notæ; Et eſt (inquit Scotus) ordo ſecundi ad tertium non ſecundum cauſalitatem, quia ipſa eſſentia eſt immediata ratio cognoſcẽdi omnia immediatione quaſi Cauſæ, ſed eſt ordo quaſi duorum effectuum eſſentialiter ordinatorum ab eadem cauſa mediate pendentium mediatione effectus, eſsentia enim Diuina facit res notas intellectui Diuino immediate, ſed eo ordine quo res in ſe ipſis ſunt cognoſcibiles.

17 Ita quod hic ordo in cognitione Diuina non eſt realis, ſed ex natura rei, non in ipſo actu intelligendi abſolutè, ſed in ordine ad obiecta, quia primo eſt eſsentia nota cũ omnibus eſsentialibus, & perſonalibus ad intra, & omnibus propoſitionibus, ex illis formatis, vel formabilibus. Secundo ex tali notitia oritur ſtatim notitia incomplexa omnium creaturarum poſſibilium, & in illo ſigno creaturæ continent virtualiter omnes propoſitiones de ſe, & poſsunt eas notas facere omni Intellectui potenti moueri ab ipſis, cuiuſmodi eſt ſolus Intellectus creatus, tertio format Intellectus Diuinus omnes propoſitiones formabiles de illis creatis quiditatibus, quæ virtualiter in illis continentur non ex motione illarũ quiditatum, ſed motione Diuinæ eſſentiæ, ita vt eſſentia eſt ratio omnium aliorum, & nullum illorum eſt cauſa alterius, quia eſsentia facit tam notitiam incomplexam, quam complexam, ideſt naturaliter ratio omnis cognitionis in illo Intellectu; ſed adhuc pro clariori notitia aliqua ſunt aduertenda ſcitu digna, primum moueri intellectum Diuinum ab eſſentia poteſt intelligi primo, quod eſſentia realiter, & phiſicè moueat, vt diſtinguitur contra intentionaliter mouere, & ſic Diuina eſſentia non mouet Intellectum Diuinum, quia hoc modo Deus, & omne, quod eſt in Deo eſt ſimpliciter immobile. Secundo quod intentionaliter moueat, & tamen effectiue, adeo vt realiter cauſet in Intellectu actum intelligendi, nec etiam ſic mouet. Tertio quod ſit actu, & neceſſario præſens intellectui illi, & quod naturalis eius intelligibilitas ex perfectione obiecti, & Intellectus neceſſario requirat, quod actu intelligitur ab hoc Intellectu, ac ſi realiter, & neceſſario cauſaret ſuam intellectionem, quam tamen non cauſat, ſed neceſsario ineſt ob naturalem, & infinitam perfectionem tam eſſentiæ, quam Intellectus; ſicque capitur mouere in propoſito.

18 Secundum aduertendum eſt, quod nulla cognitio habetur in Intellectu Diuino, niſi virtute Diuinæ eſ-

ſentiæ; quandoquidem ipſa actuat intellectum Diuinum, ideſt eſt ratio. Quare Diuinus Intellectus habet intellectionem Diuinæ eſſentiæ, quæ intellectio eſt maxima perfectio Diuini Intellectus. Vnde quamuis noſcat omnes propoſitiones quarumcumque ſcientiarum, non tamen dicitur Logicus, Phiſicus, aut Geometra, ſiue Metaphyſicus, quia cognoſcit metaphyſicè, vel phiſice, vel mathematice. Ideſt non virtute obiectorum talium ſcientiarum, ſed cognoſcit Theologice, ideſt virtute obiecti Theologici, quod eſt eſſentia Diuina, & ratio eſt, quia ſcientia ſolum ſpecificatur ab obiecto motiuo, & terminatiuo primario, ſed obiectum, à quo primo mouetur Intellectus Diuinus, & ad quod primo terminatur actus ſcientificus Diuini Intellectus eſt abſolutè Theologicum nempe ſua Diuina eſſentia; Dicet Hẽricus Gandauenſis quolib. 6. quæſt. 9. Creatæ quiditates diſtinctæ ab eſſentia Diuina continent primo virtualiter multas veritates complexas, ergo poſſunt illas in quocumque intellectu in eſſe cognito producere. Quare non implicat dari Geometriam in Intellectu Diuino virtute quidditatis geometricæ cauſatam. Reſpondet Scotus negando conſequentiam, quia illę veritates virtualiter contentæ in ſuis terminis ſimplicibus ſolum cognoſcuntur à Deo virtute eſſentiæ Diuinæ; & proinde non virtute motiua ſuorum terminorum.

19 Inſtabis ſi eſſentia Diuina per impoſſibile non moueret Diuinum Intellectum ad notitiam illarum veritatum adhuc Diuinus Intellectus illas cognosceret, & non niſi ex illis quiditatibus prius notis Reſpondet Scotus, quod ſi in 3. inſtanti naturæ Diuina eſſentia non moueret ad notitiam illarum veritatum, nunquam Diuinus Intellectus illas intelligeret, cum non ſit ab alio mobilis, niſi à propria eſſentia; nec valet obijcere Diuinum Intellectũ cognoſcere res, vt à parte rei cognoſcibiles ſunt, ſed à parte rei cognoſcibiles ſunt motiue ergo; Reſpondetur, quod ſi illa particula (vt) dicit rationem terminandi ex parte rei cognoſcibilis eſt ſemper vera, ſi vero dicit rationem mouendi eſt ſolum vera comparatione Intellectus immediate mobilis ab ea, ſicut eſt Intellectus creatus tantum; Tertium aduertendum, quod Theologia in Intellectu Diuino eſt omnis notitia, quæ non includit imperfectionem, ideſt eſt tãtum illa vnica infinita notitia, quæ ſola eſt ſimpliciter perfecta in ſua realitate, nam omnis alia notitia in exiſtentia reali includit limitationem, ſicut omnis creatura in eſſe reali; omne enim quod eſt à Cauſa limitata, neceſſario includit limitationem, & modo, quo eſt Cauſa limitata, ſcilicet in exiſtentia reali.

20 Theologia Beatorum poteſt eſſe de omnibus, quia poſſibile eſt, quod Deus oſtendat omnia Beatis in ſua eſſentia, & notitias omnium cauſet in Beatis tam complexas, quam incomplexas, & ſi obijcias, quod cognoſcere omnia eſt proprium Dei. Reſpondetur, quod cognoſcere omnia virtute propria eſt proprium Dei, ſed cognoſcere omnia virtute alterius nequaquam. 2. Reſpondetur, quod cognoſcere omnia, & infinita infinite eſt proprium Dei ſed, cognoſcere infinita finite poteſt competere Intellectui Creato; Hæc de poſſibili; De facto loquendo, Theologia Beatorum non habet limitationem, ſeu terminum, niſi ex voluntate Dei oſtendentis aliquid in eſſentia; quia Deus eſt obiectum mere voluntarium reſpectu cuiuſcumque Intellectus creati, ergo Theologia Beatorum actualiter eſt de

Digitized by Google

tot, quot voluntarie Deus oſtendit eis in eſſentia ſua, ſi enim vult videri videtur, ſi non vult videri non videtur; Hinc Scotus in 3. diſt. 14. q. 2. ſuſtinet Theologiam in Intellectu Chriſti actualiter, & ſimpliciter fuiſſe, & eſſe de omnibus, ſicut Theologia in Intellectu Dinino, quia Anima Chriſti vidit, & videt omnia intuitiue, quæ videt Deus; & ratio eſt quia Deus de facto voluit, & vult dignificare Intellectum Animæ Chriſti; ſed ſic eſt dignificabilis, ergo &c.

21 Theologia noſtra ſiue Viatorũ non eſt cognitio rerum actualiter ſcibilium, primo quia aliæ ſcientiæ ſuperfluerent, ſeu non eſſent neceſſariæ. Secundo quia non omnia ſcibilia ſunt neceſſaria ad ſalutem qualia ſunt, quæ conſiſtunt in ſola ſpeculatione. Tertio quia de illis, quorum habemus naturalem notitiam, non poteſt eſſe cognitio Theologica, quoniam tunc de eodem eſſet notitia euidens, & non euidens; Theologia igitur noſtra à Voluntate Dei habet ſuum terminum, & non eſt niſi de ijs, quæ continentur in ſacra ſcriptura, & in traditionibus Diuinis & Apoſtolicis, & de illis, quæ poſſunt elici ex ipſis, quæ ſunt in ſacro Canone, & de ijs, quæ ab Eccleſia ſunt approbata, & determinata. Et ideo dicit D. Ioannes in Apocal. Cap. vltimo, qui appoſuerit ad hæc apponet ei Deus plagas &c. Pro cuius Auctoritatis declaratione notandum eſt contra Hæreticos duplicem eſſe additionem, vna dicitur diſtractiua, alia completiua prima diminuit, & ſubuertit. 2. dilucidat, primam additionem faciunt Hæretici ſecundam Catholici Doctores; Vel ſub alijs Verbis triplex eſt additio prima eſt contraria ijs, quæ habentur in biblijs; ſecunda eſt additio Alicuius impertinentis; 3. eſt expoſitio eorum, quæ habentur in Canone Bibliorum; prima eſt Hæretica: ſecunda eſt præſumptuoſa; tertia eſt fructuoſa, prima damnatur, ſecunda improbatur, tertia Laudatur.

22 Ex dictis reſultat magna difficultas, hic neceſſario diſſoluenda, & dilucidanda: & eſt talis an pluralitas, & multiplicitas ſcibilium, & cognoſcibilium ſupra dictorum in Theologia arguat multiplicitatem eiuſdem Theologiæ, cui Reſpondemus ſuppoſita diſtinctione Intellectuum Diuini Beati & Viatoris; Quantum ad primũ, notandum eſt, quod Theologia in Diuino Intellectu nihil aliud dicit, niſi actum vnum ſimpliciſſimum, quo Deus cognoſcit omnia. Ideo Theologia in Intellectu Diuino, præcisè ſpectata vna eſt formaliter, & obiectiue intrinſece, & extrinſece, eo vel maxime, quod Deus omnia cognoſcit per eſſentiam ſuam, tanquam per obiectum formale motiuum Diuini Intellectus, ſed eſſentia Diuina eſt vna, & ſingulariſſima. Ergo etiam obiectiue Theologia in Deo eſt vna, & ſingulariſſima ſcientia, Theologia vero Beatorum non eſt vna vnitate formali, & intrinſeca, ſed ſolum vnitate extrinſeca, & obiectiua; & ſpecifica, quam habet, vel immediate à Deo, tanquam ab obiecto virtualis continentiæ, vel potius tanquam ab Agente ſupernaturali ſupplente vicem obiecti virtualis continentiæ; prima pars probatur quia Theologia in Beatis formaliter, nec eſt vnus actus ſimpliciſſimus, nec vnus habitus formaliter, ſed vnus aggregatus ex tot actibus & habitibus, quot ſunt Concluſiones demonſtratæ in ipſa Theologia, diſtinctæ enim Concluſiones reſpondent diſtinctis actibus ſcientificis in Creato Intellectu aggenerantque in potentijs habitus diſtinctos; At hic Theologia non accipitur pro viſione Beatifica, ſed pro actibus, &

Digitized by Google

& habitibus ſcientificis;quos per Cauſam diſcurrendo Beati aquirunt; Secunda pars probatur, quia Diuina eſſentia videtur à Beatis, ſicque poteſt facere notas etiam demonſtratiue veritates ſaltem, quas neceſſario continet. Vltima pars probatur, quia (vt optime Scotus docet quolib. 14.) Deus per Deitatem nequit mouere Cretum Intellectum, ſed ſolum mouet per ſuã voluntatem, ergo ſupplendo per ſuam voluntatem vicem obiecti Theologici per reuelationem claram cauſat in eſſe cognito omnes veritates Theologicas, ac proinde ab vnitate ſic clare reuelantis Theologia Beatorum optime poni poteſt vnitatem ſortiri.

23 Sed pro dictorum Intelligentia notandum eſt duobus modis poſſe ſcientiam dici vnam; ſcilicet vnitate intrinſeca, vel formali; & vnitate extrinſeca, & obiectiua, & ſcientiam poſſe accipi duobus modis; primo pro habitu vnius Concluſionis demonſtratę, vel demonſtrabilis in ſcientia; Secundo pro aggregatione omnium habituũ & Concluſionum demonſtrabilium in illa; primo modo dicitur vna formaliter, & intrinſece. Secundo modo dicitur vna vnitate extrinſeca, & obiectiua, quæ poteſt eſſe ſpecifica, & generica generis proximi, & remoti; ſi enim, quæ conſiderantur in ſcientia ſpecie differant, conueniant ſub aliquo communi, tanquam ſub genere à tali cõmuni ſcientia illa, vel habitus vnus ſecundum genus dicetur obiectiue, eſto formaliter ex multis habitibus ſpecie differrentibus aggregata ſit; Illud enim commune potentialiter cõtineret illos habitus, ſicut potentialiter contineret ſua obiecta: Cæterum ſi conſiderata in ſcientia ſolum differant numero, à quibus abſtrahitur cõmune, tanquam ſpecies ab eo communi habitus dicetur vnus ſecũdum ſpeciem. Illud enim commune contineãret illum habitum virtualiter, ſicut ſpecies virtualiter continet proprias paſſiones demonſtrabiles de ſe, & de ſuis indiuiduis; Notandum ſecundo, quod cum obiectum habeat duplicem habitudinem ad potentiam, in qua generatur ſcientia, alteram motiui, alteram terminatiui, ſcientia ſolum ab vnitate obiecti motiui dicitur obiectiue vnitatem ſuam ſortiri.

24 Si dicatur, Theologia ambit veritates, tum neceſſarias, tum contingentes, quæ in nullo poſſunt habere vnitatem, ergo Theologia Beatorum non poteſt eſſe vna vnitate obiectiua. Reſpondetur quod eſto prædictæ veritates non habeant vnitatem eodem modo in obiecto virtualis continentię, omnes tamen vnitatem habent, vel in Deo tanquam ſe aliquomodo continente, vel in eo tãquam in obiecto, de quo primo enunciantur, vel in quod vltimo reſoluuntur; Si dicatur 2. Beati vnico intuitu intuentur, quicquid vident abſque diſcurſu. Rurſus non videtur Theologia Beatorum ſecerni à viſione beatifica ergo non recte negatur Theologiam beatorum eſſe formaliter vnam; Ad primam partem antecedentis reſpondet Scotus q. 3. Prol. q. 4. Laterali quod Beati quantum ad notitiam Theologicam diſcurrunt nõ tamen cum prioritate temporis, ſed cum prioritate naturæ prius ſcilicet cognoſcendo cauſam, deinde per cauſam effectum. Ad ſecundam partem reſpondet q. 3. principali negando aſſumptum; dicit enim Theologiam beatorum non eſſe viſionem beatificam, quæ eſt quaſi perfecta apprehenſio incomplexa Deitatis naturaliter pręcedens notitiam Theologicam; qua cognoſcunt alias veritates in deitate contentas, quodammodo diſcurrendo diſcurſu ſupra dicto.

25 Si

25 Si eſt ſermo de Theologia noſtra aſſerendum eſt eam acceptam, tam pro notitia habituali, quam pro notitia actuali articulorum fidei, & concluſionum, ex illis deductarum omniumque aliarum veritatum Theologicarum eſſe vnam ſcientiam vnitate ſumpta ab vnitate formalis obiecti eiuſdẽ Theologię noſtrę, quod eſt diuina reuelatio, quia ſciẽtia habet vnitatẽ ab vnitate eius, à quo veritates illius fiunt notæ intellectui, ſed omnes veritates Theologicæ neceſſariæ, & contingentes notæ fiunt nobis non propter euidentiam, quam habent ex ſuis terminis, neque per alia principia euidentia, neque ab obiecto earum, quod eſt Deus, cum Deus non moueat noſtrum intellectum per modum obiecti, ſed à Deo tanquã agente ſupplente vicem prędicti obiecti per ſuam voluntatem reuelantem, cum ergo iſta reuelatio ſit vna in omnibus, ab huius vnitate noſtra Theologia dicitur vna, vt autem, hæc clara fiant.

26 Sciendum eſt primo noſtram Theologiam poſſe duobus modis accipi, vno modo pro notitia habituali, ſiue habitus infuſi, ſiue aquiſiti in ratione tantum qualitatis, & ſic dicitur formaliter vna propter vnitatem formalem ſuæ entitatis conuenientem, & proportionatam, effectiue vero ab agente eam infundente, vel cauſante, quæ vnitas non ſolum eſt ſpecifica, ſed etiam numerica, vt Doctor ſubtilis habet in 3. diſt. 25; ſecundo accipitur pro habituali notitia habitus ſcilicet, ſiue infuſi, ſiue aquiſiti in ratione tamen habitus ſcientialis, quo potentia inclinatur ad aſſentiendum, tam articulis reuelatis, quam etiam concluſionibus, ex illis deductis, quomodo recte dixit Scotus ab habitu fidei Theologiam non diſtingui. 2. ſciẽdum eſt ex Scoto in 3. diſt. 35., quod eſto quilibet intellectualis habitus habeat vnitatem, ex vnitate obiecti, in quo habitus virtualiter continetur, tamen habitus iſte Theologicus non ſic eſt vnus, quia Deus non mouet in ratione obiecti ad cognitionem credibilium, ſed vt cauſa effectiua per reuelationẽ, ac proinde vnitatem habet ab vna ratione formali, quæ eſt diuina reuelatio, per quam mouetur noſter intellectus omnibus reuelatis æqualiter credendis.

27 Dices primo, Deus in reuelatione noſtræ Theologiæ vicem ſubit pręceptoris, ſed ab eodem pręceptore poteſt homo addiſcere ſcientias, non ſolum formaliter ſed obiectiue diuerſas, ergo. Reſpondetur primo ad maiorem; quod Deus non ſolum vicem ſubit præceptoris in reuelatione iſtius Doctrinæ, ſed etiam teſtis veridici atteſtantis. Ad minorem etiam dicimus, quod Diſcipulus addiſcit diſtinctas ſcientias obiectiue à Magiſtro, quia non ſolum aſſentitur eius dictis propter auctoritatem dicentis, ſed etiam propter euidentiam, quam habent in ſe ipſis res à Magiſtro explicatæ: Dices 2, ſi Deus alicui reuelaret veritates naturales, ſiue Mathematicas non obſtante vnica reuelatione illæ ſcientiæ eſſent obiectiue plures ergo; Reſpondetur negando conſequentiam, quia in caſu poſito reuelatio non eſſet præciſe ratio aſſentiendi illis ſcientijs, ſed euidentia earum veritatum ex natura rei; Dices 3. Diuerſa ſunt obiecta complexa, quæ reuelantur in ſacra Theologia, ergo intellectus eis aſſentit actibus diuerſis, atque adeo ex illis generantur etiam diſtincti habitus; Reſpondetur, quod formaliter ſolum generãtur habitus diſtincti non autem obiectiue, quia eſt vnica ratio motiui noſtri intellectus, vt aſſentiatur illis; Immo neque rigoroſe loquendo generantur ha-

Digitized by Google

habitus formaliter diſtincti, ſed ſolum materialiter; Etenim fides infuſa, & aquiſita tantum entitatiue diſtinguntur eſſentialiter.

28 Stat igitur verum habitus, & aſſenſus diuerſorum principiorum fidei, ac diuerſarum concluſionum ſpecie non diſtingui nec obiectiue ex parte obiecti mouentis, nec formaliter ex parte ſcibilitatis terminantis; prior pars patet, quia vna eſt ratio formalis obiecti motiua comparatione omnium nempe diuina reuelatio, 2. pars etiam probatur, quia ſicuti ratio mouens intellectum ad aſſentiendum omnibus credibilibus dicitur vna, vt dictum eſt, ita etiam ratio terminans ſupernaturalem aſſenſum vna dicitur comparatione omnium, & enim ex reuelatio Dei mouetur intellectus ad prebendum aſſenſum, & per reuelationem talis aſſenſus etiam terminatur ad credibilia ergo &c. Immo eſto diuerſa credibilia à parte rei habeant diuerſam ſcibilitatem eis tamen non aſſentimur, præciſe quatenus in ſe ipſis vera ſunt, ſed quatenus ſub reuelatione ſunt accepta; Credimus enim eſſe vera, quia reuelata, tam iuxta ſenſum cauſalem, quam formalem.

29 Et ratio euidens à priori eſt, quam Scotus aſſignat in 3. diſt. 24. in fine, quia reuelatio non cauſet euidentiam credibilium cum remaneant obſcura etiam facta reuelatione, tota ergo veritas, credibilium reducitur ad veritatem vnicam reuelantis ſicuti in ſcientijs naturali lumine aquiſitis intellectus formaliter aſsentitur veritatibus earum per euidentiam, quam habent in ſe ipſis mediatam, vel immediatam in ſuis principijs. Si obiciatur concluſionibus Theologicis aſſentitur intellectus propter euidentiam deductionis, ex reuelatis, ergo de concluſionibus comparatur habitus ſpecie diſtinctus; Reſpondetur ex Scoto negando antecedens, quia etiam concluſionibus Theologicis aſsentitur intellectus propter reuelationem, credit etiam eas in ſe ipſis habere veritatem quam preciſe accipit ſub reuelatione.

30 Si dicas concluſiones ſcimus eſse reuelatas virtute in articulis per euidentem deductionem earum, ex illis ergo deductio illa euidens eſt, eſt ratio cur aſsentiamur concluſionibus Theologicis; Reſpondet Scotus negando conſequentiam, quia deductis concluſionibus, ex articulis fidei aſſentitur intellectus quatenus per deductionem aduertit illas eſse à Deo etiam reuelatas ſaltem mediate, & virtualiter in Articulis; Voluntas enim diuina ſicut ad libitum reuelat intellectui noſtro pro ſtatu iſto quotquot veritates ſibi placet, ita impartitur illis proportionatam euidentiam cum infallibili certitudine veritatis. Verum eſt tamen noſtram Theologiam pro ſtatu iſto (cum ſit ineuidens, & obſcura) eſſe valde meritoriam, quia captiuãtes intellectum in obſequiũ Chriſti diuinæ veritati optimam portionem exhibemus optimum motiuum ad captiuandam, erga nos miſericordiam ſuam.

De cauſa finali Sacræ Theologiæ. Art. IV.

1 AD Indagandam cauſam finalem ſacræ Theologiæ an ſcilicet ſit practica, vel ſpeculatiua aliqua ſunt prælibanda. Primum eſt quænam ſit differentia inter habitum ſpeculatiuum, & practicum; Differunt in quatuor; primo in fine; quia habitus practicus dirigit cognitionem ad opus agẽdum, vel faciendum, Speculatiuus

vero

vero ſiſtit in cognitione. Secundo in obiecto, quia practicus tractat de re operabili. Speculatiuus autem de re non operabili, 3. in modo operandi, quia practicus procedit modo compoſitiuo componendo ſcilicet regulam cum operatione. Speculatiuus vero procedit modo reſolutiuo. 4. differunt penes poſitionem ac priuationem duplicis reſpectus aptitudinalis ſcilic. prioritatis, & cõformatiuitatis ad praxim, ſiue ad opperationem, nam practicus ponit iſtum duplicem reſpectũ aptitudinalem, prioritatis quidem, quia ordine eſſentiali praxis eſt poſterior Intellectione, quæ naturaliter præcedit praxim. Conformatiuitatis etiã, quoniam ad hoc, quod praxis ſit recta nata eſt ſequi dictamen rationis rectæ; habitus autem ſpeculativus non admittit illos duos reſpectus.

2 An vero iſti duo reſpectus; vel potius an practicum, & ſpeculatiuum ſint differentiæ eſſentiales habitus, ſiue ſcientiæ in communi. Reſpondetur, quod practicum, & ſpeculativum dupliciter accipi poſſunt vno modo, vt Practicum accipiatur pro illo duplici reſpectu aptitudinali, & ſpeculativũ pro negatione illius duplicis reſpectus, & ſic non ſunt differentiæ eſſentiales habitus, ſiue ſcientiæ in communi, quia nullus reſpectus formaliter, vel negatio reſpectus eſt differentia alicuius abſoluti, ſed habitus, & ſcientia ſunt entia abſoluta, cum ſint qualitates, Practicum autem ſic ſumptum dicit formaliter reſpectum; ſpeculativum vero negationem eius, ergo non ſunt differentiæ eſſentiales habitus, vel ſcientiæ in communi; Alio modo poteſt Practicum pro ratione quadam intrinſeca ipſi habitui, vel ſcientiæ, quæ quidem eſt ratio fundandi talem reſpectum, & aptitudinem, & ſpeculatiuum pro illa ratione intrinſeca, ſecundum quam repugnat tali habitui, vel ſcientiæ aptitudo, ſeu reſpectus aptitudinalis prædictus, & ſic ſecundum Scotiſtas ſunt differentiæ eſſentiales ſcientiæ in communi, per quas vni conuenit ille duplex reſpectus; & alteri repugnat; Practicum vero, & ſpeculativum primo modo accepta ſunt quædam paſſiones diuerſæ ſcientię in communi eo modo quo dicimus par, & impar eſſe paſſiones diſiunctas numeri. Sicut enim numerus eſt impar, vel par. Ita ſcientia eſt ſpeculatiua, vel practica.

3 Hinc optime licebit intelligere definitionem praxis traditam à Scoto q.4.Prol. quæ eſt talis. Praxis eſt actus alterius potentiæ, quam Intellectus naturaliter poſterior Intellectione aptè elici conformiter rationi rectę ad hoc, vt rectus ſit; Quare praxis duas requirit condiciones primam, vt ſit actus regulabilis per dictamen rationis, altera vt ſit poſterior. prædicto rationis dictamine, ex quo ſit, vt praxis ſit actus voluntatis elicitus, vel imperatus, ex qua definitione elici poteſt definitio notitiæ practicæ (quæ alio nomine vocatur dictamen rationis) notitia igitur practica eſt actus Intellectus naturaliter prior praxi, & ipſius praxis regulatiuus. Si contra definitionem ſic arguatur Philoſophia eſt ſciẽtia ſpeculatiua, & tamen per amorem definitur; Definitur enim, quod ſit amor ſapientiæ; Rurſus ex ſapientia, quæ eſt maxime ſpeculatiua datur progreſſus ad prudentiam, vt experientia conſtat, ergo etiam ſpeculatiua ſcientia ordinatur ad praxim; Reſpondetur ad primum Philoſophiam definiri per amorem, tanquam per Cauſam extrinſecam, quia vix ſine amore perfecte aquiritur; Hinc ad ſecundum patet reſponſio, dicimus enim ex ſapientia dari progreſſum ad prudentiam,

K tan-

Digitized by Google

quam ad fructum eius extrinſecum, qui extrinſece ex illa in Intellectu generatur.

4 Si adhuc dicatur vnus actus Intellectus etiam extenditur ad alium actum, ergo non per extenſionem ad actum alterius potentiæ ſcientia practice recte definitur, neque per illam in ſuo eſſe conſtituitur; Reſpondet Scotus negando antecedens, quia nullus actus Intellectus eſt praxis, & proinde nullus actus extenditur ad alium actum extenſione, & modo practico; Si iterum arguatur omnis actus virtutis moralis eſt iure praxis, ſed actus ſpeculandi adhibitis certis circumſtãtijs illi debitis eſt actus virtutis moralis non ſecus ac actus dandi eleemoſinam, ergo eſt praxis, atque adeo non recte loquitur Scotus, praxim eſſe actũ alterius potentiæ ab Intellectu; Rurſus; ſicut Intellectus modo practico alijs potentijs modum operandi præſcribit. Ita poteſt ſibi modum ſtudendi præſcribere per prudẽtiam virtutis ſtudioſitatis, ergo actus Intellectus poteſt eſſe praxis; Reſpondetur ad primũ negando maiorem, actus enim moralis virtutis, aut dicitur praxis, aut notitia practica, quia virtus moralis duplex eſt 3. diſt. 34. q. vn. alia Intellectualis, alia appetitiua; ex quo ſequitur, vt actus ſtudendi cum debitis circumſtantijs ſolum ſit notitia practica generatiua habitus, Intellectualis practici. Ad ſecundum negatur Antecedens, notitia enim practica ſolum regulatiua eſt potentię practicantis qualis eſt Voluntas; ſi vltimo obijciatur. Voluntas ſecundum virtutem ſtudioſitatis imperare poteſt Intellectui actũ ſpeculandi cum debitis circumſtantijs, ergo ille actus recte praxis dicitur; Reſpondetur negando conſequentiam, nam ille actus diceretur ſolum notitia practica, vt dictum eſt non praxis; & hoc etiam falſum eſt cum non ſit de obiecto operabili, à quo eſſentialiter dicitur practica, vt ſtatim infra notum fiet.

5 Sed vnde, & à quo habebit iſta notitia ſeu ſcientia, vt dicatur practica? Reſpondetur cum diſtinctione, hæc quæſtio poteſt eſſe de denominatione intrinſeca, & formali, vel de denominatione extrinſeca; ſi de prima certum eſt ſcientiam intrinſece, & formaliter eſſe practicam ſuapte natura, quia qualibet res dicitur formaliter talis per ſuam intrinſecam differentiam, qua in eſse talis naturæ formaliter conſtituitur; ſi de ſecunda denominatione eſt etiam certum ſcientiam dici extrinſece, & effectiue à ſolo obiecto operabili, quia notitia practica ſicut ab obiecto habet effectiue entitatem, ita ab eo habet ſic effectiue ad praxim conformatiuitatem, etenim dicitur ſuapte natura regulatiua, quia eſt de obiecto operabili, quod determinat potentiam ad ipſam regulatiuã notitiam; Item omnis notitia ab obiecto menſuratur, & ſpecificatur, ergo effectiue habet ab obiecto, vt ſit practica, vel ſpeculatiua; ſimiliter notitia practica ſpectata, vt eſt prior, quatenus conformatiua praxis habet ab eodem obiecto; ſimul aliam condicionem nempè quatenus eſt prior, ſicque notitia practica habet ab obiecti illam duplicem condicionem, qua conſtituitur in eſſe practico nempe conformatiuitatis, & prioritatis. Ceterum ſi talis cognitio, ſiue notitia practica ſpectetur præciſe, vt notitia eſt habet prioritatem ab ordine potentiarum quia inter potentias potentia cognitiua eſt naturaliter prior potentia appetitiua.

6 Ab obiecto operabili iſta tria denominantur practica principiatiue, ſiue effectiue nempe actus intelligendi, habitus ex actus repetitione genitus,

&

Digitized by Google

& ipſe intellectus, ſed non eodẽ modo, actus enim intelligendi dicitur talis proxime, & per ſe, habitus vero per ſe, & remotè, Intellectus vero ſolum per accidens, & remotiſſime. Ita Scotus q. 4. Prol. art. 3. prima pars probatur quia obiectum operabile virtualiter continet actum, & habitum practicum, quibus formaliter determinatur Intellectus ad dictãdum circa praxim; Secunda pars etiam probatur Actus, & habitus formaliter, & per ſe dicuntur practici à propria differentia, & per ſe effectiue ab eo, à quo pendent in ſua entitate, ſed actus in entitate proxime depẽdet ab obiecto, & habitus remote, & mediante actu, à quo producitur. Tertia pars probatur; Intellectus ſolũ dicitur practicus, primo quatenus in ſe ſubiectat habitus practicos, & actus practicos, ſiue notitias practicas. Secundo; quia ſecundum philoſophum Intellectus extenſione fit practicus, non extenſione entitatiua cum ſit ſpiritualis, & incorporeus; ſed extenſione directiua dirigendo ſcilicet actum, & operationem alterius potentiæ, ne deficiat in recte operando; & quoniam in actum alterius potentiæ tendit, dicitur extendi, ideſt extra ſe tendere, quoniam tendit in operationes, quæ non ſunt ſibi propriæ, nec in ipſo, ſed extra ſe ipſum; Ex quo ſequitur, quod quãdo Intellectus ſtat præciſe in actibus ſuis, ſiue ſilogizando, ſiue componendo, ſiue diuidendo non eſt practicus; quoniam non tendit extra ſe, ſed in ſe ipſo manet.

7 Si arguas ex 2. & 6. Metaphiſic. finis ſpeculatiuæ eſt veritas, practicæ vero eſt opus, ergo à fine dicitur ſcientia practica Reſpondet Scotus, quod iſta definitio nõ eſt formalis, & à priori, ſed finalis data per manifeſtiora nobis, quia a poſteriori differentia Cauſarum innoteſcit per effectus, tanquam per notiores nobis; vel ſi eſt definitio formalis, opus in ea accipitur in aptitudine non in actu, nec erit tunc tradita per eſsentialem differentiam, ſed affectionem neceſſario connotatiuam illius. Si adhuc arguas ex 3. de Anima Intellectus ſpeculatiuus, & practicus differunt fine, & 6. Ethicorum Cap. 3. bonum Intellectus practici eſt verum confeſſe ſe habens Appetitui recto, ergo ex fine accipitur omnis ratio practici Reſpondet Scotus, quod vel Ariſt. loquitur de fine non in re poſito, ſed vt præcognito, in quo eſſe reciprocatur cum obiecto operabili, vel oſtendit ſolum à poſteriori diſcrimen inter practicum, & ſpeculatiuum. Si adhuc vrgeas Actus practicus dicitur bonus, vel malus moraliter, at bonitas, vel malitia præcipuè inſunt actui ex circumſtantia finis, ergo &c. Reſpondetur, quod omnes circumſtantiæ, quæ inſunt actui Morali virtualiter inuoluuntur in obiecto operabili; ſimiliter dicendum eſt eum vrgetur vltimo; quod principia practica deſumuntur à fine. Non enim accipiuntur à fine in re poſito, ſed ab eo, quatenus virtualiter inuoluitur in obiecto operabili.

8 Cum dicitur notitiam practicam regulare praxim, quæ vt dixi eſt actus voluntatis elicitus, vel imperatus non eſt intelligendum eandem notitiam practicam regulare phiſicè praxim determinando potentiam in actu primo, neque phiſicè cum ea influẽdo in praxim; prima pars probatur, tum quia in actu primo a nullo poteſt voluntas determinari ſalua eius libertate, tum quia non eſt intelligibile, quomodo Intellectus poſſit per actum ſuum imprimere voluntati in actu primo quo phiſicè determinetur; ſecũda pars probatur, quia eſto probabile ſit ex 4 ſent. diſt. 49. qu. 4. Intellectionem phiſice concurrere ad actum volendi, vt Cau-

 ſam

Digitized by Google

ſam partialem ſubſeruientem, & minus præcipuam, non tamen in illum influit phiſice quatenus Regula, ſi enim eſset Regula regulans phiſice concurreret, vt cauſa magis præcipua, & ſuperior imperans, & proinde ſubordinaret ſibi in agendo voluntatem, auferretque eius libertatem.

9 Pro intelligentia huius Doctrinæ notandum eſt voluntatem eſse indifferentem, & indeterminatam ad vtramque partem contradictionis, id eſt ad rectè, & non rectè agendum, & determinari ad vnam partem contradictionis non poſse pendere ab intellectu rappræſentante obiectum operabile per vltimum Iudicium practicum; per quod determinate dictet praxim eliciendam; primo quia libertas non eſt poſita in Indifferentia obiectiua Iudicij practici. Secundo quia Intellectus, cum ſit potentia maxime naturalis (vt docet D. Auguſtinus 3. de Trinit. Cap. vltimo, nequit cum indifferentia iudicare; Tertio quia nequit etiam eſse ab aliquo habitu extrinſeco, neque ab habitu ſibi inherente, vt optime monet Scotus in 1. diſt. 17. q. 2. quia actio nõ eſſet libera, ſicut enim voluntas naturaliter moueretur, ita naturaliter ageret, quare ſequitur talẽ determinationem eſse ab ipſamet voluntate poſitis neceſsario prerequiſitis, cum eius indifferentia non ſit paſſiua, ſed actiua. ex primo diſt. 27. q. vnica, & diſt. 8. q. 5.

10 Si obijciatur ex 3. de Anima tex. 14. vbi Philoſophus conſtituens ordinem mouentium; & motorum dicit. Appetibile eſſe mouens non motum appetitum vero mouentem motum, ab obiecto appetibili, ergo voluntas prius quam moueat, mouetur ab obiecto præoſtenſo ab intellectu per dictamen rectum. Reſpondetur primo argumentum probare obiectum per cognitionem phyſice mouere voluntatem influendo ſcilicet in actum eius, ſed non probat, quod regulet phyſice; 2. Reſpondetur, & melius (tenendo obiectum non mouere aut influere phyſice in actum voluntatis) quod appetibile ſolum mouet metaphorice ſcilicet moraliter alliciendo, & inclinando. Sed vrgebis, quod Ariſtotelis in ſuo proceſſu tunc æquiuocaret; cum dicit Appetibile eſſe mouens non motum appetitum vero eſſe mouentem, & motum. Reſpondet Scotus Ariſtotilem ſolum aſſignare ordinem cauſarum qualitercumque mouentium, & non mouentium ſecundum eandem rationem.

11 Dices voluntas eſt potentia indeterminata ad contradictoria, ergo exigit extrinſecum determinans; Reſpondet Scotus, quod eſt indeterminata actiue non paſſiue, ideoque Sequela, ſiue conſequentia falſa eſt; ſi adhuc inſtes ex Ariſtotile 9. met: textu 3, & 10, vbi dicit potentia contradictionis non poteſt determinare ſe, quia ſimul produceret contraria. Reſpondet Scotus, quod eſt aliqua forma contradictionis, vt ſcientia, quæ eſt contrariorum, & iſta non poteſt ſe determinare cum ſit diminuta, & imperfecta, & reſpiciat ex æquo vtrumque contrariorum, & ſit ordinis naturaliter agentium, alia eſt forma, ſeu potentia indeterminata perfecta, & non diminuta habens omnia requiſita ad libere ſe determinandum, ita quod præſentato, & præoſtenſo ſibi obiecto, poteſt ſe actiue, libere, & ex ſe determinare ad vnum contradictoriarum, & ſic non ſimul producere contraria; Iſtis iactis fundamentis de ſciẽtia practica, & ſpeculatiua in communi, reſoluamus propoſitum quæſitum: Quomodo ſcilicet ſacra Theologia ſit practica, aut ſpeculatiua.

12 Pro-

Digitized by Google

12 Probabile eſt Theologiam de neceſſarijs (quæ ſcilicet formantur ad intra) in intellectu diuino eſſe notitiam practicam; primo, quia ei inſunt conditiones notitiæ practicæ, eſt enim prior actu voluntatis prioritate ſaltem naturalis intelligentiæ, & eſt (quantum eſt ex ſe) conformatiua actus voluntatis diuinæ; ita enim ſe Deus diligit, ſicut cognoſcit ſe eſſe diligendum; ergo eſt practica, 2. quia Theologia Dei in Beatis reſpicit Deum ſub eadē ratione formali, ſicut eum reſpicit Theologia in intellectu diuino, ergo ſi ibi eſt practica, etiam hic erit practica; ſi obijciatur regulatiuum, & regulabile reciproce dicuntur, ſicut perfectiuum, & perfectibile, at in Deo non datur potentia regulabilis; ergo in eo non eſt admittenda notitia regulatiua; Reſpondetur, quod regulatiuum in actu ſolum reſpicit regulabile in re, hoc eſt voluntatem, quam regulet, nō vero regulatiuum in aptitudine, tale enim virtute ſolum reſpicit regulabile; ſi magis vrgeatur, notitia practica formaliter conſtituitur per duplicem reſpectum aptitudinalem ad praxim regulandam tanquam ad terminum; ſed in Deo non ponitur hic terminus illius duplicis reſpectus ergo; Reſpōdetur reſpectum aptitudinalem non expoſtulare terminum in re poſitum. Sed ſolum virtualiter in potentia.

13 Propter hæc, & alia ſimilia argumenta non obſtantibus prędictis reſponſionibus, probabilius eſt Theologiam quam Deus habet de ſe eſſe ſpeculatiuam; & probatur ſupradictis rationibus, & magis eluceſcit ex eorum ſolutionibus, & ſolutionibus argumentorum. Pro prima opinione dicitur ideo ad primum, quod notitia practica etiam requirit potentiam regulabilem tanquam eius terminum. Ad probationem dicitur Deum diligere ſe, vt cognoſcit diligendum ſolum per naturalem ſequelam, & concomitantiam; non vero, quod amor inducatur modo practico in voluntatem ex dictamine notitiæ practicæ. Ad 2. in caſu negatur antecedens, quia intellectus diuinus reſpicit eſſentiam, vt eſt præciſe talis naturæ ſpeculabilis, creatus vero intellectus reſpicit, vt eſt obiectum operabile ſcilicet per amorem attingibile; Dices eſſentia eſt talis naturæ, vt ſit in infinitum intenſiue diligibilis ergo intellectus diuinus intelligit eam ſic diligibilem; ergo cognoſcit, vt obiectum operabile. Reſpondetur ad vltimam conſequentiam, negando ipſam, ſi intelligatur intellectum diuinum cognoſcere eſſentiam diuinam, vt obiectum operabile ſecundum rectum dictamen rationis per diuinam voluntaté: Conceditur, quod intellectus diuinus cognoſcit diuinam eſſentiam eſſe ſumme diligibilem, & voluntatem diuinam ſumme diligere eandem diuinam eſſentiam, & hoc ex ſumma perfectione vtriuſque non ex præuio aliquo regulatiuo.

14 Theologia in intellectu diuino de rebus omnibus creatis, tam ſecundum poſſibilitatem earum præciſe, quam etiam ſecundum determinatam earum exiſtentiam actualem eſt ita ſimpliciter, & abſolute ſpeculatiua, vt nihil habeat de practico; Prima pars probatur, quia ante omne decretum diuinæ voluntatis non poteſt intellectus diuinus dictare, ſeu oſtendere voluntati aliquam rem eſſe determinate futuram, tum etiam, quia voluntas diuina tunc non eſſet libera; quia non poſſet non velle rem fore, ne tunc diſcordaret à recta regula, 2. pars probatur; nam reſcognoſcuntur determinate futuræ non ante, ſed poſt decretum diuinæ voluntatis, ergo non habet illum reſpectum prioritatis ad pra-

Digitized by Google

maximi; Hic præſupponuntur duo primum eſt de rebus extra ſe intellectum diuinum habere duplicem ſcientiam, cilicet ſimplicis intelligentiæ, & viſionis per primam cognoſcit res in eſſe poſſibili, & cognito ſic productas ſecundum tale eſſe à ſe, & ab eſſentia ſua ante decretum Diuinæ voluntatis, & de hac ſciētia nō eſt hic ſermo, quia res ſic cognitæ nullum habent eſſe futurum, per ſcientiam vero viſionis intellectus diuinus habet ſcientiam de rebus futuris productis in tali eſſe per decretum diuinæ voluntatis, & de tali ſcientia diuina recte dictum eſt non habere prioritatem ad praxim, atque adeo non eſſe notitiam, ſiue ſcientiam practicam; 2. quod præſupponitur eſt quod notitia practica, & praxis ſint in eodem ſuppoſito, ſic enim Theologia prędicta in intellectu diuino non eſt vllo modo practica.

15 Dices primo, Si prædicta Theologia de contingentibus in intellectu diuino eſset ſpeculatiua, tunc diuinus intellectus adeo eſset ſpeculatiuus cōparatione creaturarum ſecundum omne eſse, vt voluntas diuina non poſset velle illum non ſpeculari, & proinde non eſset diuina voluntas potentia abſolute libera. Reſpondet Scotus conceſſo antecedente negando conſequētiam, ſi quidem libertas diuinæ voluntatis ſecundum exercitium non eſt ad intrinſeca, quæ omnino anteuertunt in diuina eſsentia actum ſimpliciter primum diuinæ voluntatis, ſed ſolum comparatione rerum ad extra. Dices 2. ex Auguſtino. 6. de Trinit: cap. vltimo, Vbi ait Verbum eſt ars quædam omnipotentis; atque ſapientis Dei plena omnium rerum incommutabilium, ſed ars eſt habitus eſsentialiter practicus ergo in Deo reſpectu rerum habit habitum practicum, & conſequenter regulam regulantem; Reſpondet Scotus Artem ex Ariſtotile 6. Ethicorum eſse habitum cum vera ratione factiuum, & proinde complete contentiuum rectitudinis agendorum; & ſolum diminute accipitur; cum eſt pręciſe habitus apprehenſiuus rectitudinis agendorum; ſicuti accipitur à D. Auguſtino. Verbum autem non eſt habitus talis, ſed ars ſine imperfectione ſalua propria ratione artis cuius eſt oſtendere factibile &c.

16 Dices ars appræhenſiua rectitudinis agendorum poſt determinationem diuinæ voluntatis ponitur directiua, & regulatiua potentiæ exequētis, ergo eius comparatione eſt ſimpliciter habitus practicus. Reſpondetur negando antecedens, quia potentia executiua in Deo non diſtinguitur ſecundum rem à diuina voluntate, ſed eſt ipſamet voluntas, quatenus eſt effectiua rerum ad extra. Dices tertio ex eodem D. Auguſtino lib. 83. qq. qu. 46. Ideas (inquit) in Deo, eſse rationes æternas, ſecundum quas formatur omne formabile, ergo notitia Dei, in qua continentur Ideæ dicitur ſimpliciter practica; Reſpondet Scotus, quod illa particula ſecundum non accipitur directiue, ſed ſolūm oſtenſiue ſpeculatiuo modo. Dices 4. vt dicit Suarez. lib. 3. de Trinit: tractat. 1. cap. 4. cum alijs recenſoribus. Scientia practica non eſt neceſsarium, quod actu regulet, & dirigat; ſed ſatis eſt quod aptitudine at notitia rerum poſſibilium eſt apta ad dirigendum; & regulandum; ergo talis notitia, ſiue ſcientia erit pratica. Reſpondetur negando minorem, quia res poſſibiles non ſunt ſuapte natura determinatę ad opus, ſed indifferentes, & indeterminatæ.

17 Theologia de neceſsarijs in quocumque intellectu creato eſt ſimpliciter notitia practica; probatur primo de Intellectu Beatorum viſio beata eſt

ſua.

Digitized by Google

ſuapte natura dictatiua beatifici amoris, terminatur enim ad Deum ſuper omnia diligendum affectione iuſtitiæ, vt eſt ſummum bonum prius propter ſe amore amicitię, quam vt eſt bonum nobis, affectione comodi ſuper omnias amandum amore concupiſcentię, ſine vlla interruptione, ergo formaliter illa viſio eſt practica cum etiam habeat illum duplicem reſpectum prioritatis, & conformatiuitatis ad praxim tanquam ad ſuum regulatum per modum regulæ. Probatur de intellectu viatoris primo per fidem viatores cognoſcunt Deum prius eſse ſuper omnia diligendum, vt eſt ſummum bonum in ſe amore amicitiæ; quam vt eſt ſummum bonum noſtrum ſuper omnia diligendum à nobis amore concupiſcentiæ. Secundo per fidem cognoſcimus Deũ eſſe vltimum finem noſtrum determinatis medijs aquirendum, ſeu attingẽdum per viſionem claram, & amorem perfectum; Inſuper hæc noſtra Theologia habet illum duplicem reſpectum aptitudinalem prioritatis, & conformatiuitatis ad ſuam praxim elicitam, & imperatam.

18 Pro vberiori dictorum intelligentia notandum eſt conformatiuitatem ad praxim, quam habet notitia practica nullo modo intelligi poſſe, niſi praxis ſit actus liber elicitus à potentia operante comparatione obiecti operabilis, ſi enim voluntas neceſſitate naturali poneretur attingere aliquod obiectum non contingeret ei circa illud errare, ſed ſemper recte agere, ac proinde notitia illius obiecti ſolum ſpeculatiuo modo eſſet oſtenſiua praxis, & non praxis directiua practice, non enim poſſet dictare ſic eſſe praxim eliciendam circa illud obiectum; cum potentia eſset naturaliter determinata ad recte operandum poſita plena apprehenſione illius operabilis. Secundo notandum creatam voluntatē comparatione totius entis, ſiue Creati, ſiue increati eſse facultatem omnino liberam, & ita eſsentialiter, vt poſitis omnibus neceſsarijs ad agendum, & operandum prærequiſitis circa vnumquodque ſaltem quantum ad exercitium actus vere, & proprie libera ſit; ſi enim increatum ens etiam clarè viſum nolle, ſiue odiſſe nequit; propterea, quod ob infinitam bonitatem, quam eſsentialiter inuoluit obiectum nolitionis, ſiue odij eſse nequeat, id ſaltem non velle poteſt propter indifferentiam; & indeterminationem, quã natura ſua obtinet comparatione omnis boni volibilis, tam participati, quã imparticipati, ſicut eſt ipſum ens ſummè bonum per eſſentiam.

19 Hinc fit, quod Beati eſto nequeát Deum nolle, ſeu odiſſe, poſſunt tamen Deum non velle, ſeu non diligere ſuſpendendo actum amoris, & negatiue ſe habere erga illum ex 1. diſt. 1. q. 4. v. ad argumenta pro opinione, & 4. diſt. 49. q. 6. & quolib. 16. quia creata voluntas nihil neceſsario vult, ſed omnia contingenter ex D. Auguſtino 1. retractationum Cap. 9. & 22. nihil eſt magis in poteſtate voluntatis quam ipſa voluntas, quod nõ intelligitur, niſi quantum ad actum elicitum. Hinc etiam patet Beatos propria libertate errare poſſe quantum ad circumſtantias beatifici amoris, vt Deum principaliter non diligendo ſecundum affectionem iuſtitiæ propter ſe, ſed præciſe ſecundum affectionem comodi tanquam bonum ſibi; ſicut enim in poteſtate voluntatis eſt velle, & non velle, ita ſic, & ſic velle. Quare quantum eſt ex ſe libere errare poſſunt ſicut peccare poſsunt intrinſece ſpectata natura propriæ libertatis; eſto iſta potentia numquam reducatur ad actum ob cauſam extrinſece impediẽtem,

20 Theologia de contingentibus in Intellectu creato ſecundum ea, quæ abſolute præſeferunt à parte rei intrinſece eſt per ſe, & eſsentialiter ſpeculatiua, quia res contingentes ſunt per ſe, & natura ſua indifferentes, & indeterminatæ ad opus ſcilicet ad fore, & non fore, ergo non includunt intrinſece determinate conformitatem ad praxim; ſi tamen teneatur (quod eſt probabile) practicam notitiam, & praxim non neceſſario eſſe eiuſdem ſuppoſiti, vel Perſonæ dici poteſt ſcientiam, quam Deus habet de futuris cõtingentibus, poſt determinationem ſuę voluntatis eſſe practicam comparatione noſtræ voluntatis ei præbentem motiuum ad actum reddendi Deo debitas gratias; quatenus omnia propter nos creauit, &c. quamuis in ſe, & ratione obiecti ſit ſpeculatiua.

21 Dices ergo eadem notitia eſset ſimul practica, & ſpeculatiua, quod manifeſte cum veritate pugnat. Reſpondet Scotus practicum, & ſpeculatiuam ex obiecto pugnare ad inuicem, ſed practicam ex aliqua Cauſa extrinſeca non ſic pugnat cum ſpeculatiuo ex obiecto præciſe; Si inſtes cui per ſe conuenit vnum oppoſitorum, ei per ſe, & per accidens repugnat aliud. Reſpondet Scotus Practicum, & ſpeculatiuum non eſse oppoſita, niſi quãdo accipiuntur ab eadem cauſa per ſe notitiæ ſicut eſt obiectum; occaſione iſtarum reſponſionum Scoti nota eſse problema in doctrina Doctoris Subtilis eandem notitiam reſpicientem idẽ obiectum formale eſse poſse in vno ſuppoſito practicam, & in alio ſpeculatiuum; In primo enim ſcientiarum, diſt. 38. docet notitiam practicam dici ex directione praxis eiuſdem ſuppoſiti, non enim inquit ponitur notitia practica in aliquo vt eſt eius, niſi reſpecta praxis, quæ eſt in eius poteſtate, Cæterum in 3. diſt. 36. q. vnica docet oppoſitum, quod exemplo declarat; Notitia enim huius veritatis Angelus mouet Cœlum in Intellectu Angelico eſt formaliter practica, ſi quidem Angelus non neceſſitate naturali mouet Cœlum, vt male opinatus eſt Ariſt. ſed libere, & proinde talis notitia eſt regulatiua praxis in Angelo. Et tamen in nobis eſt vere ſpeculatiua.

22 Abſolute loquendo non habito reſpectu ad propoſitiones neceſsarias, aut contingentes Theologia Viatoris magis, & proprie eſt practica, quam ſpeculatiua. quia non tractat de ſpeculabilibus, niſi quatenus eorum cognitio requiritur ad praxim, diſputat enim de fine, & de condicionibus, quæ ipſum appetibiliorem reddunt, de medijs ad finem, & de condicionibus eorum, & tandem de cognitionibus, circa quas contingit potentiam operatiuam errare, & non de alijs, ſed cognitio omnium horum eſt requiſita ad praxim, & practicam cognitionem, vt patet ergo. Item finis Theologiæ eſt operari, & non eſt ſola rerum cognitione contenta, ergo eſt proprie practica. Antecedens probatur ex illo Ioan. 20. hæc ſcripta ſunt, vt credatis, & vitam habeatis in nomine Ieſu; non autem ſcripta eſſe, vt ſubtiliter diſputemus; nec vt curioſe Diuinam naturam inueſtigemus, ſed vt amore in Deum rapiamur, & transformemur; Confirmatur ex illo Matth. 22. In his duobus mandatis vniuerſa Lex pendet, & Prophetæ; ex quo elicitur, quod Theologia habet pro fine dilectionem Dei. In dilectionem enim Dei, & proximi tota Lex pendet &c. ergo Theologia magis eſt dicenda practica quam ſpeculatiua. Item tota ſpeculatio, quæ eſt homini conceſſa de Deo ad dilectionem eſt ordinata

ſecundum D. Auguſtinum libro de cognitione veræ vitę dicentem, perfectionem naturæ rationalis in hoc ſolum cōſiſtere, vt factorem ſuum verum Deum intelligat, intelligendo diligat, & diligendo in eo qui eſt vita æterna eſſentialiter perpetuo viuat, & ſic conſtat, quod Theologia propria, & principaliter cenſenda eſt practica. Sic concluditur primus Liber iſtius operis de quattuor Cauſis ſacræ Theologiæ.

LIBER SECVNDVS
DE DEO VNO ET TRINO.
De Prædicatis quiditatiuis Diuinis, & eorum modis intrinſecis. Cap. I.
De Prædicatis quiditatiuis Diuinis. Art. I.

1 IN antecedenti Libro procœmiali oſtenſa ſunt multa circa ſacram Theologiam, eius origo, ſublimitas, veritas ſufficientia!, & extenſio obiectiua, nec non eius virtus directiua in ordine ad vltimum finem; In hoc ſecundo Libro ſe offert nobis contemplandum ipſius ſacræ Theologię primarium obiectū nempè ipſemet Deus, ſeu Diuina eſſentia cum ſuis prædicatis quiditatiuis, modis intrinſecis; perfectionibus, & productionibus perſonarum, & alijs illis annexis; ſed ſecretiſſimates eſt Deus, & quæ omnium Intellectus creatos maxime fugiat; adeò vt Iſaias Cap. 45. fuerit coactus dicere; Vere tu es Deus abſconditus, Nec mirum, quoniam (vt ait D. Paulus 1. ad Timoth. Cap. 6.) habitat Lucem inacceſſibilem, quam nullus oculus ferre poteſt; Hinc cum Dominus pertranſiret coram Propheta Helia, & ante Dominum ſpiritus grandis, & fortis ſubuertens montes, & conterens petras Helias operuit vultum ſuum pallio, quia videlicet ſciebat tantum Diuinæ Maieſtatis ſplendorem humanos oculos ferre non poſse; Nam ſi filij Iſrael nō poterant intendere in faciem Moyſi, eo quod cum Domino in monte habuiſset colloquium, Exodi 34. Quid putas faciet Intellectus humanus, ſi intendere velit in faciem Dei, vt illum proprij Ingenij acumine penetret? certe neceſsarium eſt, vt fiat, quod ſapiens ait; ſcrutator Maieſtatis opprimetur à gloria; Quapropter nulla res eſt; in cujus cognitione perfecta magis oporteat captiuare intellectum noſtrum in obſequium Dei, quam ipſemet Deus, quoniam ad inueſtigandum ſupremum illud vnitatis, & trinitatis myſterium nullus Intellectus fide deſtitutus ſufficit; Lumine igitur Catholicæ fidei illuſtrati aggredimur tantum tractatum.

2 Cognitio, quam in hac vita habemus de Deo, vt vno non eſt clara & intuitiua, ſed obſcura, & abſtractiua iuxta illud 1. Corinth. Cap. 13. videmus nunc per ſpeculum in enigmate; Hæc

cognitio dupliciter haberi poteſt, primo ex Creaturis, in quibus tanquam in effectibus relucet potentia, ſapientia, & bonitas Creatoris; Secundo ex reuelatione, quæ nobis per Chriſtum, Prophetas, & Apoſtolos facta eſt; prior cognitio naturalis, & communis eſt omnibus Iob 36, 35. omnes homines vident eum, vnuſquiſq; intuetur procul; Quid eſt Deum procul intueri? Nihil aliud eſt quam eum intueri non in ſe, ſed in ſuis Creaturis, quæ procul ſunt à Deo, & eius perfectionibus; poſterior eſt ſupernaturalis, & non omnibus, ſed fidelibus tantum conceſsa iuxta illud Pſalmi 147. non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis; & vtroque modo tam ſcilicet ex Creaturis, quam ex reuelatione triplicia prædicata de Deo, vt vno cognoſcimus nempe relatiua, vt eſse primam cauſam, Creatorem, Gubernatorem, prædeſtinantem, reprobantem, &c. Secunda abſoluta, & poſitiua, vt eſse bonum, iuſtum, ſapientem, potentem, intellectu, & voluntate præditum. Tertia negatiua, vt eſse vnum, infinitum, immenſum, immutabilem, ſimplicem, ſeu omni compoſitione expertem; ſed clarius. Ex reuelatione (de qua eſt hic magis ad propoſitum) de Deo, vt vno cognoſcimus quattuor genera prædicatorum nempe quiditatiua, modos intrinſecos, attributa, & reſpectus ad extra, de quibus ſingillatim, & ordine ſuo erit ſermo.

3 Predicatũ Dei quid itatiuum eſt, quod clarè, & perfecte explicat naturam diuinam ſic quod ſi eſſentia, ſeu natura proprijſſime definiretur tale prędicatum, vel eſſet tota definitio, vel ſaltem eius pars, eo modo, quo dicimus Animal rationale eſſe totam hominis definitionem Animal vero, & rationale eſſe partes eiuſdem; hoc ſuppoſito; De eſſe ſeu eſsentia diuina hæc ſequentia certa ſunt ex quolib. 1. Primum quod eſſentia diuina quiditatiue eſt ens reale, quia omne ens rationis præſupponit ens reale, ſed eſſentia diuina nihil præſupponit, ergo non eſt ens rationis, ergo erit ens reale; ſecundum, quod ſit ens, ſiue entitas abſoluta non relatiua ob eandem rationem, quia vt inquit D. Auguſtinus omnis eſſentia, quæ relatiue dicitur eſt aliquid præter relationem; quia quod non eſt aliquid ad ſe ideſt abſolutum, nõ eſt omnino ad aliud, ideſt quod relatiue dicatur.

4 Tertium certum; Iſta entitas realis, & abſoluta eſt prima, quia eſt à ſe, & non ab alio producta; quartum iſta entitas eſt de ſe hæc, & ſingulariſſima non indigens aliqua differentia indiuiduali, vt conſtituatur in eſſe ſingulari, & indiuiduali. Quintũ certum eſt, quod iſta entitas, ſeu deitas eſt in diuinis ratio eſſendi ſimpliciter iuxta illud D. Auguſtini ſubſtantia Patris ipſe Pater eſt non quo Pater, ſed quo eſt, quia eſſentia diuina non eſt ratio eſſendi Pater, ſed eſt ratio eſſendi ſimpliciter; ex qua D. Auguſtini ſententia ſuſtineri poteſt eſſentiam diuinam poſſe dici ſubſtantiam non corpoream, ſed ſpiritualem viuentem vita ſpirituali, & intellectuali perfectiſſima; non quatenus dicitur ſubſtantia à ſubſtando nimirum accidentibus, ſed quatenus dicitur à ſubſiſtendo; quia propriè eſt ens perſe independens ab omni alio independentia inhęſionis, per ſe que ſubſiſtens. Quoniam tamen nomen ſubſtantiæ videtur primo impoſitum eſſe à ſubſtãdo quam à ſubſiſtendo. Ideo Patres potius in diuinis vtuntur nomine eſſentiæ, quam ſubſtantiæ 6. certum eſt hanc eſſentiam ſic explicatam imbibere totam perfectionem diuinam, & probat Scotus quol. 7. dicens, quod habens à ſe aliquid habet illud in tota plenitudine, quæ poteſt ſibi competere, cum nihil

ha-

Digitized by Google

habeatur limitate in aliquo niſi habeatur ab aliquo agente determinãte illud ad certum gradum, ergo eſſe diuinum, quod eſt omnino à ſe, includit ſaltem radicaliter omnem perfectionem ſimpliciter ſpectantem ad plenitudinem omnis eſſe ſub eſſe ſimpliciter.

5 Exiſtentia Dei eſt prędicatum eius quiditatiuum, ideſt eſt de ratione formali diuinæ eſſentiæ & quol. 1. art. 1. probatur ex ſacra ſcriptura Exodi 3. vbi Deus ſuam naturam formaliter explicat per exiſtere dicens Ego ſum, qui ſum; Item eſſe prædicatur in primo modo dicendi perſe de ipſo Deo, cum hac ratione dicatur ens per eſſentiam, ergo exiſtere eſt de quiditate Dei; Dices exiſtentia eſt comunis Deo, & Creaturis, vt docet Scotus in p. diſt. 3. & 8. q. 3. Sed exiſtentia in Creaturis eſt modus intrinſecus, & non prædicatum quiditatiuum, ergo exiſtentia in Deo etiam erit modus intrinſecus diuinæ eſſentiæ. Reſpondetur ex Scoto ad maiorem, exiſtentiam eſſe communem Deo, & Creaturis communitate tranſcendentali, & ſolum dicere conceptum quoddam obiectiuum, in quo prædictę duæ exiſtentiæ tranſcendentaliter conueniunt, & inadæquate à nobis concipiuntur; ſunt tamen omnino diuerſæ in realitate, cum nulla à parte rei excogitari poſſit realitas communis contrahibilis, in qua à parte rei conueniant. Ideo ad argumentum negatur conſequentia, quia realitas exiſtentiæ creatę eſt finita, realitas vero exiſtentiæ increatę eſt infinita intenſiue cum formaliter, & quiditatiue ſit ipſamet eſſentia diuina.

6 Ex dictis ſequitur iſtam propoſitionem Deus eſt eſſe per ſe notam, quia iſti termini Deus, & exiſtentia ſeu eſſe abſque alijs terminis extrinſecis nati ſũt facere euidentiam de dicta propoſitione cuilibet perfecte apprehendenti terminos, & iſta eſt propoſitio per ſe nota ſaltẽ intellectui diuino. Propoſitio enim per ſe nota eſt, quæ ex proprijs terminis, qui ſunt aliquid eius, vt ſunt eius habet euidentem veritatem, ex qua definitione perſpicue apparet non eſſe diſtinguẽdam iſtam propoſitionem Deus eſt in per ſe notam ſecundum ſe, & per ſe notam nobis, in per ſe notam magis, vel minus, in per ſe notam primi, & ſecundi ordinis ſic Scotus contra D. Thomam; & probatur: nam prius eſt per ſe nota, quam comparatio ad quem cum intellectum, quia etiam ſi nullus intellectus eſſet, illa propoſitio erit per ſe nota, quæ eſt nota ex terminis proprijs, & non alienis, vt totum eſt maius ſua parte, hoc enim habet ex natura rei, & non per extrinſecum reſpectum.

7 Hæc propoſitio Deus eſt, eſt immediata, & indemonſtrabilis ſumpto iſto termino Deus quatenus idem importat, quod hæc eſſentia diuina ſuapte natura exiſtens ſecundum ſe vna in tribus perſonis, & non quatenus accipitur confuſe alijs nominibus à nobis conceptibilis, vt ſunt ens infinitum, ſummum bonum, neceſſe eſſe. eſt inquam indemonſtrabilis, tam à priori, & per cauſam, quam à poſteriori, & per effectum quod à priori ſit indemonſtrabilis; patet primo quia eſt euidens ex terminis proprijs, ergo non indiget alienis, vt euidenter pateat, ſecundo, quia exiſtentia non eſt extra quiditatem, & formalem rationem deitatis, vt dictum eſt, ergo inter eam, & eſſentiam diuinam nequit dari medium cognitum, per quod à priori poſſit de Deo demonſtrari.

8 Quod ſit etiam indemonſtrabilis à poſteriori probatur à Scoto in primo diſt. 3. q. 1. ſic diuina eſſentia nomine Dei ſignificatur vt hæc eſſentia ſingulariſſime vna exiſtens in tribus, vt nulla creatura naturaliter cognoſcibilis aſ-

ſumi poteſt, vt medium cognitum ad demonſtrandum euidenter ſic Deum eſſe; quia non per ſimilitudinem vniuocationis, quæ inter Deum, & creaturam cum vniuocatio ſit in rationibus generalibus, nec per ſimilitudinem imitationis, cum omnis creatura imperfecte imitetur Deum, nec per Imaginem repertam in creatura rationali, quia, vt inquit Doctor ſubtilis, non eſt prędicatum naturaliter notum in rationalibus creaturis dari immaginem Trinitatis, inſuper Deum eſſe eſt ſolum notum nobis ex teſtimonio Dei reuelantis, ergo nullo modo poteſt à poſteriori demonſtrari Deum eſſe; Hic ſupponitur ex Scoto quolib. 7. art. 1. & dictis in Logica duplicem eſſe demonſtrationem alteram propter quid, quæ eſt per cauſam, alteram quia, quæ eſt per effectum, quia omne verum neceſſarium non euidens ex terminis demonſtrari poteſt per medium ex terminis euidens acceptum, vel à cauſa vel ab effectu, ex quo fit quod propoſitiones per ſe notæ nulla demonſtratione demonſtrari poſſunt.

9 Dices; Per ens ad finem demonſtratione quia cognoſcitur finis, ſed Deus ſub rationem Deitatis eſt finis creaturarum, ergo ex Creaturis poteſt euidenter demonſtrari Deum eſſe ſub ratione Deitatis. Reſpondetur ex Scoto in 4. diſt. 49. q. 8. duobus modis poſſe Deum appellari finem rerum ſcilicet finem propter quem, & finem ad quem; primo modo dicitur cauſa finalis omnium Creaturarum quatenus omnia propter ſe ipſum amata in actuali exiſtentia ſimpliciter producuntur. Secundo modo dicitur tantum finis creaturarum intellectualium quatenus ad eum attingẽdum ordinantur, tanquam ad illum, in quo vltimam recipiunt perfectionem, & appellatur ſic finis ad quem, quia ad eum, tanquam ad optimum terminantur immediate earum operationes vitales perfectiſſimę, quibus ei vniuntur eumque beatifice atque tingunt.

10 Ex quo fit, quod intellectuales creaturæ etiam duobis modis conſiderari poſſunt vno modo (& quidem cõmuni cum alijs Creaturis) vt reſpiciunt Deum ſub ratione finis propter quem fiunt, & ſub hac ratione ſunt naturaliter cognoſcibiles, inſeruiuntque tanquam medium cognitum ad Deum cognoſcendum non vt eſt hæc eſſentia exiſtens vna in tribus, quia nõ per hunc modum eſſendi tanquam per formalem rationem Deus Creaturas producit ad extra, ſed ſub ratione vnius independentis, increati, & infiniti. Secundo modo ſpectari poſſunt, vt reſpiciunt Deum ſub ratione finis attingibilis, vt eſt in ſe per actus earum vitales ad eum terminatos, & ſub hac ratione non ſunt naturaliter cognoſcibiles, ſub hac enim habitudine dicũtur intellectuales creaturæ ſuapte natura gratiæ conſumatæ, & cęterorum ſupernaturalium donorũ capaces; ſicque patet reſponſio ad argumentum ſupradictum n. 8.

11 Hæc propoſitio ens infinitum eſt actualiter exiſtens eſt in ſe demonſtrabilis propter quid, ita Scotus in 1. diſt. 2. q. 1. vbi eã probat ſic quicquid primo, & immediate cõuenit alicui de quolib. quod eſt in eo ſiue ſibi ſuperiori, ſiue inferiori, vel de propria eius paſſione propter quid demonſtrari poteſt per id, cui primo conuenit tanquam per medium diuerſimode tamen; de ſuperiori particulariter, de inferiori vniuerſaliter, & de propria paſſione adæquate; ſed in Deo vere reperitur infinitas formalis, & primaria in genere entis, quæ eſt radicalis in quocumque alio genere, ergo eſſe, quod per ſe primo, & immediate conuenit deitati, recte à priori, & propter quid de ipſa infinita-

te

Digitized by Google

te demonſtrari poteſt per Deitatem, infinitas enim neceſſitas, æternitas, & cæteri modi intrinſeci in Deo ſe habent velutipaſſiones conuenientes Deo tanquam in ſecundo modo dicendi non ſimpliciter ſed modo explicando in ſequenti articulo. Non poteſt tamen à nobis ſic demonſtrari; nam Deus vt eſt hæc eſſentia ſingularis, & per ſe exiſtens non cognoſcitur à nobis ſecudum ſe diſtinčte, quatenus ſignificatur hoc nomine Dei, ſed ſolum ex Creaturis à nobis confuſe cognoſcitur, quatenus ſignificatur confuſe nomine entis infiniti, ergo medium quo à priori poteſt demonſtrari eſſe de ente infinito eſt nobis omnino ignotum.

12 Eadem propoſitio ens infinitum eſt actualiter exiſtẽs poteſt demonſtrari à nobis à poſteriori, & per effectum colligitur ex illo Rom. 1. Inuiſibilia Dei à Creatura Mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, & proinde optime infert D. Paulus Atheiſtas in excuſabiles eſſe Deum eſſe negantes: quod ſi aliqui ex Sanctis Patribus hujuſmodi notitiam appellauerunt coniecturam; dicimus ſic eam vocaſſe comparatione notitiæ propter quid quæ eſt per cauſam, etenim ſcire per demonſtrationem, quia non eſt ſimpliciter ſcire comparatione ſcire propter quid, vt aduertit philoſophus 1.Poſt.c.2.tex.7. D.Th. Hanc propoſitionem nititur demonſtrare à poſteriori tali medio; Quicquid mouetur ab alio mouetur, quia idem non poteſt eſſe ſimul in potentia, & in actu, ergo deueniendum eſt ad aliquod primum mouens, ſimul immobile, quia progreſſus in infinitum non admittitur neque admitti debet, atque ita deueniendum eſt ad aliquem motorem immobilem, quem ens infinitum, & Deum appellamus ita ille p. p. q. 2. art. 1.

13 Hæc ratio inquit Scotus debili nititur principio, vt patet in plurimis exemplis Anima enim non ſolum mouet corpus, ſed ſeipſam, Angelus mouet ſe ipſum localiter; grauia, & leuia mouent ſe ipſa ad ſuum locum naturalem v. g. lapis ad centrum &c. cum autem dicit D. Thomas, quod idem eſſet in potentia & in actu; diſtinguit Scotus, & concedit quod eſſet in potentia formali, & in actu virtuali v. g. Angelus eſt in potentia formali, quia poteſt recipere vbi, eſt vero in actu virtuali, quia habet virtutem, vt ſe ponat ibi, & ita non ſequitur quod idem ſit in potentia, & in actu ſecundum idem: Scotus igitur efficacius eam demonſtrat à ratione effectus, & ſub ordinatione Agentium; nam certum eſt aliquem effectum accepiſse eſse poſt non eſse, vel ergo à ſe ipſo, vel ab alio, non poteſt dici, quod à ſe ipſo, quia idem non producit ſe ipſum, ergo ab alio; Quæro ſimiliter de illo alio, aut recepit eſse à ſe ipſo, aut ab alio, non à ſe ipſo vt patet, ergo ab alio, ſed hoc non, quia ſimiliter queri poſset à quo accepit eſse, & ſic daretur proceſsus in infinitum, quod eſt impoſſibile; Deueniendum itaque ad aliquod ens improductum; quod cætera produxit, ſicque demonſtratur efficaciter à poſteriori.

14 Deus eſt ſpiritualis ſubſtãtia formaliter, & quiditatiue viuens ita vt vita in primo modo dicendi per ſe de ipſo Deo enuncietur, quod ſit viuens patet ex illo Ioannis 14. Ego ſum via, veritas, & vita, & ex illlo Pſalm. 83. cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum Viuum; probatur ratione in entibus gradus viuentium eſt ſimpliciter gradu non viuentium perfectior, qua ratione muſcam dicimus Cœlo eſſe formaliter perfectionem, ſi Cœlum non ponatur formaliter animatum, ſicut reuera non ponitur, at Deus per eſsentiã conſtituitur in perfectiſſimo gradu en-

tium

Digitized by Google

tium cum ſit ens Infinitum ſummum ens &c. ergo conſtituitur in perfectiſſimo gradu viuentium non quidem metaphorice, ſed proprie, & multo magis quam cætera viuentia; nam naturalis ratio conuincit vitam in creatis rebus eſſe participatam, deriuarique neceſſario ſimpliciter à vita per eſſentiam, quę reperitur in primo ente omnium Auctore; Quod autem vita ſit prædicatum quiditativum Dei probatur ex D. Auguſtino lib. 6. de Trinit. Cap. vltimo, vbi inquit in Deo eſſe primam, & ſummam vitam. Non autem aliud viuere, & aliud eſſe; ſed illud eſt eſſe quod viuere.

15 Si dicas viuere eſſentialiter imperfectionem includit, vivunt enim, quæ ſe mouent, mouere autem ſe dicit imperfectionem, vel ſaltem non dicit perfectionem ſimpliciter, ſed perfectionem ſupplentem imperfectionem, ergo non ſolum vita non eſt de quiditate Dei, ſed neque in eo formaliter reperitur. Reſpondetur, quod mouere ſe quomodo reperitur in Creaturis dicit vtique imperfectionem; Deus autem non ſic ſe mouet, primo non tranſit ab vna operatione in aliam; Secundo quia ad operandum vitaliter non ſe mouet cum effectione, & receptione; Tertio quia operatio non actuat eſſentiam, cũ ſit in vltima actualitate; Quarto quia operatio ei non aduenit, tanquam quid duratione poſterius, cum vita in ea ſẽper coniuncta ſit ſuæ vitali operationi ſimpliciſſime pululanti ex ea, quæ pullulatio non eſt motus, aut efficentia ſicut in Creaturis dicens imperfectionẽ, ſed ſimplex emanatio operationis à ſua natura; Vt hæc Reſponſio clarior fiat notandum eſt, quod cum Deus ſit actus puriſſimus, & quicquid in eo formaliter eſt, ſit etiam ibi per modum actus puriſſimi; Hinc vita in Diuinis accepta prout formaliſſime ſignificat eſſentiam Dei à ſe habentem totalitatem eſſendi in actu ſignato, & in actu exercito præſcindit ab omni imperfectione, quam includit, quatenus reperitur in Creaturis viuentibus; Iam vero viuẽtes Creaturæ, cum Vitali modo in ſe ipſis operantur, id præſtant cum vera efficientia, & receptione ſuæ propriæ operationis vitalis. Ideoque vita in eis neceſſario includit duplicem habitudinem tranſcendentalem ad ipſam operationem alteram principij actiui alteram receptiui in Deo autem non ſic; ſed vt ſicut dictum eſt; eſt in Deo ſine omni imperfectione atq; adeo ſine illa duplici habitudine tranſcendentali ad operationem &c.

16 Vita igitur Inlellectualis ne dum reperitur in Deo ſine vllis imperfectionibus, ſed pertinet ad formalem rationem, ſeu quiditatem, vt probatum eſt ex D. Auguſtino loco citato, cui alium locum addimus nempe 15. de Trinit. Cap. 7. vel 5. vbi idem D. Auguſtinus ſic ait, quæ vita dicitur in Deo ipſa eſt eſſentia eius, atque natura. Hæc autem vita non talis eſt qualis ineſt arbori, nec qualis ineſt pecori, quod habet ſenſum, nec vllum Intellectum habet; at illa vita, quæ Deus eſt, ſentit, atque intelligit omnia, & ſentit mente non corpore, quia ſpiritus eſt Deus, quibus verbis dicere intendit illam vitam, quæ eſt eſſentia Diuina eſſe per ſe intellectualẽ, quæ vita Intellectualis eſſentialiter cõſiſtit in propria ſua eſſentia, quatenus eſt radix ex qua noſtro intelligẽdi modo cum fundamento in re ſpirituales facultates vitaliter operatrices Intellectus ſcilicet & voluntas emanant, & in qua vnitiue, ſeu Identice perfectiſſime etiam radicantur ſicut Scotus loquitur quolib. 5. exerceriq; præcisè per actus formaliter intelligendi, & volendi tanquam per ſpirituales operationes vitales.

17 Hoc

17 Hoc dictum eſt de fide, ſicut de fide eſt Deum eſse formaliter Intelligentem & volentem, vt tamen melius intelligatur; Notandum eſt Intellectualitatem poſse tribus modis accipi, primo modo de rigore ſermonis, quatenus per ſe primo eſt vocabulum impoſitū ad ſignificandam naturam, ſeu eſsentiā ſpiritualis ſubſtantiæ, quæ formaliter dicitur intellectualis cum ipſa ſit fons, origo, & radix à qua ſimpliciſſime ſine vlla efficientia pullulat vis, ſeu facultas intellectiua; & volitiua. Secundo accipitur, quatenus extenditur per ſe primo ad ſignificandum eiuſmodi duplicem vim, ſeu facultatem intelligendi, & volendi. Tertio modo in quantum (ſecundario tamen) etiam extenditur ad ſignificandum vitales operationes ſcilicet intelligere, & velle, nam ſicut vita principaliter ſignificat eſsentiam viuentis, & minus principaliter vitales operationes. Ita intellectualitas principaliter ſignificat intellectualem naturam cum illa duplici vi Intellectiua, & volitiua, & minus principaliter vitales operationes intellectionem, & volitionem.

18 Vlterius notandum, quod licet vita vegetatiua eminenter contineatur in ſenſitiua, & ſenſitiua eminenter, ſeu virtualiter in Intellectiua, quæ ineſt tā tum homini, cum in ipſo nō reperiantur tres Animæ realiter diſtinctæ, vt inepte aliqui opinati ſunt, ſed vna tantum formaliter; alias Inferiores ſcilicet vegetantem, & ſentientem eminenter, ſeu virtualiter continens, vt Scotus docet in 4. diſt. 44. q. 1; Inde tamen non recte ſequitur vitam intellectiuam; quæ ineſt ſpiritualibus ſubſtantijs Deo ſcilicet, & Angelis etiam eminenter, ſeu virtualiter continere vitam vegetatiuam, & ſenſitiuam, ſicut continentur virtualiter in vita Intellectuali hominis, qui ex parte ſaltem eſt naturæ corporeæ; & in quantum ſic ſuapte natura eſt capax operationum formalium vitæ vegetantis, & ſentientis, quippe quæ ſunt formaliter corporeæ; hoc eſt organicæ, & extenſæ, quarum operationum, neque Deus, neq; Angeli ſunt capaces; Ideoque vita hæc intellectualis in homine non ſolum à vita Intellectiua Dei à parte rei ſe tota eſſentialiter differt tanquā primo omnino diuerſa in realitate; ſed etiam eſſentialiter differt à vita Intellectiua Angelorum ſaltem tanquam pars ſpeciei à ſpecie perfecta ex 2. diſt. 1. q. vltima; vbi à priori ait Scotus prædictā differentiam eſſe omnino latētem cum ſolum ſic à priori à nobis tanquam diſtinctæ concipiantur.

19 A poſteriori vero differentia prædicta manifeſtatur ex diuerſa proprietate, quia Anima eſt naturaliter corpori organico vnibilis, illudque informare, & actuare, apta eſt ad conſtituendum hominem, qui eſt ſpecies completa à qualibet Angelorum ſpecie diſtincta; Angelis vero non ſolum id non cōgruit, ſed prorſus repugnat etiam per abſolutam Dei omnipotentiam, vt Scotus oſtendit quolib. 9., quia Angelus eſt ſubſtantia completa per ſe ſubſiſtens non habens proinde entitatem ordinabilem ad aliud, cui communicetur per ſe, neque per modum totius, neque per modum partis, & hæc eſt etiam adæquata ratio, cur Angelus habere nequeat, neque in ſe, neque in aliquo aſſumpto corpore operationes vitales vegetantes, vel ſentientes, vt Scotus declarat in 2. diſt. 8. q. 1. quia operationes illæ natæ non ſunt recipi, niſi in composito ex partibus organicis ſaltem perfecte mixto, & ex Anima in quantum habet potentiam perfectiuam prædicti compoſiti; quorum neutrum eſſe poteſt in Angelis corpora aſſumentibus, neque ſcilicet talis mixtio animationi præexacta, neo Anima perficiens, adeo

Digitized by Google

adeo vt impoſſibile ſit Angelos in ſe ipſis, vel in aſſumptis corporibus exercere poſſe operationes vitales vegetantes, & ſentientes.

20 Quo fit, vt in ſpiritualibus ſubſtantijs videre, audire, tangere, odorare, & guſtare aliud non ſignificent, quã operationes ſpirituales ſuperioris ordinis, quæ ſunt intelligere, & velle, & iuxta hunc ſenſum interpretari debent omnes locutiones ſacræ ſcripturæ, vt Gen. 8. odoratuſque eſt Dominus odorẽ ſuauitatis, & Pſalmi 29. audiuit Dominus, & miſertus eſt mei, & Pſalmi 93. qui plantauit aurem non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat; & Pſalmi 129. fiant aures intendentes in vocem deprecationis meæ; Eſto enim metaphorice ſcriptura ſacra in his locis loquatur quatenus eiuſmodi operationes vitales ſentientis vitæ ſpectantur in propria ſpecie quatenus tamen altiori modo exerceri poſſunt ab intellectu, & voluntate per operationes vitales ſpiritualis vitæ intellectiuę non ſecundum metaphoram, ſed ſecundum verum ſenſum accipiendæ ſunt omnes eius locutiones; ſic accipienda ſunt Verba Archangeli Raphaelis inter alia, illa cum dixit ad Tobiam; videbar quidem manducare, & bibere &c. Tobiæ Cap. 12. Verſ. 19.

21 Res creatæ, vel Creabiles nullo modo ſunt vita in Deo accipiendo rigoroſe vitam formaliter pro eſſentia rei viuentis concluſio probatur, ſuppoſito quod eſſentia Diuina formaliter ex natura rei ſit eſſentialiter vita Dei, & quod diſtinguatur ex natura rei ab omni principio operandi vitaliter, & conſequenter ab omni vitali operatione; nam proprium eſſe reale Creaturarum nullo modo continentur in Diuina eſſentia formaliter ex natura rei, ergo vita eſſentialis Dei nullo modo dici poteſt vere, & proprie vita creaturarum; Inſuper res creatæ, vel Creabiles ſolum eminenter continentur in eſſentia Diuina accepta præcisè in ſua quiditate, quatenus eſt vita Dei principaliter, ſed illud eſſe eminentiale neque in ſeipſo, neque qx parte continentis eſſentiæ eſt aliquid Creaturarum, cum ſit præcisè eſſe infinitum Diuinæ eſſentiæ, ergo non recte Creaturæ dicuntur vita in Deo, ex eo quod continentur in Deo.

22 Poteſt tamen dici præcisè res Creabiles omnes, & res Creatas dici vitam in Deo accipiendo improprie vitã ſcilicet pro actuali ſua operatione vitali intelligendi, & volendi qua principaliter vita manifeſtatur; Hoc dictum eſt de fide iuxta illud Ioan. 1. in ipſo vita erat, & aliud actuum 17. in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus; facile etiam probatur. Omnes enim res poſſibiles ſecũdum eſſe reale proprium ſunt obiectiuè ſub actuali intelligentia Dei quatenus rappreſentantur, declarantur, & exprimuntur per realem intellectionem ſuam, qua eas Deus intelligit ſecũdum eſſe proprium; ergo omnes ſunt vita in Deo; patet cum realiter res cognitæ ſint ipſa actualis cognitiò cognoſcentis, eo vel maxime, quia res extra Deum factæ, vel factibiles ab æterno in eo nequeunt habere per aliud eſſe aliquod proprium, quod ſit primum earum eſſe formale, quam per actualem intellectionem Diuinam, vt Scotus probat in 1. diſt. 36. ſed actualis intellectio Diuina, quatenus Deus per eam intelligit Creaturas dicitur etiam vita Dei ſaltem impropriæ, & ſecũdario cum Deus Creaturas intelligat etiam vitaliter operando, ergo actualis Intellectio Diuina quatenus eſt actualiter rappreſentatiua & expreſſiua Creaturarum vere dicitur earum vita.

23 Diuerſa prædicata, quæ per ſe enunciamus in primo modo dicẽdi per ſe de Deo more noſtro ad eius expli-

caudam

eandam quiditatem non diſtinguuntur tantum diſtinctione rationis ratiocinā-tis, quia eiuſmodi diſtinctio ex Scoto quolib. 1. cauſatur per actum Intellectus negociantis, ſiue comparantis eandem omnino rem adęquate conceptam ad diuerſa eſſe per rationem cauſatā; & proinde cauſatur independenter à re mouente, vel occaſionante, ſed prædicata dicta quiditatiue de Deo non ſunt Cauſata per negociationem Intellectus præcisè, ſed ſunt à parte Dei, quatenus Deus ita ſe habet in eſſentia ſua, vt poſſit diuerſos conceptus reales inadęquatos terminare, vt aduertit Scotus in 1. diſt. 8. q. 3. ad primum principale, ergo nequeunt ſola diſtinctione rationis ratiocinantis Intellectus diſtingui; Igitur eiuſmodi prædicata ſolum à parte rei diſtinguuntur virtualiter, vel eminenter ſecundum rationem ratiocinatam prima pars probatur, Eſsentia Diuina in ſua quiditate ita ſe habet, vt eminenter,& virtute comparatione noſtri Intellectus diuerſos conceptus inadæquatos terminare valeat, vt ſunt conceptus entis, ſubſtantiæ ſpiritus & intellectualis vitæ, ergo plura prædicata quæ concipimus concurrere ad conſtituēdam quiditatem Dei à parte rei virtualiter diſtincta ſunt. Secunda pars probatur Conceptus formalis ſubſtantiæ, ſpiritus, Intellectualis vitæ &c. ſunt conceptus inadæquati, ergo ſolum formantur ab Intellectu inadæquate concipiente cum fundamento in re.

24 Vt hæc doctrina clarius intelligatur notandum eſt ex Scoto in 1. diſt. 2. q. 7. & quolib. 1. duplicem eſſe diſtinctionem rationis, alteram deſumptam à parte rei ex aliqua ratione ratiocinabili, ſeu inadæquate conceptibili, alteram vero mere cauſatam per actum Intellectus; prior dicitur habere fundamentum à parte rei, & occaſionata ab eo; appellatiq; communiter diſtinctio rationis ratiocinatæ. Poſterior eſt, quæ ſolum non repugnantiam à parte rei habet, & communiter dicitur diſtinctio rationis ratiocinantis; Prior dicitur diſtinctio rationis ratiocinatæ propter fundamentum reale, quod habet à parte rei, quia res eminenter, & virtute ita ſe habet, ac ſi formalitates plures contineret, ideo etiam appellari ſolet diſtinctio ex natura rei, non formalis, ſed eminentialis, ſiue virtualis propter fundamentum immediatum repertum in re in ordine ad diuerſos conceptus inadæquatos, quibus poteſt ſuapte natura concipi; ſecunda diſtinctio mere proficiſcitur ex Intellectus operatione cum ſola non repugnantia à parte rei, cum ſit in ordine ad eandem rem adæquate conceptam, vt eſt à parte rei, quatenus ſic adæquate concepta à ſe ipſa per Intellectum diſtinguitur per quandam ſui comparationem ad diuerſa eſſe rationis ab ipſa ratione cauſata, ac proinde cadit omnino ſolum inter rem eandem adæquate conceptam, ſic diſtinguitur Petrus in propoſitione identica habens rationem ſubiecti à ſe ipſo habente rationem prædicati.

25 Dices ex præterita Doctrina diſtinctionis rationis ratiocinatæ ſequitur eadem diſtinctione rationis ratiocinatæ diſtingui attributa ab eſſentia Diuina, qua prædicata quiditatiua diſtinguuntur ab eadem eſſentia; Reſpondetur negando conſequentiam, quia cum attributis correſpondeant diſtinctæ, & propriæ formalitates, & realitates; & habeant diuerſum modum eſſendi, ſupponantque proinde tanquam perfectiones ſecundariæ eſſentiam Diuinam in ſuo eſſe quiditiuo completo, & conſumato. non poſſunt ita comparari ad eſſentiam ſicut ad eam comparantur prędicata quiditatiua? Quia igitur attributis correſpondent realitates diſtinctæ, Ideo inter ſe, & ab eſsentia diſtinguntur

M tur

Digitized by Google

tur formaliter, vt infra diffuſe probabitur. Quia vero prædicatis quiditatiuis non correſpondent realitates propriæ diuerſæ, ideo diſtinguntur ſolum diſtinctione rationis ratiocinatæ modo explicato. Ex quo notum fit Thomiſtas multum errare dum aſserunt attributa Diuina diſtingui ab eſsentia Diuina ſolum diſtinctione rationis ratiocinatæ.

De modis intrinſecis Diuinæ eſſentiæ in communi, & in particulari de infinitate, & ſimplicitate. Art. II.

1 Modus intrinſecus (generaliter loquendo) eſt qui additus rei, cuius eſt modus non variat rationem eius formalem, & quiditatiuam, ſi enim homini addatur eſſe limitatum dicendo homo eſt limitatus non variat rationem hominis formalem, ſed relinquit eum eſſe Animal rationale; Idem dicendum de modis diuinæ eſſentiæ, quæ licet ſint prædicata Dei, & eius diuinæ eſſentiæ in primo modo dicendi per ſe; non ſunt tamen primi gradus illius modi dicendi, ſed quaſi gradus ſecundarij; Attributa autem non ſunt primi modi, & multo minus primi, aut ſecundi gradus, ſed potius ad ſecundum modum dicendi per ſe pertinent, ſupponitur hic ex primo poſt: illum eſse primum modum dicendi per ſe, cum definitio prædicatur de ſuo definito, quod ſi tota definitio prædicatur, tunc eſt primus gradus primi modi, vt dicendo homo eſt Animal rationale, quod ſi ſolum pars definitionis prædicetur, tunc eſt ſecundus gradus primi modi, vt dicendo homo eſt rationalis; Quando vero prędicatur propria paſſio de ſuo ſubiecto, tunc eſt ſecundus modus dicendi per ſe, ſic in ſcientijs humanis, quæ doctrina transfertur ad diuina ſecluſis imperfectionibus.

2 Sicut enim in creaturis apprehendimus quiditatem, rei differentiam, & proprias paſſiones, ita quod quiditas pertineat ad primum modum, & primum gradum differentia ad primum modum, ſed ſecundum gradum, & propriæ paſſiones ad ſecundum modum; Ita ſuo modo in Deo. gradus intrinſecus non eſt quidem differentia, immo plurimum differt ab ipſa, quia ſicuti Deo non competit genus; ita nec differentia, longe enim eſt à perfectione diuina ratio potentiæ, ſeu potentialitatis, quam in ſuo genere ſupponit differentia, habet ſe tamen modus intrinſecus quaſi differentia, & ideo modi intrinſeci, & attributa partim conueniunt, & partim differunt, conueniunt in hoc quod pertinent ad quiditatem realiter licet non formaliter; realiter pertinent ad quiditatem, quia alias eſſent accidentia.

3 Conueniunt ſecundò quod, tam modi intrinſeci, quam attributa dicunt in Deo perfectionē, ſine imperfectione; ideoque poſſunt Deo competere formaliter; conueniunt; tertio in hoc, quod pullulant ab eſſentia Dei, quod non competit eis, quæ ſunt de quiditate, nam eſſe Dei non pullulat à deitate, ſed eſt ipſa deitas, ſi enim eſse Dei pullularet à Deitate, tunc prius natura Deus ſeu eſsentia Dei eſset antequam eſset patet, quia emanatio pertinet ad actum ſecundum. Differunt autem primo, quia vt dictum eſt modi intrinſeci pertinent ad primum modum dicendi perſe, attributa ad ſecundum modum dicendi perſe, differunt ſecundo, quia modi intrinſeci non diſtinguuntur formaliter ab eſsentia, ſed bene attributa; Modi intrinſeci eſsentiæ diuinæ ſunt infinitas, ſimplicitas, immutabilitas, æternitas, incomprehenſibilitas, inef-

ineffabilitas, immenſitas, ſumma perfectio, & neceſse eſse.

4 Doctor ſubtilis in p. ſent: diſt. 2. q. 1. demonſtratiue agens de infinitate Dei oſtendit dari in rerum natura de facto ens actu infinitum quod eſt Deus, primo ex proprietatibus reſpectiuis Dei ad Creaturas, vel in quantum terminat reſpectus, & earum dependentias ad ſe ipſum, quas proprietates declarat per triplicem primitatem ipſius ad res creatas ſcilicet efficientiæ finis, & eminentiæ. Eſt enim primum efficiens ſimpliciter omnino à ſe agens independẽter ab omni alio: Eſt etiam vltimus finis ſimpliciter omnium, & tandem eminentiſſimum primum continens quicquid eſt perfectionis, & virtutis in omnibus Creatis rebus. Secundo idem oſtendit ex proprietatibus abſolutis, ex eo ſcilicet, quod eſt actu intelligens & volens, hoc eſt omnia intelligibilia actu, in multitudine infinita ſimul actu intelligens vnica intellectione, & pariter omnia volens, vel ſaltem eſt potens velle omnia actu vnica volitione.

5 Deus à parte rei non eſt extenſiue infinitus neque quoad molem quantam materialiter, neque formaliter quoad durationem ſucceſſiuam, neque quoad multitudinem, ita ex quolib. 6. art. 1. puncto 2. vbi ait Scotus in diuinis non dari æqualitatem inter diuinas perſonas ſecundum quantitatem corporeã, quia cum quantitas primo diuidatur in continuam, & diſcretam, in diuinis nulla eſt diſcreta quantitas niſi ſola perſonarum Trinitas, quæ non eſt numerus prædicamentalis: Deinde cum continua quantitas diuidatur in permanentem, & ſucceſſiuam. In diuinis eſto detur æternitas, quæ tanquam duratiua quantitas correſpondet quantitati ſucceſſiuæ, & magnitudo perfectionis correſpondens quantitati molis; proprie tamen, & vere neutra quantitas eſt ibi admittenda; ergo Deus nullo modo prædicto excogitari poteſt infinitus. Hic non eſt ſermo de infinito negatiue ſumpto, quomodo dicimus punctum eſse infinitum, quia cum ipſum ſit terminus lineæ principium, & finis non poteſt finiri, neque terminari. Et ita eſt infinitum negatiue; neque eſt ſermo de infinito priuatiue, quale eſset tunc ſi v.g. Deus ſepararet à corpore omnes dimenſiones, & non haberet, at ita eſset priuatiue infinitum, ſed eſt ſermo de infinito negatiue pro eo quod non habet terminum ſuæ perfectionis quem non eſt aptum in ſe habere.

6 Deus non eſt putandus ita infinitus intenſiue quaſi in ſe habeat formaliter gradus entitatis metaphyſice; infinitos, quibus cõſtet, quemadmodum qualitates corporeę, vel ſpirituales eiuſmodi gradibus conſtant, ſecundum quos intenduntur, & remittuntur, ſuſcipientes magis, & minus intra conſtitutionem vniuſcuiuſque indiuidui determinatæ ſpeciei, ita colligitur ex Doctore ſubtili in 1. d. 8. q. 1. vbi omnẽ compoſitionem, & componibilitatem excludit non ſolum rei, & rei ſed etiam realitatis, & realitatis idque repetit in 2. d. 3. q. 6. & alibi ſæpe, ſed gradus metaphyſici veram efficiunt à parte rei compoſitionem gradualem; cum vnus ſcilicet pręexiſtens ſit potentialis comparatione alterius aduenientis, hoc enim modo augentur, & intenduntur formæ pręſertim ſpirituales ita in 1. diſt. 17. q. 5. cum ſcilicet realitati poſitiuæ præexiſtenti alia realitas additur; ſic intenduntur etiam habitus &c. Reſtat ergo, vt dicamus Deum eſſe non ſolum formaliter, ſed etiam fundamentaliter, ſeu radicaliter infinitum, tam entitatiue in genere entis ſimpliciter, quam ſecundum virtutem in genere principij productiui 1. d. 2. q. 1., & diſt. 8. q. 1. &

M 2 diſt.

diſt. 13. q. vnica, & in 4. diſt. 13. q. 1. art. 2. & quolib. 1. art. 1. & quolib. 5. art. 1. & quolib. 6. art. 1. punct. 2.

7 Et probatur ſic Deus habet entitatem abſolutam ex natura rei exiſtentem omnino primam, & à ſe, igitur habet entitatem prorſus illimitatam, tam in eſſendo, quam in principiando omnino excludẽtem limitem, & terminum perfectionis, conſequentia probatur ex quolib. 7, quia quod habet à ſe aliquid habet illud in tota plenitudine, quæ ſibi competere poteſt; nihil enim habetur limitate in aliquo niſi habeatur ab aliquo agente illud determinante ad certum gradum; Et quod infinitas Dei ſit etiam fundamentalis, ſeu radicalis oſtẽdit Scotus quolib. 5. vbi docet ex eo, quod eſſentia Diuina habet infinitatem propriam, & primam ſcilicet à ſe eſt ſufficiens in ratione principij, & fundamenti, vt ex ea eſſe poſſit omne aliud eſſe. Non tamen omnia, quæ ſunt in Deo formaliter ex natura rei ſunt modo prædicto infinita; ſed vnum tantum ſic radicaliter infinitum in genere entis, reliqua vero, vel tantum infinita formaliter in proprio genere, vel tantum infinita idẽtice. Hoc probatur à Scoto quolib. 5. vbi demonſtrat non poſſe dari plura entia formaliter infinita realiter diſtincta; prima pars probatur, quia vnum tantum eſt infinitum formaliter, & radicaliter in genere entis ſimpliciter; cum vnum tantum ens in tota latitudine rerum habeat eſſe omnino à ſe; Secunda pars probatur, quia attributa ſolum ſunt infinita formaliter in determinato genere ſub ente infinito, & non in genere entis ſimpliciter. Tertia pars probatur; Relationes enim perſonales ſunt ex natura rei in Deo, quæ tamen non ſunt formaliter infinitæ, ſed tantum identice, etenim formaliter infinitum, nec poteſt realiter multiplicari, nec eſt formaliter incommunicabile; at perſonalitates Diuinæ ſunt realiter diſtinctæ, & formaliter incomunicabiles, ergo non formaliter, ſed tantum identice ſunt infinitæ.

8 Sicut in rebus Creatis dantur tria genera prædicatorum; quorum quædam dicuntur prædicata quidditatiua, quædam qualificatiua, & quædam modalia, vel realiter, vel ſaltem ex natura rei diſtincta, quatenus à parte rei ſunt, vel res realiter ſeparatæ, vel ſeparabiles, vel diuerſæ realitates, quarum vna à parte rei non eſt alia, & de eis ante omnem negociationẽ intellectus enunciari poſſunt duo contradictoria prædicata (hoc enim eſt adæquatum ſignum diſtinctionis ex natura rei) ita proportione ſeruata in Diuinis dantur prædicata his ſimilia ſcilicet quidditatiua, quæ ſunt ſubſtantia ſpiritus, & intellectualis vita; Qualificatiua, vt bonitas, iuſtitia, Charitas, ſapientia, &c. Et prædicata modalia, quæ ſunt infinitas neceſſitas, immenſitas, &c.

9 Infinitas ſumpta ab eſſentia, vt quid, eſt de conceptu formali eſſentiæ Diuinæ, nam eſſentia Diuina ſe ipſa eſt perfectiſſima, ergo ſe ipſa eſt formaliter infinita; antecedens patet per Scotum quæſt. 3. Prol. Deitas eſt ratio formalis obiecti Theologici, qua continet ea, quæ continet quod non eſſet, niſi eſſet perfectiſſima, tum quia Deitas eſt ratio formalis obiecti beatifici, quod non eſſet niſi ex ſe eſſet perfectiſſima. Alias niſi Deitas eſſet ex ſe talis, & formaliter infinita non eſſet verum illud dictum D. Anſelmi Proſolog. Cap. 2. vbi dicit. Quod Deus eſt quo magis excogitari non poteſt; ſi enim non eſſet formaliter infinitus, tunc magis eo excogitari poſſet, ſcilicet aliquod ens formaliter infinitum. Infinitas ſumpta à quantitate virtutis eſt modus intrinſecus, & per conſequens non eſt de ratione formali Diuinæ eſſentiæ, quia ſic

non

non dicit aliquam rationem diſtinctam ab eo, cuius eſt ſic infinitas, & modus. Infinitas igitur Dei non eſt prædicatum quiditatiuum ipſius, ſed potius extra eius quiditatem, tanquam quidpiam illa quiditate naturaliter poſterius, ita Scotus qu. 3. Prol. vbi docet poſſe nos naturaliter Deum cognoſcere ſub ratione infiniti, non autem ſub ratione Deitatis, per quam tanquam per ſuam perfectiſſimam quiditatem virtualiter continet omnes veritates neceſſarias Theologiæ. Idem habet alibi. Hinc probatur intentum ſic Deus ſecundam ſuã quiditatem præciſe non eſt naturaliter cognoſcibilis, & tamen cognoſcibilis ſub ratione Infinitatis, ergo Infinitas eſt prædicatum extra quiditatem Dei illi naturaliter poſterius quaſi adueniens. Rurſus Infinitas eſt propter quid de Deo demonſtrabilis (ex Scoto 1. d. 2. q. 2.) per hoc medium à priori, quod eſt eſse à ſe, ergo eſt prædicatum ſimpliciter extra quiditatem Dei.

10 Si dicas; infinitas Deo conuenit circumſcripto omni eo, quod non eſt Deitas, cum omni illo circumſcripto adhuc Deitas ſit ex ſe formaliter perfecta, ſed non perfecta finite, ergo infinite, & proinde ſequitur infinitatem eſſe formaliter de quiditate Dei; Reſpondetur negando antecedens, & ad eius probationem, dicitur omni eo circumſcripto, quod à parte rei non eſt Deitas ſolum Deum concipi, vt infinitum fundamentaliter ſua quiditate, concipitur enim fundamentum neceſſarium illius modi ſcilicet Infinitatis, Inſtabis, conceptus Deitatis præciſè acceptus, vt præſcindit ab infinitate eſt conceptus confuſus, indeterminatus, indifferens, & quaſi potentialis, ergo infinitas ſe habet ad illum, tanquam differentia eſſentialis eſſentialiter illum ſpecificans ſecundum noſtrum concipiendi modum, Reſpondetur antecedens eſſe ſimpliciter falſum, & ſolum verum comparatione noſtri Intellectus non potentis Deum pro ſtatu iſto in ſe immediate exiſtentem, & præſentem intuitiue cognoſcere, nec potentis eum abſtractiue concipere ſecundum proprium eius conceptum, cum prima eius motio ſit à ſenſibilibus; Cæterum comparatione Intellectus Diuini, & beati falſum eſt, Beati enim cognoſcunt quiditatem Dei clarè, & diſtinctè, vt à parte rei diſtinguitur ab Infinitate, immo cognoſcunt demonſtratiue Deum infinitum: quia habet eſſe ſuum quiditatiuum omnino à ſe.

11 Eius modi Infinitas accepta, vt à parte rei diſtincta ab eſſentia Diuina, & ab eius quiditatiua perfectione non dicit puram negationem eſſendi ab alio, vel negationem limitis & termini; ſed accepta ſecundum ſignificatum rei veram rationem poſitiuam importat, probatur eſſentiali perfectioni Diuinæ, ita ineſt negatio termini, & limitis, vt à parte rei omnino repugnet habere terminum, & limitem, ergo ineſt ei eiuſmodi negatio per rationem aliquam poſitiuam, & proinde infinitas neceſſario addit aliquam rationem poſitiuam perfectioni Diuinæ entitatiue docente Doctore ſubtili in 3. diſt. 1. q. 1., & alibi ſæpè negationem non ineſſe, niſi per affirmationem quando ineſt eum repugnantia, & ſic ineſt vni, quod repugnet alteri. Exprimitur autem per negationem, tanquam per notiorem nobis, ſic incorporeum, incorruptibile in genere ſubſtantiæ etiam ſi ſint nomina negatiua tamen poſitiuam entitatem inſinuãt, ſicut nomen iniuſtum, intemperatum, &c. in genere qualitatis licet ſint negatiua tamen habitum poſitiuum ſignificant, Eiuſmodi infinitas non dicit attributum diſtinctum formaliter ex natura rei à Diuina eſſentia, ſed tantum modũ quendam intrinſecum ex natura rei ab

ea ſolum modaliter diſtinctum, quia infinitas non eſt conceptibilis abſque re, cuius eſt infinitas, ergo non dicit realitatem formaliter diſtinctam à Deitate. Antecedens experientia conſtat, cum enim concipimus Deitatem neceſſario concipimus quiditatem aliquam habẽtem eſſe ita illimitatum, vt ei repugnat habere terminum, & limitem perfectionis, tamen quod diſtinguatur modaliter à parte rei ita probatur, modus rei non eſt nihil, ergo aliquid à parte rei diſtinctum non enim idem omnino ſunt res, & modus rei.

12 Solus Deus eſt perfecte infinitus quia ſolus Deus eſt entitatis infinitæ, & virtutis, ſeu vigoris infiniti, ſolus enim Deus continet omnia perfectiſſime, vel formaliter, & hoc modo continet ea, quæ dicunt perfectionem, & ſunt de quiditate eius, vt ſunt modi eius, & attributa realiter latè, quæ non ſunt de quiditate eius. Sed diſtincta formaliter ab eadem eſſentia ſiue quiditate; vel realiter, & identice ſic continet realitates perſonales ad intra; vel eminenter qualiter continet ea, quæ dicunt perfectionem ſecundum quid, ideſt reſolubilem in perfectionem, & in Imperfectionem continet tamen ſecluſa imperfectione, continetque perfectiori modo quam in ſe ſint, vel virtualiter, vt ſunt in Deo illa, quæ cauſantur, vel cauſari poſſunt ab illo; Deus eſt ita ſolus infinitus, quod impoſſibile ſit, vt per ſuam abſolutam potentiam faciat aliquam Creaturam formaliter infinitam per eſſentiam probatur primo Infinitas per eſſentiam aduerſatur directe formali rationi entis Creati, ergo non poteſt per Diuinam potentiam Creaturam ſic fieri infinitam. Antecedens probatur. Infinitas per eſſentiam neceſſario ponit negationem eſſendi ab alio, ergo formaliter excludit rationem entis participantis eſſe ab alio at Creatura incluit rationem huiuſmodi eſſendi ab alio, ergo ei repugnat infinitas per eſſentiam.

13 Quæres vnde prouenit Creaturę iſta repugnantia ſiue impoſſibilitas, pro reſponſione reſolutiua notandum eſt non eodem modo res ſe habere ad impoſſibilitatem ſicut ad poſſibilitatem, nam ad poſſibilitatem ſe habent comparatione potentiæ Diuinæ, nam res per ſe primo, & immediate poſſunt poſſibilitatem eſſendi aliquo modo recipere ex parte Dei; non ſic vero impoſſibilitatẽ; Dicuntur enim eſſe per ſe primo ab Intellectu, & immediate quaſi principiatiue; cum eas virtute eſſentiæ Diuinæ cognoſcit ſecundum eſſe, quod eis non repugnat, formaliter vero dicuntur poſſibiles ſe ipſis quatenus ſuapte natura ſic ſe habent, vt verum eſſe eis non repugnet; ita vt verum ſit dicere in aliquo priori inſtanti naturæ Diuinũ Intellectum eſſentia fœcundatum (cum cognoſcit Creaturas) producere eas in eſſe cognito, eiſque tribuere principiatiue poſſibilitatem eſſendi, & in ſecundo inſtanti ipſas res eſſe ſeipſis formaliter poſſibiles per poſſibilitatem non inuoluentem formaliter repugnantiam ad ſimpliciter exiſtendum; ſed de impoſſibilitate eſt aliter dicendum; Illa enim nequit eſſe primo per ſe ex parte Dei, quatenus impoſſibile dicitur, quod ſimpliciter in ſe ipſo includit duo impoſſibilia, quæ ex ſuis rationibus formalibus non poſſunt in vnum tertium coincidere, ab eo autem, à quo principiatiue habent ſuas rationes formales; recipiunt impoſſibilitatem ſic principiatiue tamen remote, & mediate; quatenus ſcilicet impoſſibilitas illa eſſendi proxime fundetur in illis rationibus formalibus rerum, quæ ſic impoſſibiles dicuntur ad vnum tertium conſtituendum.

14 Notandum 2. Cauſam, propter quam infinitas huiuſmodi ſimpliciter repu-

repugnat Creaturis eſſe triplicem ex Scoto in 3. diſt. 13. q. 1. ad 3. principale, vbi explicans cur gratia, ſeu Charitas ſanctiſſimæ Chriſti Animæ collata nequeat eſſe infinita, inquit ex triplici capite id prouenire; primo quia Charitas eſt participatio quædam Dei; ideo neceſſe eſt ſecundum gradum aliquem partem capere infinitę perfectionis Dei, & proinde neceſſario includit determinatum gradum reſpectu Charitatis infinitæ, ſicuti eſt determinata participatio eius: alioquin concludi poſſet calorem, & qualemcumque aliam formã eſſe poſſe infinitam cum quælibet forma ſit participatio infiniti; Inſuper quidquid reponitur in prædicamento neceſſario eſt finitum, & limitatum, ſed gratia, & Charitas Chriſti eſt in prædicamento qualitatis, ergo neceſſario eſt finita, & limitata ergo ei repugnat infinitas 2. ex parte efficientis quia efficit de nihilo naturam limitatam, 3. ex parte capacitatis ſubiecti, quia & ſi capacitas eius ſit reſpectu cuius cum gradus in forma, tamen capacitas alicuius finiti non eſt ad formam infinitam, omnes iſtæ rationes ſimul exludunt infinitatem à quibuſcumque formis creatis, tam accidentalibus, quam ſubſtantialibus, ſed prima præciſe cauſa infinitatem excludit ab omni ſubſtantia creata, ſiue corporali, ſiue ſpirituali.

15 Simplicitas diuina, quæ eſt ſimpliciter perfecta excludit quod cumgenus compoſitionis 2. ſent: diſt. 3. q. 6. eſt enim compoſitio multiplex (vt ibi ipſe monet) alia eſt compoſitio proprie, & alia minus proprie accepta, prior eſt compoſitio perfectiſſima, quę ſit proprie ex rebus realiter diſtinctis ſe habentibus ad inuicem per modum actus, & potentiæ, quæ communiter phyſica appellatur; & eſt triplex, prima fit ex partibus eſſentialibus materiæ, & formæ; 2. ex partibus quantitatiuis, 3. ex ſubiecto, & accidente. Poſterior compoſitio fit ex realitate, & realitate actuali, & potentiali in eadem re, appellaturque communiter Metaphyſica, quæ etiam in ſuo genere eſt multiplex; alia ex realitate generis, & realitate differentiæ ſpecificæ; alia ex natura communi, & differentia indiuiduali, alia ex natura cum ſua proprietate; alia ex re cum realitate ſui modi intrinſeci; ſed clarius; Simplicitas opponitur compoſitioni, ſicut vnitas multitudini; Illud enim eſt ſimplex quod non eſt compoſitum, ſicut illud eſt vnum, quod non eſt multa; Eſt autem varia compoſitio, vt recte docét Scholaſtici, vna ex genere, & differentia, altera ex materia, & forma, 3. ex partibus integrantibus, 4. ex eſſentia, & exiſtentia, 5. ex natura, & ſuppoſito, vel (vt alij vocant) ex natura, & ſubſiſtentia ſeu perſonalitate 6. ex ſubiecto & accidente 7. expoſitiuo & priuatiuo; His omnibus commune eſt (ſed ſuo modo) conſtare ex actu, & potentia; nam differentia, forma, pars integrans, exiſtentia, ſuppoſitum, accidens, & priuatiuum habent rationem actus, ſeu formæ; ſicut è contrario Genus, materia, pars integrata, eſſentia, natura, ſubiectum, poſitiuum &c. habent rationem potentiæ.

16 Hæc tria ſimplex præciſe, ſumme ſimplex, & ſimpliciter ſimplex non idem ſignificant, nam ſimplex præciſe excludit propriam & phiſicam compoſitionem, ſic Intelligentiæ ſecundum Philoſophum, & Angeli ſecundum Theologum dicuntur ſimplices; qui tamen admittunt compoſitionem impropriam, & metaphiſicam, & præcipue illam, quam vocant compoſitionem expoſitiuo & priuatiuo, ſumme ſimplex ex loco citato excludit omnem compoſitionem, & componibilitatem, itaut ſuapte natura ſibi repugnet omnis

com-

Digitized by Google

compoſitio, & componibilitas; ſic ſolus Deus eſt ſumme ſimplex, cum hoc tamen admittit plures conceptus, ſiue inadæquatos, ſiue adæquatos; in quibus reſolubilis eſt; Tales ſunt conceptus, quiditatiui, modales, & attributales, qui tamen in eo nullam omnino faciunt compoſitionem ob rationem infra aſſignandam; Simpliciter ſimplex eſt, quod non admittit compoſitionem, nec componibilitatem, nec pluralitatem conceptuum, in quibus reſoluatur; nec adæquatorum, nec inadæquatorum, & hoc modo dicuntur ſimplicitatem habere omnia tranſcedentia, ſcilicet ens reale præciſe in ſe acceptum, vt præſcindit à ſuis inferioribus, paſſiones eius, & vltimæ differentiæ.

17 Deus igitur non eſt compoſitus phiſice ex partibus eſſentialibus materia, & forma, aliàs Deus non eſſet primum efficiens, nam omne compoſitum ex Materia, & forma neceſſario eſt Cauſatum ab alio effectiue, cum Cauſalitas materiæ, & formæ non ſit ſimpliciter prima. Forma enim neque à ſe educitur de gremio Materiæ, neque à ſe vnitur illi ad conſtituendum tertium, ſed virtute agentis, ergo Deus nequit eſse compoſitus hac compoſitione, neque eſt compoſitus ex partibus integralibus, & quantitatiuis, quia quantitas naturaliter conſequitur tanquam ſubiectum ſibi proportionatum ſubſtantiam corpoream compoſitam, Deus autem eſt ſubſtantia non corporalis ſed ſimpliciter ſpiritualis, ergo, ſed Deus eſt ſumme ſimplex, & perfecte talis per excluſionem omnis compoſitionis, & componibilitatis proprie, & minus proprie acceptæ, & ita eſt ſumme, & perfecte ſimplex, vt etiam omnino repugnet venire in compoſitionem alterius.

18 Non enim idem ſunt aliquod eſſe in ſe compoſitum, & venire in alterius compoſitionem, nam eſſe compoſitum ex quolib. 9. art. 1. ſignificat habere materiam, & formam tanquam partes ſui, & quod eſt hoc modo compoſitum ſi habet formam vltimam nequit venire in compoſitionem alterius, quod ſit per ſe vnum; ſed in compoſitionem alterius venire præciſe ſignificat eſse poſse partem alterius; quod duobus modis fit, vel per modum ſubiecti, & potentiæ, vel per modum actus, & formæ informantis; ſed Deus nullo modo poteſt venire in compoſitionem alterius, alias non eſset infinitus, & ſimpliciter perfectus, cum eſset pars. Quare autem eſſentia Diuina habens attributa, & relationes perſonales non componatur cum illis; Reſpondetur hoc prouenire ex ſumma, & radicali perfectione; & infinitate eiuſdem eſſentiæ; ex eo quod in Diuinis nihil datur per modum poteniiæ; aut formæ informantis, ſed omnia ſe habent per modum vltimi actus non ordinabilis ad perficiendum, nec ad perfici. Ex dictis ſatis patere poteſt Deum ob ſuam ſummam ſimplicitatem nullo modo poſse in aliquo genere, ſeu prædicamento vere collocari, & ratio potiſſima eſt, quia quod ponitur in prædicamento eſt finitum & limitatum habens rationem partis, vel totius compoſiti ſaltem ex realitatibus compoſitione ſaltem impropria.

19 Hæc ſumma ſimplicitas, & perfecta, cum non ſit ſimpliciter ſimplex, non excludit actualem multiplicitatem realitatum ex natura rei formaliter diſtinctarum, ſed eam potius ex neceſſitate tanquam prædicatum ſibi naturaliter coexactum includit, prima pars probatur, ſumma ſimplicitas excludit tantum compoſitionem, & componibilitatem perfectam, & imperfectam à parte rei, ſed actualis multiplicitas realitatum ſecundum modum, quo à Scoto in eſsentia Diuina conſtituuntur, nec po-

nunt,

Digitized by Google

nat, nec ponere poſſunt genus aliquod compoſitionis vel componibilitatis; realitas enim, quæ eſt ex ſe formaliter infinita, quantumcumque præciſe ſumatur eſse nequit in potentia ad aliam realitatem, cum infinitum ſit, cui nil entitatis deeſt habens totalitatem eſſendi eo modo, quo poſſibile eſt omnem entitatem haberi in vno; enti vero in potentia, deeſt realitas eius, ad quod eſt in potentia, iam vero quæcumque realitas eſsentialis in Deo eſt infinita ergo; Accedit quod compoſitio, & componibilitas habent locum tantum vbi ſunt realitates plures per modum actus, & potentiæ, at realitates plures formaliter infinitæ habent ſimul eſse per modum actus vltimi, & ſolum identificantur ſimul ſimplici identitate reali.

20 Nec obeſt dicere relationes perſonales non ſunt formaliter infinitæ, ergo ſaltem illæ ordinantur ad eſsentiam, tanquam ad actum ſuum. Reſpondetur negãdo conſequentiam, quia ſe habent vt actus vltimi Hypoſtatici, quorum totum eſse formale eſt incomunicabiliter conſtituere Perſonas cum identitate reali in Infinita eſsentia. Secunda pars probatur, ſumma ſimplicitas Dei neceſsario præexigit, & prærequirit infinitatem formalem Diuinæ eſsentiæ, ergo neceſsario coexigit, & prærequirit tanquam quid expreſsiuum & manifeſtatiuum ſuę ſummę, & radicalis fundamentalis, & originariæ Perfectionis actualem multiplicitatem perfectionũ ſimpliciter à parte rei formaliter diſtinctarum; probatur conſequentia, quia ſecundum Scoti Doctrinam loco citato. Ex Infinitate Diuinæ eſsentiæ hæc duo ſequuntur neceſsario, primum, quod in ea ſint formaliter omnes perfectiones ſimpliciter, ſecundum, quod infinitas non deſtruit multiplicitatem actualem ſecundum formalem diſtinctionem, quemadmodum non deſtruit, ſed potius perficit formalem rationem perfectionis ſimpliciter.

21 Eadem perfecta ſimplicitas, quæ excludit omnem compoſitionem, & componibilitatem eſt perfectio ſimpliciter 1. diſt. 8. q. 1. probatur per D. Anſelmum in Monologio cap. 16. Perfectio ſimpliciter eſt ea, quam in quolibet ſuppoſito ſub ente præciſe inſpecto (non determinando naturam) melius eſt eſſe, quam non eſſe, ideſt quam ſuum incompoſſibile ei formaliter, & poſitiue oppoſitum, ſed in quocumque ſuppoſito ſub ente melius eſt ſimplicitatem eſſe quam compoſitionem, & componibilitatem, ergo ſimplicitas abſolutè eſt perfectio ſimpliciter, minor eſt conſpicua; ſi enim ſimplicitas non eſſet melior compoſitione, & componibilitate Deo conuenire nequiret, cum in in eo ſemper ponatur quod melius eſt, & perfectius; Dices per Scotum relationes originis in Deo formaliter nullam dicunt perfectionem, quæ tamen ſunt ſumme, & perfecte ſimplices; Reſpondetur cum Scoto quol. 5. v. ad primum principale, quod ſicut relationes diuinæ formaliter non ſunt quantæ, ac proinde nec formaliter infinitæ; nec finitæ, ita formaliter ſecundum ſe neque ſunt ſimplices, neque compoſitæ, aut componibiles; etenim ſicut ſimplicitas perfecta præciſe ineſt propter infinitatem, quæ dicit totalitatem entitatis, ita compoſitio, & componibilitas creatis rebus in ſunt propter finitatem præciſe, & ideo quia relationes diuinę non ſunt infinitæ, vel finitæ nec habent eſſe per modum totius nec per modum partis ideo, nec ſunt formaliter ſimplices, nec compoſitæ, nec componibiles; ſed ſicut ſunt non quantæ, ita dicuntur non compoſitæ, non componibiles, non ſimplices.

22 Omnis res, vel realitas creata eſt neceſſario compoſita ex priuatiuo, & poſi-

Digitized by Google

poſitiuo compoſitione ex his; probatur omnis creata entitas componitur ex entitate quam habet, & ex carentia vlterioris gradus entitatis, cuius eſt capax, quatenus eſt ens, ergo omnis creata entitas dicitur ſic compoſita; monet tamen Scotus huiuſmodi compoſitionem non eſse de intrinſeca ratione formali rei creatæ, cum nulla negatio, vel priuatio ſit formaliter de eſſentia poſitiui; neceſsario tamen ei à parte rei conuenire; Rurſus omnis entitas creata eſt compoſita ex actu & potentia obiectiua; Quicquid enim eſt ſic ens, vt careat aliqua perfectione entis eſt ſimpliciter poſſibile, & proinde eſt terminus ſimpliciter alicuius potentiæ actiuæ, à qua recipere poteſt gradum illum entitatis; quem non habet, ergo componitur ex entitate, quam habet, & ex potentialitate obiectiua ad Agens, à quo poteſt recipere, quod non habet, at quælibet Creatura eſt huiuſmodi ergo &c. Inſuper quælibet entitas creata eſt alteri componibilis, quatenus venire poteſt incompoſitionem alterius, probatur inductiue primo de accidente, quod eſt ſuo ſubiecto componibile 2. de partibus phyſicis, & metaphyſicis quæ ſunt compoſito componibiles; 3. de ſubſtantia compoſita phyſice quę eſt componibilis ſuis accidentibus 4. de intelligentijs, & Angelis, qui ſunt receptiui ſpiritualium accidentium, vltra compoſitionem expoſitiuo, & priuatiuo, & compoſitionem metaphyſicam ex genere, & differentia; ſunt etiam componibiles cum ſuis intellectionibus, & volitionibus, ſola tranſcendentia dicuntur potius abſtracta, ſicut & vltimæ differentiæ quam incompoſita quamuis reuera ſint componibiles cum illis quorum dicuntur differentiæ.

23 Nulla entitas creata per abſolutam potentiam Dei fieri poteſt quæ ſit ſumme, & perfecte ſimplex ob rationem ſæpe dictam, quia omnis creatura eſt compoſita, vel ſaltem componibilis de neceſſitate, itaut ei repugnet talis ſimplicitas, concludendo ergo totam iſtam materiam dicendum eſt, quod Deus ſolus, quia radicaliter infinitus eſt ſumme ſimplex excludens omnem compoſitionem propriam, & impropriam, & omnem componibilitatem admittens tamen pluralitatem realitatum dicentium perfectionem ſimpliciter, & relationum perſonalium, quæ in ordine ad eſſentiam, nec in ordine ad ſeipſas non ſe habent, vt actus vel potentia, quia fluunt à diuina eſsentia, eidem non adueniunt, ſicut videtur intellectus noſter concipere, neque enim adueniunt vt pars, vel vt accidens: Inſuper idem ſolus Deus ſumme ſimplex quamuis non ſit in genere prędicamentali admittit tamen, quod aliquid dicatur de eo commune ei, & creaturis vniuoce, quicquid in contrarium dicant Thomiſtæ, quia ens non ſolum dicitur de Deo, & creaturis ſecundum nomen, ſed etiam ſecũdum rationem propriam, & proprium conceptum quamuis non ſecundum realitatem.

24 Quibus tamen non obſtantibus fuerunt quidam Hæretici appellati Vadiani, qui dixerunt Deum eſſe corporeum, & conſequenter compoſitum ex materia, & forma phyſica, & habere membra, vt homines habent, moti ex eo, quod ſæpenumero in ſacris litteris potiſſimum in veteri teſtamento Deo membra tribuuntur, & Adam factum eſſe ad imaginem, & ſimilitudinem Dei; Vnde colligunt Deum habere membra quemadmodum Adam. Hi Hæretici à ſuo errore nomen ſortiti vocati ſunt Anthropomorphitæ, quia anthropos græce idem ſonat, quod homo Latinè; Hæc autem Hęreſis orta eſt in partibus Ægypti tempore Damaſi Papæ, & Theodoſij ſenioris Imperato-

ris;

ris; contra quām ſcripſit Theofilus Epiſcopus Alexandrinus (vt dicitur in Hiſtoria tripartita lib. 10. Cap. 7.) prout prout refert Alphonſus de Caſtro lib. 5. v. Deus Hæreſi 2. Hæc ergo Anthromorphitarum ſententia aperte Hæreſis conuincitur, nam ſi Deus corporeus eſt, & figuram habet humanam, & membra, & partes, vt homo, oportet, vt finitus ſit, & certis limitibus concludatur, quoniam id, quod infinitum eſt nullius poteſt eſſe figuræ; cum ad figuram perficiendam neceſſario requiratur, vt termino vel terminis claudatur, at Deus, qui infinitus eſt nullo poteſt limite cōcludi, ergo nec figuram habere, excelſior eſt enim Cœlo, & ſupra ſtellarum verticem collocatur Iob 22; & magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.

25 Multa poſsunt fieri argumenta, contra hanc hæreſim ſumpta ex imperfectionibus, quæ corporibus adiacent, ſed ea prolixitatem fugientem omittimus; quoniam ſine illis ex ſacra ſcriptura apertiſſimum habemus teſtimonium; ipſa enim veritas apud Ioannem 4. ait; ſpiritus eſt Deus, ſi ſpiritus eſt, ergo nō eſt corporeus, nec habet membra humana; ſicut ipſamet veritas affirmat apud Lucam 24. Spiritus Carnem, & oſsa non habet &c. fundamētum huius hæreſis parum momenti habet, & ex praua ſcripturæ intelligentia procedit, quamuis enim ſcriptura ſacra ſæpe nominet Dei membra, vt puta caput, oculos, linguam, aures, manus, brachia, & his ſimilia, non tamen ſunt illa iuxta litteram ſumenda, ſed iuxta miſterium latens per res illas deſignatum, littera occidit, ſpiritus autem viuificat 2. Cor. 3; Cum igitur ſacra ſcriptura nobis inſinuat Deum diuerſa habere membra non imperfectionis Diuinæ argumentum ſunt, ſed noſtræ imbecillitatis ſubſidium.

26 Hoc modo loquendi ſacrę ſcripturæ ad Maieſtatem illam Diuinam cognoſcendam promouemur; per capillos intelligimus Diuinam eſsentiam, cui tanquam Capiti ſubiecta ſunt omnia, per os Dei ſermones, per palpebras occulta, impenetrabilia, & incomprehenſibilia iudicia eius, per faciem apertam cognitionem rerum, per manus nunc poteſtatem, nunc flagellum, & grauem animaduerſionem; per aures, quod omnia audiat, per oculos, quod nihil ſit ipſi occultum; nec vlla inuiſibilis creatura; Hinc Eucherius dicebat vbicumque ſacra ſcriptura ſparſim per Diuinos libros in Deo motus Animæ; ſeu humana membra ideſt caput Capillos, oculos, palpebras aures, & cætera Membra, ſeu motus Animæ, ideſt iram furorem, obliuionem, pœnitentiam, recordationem, & his ſimilia non Carnaliter iuxta Hiſtoriam à recte intelligentibus ſcienda, ſed ſpiritualiter omnia de Deo conficienda & intelligenda ſunt. Quod ſi in hanc expoſitionem hi hæretici non flectantur, ſed omnia contendunt iuxta litteræ primam ſignificationem intelligi debere cogentur fateri Deum eſse monſtrum quoddam, immo tale aliquid, quod nihil ſit, cum aliquando nominetur Leo, aliàs vermis, alias locuſta. Vnde manifeſte conuincitur hæc non eſse accipienda iuxta primam litterę ſignificationem; ſed iuxta id, quod res ipſę per illas voces deſignatæ ſignificāt.

De immutabilitate, & æternitate Dei. Art. III.

1 DEus eſt ſimpliciter, & abſolute immutabilis, ita vt neque ſua abſoluta potentia poſſit mutari. Omnis Creatura, inquit D. Auguſtinus 7. de Trinit. Cap. 6. mutabilis eſt, & ſolus Deus immutabilis, & Malachiæ 3; egó

N 2 Deus,

Deus, & non mutor; Et ratio eſt in promptu, quia mutatio ex 1. diſt. 5. quæſt. 2. inuoluit imperfectionem, cum ponat potentialitatem paſſiuam cum carentia vlterioris perfectionis, at Deus eſt puriſſimus actus, nihil potentialitatis inuoluens, & formalter infinitus ſecundum eſſentiam habens eſſe ſimpliciter totale, & pleniſſimum, ergo per nullam potentiam poteſt vere mutari; Agitur hic de immutabilitate accidentali, quæ directe opponitur mutationi propriæ; qua res aliter nunc, quam prius ſe habet cum permanentia ſui eſſe ſimpliciter, & oritur huiuſmodi immutabilitas ex Infinitate Dei, quæ excludit omnem potentialitatem ad recipiẽdum, quod prius non habebat per modum formæ informantis; Etenim ſimpliciter infinito in entitate, & perfectione repugnat mutatio ad aliquam perfectionem, repugnat inquam mutatio, quia nullam habet carentiam alicuius actualitatis, propter quam mobile mutatur.

2 Dices primo; In miſterio Incarnationis Deus de non homine factus eſt homo, 2. de non Creante fit creans, fit Dominus etiam ratione Creationis, cõſeruator ratione conſeruationis; 3. Voluntas Diuina cum ſit libera ſe determinat potius ad hoc, quam ad illud obiectum, quod abſque aliqua additione à parte rei fieri non poteſt, alioquin ex immutabilitate Dei non recte colligeretur Deum nihil poſſe velle in tempore, quod ab ęterno non voluerit; Ad primum reſpondet Scotus in 3. d. 1. q. 1. ad primum argumentum principale dicens; Infinitum non eſſe componibile per modum partis, quia non eſset infinitum, eſse vero vnibile per terminationem dependentiæ ſpecialis ad ipſum; Vnde dicitur Deus homo factus ex non homine nihil ſuſcipiendo, quod ei inhæreat per informationem; ſed ſolum ſibi copulando naturam humanam per realem vnionem ad ſuam hypoſtaſim terminatam, & in ipſa natura fundatam; Inſtabis Deus non dicitur homo factus tantum extrinſeca denominatione, ſed formaliter, & intrinſece, ergo formaliter ad humanitatem, quam habet eſt mutatus; Reſpondet Scotus cõcedendo, quod verbum formaliter, & intrinſece habet humanitatem; & non ſecundum extrinſecam denominationem tantum; negat tamen eam ſe habere per modum informantis formæ, ſed tantum (vt dictum eſt) per terminationem eiuſdem dependentiæ.

3 Ad ſecundum reſpondetur ex 1. diſt. 30. q. 1. Deum vtique in tempore denuo appellari Creatorem conſeruatorem Dominum &c; Sed non per realem relationem, quam denuo fundet, ſed quam denuo terminet, quæ terminatio in eo eſt tantum extrinſeca denominatio. Ad tertium reſpondetur ex quolib. 13. v. in hoc patet vna excellentia &c. vbi docet Scotus actum neceſſarium Diuinæ voluntatis, cum ſit ſuapte natura formaliter Infinitus, abſque media vnione, atque tendentia, quę dicat reſpectum realem vniri obiectis creatis, cum Deus vult illa; itaut ſe ipſo formaliter natura ſua conſtituatur in ratione decreti liberi, abſque aliqua additione ex parte ſui; obijcies ſi Deus vult aliquid de nouo, & tunc nihil recipit de nouo, ſequitur Deum ſic volendo non mutari. Reſpondetur quod euidenter mutaretur non tantum moraliter oſtendendo quandam Animi in conſtantiam (vt opinatur Suarez 1. Metaph. diſput. 30. ſect. 9. n. 5. & 6.) ſed etiam mutatione phiſica, vt Scotus docet in 1. diſt. 45; Et quolib. 16. art. 1, quia cum Diuina voluntas ſit formaliter infinita, eius operationem vitalem per ſe oportet eſse in æternitate. Ex 1. diſt. 39. & 45. quare ſi in tempore vellet,

ler, quod ab æterno non voluit manifeſte à poſteriori ſequeretur eam non eſſe formaliter infinitam; proindeque eſſentialiter pendere ab obiecto volito, ſicut voluntas Creata.

4 Dices adhuc. Deus vere tranſit ab otio ad operationem cum de non creāte ad creantem tranſeat, & proinde vere mutatur, nequit enim excogitari, quod actio denuo emanet ab Agente, niſi facta prius mutatione in ipſo vel in paſso; Reſpondet Scotus in 2. d. 1. qu. 2. ad primum principale erudite oſtendens quomodo agens liberum ſua libertate poſſit eadem voluntate antiqua effectum novum producere tempore, quo vult illum effectum novum eſse; Inquit enim, non ſequi, ſi ſempiternaliter vult, & non poteſt denuo velle; igitur vult pro ſempiterno, quia vult ab æterno, ſed non pro æterno. Hæc dicta ſunt de immobilitate accidentali Dei, quæ directe opponitur mutationi proprie dictæ; Non negamus, immo à fortiori concedimus Dei immutabilitatem ſecundum ſubſtantiam, quæ opponitur directe mutationi de non eſse ad eſse ſimpliciter, & è conuerſo de eſſe ad ſimpliciter non eſse, quæ mutatio latè ſumpta verſio à Damaſceno appellatur, vt Scotus monet in 1. d. 8. qu. 5. Hæc immutabilitas oritur præeiſe ex neceſſitate eſsendi; vt Scotus etiam ibidem docet, & proinde, vt conotat eſſentiam Dei ſimpliciter indefectibilem formaliter reciprocatur cum ęternitate, de qua infra.

5 Nulla dictarum immutabilitatum eſt creaturæ cuicumque comunicabilis; De immutabilitate, quæ dicitur verſio probatur, nam nulla Creatura facta, vel factibilis eſse poteſt ſimpliciter, & abſolute ens ex ſe neceſsarium, cum indifferens ſit ad actualiter exiſtendum, & non exiſtendum ex natura ſua, ergo nulla Creatura poteſt eſse. Sic immutabilis, ſed eſt vertibilis, vel per creationem de non eſse ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter, vel per annichilationem de ſimpliciter eſſe ad ſimpliciter non eſse. De immutabilitate accidentali etiam probatur à Scoto ibidem, nulla creatura habet omnem perfectionem accidētalem, quæ ſibi competere poteſt, ergo ad illam moueri poteſt; Secundo probatur, ſi aliqua Creatura eſſet ſic immutabilis, ob ſui perfectionem eſset maxime prima Intelligentia poſt Deum, ſed illa mutabilis eſt ab intellectione ad intellectionem; habere enim poteſt intellectionem cuiuſcumque Intelligibilis, quemadmodum poteſt intellectus noſter, & non poteſt vnam ſimplicem intellectionem habere comparatione omnium, quia tunc illa eſset formaliter infinita, ſicut eſt Intellectio Dei, nec poteſt ſimul habere intellectiones numero infinitas; tunc enim Intellectus ſimul eliciens in ſe prædictas Intellectiones eſſet neceſſario formaliter infinitus; efficere enim vnam intellectionē neceſsario ponit vnam aliquam perfectionem, & conſequenter ſimul efficere infinitas infinitam ponit actiuitatem potentiæ ſimul efficientis, ergo poteſt habere intellectionem alicuius intelligibilis, tam poſt intellectionem alterius, quam poſt non intellectionem illius, & proinde neceſsario eſt ſuapte natura ſic mutabilis.

6 Dices; in creatis rebus reperiuntur accidentia vltima tam ſpiritualia, quam materialia, quæ prorſus immutabilia ſunt cum non ſit alterius accidentis capacia, ergo immutabilitas accidētalis ſimpliciter non repugnat Creaturis; Reſpondet Scotus concedendo dari vltimum accidens in creatis rebus omnino ſic immutabile, & forte (inquit) eſt reſpectus de prædicamento Vbi, & reſpectus de prædicamento Quando, tamen duobus modis poteſt

dici

Digitized by Google

dici aliquid ſic immutabile (vt ex argumento colligitur) vno modo ex ſua perfectione ſimpliciter, quia eſt formaliter infinitæ perfectionis ſicuti eſt Deus, altero modo ex ſua imperfectione ſimpliciter, quatenus propter minimam eius entitatem non poteſt formam aliquam vlteriorem ſuſtentificare, & proinde non eſt capax vlterioris perfectionis, & hoc modo concedimus poſſe immutabilitatem partialem per modum ſubiecti in aliqua entitate creata reperiri, Ad argumentum reſpondendo negatur conſequentia, quia immutabilitas huiuſmodi non eſt eiuſdem rationis cum immutabilitate Dei.

7 Ipſamet corpora Cœleſtia, ſpiritualeſque ſubſtantiæ ſunt intrinſece mutabilia per potentiam paſſiuam, quã ſuapte natura inuolunt ad ipſam mutationem non ſolum acceptam ſubiectiue ſecundum eſſe accidentarium, ſed etiã totaliter ſecundum ſubſtantiam, ita ex 1. diſt. 8. qu. 5; prima pars probatur; tam cœleſtia corpora, quam ſpirituales ſubſtantiæ ſunt ex ſeipſis accidentium ſuſceptiua, patet de Cœleſtibus corporibus, quæ loco mouentur, & dum ſecundum partes ſunt in vno loco habent priuationem ad exiſtendum in alio loco; Rurſus interdum priuata ſunt parte luminis, quod poſſunt recipere; De intelligentijs vero itidem conſtat ſiquidem (vt ſupra dictũ eſt) mutabiles ſunt ab vna operatione ad aliam. Altera pars probatur, Intelligentiæ, & corpora Cœleſtia (gratis admiſſa Ariſtotelis ſententia, quod non conſtent materia partis) quamquam ſuapte natura non ſubijciantur generationi, corruptioni, & alterationi non ſunt tamẽ ab omni ſubſtantiali mutatione propriæ ſubſtantiæ immunes.

8 Quod non eſt difficilis probationis, ſi quidem intrinſece poſsunt totaliter deſinere eſſe per annichilationem, ergo &c. conſequentia probatur, nam prædicta formaliter requirunt eſse ab alio ſcilicet à Cauſa prima immediatè, ſed ab illa non neceſsario, ſed libere prodeunt, & conſeruantur, ergo ſuapte naturam non minus habent potentiam ad exiſtendum, quam ad non exiſtendum. Ergo ſunt intrinſece mutabilia mutatione illa late ſumpta, quæ dicitur verſio. Si obijcias materia Cœli non compatitur ſecum priuationem formæ ſubſtantialis cum tota eius potentia expleatur per ſuam formam, Item non habet contrarias diſpoſitiones, ergo Cœlum eſt intrinſece immutabile, Reſpondetur negando antecedens, vt omnino falſum ex 2. diſt. 14. Eſt enim Cœlum excepto Empyreo ſecundum veritatem intrinſece generabile, corruptibile, & alterabile; eſto nullum detur agens Creatum potens illud ſic ſubſtãtialiter, vel accidentaliter mutare propter prædominium ſuæ formæ, ſupra materiam illam ad reſiſtendum contrario.

9 Non eſt tamen reticenda hic circa hanc materiam ſententia Ariſt:, & Auicennæ, de qua Scotus in 1. diſt: 8. q. 5. Iſti Philoſophi opinati ſunt cœleſtia corpora, & intelligentias eſſe ex ſe formaliter entia neceſſaria, & conſequenter arbitrati ſunt eſſe ſecundum ſubſtantiam ſaltem entia quoque immutabilia, & inuertibilia; propterea, quod intrinſece carent potentia paſſiua, vt poſſint ſecundum ſubſtantiam mutari, ſeu deeſſe ſimpliciter tranſire ad non eſſe ſimpliciter, quorum fundamentum præcipuum fuit ex Scoto loco cit: quia poſuerunt Deum neceſſario ſe habere ad agendum alia extra ſe; & proinde ſequitur, vt ea, quæ immediatè ab ipſo ſunt; ſic neceſſario emanent, & ad ipſum ita neceſſario ſe habeant, vt ſua quiditate, & natura non eſſe nequaquam poſſint; Hoc enim ſuppoſito nullam

iam manifeſtam inuoluit prædicta poſitio repugnantiam; cum ponit aliqua entia cauſata eſſe ſimpliciter ex ſe neceſſaria; fundamentum tamen ab Ariſtotile, & Auicenna ſuppoſitum non eſt philoſophiæ conſentaneum; nam lumine fidei ſecluſo eſt naturaliter notum Deum non poſſe ad extra agere neceſſario, ſed omnino libere, & contingenter.

10 Hoc facile probat Scotus dupliciter primo à priori, ſecundo à poſteriori: pro probatione à priori duo ſupponit tanquam per ſe nota principia; Alterum, quod cauſa naturalis pro illo inſtanti, quo eſt cauſatiua ſui effectus omni impedimento ſublato neceſſario illum cauſat ſecundum vltimum ſuæ potentiæ; ex eo quod habet eſſe completum in ratione cauſæ; Alterum vero eſt cauſam primam cum ſit infinitæ virtutis, & potentiæ, ex eo quod habet eſſe à ſe omnino illimitatum, & independens, & imparticipatum poſſe ſe ſola cauſare omne cauſabile, & producibile ad extra; quod inſimul cauſare poteſt cum Cauſis ſecundis. Quibus ſuppoſitis ita demonſtratur à priori; ſi cauſa prima cauſaret naturali neceſſitate ipſa ſe ſola cauſaret omne cauſabile, itaut cauſa ſecunda nihil cauſaret; probatur conſequentia: Cauſa prior prius naturaliter reſpicit cauſatum, quam cauſa poſterior ex prima propoſitione de cauſis, ergo ſi in illo priori totaliter cauſaret ſe ſola totum, quod in ſecundo inſtanti cauſari etiam poteſt à cauſa poſteriori nulla eſſet poſſibilis actio in hoc inſtanti poſteriori à cauſa ſecunda, tunc enim idem bis produceretur; ſed cauſa prima per Ariſtotilē naturali neceſſitate agit, poteſtque agere priusquam cauſæ ſecundæ agant, ergo de facto ſic ageret cauſando ſcilicet totum, quam cauſæ ſecundæ agerent in ſecundo inſtanti, cum agat ſecundum vltimum ſuæ potentiæ, & ita quia præueniret omnino actionem ſecundarum cauſarum nulla eſſet poſſibilis actio in cauſis ſecundis.

11 Secunda ratio à poſteriori ex 1. d. 2. q. 2. & diſt. 39. vbi Scotus ſupponens cauſas ſecundas de facto per propriam virtutem agere vt ipſemet Ariſtotiles fatetur, ſic argumentatur cauſa quæ non agit niſi in quantum mota eodem modo mouet, quo mouetur, ergo ſi Deus neceſſario ageret ad extra neceſſario moueret cauſas ſecundas; quæ inde neceſſario motæ, neceſſario etiam mouerent, & ita in rebus omnis contingentia periret; Ambæ iſtæ rationes optime concludunt contra Philoſophos; ſi quis pro illis objiceret; In omni differentia entis neceſſitas ſimpliciter eſt perfectior contingentia, at deus eſt cauſa perfectiſſima, ergo in eo ſimpliciter ponenda eſt neceſſitas cauſandi, & non contingentia, & proinde quę immediate à Deo pendent ſunt immutabilia. Reſpondetur neceſſitatem duobus modis conſiderari poſſe, vno modo, vt eſt differentia, ſeu modus rei in eſſendo, & ita eſt perfectior contingentia, alio modo, vt eſt differentia, ſeu modus rei in cauſando, & ita eſt ſimpliciter deterior contingentia; Perfectio enim ſimpliciter ex primo diſt. 19. q. 1. ad 2. duo requirit primum, vt ſit, eſſentialis; ſecundum vt ſit ad ſe, hinc neceſſitas causādi nequit eſſe perfectio ſimpliciter, cūm ponat habitudinem neceſſariam ad cauſatum, quæ Deo prorſus repugnat comparatione creaturæ, ex his patet in argumento allato committi fallaciam, cum tranſeat à neceſſitate eſſendi ad neceſſitatem cauſandi, ſed quæres dato per impoſſibile, quod Deus cauſaret naturali neceſſitate, qualiter in eſſe ſe haberent entia ab eo immediate producta. Reſpondet Scotus in caſu Deum ſolum

pro

producere neceſſaria ideſt Perſonas Diuinas, etenim diuina voluntas ita ponitur in diuina eſſentia principium agédi ad extra, quod ſi per impoſſibile voluntate careret, nihil extra ſe agere poſſet quolib. 14.

12 Tota hæc materia de mutabilitate, & immutabilitate (quantum ad propoſitum ſpectat) tribus dictis concluditur; primum dictum eſt, quod omnis creatura mutationi, ſeu mutabilitati ſubiecta eſt patet inductiue diſcurrendo per ſingulas; primo, quia materia prima mutabilis eſt ad omnem formam ſubſtantialem, ſecundo compoſitum corruptibile eſt mutabile ad aliquod accidens, quod poteſt ſibi ineſſe, & non ineſſe; tertio compoſitum incorruptibile, vt Cœlum eſt tranſmutabile ad vbi, & ad illuminationem, & lumen ſic Cœlum, & aſtra; 4, quia ſubſtantia ſeparata cuiuſmodi eſt Angelus, & Anima eſt tranſmutabilis ad multa puta ad intellectiones, & ad volitiones, quinto omnes creaturæ ſunt vertibiles: hoc eſt ad annihilari poſſibiles ſi ſuæ naturę relinquantur; Ita quod creatura poteſt pluribus modis mutari; vel generatione tranſeundo ad aliquod eſſe ſubſtantiale, vel corruptione deperdendo aliquod eſſe ſubſtantiale, vel creatione aquirendo totum eſſe ſubſtātiale, vel annichilatione deperdendo totum eſſe ſubſtantiale; vel tranſubſtantiatione ſic in Euchariſta ſacratiſſima panis in corpus Chriſti, & vinum mutatur in ſanguinem; vel augmentatione acquirendo aliquam quantitatem, vel diminutione deperdendo aliquam quantitatem, vel alteratione per aquiſitionem qualitatis, tandem loci mutatione per acquiſitionem noui vbi.

13 Secundum dictum. Quod creatura de facto non mutetur annichilatione, hoc adſcribendum gratioſiſſimæ, & clementiſſimæ voluntati diuinæ, nam Deus per gratiam ſuam rem perpetuo conſeruat, iuxta illud ad Hebr. 1. portans omnia Verbo virtutis ſuæ, (hoc eſt) portans omnia imperio ſuo virtuoſo, hoc autem Imperium vocatur Verbum more noſtro, vt facilius intelligere poſſimus, quia imperare ſolemus Verbo; Verbo igitur ideſt voluntate ſua efficaci conſeruantur omnia, quæ portari dicuntur ad denotandum indigentiam eorum, vt ab ipſo conſeruentur in eſse; comprobatur ex D. Auguſtino 4. ſuper Gen. ſic dicente; Virtus Dei ab eis, quæ Creata ſunt, regendis, ſi ceſſaret aliquando, ſimul, & illorum ceſsaret ſpecies, omniſque natura concideret; & alibi idem Sanctus dicit, quod ſicut aer præſente lumine fit Lucidus ſic homo Deo præſente illuminatur, abſente autem continuo tenebratur. Et in Concilio Arauſicano Cap. 19. habentur hæc Verba; natura humana etiam ſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret nullo modo ſeipſam Creatore ſuo non adiuvante ſeruaret; huic veritati adhæret etiam Philoſophus 6. Metaphyſicæ. Cap. 1. dicens, quod omne Creatum eget datore ſui eſſe ſemper; & inceſſanter quandiu habuerit eſſe.

14 Tertium dictum eſt, quod ſolus Deus eſt immutabilis immutabilitate oppoſita omnibus prædictis mutationibus; nec enim eſt generabilis, nec corruptibilis, nec augmentabilis; nec diminuibilis, nec alterabilis, nec mutabilis ſecundum locum, non Creabilis, non annichilabilis, non tranſubſtantiabilis, hæc omnia patent ex ſupradictis: pro coronide nota, quod Deus tripliciter eſt immutabilis primo in eſſe proprio cum ſit æternum primum, infinitum, & ſimpliciſſimum; ſecundo eſt immutabilis in conſilio, licet enim Deus quādoque mutet ſententiam, vt patet per plura exempla ſacræ ſcripturæ. Numquam

quam tamen mutat conſilium, vt dicit Diuus Gregorius. Tertio eſt immutabilis in Iudicio, quia ſine acception & Perſonarum iudicat; Hinc Iacobi 1. dicitur. Apud quem non eſt tranſmutatio ſcilicet in eſſentia, & natura, nec viſciſitud inis obumbratio, quod dictum exponi poteſt dupliciter, primo apud Deum non eſt viciſſitudo, ideſt mutatio obumbrans ſuę eſſentię bonitatem, quia ſua bonitas non recipit aliqud; quod obumbret, vel maculet; Secundo apud Deum non eſt tranſmutatio ſcilicet in natura liberi arbitrij, quod eſt immutabile ad differentiam liberi arbitrij noſtri, quod de ſe eſt mutabile de bono in malum & è conuerſo.

15 Ignorata duratione in communi, non ita ſufficienter poteſt intelligi ęternitas, quæ eſt duratio quædam exiſtētiæ Dei ſemper durantis, de qua Scōtus in 2. diſt. 2. q. 1, 2, 3, 4, in quibus ſpeciatim diſſerit de duratione, & menſura Angelorum; Duratio non poteſt addere exiſtentiæ rei durantis entitatē aliquam realiter diſtinctam tāquam rem à re; quia impoſſibile eſt aliquam rem exiſtere abſque propria duratione reali; igitur duratio non eſt aliud diſtinctum realiter ab exiſtentia rei durantis; probatur conſequentia, ſi enim aliud eſſet; eſſet naturaliter poſterius actuali exiſtentia, & ita abſque contradictione poſſet eſſe exiſtentia, ſine illo, & conſequenter res duraret ſine duratione, diſtinctio enim realis aliquorum adæquate deprehenditur ex ſaparatione actuali, vel aptitudinali eorundem, ita, vt ſint, vel actū ſeparata, vel ſeparabilia ad inuicem, quemadmodum non ſunt exiſtentia, & duratio eius.

16 Immo nec addit modū aliquem ſiue realitatem poſitiuam ex natura rei diſtinctam ab illa exiſtentia, primo, quia impoſſibile eſt rem exiſtentem concipere, neque perfecte, neque imperfecte abſque duratione ergo &c. Secundo cum concipimus rem aliquā durare per horam, vel per annum, nihil aliud concipimus, niſi rem illam exiſtere, & non deſinere per horam, vel per annum, ergo duratio non eſt modus poſitiuus, vel realitas addita exiſtentiæ rei durantis; ſi dicas menſura realiter diſtinguitur à menſurato, ſed duratio eſt menſura rei durantis ergo &c. Reſpondet Scotus maiorem eſſe veram tantūm de menſura actiua extrinſeca; non vero de menſura paſſiua intrinſeca; qualis eſt duratio, quæ conſtituit rem exiſtentem paſſiue menſurabilem; pro cuius intelligentia notādum primo durationem duplicem eſſe intrinſecam, & extrinſecam; Intrinſeca eſt qua res intrinſece dicitur durare, ſecundum quam res intrinſecè durans ſecundum ſuam exiſtentiam redditur paſſiue mēſurabilis comparatione alicuius extrinſeci menſurantis. Duratio extrinſeca eſt, quæ ad exiſtentias aliorum comparatur, vt eorum menſura actiua, ſicuti per durationem motus Cœli noſtrorum motuum durationem menſuramus; De prima ſcilicet intrinſeca duratione fuit ſermo in dictis ſupra

17 Menſurare eſt quantitatem ignotam certificari per quantitatem magis notam, quæ certitudo fit dupliciter; primo per quantitatem exiſtentem in imaginatione, ſicuti artifex expertus per aliquam quantitatem, quam habet in imaginatione ſua; menſurat quantitatem quamcumque ſibi occurrentem, ſecundo certificatio fit per quantitatem exiſtentem in re præciſe, & hoc quadrupliciter, vel per eccedentem, & tunc certificatur intellectus de quantitate minori per acceſſum eius ad quantitatem maiorem, vel ſecundo per receſſum ab eo, & hoc modo menſura ponitur in quiditatibus rerum, & men-

ſura ſemper eſt menſurato perfectior, quæ etiam dicitur eſse notior ipſo menſurato, ſicut albedo ponitur menſura in genere colorum, & vniuerſaliter quod eſt perfectius in aliquo genere eſt metrum omnium, quæ ſunt in ipſo genere, & Deus dicitur menſura omnium, quæ ſunt in quocumque genere, vel tertio menſuratur per quantitatem exceſsam cum quantitas nota minor eſt, & pars quantitatis maioris, quæ eſt ignota, & tunc illa quantitas minor per ſui reduplicationem menſurat ipſum totū quantum maius, & hoc modo minor motus poteſt eſse menſura maioris motus ex natura rei, vel quarto menſuratur quantitas ignota per aliam quantitatem notam diſtinctam & equalem ſibi & ita menſuratio fit per applicationem ſiue ſuper poſitionem.

18 Duratio non addit exiſtentiæ rei durantis rationem menſurę quaſi per eā exiſtentia rei compleatur in ratione durantis ita colligitur ex 2. diſt. 2. q. 2. & quol. 13. vbi Scotus docet rationē menſuræ (ſiue actiue, ſiue paſſiue ſumatur) non per ſe, ſed ſolum per accidens rebus conuenire, quod ſic probatur menſurari eſt Intellectum certificari per quantitatem magis notam exiſtentem in re, vel in Imaginatione de quantitate alterius ignota, ideo ratio menſuræ dicit formaliter certificationem factam Intellectui. Accidit autem, quod quantitas vnius ſit nota Intellectui quantitate alterius exiſtente ignota, ergo duratio formaliter non importat rationem menſuræ, probatur conſequentia, quia duratio conuenit rebus independenter ab Intellectu; probatur ſecundo, quia ratio menſuræ ſiue actiue, ſiue paſſiue accepta dicitur ſe tota ad aliud ex Ariſt. 10. metaph. Cap. 2, & res dicitur, quando exiſtit, abſolutè durare.

19 Duratio non poteſt addere exiſtentiæ rei durantis coexiſtentiam ſucceſſionis veræ vel Imaginariæ quaſi totale eius ſignificatum materiale & formale ſit exiſtentia actualis rei cum eius modi coexiſtentia ex 2. diſt. 2. q. 4. vbi docet Scotus arguendo contra primam ſententiā ſi Angelus ſtatim creatus foret annichilandus etiam in illo ſolo inſtanti duraret duratione ſibi proportionata, & tamen non diceretur coexiſtere ſucceſsioni neque vere, neque imaginariæ; quod etiam docuit quolib. 12. art. 3, vbi ex inſtituto probat non eſse impoſsibile quodlibet creabile creari, & conſeruari per ſolum inſtans, & ipſemet Deus realiter ęternitate durat, & non per coexiſtentiam; Duratio non poteſt addere exiſtentiæ rei durantis aliquam connotantiam vel aliquem reſpectum ad eſse præexiſtens præhabitum vel præacceptum ita Scotus locis citatis; nam ſi Angelus crearetur, & ſolum per inſtans exiſteret, in illo vere diceretur durare, & tamen nullum diceret reſpectum ad eſse præhabitum; probatur aſsumptum; per inſtans ſolū exiſtens in illo inſtanti non ſe habet vt ens deſtructum, ergo in illo vere dicitur durare, ſicut vere dicitur exiſtere exiſtentia non deſtructa; ſecundo ex quolib. 12. art. 3; in hoc differunt permanentia à ſucceſsiuis quia permanentia habere poſsunt & de facto habent totum eſse ſimul in vno inſtanti; ſucceſsiuis vero repugnat id habere, ergo poſsunt abſolutè exiſtere, & proinde durare per ſolum inſtans ſine connotantia ad eſse præhabitum.

20 Duratio addit exiſtentiæ rei durantis negationem deſitionis, ita vt per eam tantum cum actuali exiſtentia rei durantis habeatur totale durationis ſignificatum quoad formale, & quoad materiale ita Scotus locis cit. & quolib. 6. vbi loquitur de æternitate quam docet formaliter importare triplicem negationem ſupra exiſtentiam

Dei; & ratio id perſuadet, tum quia res dicitur complete durare quando eius exiſtentia non eſt deſtructa, tum ſecundo quia rem durare eſt rem permanere, eſt rem non deſtrui ergo &c. tandem experientia id conſtat, cum intellectus concipit poſitiue durationem non aliud concipit niſi exiſtentiam non deſtructam; Duratio non poteſt ſimul formaliter & in recto ſignificare exiſtentiam rei, & negationem ſuæ deſitionis, quia duratio habet proprium conceptum per ſe vnum, alioquin non poſset definiri, ſed conceptus per ſe vnus nequit conſtare ex poſitiuo, & negatiuo ergo &c. Satis probabile eſt durationem pro formali ſignificare negationem deſitionis, pro materiali vero connotare exiſtentiam rei durantis, nam non intelligitur adæquate exiſtentia rei quatenus durans eſt niſi concipiatur cum negatione deſitionis, ſed non poteſt vtrumque formaliter duratio importare ergo neceſſario importat tantum formaliter negationem deſitionis; & ſolum materialiter, ſeu in obliquo actualem eius exiſtentiam probatur conſequentia, quia talis negatio reddit formaliter exiſtentiam durantem.

21 Duratio omnino identificatur actuali exiſtentiæ rei durantis ſaltem negatiue; prima pars probatur, non diſtinguitur realiter, nec poſitiue, nec negatiue ab ipſa actuali exiſtentia, ergo illi prorſus realiter identificatur; antecedens probatur, quælibet res à parte rei exiſtens formaliter, & intrinſece durat duratione, ſed ſi duratio ab ea realiter diſtingueretur formaliter duraret ſine duratione, cum formaliter non ſit à parte rei ipſa duratio, hoc autem eſt impoſſibile. Secũda pars ſcilicet, quod exiſtentia & duratio realiter identificentur negatiue, probatur, iam duratio non eſt poſitiua res, nec poſitiua realitas in ſe ipſo aliquomodò diſtincta ab exiſtentia rei ergo ſolum negatiue exiſtentiæ duratio realiter identificatur, nam identificatio, ſeu idẽtitas eſt relatio ſumens denominationem à ſuis extremis, quorum vnum eſt negatiuum.

22 Ob eandem rationem duratio non poteſt ex natura rei formaliter poſitiue diſtingui ab actuali exiſtentia rei ob eandem rationem nam identitas, & diſtinctio idem requirunt ideo diſtinctio formalis poſitiua ex natura rei, vt monet Scotus in 1. d. 2. q. 7, & diſt. 8. q. 4, & in 4. diſt. 46. q. 3. tantum cadit inter duas formalitates, ſiue realitates poſitiuas ex natura rei, at non ſic ſe habent exiſtentia & duratio ei correſpondens, ergo non diſtinguntur formaliter poſitiue, nec ſic formaliter poſitiue poſsunt identificari, quia duratio præter exiſtentiam nõ eſt niſi negatio deſitionis, at negatio nulli poſitiue identificari poteſt; Duratio ab exiſtentia rei durantis tantum diſtinguitur ex natura rei negatiue formaliter, vel modaliter, quia duratio à parte rei addit exiſtentiæ rei ſolam negationem realem deſitionis, iam vero negatio realis à Scoto appellatur negatiua entitatis à parte rei potens rem reddere alio modo conceptibilem ſaltem negatiue, ergo optime poteſt diſtingui ab exiſtentia actuali ex natura rei negatiue.

23 Æternitas, æuum, & tempus ſunt tres ſpecies durationis per ſe primo omnino eſsentialiter differẽtes; ita ex Scoto in 2. diſt. 2. q. 1. & 4, quia reſpiciunt tres modos manendi omnino diuerſos, & alterius rationis, ergo ſunt ſpecies omnino eſſentialiter differentes; conſequentia patet, cum modus manendi eſſentialiter diuerſus conſtituat eſſentialiter ſpeciem diuerſam; Antecedens etiã notum eſt, æternitas enim eſt duratio

Digitized by Google

indeficientis, & abſolute indefectibilis æuum vero Indeficientis, & defectibilis; tempus ſucceſſiue deficientis & defectibilis; Iſtæ tres durationes iuxta ſupradicta habent rationem menſuræ & diuerſa menſurant, æternitas ſicuti eſt duratio Dei, ita dicitur menſura ſine menſura Dei, & Diuinarum perſonarum; Æuiternitas eſt menſura eorum, quæ habent principium, ſed non finem ſicut ſunt Angeli, Animæ; Naturæ Cęleſtes, & materia quattuor Elementorum; hæc menſura aliquando dicitur æuum, aliquando ęternitas participata; tempus autem proprie dictum eſt menſura eorum, quæ habent principium, & finem ſicut ſunt generabilia, & corruptibilia, quæ ſecundum motum primi mobilis variantur ſecundum variam alterationem quattuor elementorum, quæ fit per diuerſum motum ſucceſſiuum.

24 Prędictis tribus durationibus neceſſario addenda eſt alia ſpecies durationis creata media inter ęuum & tempus, quæ ſit duratio rerum permanentium ſecundum ſuas partes potentium incipere & deficere tum in inſtanti, tũ etiam ſucceſſiue ex 2. diſt. 2. q. 4. Pro horum perfecta notitia notandum ex Scoto loco citato q. 1. v. contra iſtam poſitionem &c. Primam, & eſſentialem differentiam durationum petendã eſſe ex eo, quod aliter res ſe habeant in manendo. Cum enim rem formaliter durare, ſit eam non eſſe in ſua exiſtentia actuali deſtructam, conſequenter fit, vt quot modi manendi ſint, ſeu eſſendi citra deſitionem, tot ſint ſpecies durationis in communi; Iam vero eiuſmodi modi manendi quattuor omnino eſſentialiter diuerſi eſſe videntur. Conſtat enim in primis dari rem, quæ nec eſt deſtructa, nec deſtructibilis, ſiue natura ſua indeficiens, ſeu indefectibilis ſic eſt Deus; qui proinde durat duratione ſumma, quæ dicitur æternitas formaliter importans negationem triplicem deſitionis actualis aptitudinalis, & potentialis.

25 Secundo datur etiam res, quæ cum non ſit deſtructa manet tamen eius eſſe ſuapte natura in continua deſtructione ſecũdum ſuas partes, ſic eſt motus, qui proinde durat duratione infima etiam vulgo tempus nuncupata, quod etiam formaliter præſeferat realem negationem tantum actualis deſitionis, eſſe ſcilicet cuiuſdam, quod ita ſua quiditate ſecũdum eius partes fluit per aquiſitionem, & deſtructionem earum, vt ei intrinſece repugnet plures partes ſimul habere, ſic eſt motus ſucceſſiuus; Tertio datur etiam res, quæ cum exiſtit, ita deſtructa non eſt, vt nec poſſit ſua eſſentia ſecundum partes deficere, quia eſt talis naturæ, vt partibus omnino careat; Dicitur tamen abſolute ſecundum ſuum eſſe intrinſecè defectibilis ſe tota ſimul ſicut eſt Angelus, & generatim res omnis permanens, & ſpiritualis, cui omnino repugnat per motum ſucceſſiuum fieri, & deperdi reſpectu partium, quibus intrinſecè omnino caret, & eiuſmodi res durat duratione quadam perfectiori prædicta, quæ etiam communiter dicitur æuum formaliter præſeferens negationem actualis deſitionis, & non deſitionis aptitudinalis, ſeu potentialis niſi ea ratione, qua defectibilitas præciſe ſecundum partes fieri non poteſt.

26 Quarto experientia conſtat dari adhuc rem, quæ cum exiſtit & permanet ſecundum omnes eius partes, nec eſt per ſe determinata, vt tota ſimul fiat & deficiat ſucceſſiue per ſuas partes, ita ſe habent omnes qualitates primæ ſpeciei, & generatim res omnes permanentes; quæ proprie per motum ſucceſſiuum aquiri, & deperdi poſſunt, atque etiam aquiri & deperdi poſſunt in inſtan-

ſtan-

ſtanti, primo modo fit cum comparantur ad potentiam limitatam Creati agẽtis. Secundo vero modo cum referuntur ad infinitam potentiam Dei;& eiuſmodi res, cum (rigoroſe loquendo) nec æuo, nec tempore durare poſſint neceſsario durationem quandam vlteriorem expoſtulant mediam inter ævũ, & tempus. Quibus omnibus durationibus pro nunc relictis, De quibus fit ſermo in 4.phiſicorum. Ad durationem æternitatis accedendum eſt.

27 In primis notandum eſt, quod æternum perpetuum, & ſempiternum diſtinguntur in hoc, quia æternum vere eſt ſine principio, & fine; perpetuum dicitur illud, quod habet principium; ſed caret fine, vt Angelus, & Anima rationalis; ſempiternum proprie dicitur illud, quod cum tempore incipit eſse à principio temporis, & cum fine temporis deſinit, vt mundus. Secundo notandum eſt, quod non eſt idem eſse æternum, & eſse ab æterno; nihil enim eſt æternum, niſi exiſtat, eſse enim æternum eſt proprietas exiſtentiæ; eſse autem ab æterno eſt ſemper eſse, ſiue in eſse diminuto, vel in eſse cognito, vel in eſse reali; Quibus prænotatis aſserendum eſt, immo de fide tenendum Deum non tantum eſse ab æterno, ſed eſse æternum proprie, quod etiam naturali lumine demonſtrari poteſt ex eius infinitate, vt patet, & ſecundo ex ratione neceſse eſse, nam omne ens neceſsarium ex ſe habens eſse habet eſse indeterminabile totum ſimul, & perfectum, quia neceſsarium ex ſe non poteſt deſinere eſse, ſi enim poſset deſinere, non eſset neceſsarium, ac proinde ſi eſt neceſsarium eſt indeterminabile; Deinde cum non ſit quantum, & ſucceſſiuum, ſed indiuiſibile erit totum ſimul; Item ex independentia, deinde ex immutabilitate; Immutabile enim ens ſimpliciter in terminabile.

28 Æternitas aliquid connotat, & aliquid formaliter ſignificat, connotat aliquid poſitivum, pro formali ſignificat triplicem negationem; Connotatũ ſeu fundamentum eius, quod formaliter ſignificat æternitas eſt exiſtentia perfecta, & infinita intenſiue; formale ſignificatum conſiſtit in negatione, ita Scotus quolib. 6. & probatur ex definitione Æternitatis tradita à Boetio in 4. lib. de Conſolatione proſa vltima ſic dicente æternitas est interminabilis vitæ tota ſimul,& perfecta poſseſſio dum enim dicit (Vitæ) denotat fundamentum, ſeu connotatum nempe exiſtentiam viuentem Dei, quæ est quid poſitivum; dum dicit (interminabilis) dicit negationem termini principij, & finis, dum poſtea dicit(tota ſimul) negat ſucceſſionem, dum tandem addit (perfecta poſseſsio)ponit negationem dependentiæ; Hanc definitionem æternitatis omnes Theologi receperunt,& eam eſſe optimam affirmarunt. Ideo in eius declaratione parum immorandum; & omnes eius particulæ ſingillatim declarandæ; nam ex perfecta eius intelligentia plura ſcitu digna percipiuntur.

29 Prima particula eſt Ly (interminabilis) per quam excluditur omnis duratio habens principium, aut finem; æternitas nanque caret principio,& fine ad differentiam eorum, quæ terminantur ex parte ante, & ex parte poſt ſcilicet eorum, quæ principium habent, & finem, ideſt temporis, & motus, & generabilium, & corruptibilium, & ad differentiam eorum, quæ habent principium, & non finem; ſicut ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ, & Anima rationalis; ſed nota,quod interminabilitas conuenire poteſt alicui duobus modis ſcilicet perfecte ſimpliciter, & abſolute, & ſic ſoli Deo conuenit eſt de fide certum, & definitum in Concilio generali ſub Innocentio III. Item à regulis fidei tra-

ditis

Digitized by Google

dictis à D. Auguſtino in libro de fide ad Petrum Cap. 4, vbi ait. Firmiſsime tene, & nullatenus dubites Sanctam Trinitatem ſolum verum Deum, ſicut æternum, ita ſolum naturaliter incommutabilem eſse; ergo ſolus Deus dicitur æternus; & ſic conſentit vnanimis Sanctorum Patrum, omnium Theologorum ſententia, & totius Eccleſiæ cōſenſus; Alio modo.

30 Alio modo interminabilitas conuenire poteſt aliquibus ſecūdum quid, vel participatiue, & ſecūdum hoc, quod aliquid de æternitate participāt, & hoc tribus modis primo quia eſse eorum nō habet ſucceſsionem partium, ſed totum eſt ſimul, vt patet in Angelis, quorum eſse est totum ſimul. Secundo; quia eſſe eorum habet perfectionem naturæ, & ſic Angeli beati magis ſunt in participatione æternitatis, quam conſiderati in naturalibus tantum. Tertio, quia eſſe eorum excludit durationis finem ex parte poſt, & hoc in modo non tantum Angeli, & Animæ rationales, ſed etiam ignis Inferni dicitur æternus, quia nunquam finietur. Secunda particula definitionis eſt (Vitæ) ad denotandam æternitatem eſse durationem nō cuiuſcumque entis, ſed viuentis cuius eſse, & duratio eſt vita.

31 Tertia particula eſt (tota) æternitas enim caret omni diuiſione, & diminutione; Vnde ponitur propter duas cauſas prima eſt ad oſtendendam perfectionem æternitatis, nam totum non dicit compoſitum ex partibus, quia tunc non conueniret æternitati, quæ eſt maxime ſimplex, ſicut eius exiſtentia, ſed totum dicit ibi non eſſe diuiſum, neque diminutum, ſed eſſe perfectum; cui nihil deeſt, & hoc eſt ad differentiam ſucceſſiuorum, quæ non habent eſſe, niſi ſecundum aliquid ncui; Secunda cauſa eſt, quia in quibuſdam eſt in terminabilis vitæ poſſeſſio, ſed tamen non tota; vt in Animabus beatis ante Iudicium, quarum eſt beatitudo ſecundum partē Animæ non corporis, ad quarum differentiam dicitur tota; Quarta particula eſt (ſimul) æternitas enim caret omni ſucceſſione; Ideoque hoc aduerbium ſimul non dicit conuenientiam aliquorum ſecundum ſitum, vel locum, vel tempus. Sed negationem omnis ſucceſſionis, & per hoc diſtinguitur æternitas à motu, & tempore, quæ ſi ſemper fuiſſent, & ſemper futura eſſent ſemper partium ſucceſſionem includunt, quia talis eſt eorum natura, vt partes eorum ſemper ſint in continuo fluxu.

32 Circa hanc particulam quartam (ſimul) notandum eſt formaliter, & intrinſece neque in Diuino eſſe, neque in Diuinis operationibus, tam ad intra, quā ad extra, neque in productionibus ad intra vere à parte rei reperiri poſſe prius, & poſterius ſecundum verā ſucceſſiuā duratiuam; nam prius, & poſterius ſecundū veram ſucceſſiuā durationem deſtruit naturam æternitatis, quippe quæ tota ſimul, & perfecta interminabilis vitæ poſſeſſio eſt; vt Deus, tam ſecundum eſſe, quam ſecundum eius operationes, & productiones qualcumque durat æternitate formaliter, & intrinſece; etenim eſto productiones, & generatim actiones Dei ad extra ſint pro tempore, ſunt tamen in æternitate volitæ, atque determinatæ, ergo &c. Concedendum tamen eſt vere à parte rei dari prius, & poſterius in æternitate ſolum terminatiue, per realem ſcilicet rerum ſucceſſiuam coexiſtentiam cum Deo, quam à parte rei vere, & realiter ipſe ſua naturali exiſtentia terminat, nā res Creatæ quatenus variabiles ſunt realiter ſecundum ſucceſsionem, quam præſeferunt, æternitati coexiſtunt; ergo vere æternitas ſucceſsionem, & varia-

tio-

tionem in rebus creatis exiſtentem terminat, & proinde vere in ea datur rerum ſucceſſio terminatiue, quæ tamen nullam in æternitate ponit imperfectionem, cum non ſit variatio rerum intrinſece exiſtentium in ipſa; ſed variatio tantum rerum illi coexiſtentium; & ſummam ponit in ea perfectionem ſcilicet illimitationem, & infinitatem ad complectendum omnem durationem creatam; Non ideo tamen concedimus cum D. Thoma res temporales coexiſtere ſic æternitati, quod ab æterno ſint realiter præſentes, nam coexiſtentia ſupponit exiſtentiam; ſed res temporales non exiſtunt ab æterno; ergo nec etiam ſic coexiſtunt, minor eſt de fide, quæ docet Deum produxiſſe res temporales in actuali exiſtentia in tempore; fuiſſe vero in æternitate ſolum præſentia obiectiua, & in eſſe cognito.

33 Quinta particula eſt (perfecta) quæ ponitur ad excludendum ea, quæ habent eſſe participatum, & non ſuum eſſe, quale eſt eſſe Angelorum; licet enim eſſe Angelorum ſit interminabile, & inuariabile tamen compoſitionem habet; vel ponitur hæc particula, ad excludendum tempus, & motum, quorum eſſe eſt imperfectum, cuius partes ſimul non ſunt; Sexta, & vltima particula eſt (poſſeſſio) quæ ponitur propter duas cauſas prima eſt ad ſignificandam immobilitatem, & indeficientiam æternitatis; nam quia illud poſſidetur, quod firmiter, & quiete habetur, ideo Boetius vſus eſt nomine poſſeſſionis, & ſic Deus plenè, & quiete vitam ſuam dicitur poſsidere, quia nulla inquietudine moleſtatur ſecunda cauſa eſt quia in quibuſdam eſt interminabilitas vitæ tamen cum miſeria infęlicitate & inquietitudine vt in Dæmonibus, & in damnatis, & ideo ad ſignificandum, quod Deus ad libitū cum quietudine, & felicitate maxima habet indeficientiam æternitatis, ideo dicitur poſſeſſio; Hæc eſt diffuſa declaratio definitionis Æternitatis, quæ eſt modus intrinſecus Diuinæ exiſtentiæ, quia non dicit diſtinctam realitatem aut formalitatem à realitate & formalitate eiuſdem exiſtētiæ, nec variat rationem formalem eius.

De ineffabilitate, & incomprahenſibilitate Dei. Art. IV.

1 DOctor Subtilis in primo diſt. 22. diſſerit de Diuinis nominibus, & conſequenter de Ineffabilitate Diuina, & ibidem monet ex illo D. Pauli Rom. 10. corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem, Catholicam fidem non ſolum requirere de Deo, & de rebus Diuinis eſſe credendum, & tenendum ſecundum quod ſentiendum, & credendum eſt iuxta exigentiam, & naturam rerum credibilium, verum etiam de illis eſſe probe, & recte loquendum, ita vt proprium ſignificatum nominis, ſeu vocis acceptum ex etymologia vocaboli aptum ſit ad exprimendum proprium ſignificatum rei; Eſt de fide Deum eſſe incompręhenſibilem, & ineffabilem extra de ſumma Trin. & de fide Catholica Cap. firmiter; Nam quemadmodum Deus (vt infra videbimus) quia non poteſt adæquate concipi; ideo Deus eſt incomprahenſibilis, ſic pari formiter eſt ineffabilis, quia non poteſt exprimi adæquate verbo, & lingua oris; non abſolute, quia poteſt appellari, & nominari nominibus proprijs, & communibus, ſiue illa ſint eſsentialia, ſiue perſonalia, ſed quia perfecte iuxta rei naturam, & exigentiam enarrari non poteſt.

2 Deus locutione intellectuali poteſt perfectiſsime nominare ſe ipſum, nam

Digitized by Google

nam Deus poteſt ſe ipſum, & quicquid eſt in ipſo, apprehendere, & perfectiſſime comprehendere; Deus enim & omnia ſua ſunt naturale obiectum Diuini Intellectus, ergo poteſt ſe ipſum, & omnia, quæ ſunt in ipſo perfectiſsime nominare, quomodo ſibi placet, Antecedens eſt manifeſtum, conſequentia etiam faciliter probatur; nam Deus eodem modo eſt nominabilis proprie, quo eſt cognoſcibilis, & comprehenſibilis, ſed à ſe ſolo eſt perfecte cognoſcibilis & comprehenſibilis, ergo à ſe ſolo eſt perfecte effabilis, & nominabilis, & per conſequens ſe ipſum nominare poteſt; Immo de facto ſuum nomen manifeſtauit Moyſi ſeruo eius, & per Moyſen vniuerſo populo Iſrael dicens. Ego ſum qui ſum; & qui eſt miſit me ad vos; Beati quoque (& ſi non adæquate) poſſunt Deum nominare; nam notitia viſiua, vel intuitiua, & rei præſentis eſt eorum cognitio, quam habent de Deo, Beati ergo poſſunt Deũ nominare, eo modo quo cognoſcũt ſic de facto nominant cum ipſum laudant, & conclamant dicentes Sanctus &c.

3 Homo pro ſtatu iſto (ſimpliciter, & abſolutè loquendo) Deum poteſt nominare vere, & proprie non modo nominibus negatiuis; verum etiam nominibus poſitiuis, tam communibus Deo, & Creaturis, quam etiam ipſi Deo proprijs, probatur ſic; Viator non ſolum habet conceptum communem vniuocè Deo, & Creaturis, ſicut eſt conceptus entis, ſubſtantiæ, ſpiritus, & vitæ intellectualis &c, ſed etiam conceptum proprium tantum Deo conuenientem, tam quiditatiuum, quemadmodũ ſunt conceptus prædicti ſub negatione eſſendi ab alio, & ſub negatione limitis, & termini eſſentialis perfectionis, quã etiam attributalem; quemadmodum etiam ſunt conceptus ſapientiæ, iuſtitiæ, & ſimilium etiam ſpectati ſub prædictis negationibus eſſendi ab alio, & termini, ſeu limitis eſſentialis perfectionis; ergo poteſt Deus tam nomine cõmuni, quam proprio nominari à Viatoribus; Antecedens patet, etenim naturali lumine Deũ attingimus ſub prędicatis in antecedente recenſitis; conſequentia etiam eſt manifeſta, quia de facto Deum vocibus, ſeu nominibus alijs diſtinctius exprimimus, quam eum concipiamus ſecundum illud Pſalmi 75. in Iſrael magnum nomen eius; falſum enim eſt dicere, res ſicut à nobis concipiuntur, ita præciſe nominari, eiſque nomen imponi, cum diſtinctius nominari poſsint, quam concipi; Nam multa nomina à nobis impoſita ſunt ad ſignificandam ſubſtantiam, quibus cõmuniter vtuntur omnes eiuſdem nationis ad eam exprimendam, ſed ſubſtantia à nobis non concipitur, quantum ad proprium eius conceptum, ſed tantum quoad conceptum eius communem, vel proprium ex communibus deſumptum, ergo de facto res diſtinctius nominantur; quam concipiantur.

4 Homo pro ſtatu iſto non poteſt nomen imponere, neque nomine ab alio impoſito perfecte vti, quo ſcilicet exprimat Deum ſecũdum proprium eius conceptum, quem in ſe habet, quatenus eſt hæc eſsentia in particulari, nam nullus pro ſtatu iſto Deum concipere poteſt ſub proprio, ac peculiari conceptu, vt eſt; Hæc eſsentia ſingulariſsima exiſtens indiuiſibiliter in tribus. Ex 1. diſt. 3. q. 2; ergo nec poteſt perfecte nominare, nec nomine à ſe impoſito, nec impoſito ab alio, niſi ex reuelatione perfecte vti ad exprimendum Deum ſecundum proprium eius conceptum, quem in ſe habet; Datur tamen proprium nomen, quo Viator imperfecte vti poteſt ad ſignificandum Deum diſtincte, ſicut in re eſt; eſto eum non concipiat; probat Scotus quia no-

pro-

proprijs nominibus ab alijs impoſitis diſtinctè ſignificamus ſubſtantiam; (vt ſupradictum eſt) & tamen eam diſtinctè non concipimus.

5 Deinde Adam intelligens hominem ſub propria ratione proprium etiã ei nomen impoſuit diſtinctè ipsũ ſignificans, & cum nos eo vtimur nomine etiam intendimus hominem ſignificare, ſicut eſt ei nomen impoſitum, licet non habeamus conceptum illius, niſi in vniuerſali, & confuſum, confirmatur; quia poteſt quis imponere nomen A. ad ſignificandum diſtinctè Animal quodcumque, quod primo ſibi cras occurret quo facto A. diſtinctè ſignificat Animal cras primo occurſurum imponenti, & tamen imponens non diſtinctè intelligit illud; Item aliquis videns Solem nõ diſtinctè videt, nec intelligit Solem cũ non videat diſtinctè quicquid eſt illius Solis, & tamen illa vox Sol apud eum diſtinctè ſignificat Solem, quia ſibi ſignificat illam rem præciſe, quam videt confuſe; Item poſſumus aliquid diſtinctius amare, quam cognoſcere; ergo poſſumus etiam diſtinctius loqui de aliqua re, quam ipſam intelligamus, ex quibus conſtat aliquid diſtinctius nominari poſſe, quam intelligi.

6 Iuxta Grammaticorum, & Philoſophorum placita modi ſignificandi ſequuntur regulariter modos intelligendi. Ideo Intellectus Viatoris propter ſui debilitatem, & perfectionis Diuinæ ſublimitatem, vnam, & ſimpliciſſimam entitatem Diuinæ naturæ infinitis modis concipere valeat; quia ſicut Intellectus Diuinus propter ſui excellentiam, qua omne Creatum, & Creabile in Infinitum excedit omnia Creata, & Creabilia vnico conceptu concipit, quamuis talia ſint infinita; ſic Intellectus noſter, quoniam a Diuina natura in Infinitum exceditur. Ideo neceſſe eſt infinitis conceptibus vnicam Dei naturam poſſe concipere, & ſecundum quemlibet conceptum ei nomen imponere; Hoc D. Dionyſius 12. de Diuinis nominibus clariſsime docet laudare debemus eum, qui eſt infinitorum nominum, & confirmatur; nam in quocumque ſunt plura diſtincta, de tali cõuenit diſtincta, & plura formare nomina, ſed in Deo, in quo eſt omnis perfectio ſunt multa diſtincta, quia ſunt attributa relationes notiones, &c. quæ diſtinguntur inter ſe, ergo de Deo plura poſſumus formare nomina, & pluribus nominare ipſum.

7 Cum iuxta placitum D. Dionyſij loco citato Deus ſit infinitorum nominum, quæ impoſsibile eſſet enumerare, nedum ſufficienter exponere hic contenti erimus aliquot recenſere, & aliqua declarare in reliquis remittentes nos ſacrarum ſcripturarum Interpretibus; breuiter nomina Diuina enumerando dicimus; quod quædam ſunt, quæ dicuntur de Deo æternaliter; vt Deus ſapiens, bonus, iuſtus, &c. quædam temporaliter, vt Dominus, Creator, Conſeruator, Redemptor &c. quę connotant effectum in Creatura ſecundum actum; quædam pluraliter, vt Perſonæ; quædam ſingulariter, vt eſsentia Diuina; Quædam propriè; vt proprietates perſonarum, Quædam appropriatè; vt potentia, ſapientia &c. Quædam poſitiue, vt Clemens, omniſciens quædam priuatiue, vt immortalis; quædam translatiue, vt Agnus Leo, quædam collectiue, vt Trinitas, Trinus, quædam relatiue, vt æqualis, ſimilis &c. Et quędam abſoluta; Vt iuſtus, ſapiens, &c. quæ etiam dicuntur affirmatiua; negatiua vero ſunt infinitus, immenſus, incomprænhenſibilis &c.

8 Item alia dicuntur diuerſa, & multiuora, quę ſub multitudine vocis idem habent ſignificatum, vt Theos in græco, & Deus in latino, & hæc ſunt vere

Synonima; quædam dicuntur diuerſiuoca, & ſunt, quæ diuerſe ſignificant, ideſt non ſecundum eandem rationem formalem, quamuis idem realiter ſignificent, vt ſunt nomina attributalia Diuina; Hæc tamen non ſunt nomina ſynonima cum ſignificent à parte rei diſtinctas realitates, & formalitates; Cum enim appello Deum bonum, iuſtū &c. formaliter nomine iuſtitiæ non ex primo formalitatem bonitatis, ſicut in re formalitas bonitatis non eſt formalitas iuſtitiæ, ergo ideo non ſunt ſynonima, quia non idem formaliter ſignificantia. Quędam nuncupantur ſymbolica, quæ nimirum Deo ex viſibilibus tranſumptiue tribuuntur, vt ſunt Lux. Ignis ardor &c. Simbolus eſt collatio viſibiliū formarum cum Inuiſibilibus; Hæc nomina ſymbolica non ſunt ſynonima, quia eis correſpondent diſtincta obiecta in Deo à parte rei formalia; idcirco merito reuocantur ad diuerſiuoca, etenim luci correſpondet in Deo veritas, ardori bonitas; Leoni fortitudo, ſeu potentia, Lapidi firmitas, ergo nequeunt ſymbolica nomina de Deo dicta cenſeri ſynonima.

9 Differunt plurimum nomina Myſtica, & ſymbolica; pro qua differentia intelligenda notandum eſt, nomina myſtica dici à myſterio abſcondito, quæ tribus modis capiuntur. Primo pro nomine reperto in Deo, & non in Creaturis: ſicque Creator, vel Diuinitas eſt nomen myſticum. Secundo pro nomine translato à Creaturis ſpiritualibus; cuius tamen res primario eſt in Deo, vt ſapientia, Intellectus &c. Tertio pro nomine translato à ſpiritualibus, cuius res primo eſt in Creatura, & ſecundario quædam ſimilitudo in Deo reperitur, ſicuti eſt ratio diſcurſiua, quæ primo in Anima reperta eſt; deinde propter quādam ſimilitudinem transfertur ad Deū, qui ſine diſcurſu intelligit; Nomen autem ſymbolicum dicitur à ſyn quod eſt, ſimul, & bole ideſt ſententia; porro tunc appellatur ſymbolicum, quando nomē Creaturæ ſenſibilis Deo attribuitur, ita tamen, quod primo conuenit Creaturis, ſed Deo impropriè, ſicut cum pronunciamus de Deo eſſe ſpeculum Lucem Petram &c.

10 Horum nominum ſymbolicorū tres ſunt ſpecies, ſeu differentiæ, quædam enim ſunt, quorum ſola negatio ponitur in Deo, & nunquam affirmatio ſicut eſt infinitam incorporeum nūquam enim dicitur finitus, vel corporeus aliqua ſunt, quorum nomen primo repertum eſt in Creaturis corporalibus, tamen res nominis prius eſt in Deo, vt Paternitas; ex quo omnis paternitas in Cœlo, & in terra nominatur. Epheſ. 3. Alia ſunt nomina, quorum proprietas prius eſt in Creatura corporali, & ſecundo in Deo, & talia nomina ſunt propriè ſymbolica; vt cum de Deo dicimus quod ſit Petra, vera eſt propoſitio, ſymbolica tamen tantum nimirum propter ſimilitudinem firmitatis Petræ reperta in Deo, his ſic ſtantibus nomen myſticum eſt principalius quam ſymbolicum; primo quia ſymbolica nominant Deum ſecundum rem via remotionis, ſic dicendo Deus non eſt Petra, ſed myſtica per modum eminentiæ; Secundo quia nomina ſymbolica ſecundum D. Dionyſium aſſumuntur à Creaturis Inferioribus, ſcilicet ex ſenſibilibus. Myſtica autem ſumuntur ex ſuperioribus, ideſt inuiſibilibus, quæ ſunt perfectiores, vt Angeli; &c.

11 Cum vniuerſaliter loquēdo concretum, & abſtractum ratione formalis ſignificati, tum in diuinis, tum in creatis importet differentiam rationis ſecundum diuerſum modum concipiendi ex 1. diſt. 2. q. 7. & diſt. 8. q. 4, & alibi ſæpè. Datur etiam in Diuinis nomen concretum, & abſtractum ſo-

la

la ratione diſtincta pro formali, & pro materiali ſecundum realitatem à parte rei talibus nominibus ſignificatam; probatur ex 1. diſt. 4. Deus & Deitas ſunt huiuſmodi concretum, & abſtractum ſola ratione diſtincta, tam ratione ſignificati formalis, quam etiam materialis; Inſuper ſunt nomina Anagogica, quæ cum exceſſu Deo, ex Creaturis attribuuntur, ſicut ſuper ſubſtantialitas ſupernaturalitas &c. Cum tamen Deus ſit vera ſubſtantia, & vera natura, Hæc nomina non ſunt Synonima, nam etiam ipſis reſpondent diſtincta in Deo obiecta, ſicut patet de ſupernaturalitate diuerſarum perfectionum, & de alijs, quæ ſunt in Deo. Item re ipſa dantur etiam nomina relatiua, quibus Deus ex tempore ad extra nominatur, comparatione Creaturarum eſt de fide ſicuti eſt de fide Deum eſſe, & appellari omnium Dominum, Creatorem Cœli, & terræ viſibilium, & inuiſibilium omnium, conſeruatorem, atque humani generis Redemptorem, ſanctificatorem. At eiuſmodi nomina de Deo dicuntur relatiue ad Creaturas, ergo de facto dantur nomina relatiue Deo ex tempore conuenientia.

12 Hæc nomina relatiue non ſic dicuntur relatiue ad Creaturas per relationes aliquas reales, quas ex natura rei ponant in ipſo Deo ad creaturas, neque per aliquas relationes rationis ex tempore per actum Diuini Intellectus cauſatas, probatur prima pars quia Deus à parte rei nullam poteſt ad res creatas fundare relationem, Primo quia ab eis eſſentialiter depēderet tanquā à termino ſuę realis relationis. Secundo, quia dum illæ relationes de nouo aduenirent, vere ipſe Deus mutaretur, cum realiter, & intrinſece aliter relatiue ſe haberet; ſecūda etiam pars probatur, nam diuinus intellectus ad quodcumque ſcibile poteſt comparare ſe ipſum, vel eſſentiam, vel potentiam ſuam, & de facto in æternitate comparauit, quia quicquid intelligit (tam ſcientia ſimplicis intelligentiæ; quæ reſpicit poſſibilia, quam ſcientia viſionis quæ reſpicit futura) ab ęterno intelligit & non ex tempore, ergo nequeunt dari relationes rationis in intellectu diuino, vel in alijs attributis Dei ad Creaturas ex tempore ab ipſo intellectu diuino cauſatæ.

13 Eſto dicta nomina de Deo ex tempore relatiue ad creaturas comparatione noſtri intellectus confuſe concipientis denotent relationes rationis; nihilominus tamen eiuſmodi relationes rationis non ſunt relationes, ob quas Deus præciſe relatiue ad Creaturas nominatur; prima pars probatur, noſter intellectus poteſt eſſentiam diuinam ad Creaturas comparare, immo non intelligit alio modo Deum eſſe omnium rerum Creatorem, Conſeruatorem &c. niſi ipſum Deum referendo ad res creatas, ergo huiuſmodi nomina relatiua dicta ex tempore de Deo relationes rationis ſignificant; ſecunda pars etiam probatur, nam neceſſario alterum correlatiuum tertij generis relatiue nominatur ad aliud extrinſece ob ſolam relationem realem exiſtentem in illo, ſcientia enim neceſſario refertur ad ſcibile, ſcibile autem non ſic ad ſcientiam niſi extrinſece ob relationem ſcientiæ ad ſcibile quæ terminatiue in ipſo ſcibili reperitur ad ſcientiam, at Deus hoc modo nominatur relatiue comparatione Creaturarum, in quibus ſunt relationes reales ad ipſum Deum.

14 Pro huius probationis completa notitia notandum eſt tria eſſe relatiuorum genera ex 5. met. cap. 3. de ad aliquid primum genus eſt quod fundatur ſuper vnum, & multa, & continet identitatem, & diſtinctionem,

æqualitatem, & inæqualitatem, ſimilitudinem; & diſſimilitudinem ſecundum genus fundatur ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam, amplectiturque relationes omnes cauſantis, & cauſati, producentis & producti, mutabilis, & mutati; tertium genus fundatur ſuper menſuram, & menſurabile ſicut eſt relatio ſcientiæ ad ſcibile; in primis duobus generibus relatio ſemper eſt mutua, ita vt extrema formaliter, & intrinſece ad inuicem referantur. Cæterum in tertio genere relatio nunquam ſic mutua eſt cum tantum ſit in vno extremorum formaliter, & in alio tantum terminatiue, ex quo fit, vt propter relationes poſitas in vno extremorum, non oporteat in altero relationes formaliter cõſtituere, ex eo pręſertim, vt poſſit relationes in altero extremo relato formaliter poſitas terminare, cum illas præciſe terminet per ſuum abſolutum, tales ſunt relationes Creaturarum in ipſis fundatæ, & terminatæ vel ad Diuinam eſſentiam vel ad diuinam voluntatem.

15 Hoc nomen (Qui eſt) ſimpliciter, & abſolute dicitur proprijſſimum nomen diuinæ eſſentiæ omnibus alijs nominibus peculiarius, & excellẽtius, videtur eſſe de fide, cum tali nomine Qui eſt Exodi 3. Deus ipſe vſus ſit ad ſuam ſignificandam proprijſſime naturam, quo etiam fit, vt ſit nomen non à creaturis impoſitum, & ab aliqua proprietate, vel actione diuina deſumptum, cum potius ſit à nobis per reuelationem acceptum; Vlterius nomen hoc nulli alij conuenire poteſt, cum per ſe primo ens omnino à ſe, & ex ſe habens eſſe neceſſarium, abſolutum, independens infinitum per antonomaſiam ſignificet, & omnis creatura in ſuo conceptu importat ordinem quendam tranſcendentalem eſſendi ab alio cum ſit eſſentialiter dependens non ex ſe habens eſſe ſed tantum capax eſſe ex 1. diſt. 8. q. 3. ergo nulli Creaturæ cum veritate hoc nomen conuenire poteſt; Tandem nomen hoc latinum qui eſt & nomen illud Græcum Tetragramathum, Hæbraicè dictum Iehoua idem omnino per ſe primo ſignificant ſicut conſtat ex D. Hieronymo ſunt enim nomina multiuoca, quæ ſub multitudine vocis apud diuerſas nationes idem habent ſignificatum, igitur hoc nomen Qui eſt dicitur nomen Dei vere proprium, & omnibus alijs nominibus ſibi proprijs ſpecialius.

16 Hoc nomen Deus, dicitur nomen proprium diſtinctiſſime ſignificans diuinam naturam, probatur per D. Ambroſium in prologo libri 2. de fide vbi inquit Deum eſſe nomen naturæ; quod etiam docent D. Hieronymus epiſt. 136. & D. Athanaſius Epiſt. in decretis Nicenæ Synodi, probatur etiam ratione: Communis Animi conceptus eſt Deum eſſe propoſitionem dici per ſe notam igitur neceſſario nomen hoc Deus, quo Diuina natura ſignificatur, eſt proprium nomen diſtincte naturam illam, in ſe exprimens; probatur conſequentia ex 1. diſt: 2. quęſt: 2; ſi enim nomen illud importaret per ſe primo actionem aliquam, vel aliquã proprietatem diuinæ naturę, à qua fortaſſe impoſitum eſſet nomen, propoſitio illa non eſſet per ſe nota, quia non eſſet immediata, cum eſſet non in primo ſed in ſecundo modo docendi per ſe, nec de ſecundo adiacente, ſed de tertio.

17 Hoc nomen concretum Deus acceptum ſecundum ſuum rigoroſum ſignificatum verè communicatur ad intra diuinis perſonis ſecundum idem numero ſignificatum nominis, & rei, vere enim Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, & Spiritus Sanctus eſt Deus,

nam

nam res per ſe primo ſignificata nomine Dei eadem numero manens eſt ſimpliciter tribus Perſonis communicabilis; hoc totum eſt de fide patet ex Symbolo D. Athanaſij; Quod quidem nomen ſic rigoroſe acceptum abſolutè Creaturis conuenire non poteſt; nam nomen Dei ſecundum propriam ſignificationem acceptum impoſitum eſt ad ſignificandam vnam naturam ſingulariſſimam per ſe ſuppoſitis realiter diſtinctis communicabilem, at ſola natura diuina ex ſua formali infinitate eſt ſimul per ſe, hæc natura ſcilicet ſingularis ſolis perſonis Diuinis communicabilis, ergo non Creaturis.

18 Si hoc nomen Deus ſumatur impropriè, ſeu ſecundum quid penes quãdam translationem ſignificatiuam eſt creaturis communicabile patet ex pſalmo 81. ego dixi Dij eſtis, & Exodi 7. conſtituite Deum Faraonis, & Exodi 22. Dijs non detrahes. Hinc etiam dicendum nomen Dei tantum æquiuoce cum quadã Analogia attributionis dici de vero Deo per eſſentiam, de Dijs ex Pſamo 81. &c. per ſolam participationem nominalem, & immitationem; & de Dijs ſeu Idolis gentium ſecundum falſam opinionem Gentilium, qui plures agnoſcentes Deos non ſecus arbitrati ſunt diuinam naturã ad ſuos plures Deos ſe habere, ac nos eum veritate philoſophamur, humanam naturam comparari cum diuiſione ſcilicet eiuſdem naturæ, cum quantis alijs abſurdis, qui voluerit ſcire ex Hiſtorijs prophanis abunde legendo poterit colligere, pro nunc ſatis eſt tetigiſſe.

19 Concedendum eſt tamen vere dari aliqua nomina vniuoce communia Deo, & Creaturis, vt ens, ſubſtantia, ſpiritus &c. nam nomen vniuocũ dicitur id, quod ſecundum nomen rei habet ſignificatum ſecundũ Ariſt. in ante predicamentis; at nomina prædicta, & alia rerum tranſcedentium idem ſecundum nomen habent ſignificatum ex 1. diſt. 3. q. 2; quæ nomina comparatione eius, ad quod ſignificandum per ſe primo, & abſolute impoſita ſunt principalius, & prius de Deo, quam de Creaturis dicuntur, ſicut enim ratio ſubſtantiæ ſpiritus &c. & aliorum tranſcendentium prius, & principalius conuenit Deo, quam Creaturis, ita etiam nomina, quæ ad illam rationem ſignificandum imponuntur prius, & principalius de Deo, quam de Creaturis dicuntur; probatur conſequentia, quia quantum ad hoc nomina rerum ſignificata ſequi videntur; ſi vero nomina prædicta inſpiciantur comparatione eorum, ex quibus imponuntur, prius & principalius dicuntur de Creaturis quam de Deo, primo quia nomina hæc Deo, & Creaturis cõmunia comparatione imponentis ſignificant res, vel conceptus, vel res ipſas immediate non abſolute, ſed inadæquate conceptibiles; at conceptus inadæquati accipiuntur per abſtractionẽ à rebus Creatis ſenſibilibus ergo; ſecundo nomina imponuntur à proprietatibus rerum ex 1. diſt. 22. ſed prius, & principalius nobis Viatoribus imponentibus nomina notæ ſunt proprietates rerum ſenſibilium, vt notum eſt, quã proprietates Dei, ergo &c.

20 Reuertendo ad principale propoſitum & concludendo ex dictis dicendum eſt Deum vere eſſe ineffabilẽ comprehenſiuè, quia à Viatore, immo à nullo Creato Intellectu comprehendi poteſt; hoc eſt de fide definitum in Concilio 4. Lateran. provt habetur in Cap. firmiter de ſumma Trin. & fide Catholica; Hic non eſt ſermo de comprehenſione locali, nec corporea; ſed de intellectuali; neque tamen de omni comprehenſione Intellectuali; nam certũ eſt quod Beati in Cœlo vulgariter dicuntur comprehenſores illa compre-

hen-

henſione; de qua Apoſtolus 1. Cor. Cap. 9. ait, ſic currite, vt comprehendatis, idest vt Deum clare diſtincte, & intuitiue videatis; quæ comprehenſio ſic large ſumpta potius eſt appræhenſio, quam comprehenſio, quæ vocatur diſtincta, & intuitiua cognitio, ſi diſtinguatur contra abſtractiuam; vocatur etiam tentio, vt diſtinguatur contra cognitionem obſcuram, & confuſam; eſt igitur ſermo de comprehenſione intellectuali prov t eſt continentia quædam perfecta intentionaliter obiecti in cognitione, Hæc comprehenſio duplex eſt, alia intenſiua, alia extenſiua; intenſiua eſt, cum Deus cognoſcitur quantum cognoſcibilis eſt ſecundum ſuam intenſiuam perfectionem; extenſiua eſt, dum cognoſcuntur non ſolum ea, quæ ei formaliter competunt, ſed etiam illa omnia quæ eminenter continet, & illa, ad quæ ſua potentia intellectiua, & volitiua extendere ſe poteſt.

21 Ad veram comprehenſionis rationem neceſſario tantum requiritur, vt tanta ſit virtus Intellectiuæ potentiæ eiuſque intelligendi actus, quanta eſt intelligibilitas obiecti adeo vt inter ea recte intercedat perfecta adæquatio, & entitatiua commenſuratio; quo fit, vt nullus creatus Intellectus etiam abſoluta potentia Dei valeat Diuinam eſſentiam comprehendere; Vnde tres condiciones ſunt neceſſariæ ad cognitionem comprehenſiuam; prima eſt, vt id, quod compræhenditur ita videatur, vt nihilominino eorum, quæ in ipſo ſunt videntem lateant. Secunda, vt id oriatur ex vi, & intrinſeca perfectione Potentiæ intellectiuę; & actus intelligendi, non autem ab aliquo extrinſeco, vt à reuelatione, vel lumine, vel alio ſupplente. Tertia vt actiuitas Intellectus, & cognitio commenſuretur, & adæquetur cognoſcibilitati obiecti, quod autem ſimpliciter impoſſibile ſit etiam per potentiam Diuinam Intellectum creatum comprehendere cum iſtis tribus condicionibus Diuinam eſſentiam probatur à Scoto in 3. diſt. 14. q. 1.

21 Nam licet poſſibile ſit, quod Deus manifeſte, & euidenter oſtendat Intellectui Creato eſſentiam ſuam cũ omnibus ſuis perfectionibus; & conſilia ſua, atque decreta, determinationes æternas reuelando ipſi quæcumque Intellectus Diuinus propoſuit, & Voluntas Diuina determinauit, tamen Intellectus creatus non comprehenderet Deum proprie, quia omnibus illis poſitis de eſſet condicio ſecunda requiſita ad compræhenſionem proprie dictam; Ideo etiam Anima Criſti non cõprehendit Verbum, licet videat omnia, quæ videt Verbum; Hinc patere poteſt deſinitio comprehenſionis tradita a D. Auguſtino 12. de Ciuitate Dei Cap. 18. & Epiſt. 112. dicente compræhenſionem eſſe ſcientiam, ſeu viſionem, qua aliquid ita compræhenditur, quod ſciẽtis cognitione finitur. Ita quod oporteat inter ea adæquationem, & commenſurationem ſimpliciter entitatiuam intercedere; & non proportionem tantum ſecũdum illas tres condiciones copulatiue requiſitas; quia tunc ingenue eſſentia diuina cognoſcitur tota & totaliter, tota quatenus nulla eius formalitas latet videntem; totaliter quatenus cognoſcitur omni modo, quo cognoſcibilis eſt ſcilicet infinite.

De viſibilitate, & inuiſibilitate Dei. Art. V.

1 SI Deus non eſt compręhenſibilis eſt tamen viſibilis ſaltem à Beatis; Ideo viſa natura ineffabilitatis diuinæ ad eius viſibilitatem, vel inuiſibilitatem conuertendus eſt ſermo. Et pri-

mo

imo dicendum eſt eſſe de fide Deum, nec videri, nec viſibilem eſſe ſecundum ſuam ſubſtantiam oculis corporeis in ſua natura ſpectatis, ſic ex Scoto in multis locis maxime in 4. diſt. 10. quęſt. 9. & eſt D. Pauli 1. ad Timoth. Cap. 1. Deus eſt immortalis, & inuiſibilis & Cap. 6. Rex Regum, & Dominus dominantium; qui Lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominū vidit, nec videre poteſt, & Ioan. 1. Deū nemo vidit vnquam; Idem dicunt patres communiter, & probatur etiam ratione deſumpta ex principijs fidei, nam Deus non eſt ſubſtantia corporea ſed puriſſimus ſpiritus, ergo eſt ſimpliciter inuiſibilis oculis corporeis, conſequentia probatur, quia viſibile hoc modo eſt neceſſario ſenſibile affectum, ſcilicet materialibus qualitatibus, quod eſſe nequit, niſi ſit corporeum, & quantum, & coexiſtens in loco modo quantitatiuo, & ſit proportionatum viſui corporeo, qui non modo materialis eſt, & quantus, ſed etiam coextenſus in loco.

2 Addimus eſſe abſolute impoſſibile etiam per abſolutam Dei potentiam corporeos oculos eleuari vt Deum videant in propria natura, & ſubſtantia, ſiue recipiendo viſionem immediate à Deo cauſatam, ſiue recipiendo aliquam formam ſupernaturalem, qua in actu primo conſtituatur ad vidēdum Deum in propria eſſentia, nam viſiua potentia corporea non eſt capax alicuius ſpiritualis formæ, ergo ſimpliciter repugnat eam eleuari ad videndum Deum; conſequentia probatur, quia duobus modis tantum contingit eam eleuari, aut immediate ſuſcipiendo à Deo viſionem eius totaliter cauſatam, aut ſuſcipiendo aliquam formam, qua in actu primo ſufficienter conſtituatur ad eliciendam viſionem Dei; at tam viſio prior, quam forma poſterior ſunt qualitates ſpirituales, vt patet ergo &c. Antecedens probatur, quia omnes aliæ formæ præſertim accidentales excepta Anima intellectiua in ſubiecto extenſo extendūtur, vt ſint totæ in toto, & pars in parte; ſic igitur eleuari eſt proprium potentiæ intellectiuæ. Sicut repugnat corporeæ. Alibi meminimus hæreſis Antropomorphitarum dicentiu Deum eſſe corporeum, ex qua ſequitur Deum eſſe viſibilē oculis corporeis, & ſicut antecedens eſt damnatum ita, & conſequens.

3 Sicut creatus intellectus, ſiue Angelicus, ſiue humanus non poteſt beatificari in aliquo creato ente, quodcumque illud ſit contra Armenos, alios que Hęreticos; ſic de facto intellectus Creatus Beatorum, tam hominum, quam Angelorū beatificatur in ente infinito, quod Deus vocatur, quem vident ſicuti eſt, & in propria natura, & ſubſtantia; prima pars probatur obiectum naturale. Creati intellectus eſt ens in quantum ens, & non poteſt quietari niſi in ente ſummo contento ſub tali obiecto, ſed ens ſummum non eſt ens finitum, & creatum, ſed infinitum, & increatum ergo &c. Secunda pars eſt adeo vera, vt eius oppoſitum ſit Hæreticum, & temerariū iuxta illud 1. Ioannis tertio ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt, ita primo definiuit de fide Benedictus XII. Bulla quæ incipit Benedictus Deus quam refert per extenſum Alphonſus de Caſtro aduerſus Hæreſes lib. 3. V. Beatitudo hæreſi 6. & concilium Florentinum ſeſſ. vltima. Idem definiuit illis Verbis, eos, qui ſuſcepto baptiſmate; vel per acta pœnitentia in gratia deceſſerint in Cœlum mox recipi, & clare intueri ipſum Deū Trinum, & vnum ſicuti eſt, ſimiliter Apoc. 22. Serui eius ſeruient ei, & videbunt faciem eius, & 1. ad Cor. 13. videmus nunc per ſpeculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem, &

idem

idem probatur ratione. naturale deſiderium ad aliquid ſimpliciter impoſsibile eſſe non poteſt, at creato. Intellectui inſitum eſt naturale deſiderium videndi Deum, cum ſit naturaliter propenſus ad intelligendum perfectiſsime quodlibet ens ergo &c. videre Deum facie ad faciem eſt intellectui naturale deſiderium, & in ipſo beatificari, ergo ſi de facto creatus intellectus Beatorum eſt Beatus, ergo de facto videt Deum ſicuti eſt.

4 Error quem ſine nomine Auctoris refert D. Gregorius lib. 18. Moralium Cap. 38. ſcilicet Deum in ſua eſſentia, & natura eſſe omnino inuiſibilem comparatione Creati Intellectus ſiue eleuati ſiue non eleuati lumine glorię ab Armacano lib. 14. quæſtionum cap. 1. aſcribitur Armenis, Petro Abailardo, eiuſque ſocio Arnaldo à Caſtro, Americo, & alijs opinantibus Deum videri à Beatis in quodam lumine, ſiue fulgore à Diuina luce deriuante. Non ſecus ac Sol in radijs ſuis ex eo deriuatis videri poteſt; probant ex 1. ad Timoth. Cap. 1. & 6. Lucem inquit Apoſtolus inhabitat inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, ſed neque videre poteſt, & Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam, & Exodi 33. poſteriora mea videbis faciem autem meam videre non poteris, & 2. Petri Cap. 1. in quem deſiderant Angeli proſpicere ergo non vident, ergo, nec alij Beati. Reſpondetur Paulum locis citatis, vel locutum eſſe de oculis corporeis, ſicut docet Auguſtinus Epiſtol. 111. & 112. vel eſſe locutum de Intellectu hominis pro ſtatu iſto præcipue ſpectatis ſolis naturæ viribus, ſimiliter alia duo teſtimonia, vel intelliguntur de lege ordinaria, ſi teneatur Paulum, & Moyſen in tranſitu diuinam vidiſſe eſſentiam; Ad illud D. Petri deſiderium Angelorum non eſſe proprie ſumendum, quatenus ſignificat actum voluntatis de re nón habita, ſed late quatenus extenditur ad ſignificandum affectum, & voluptatem, qua abſque faſtidio Angeli per viſionem feruntur in Deum.

5 Intellectus humanus ſecluſa fide eiuſque principijs pro ſtatu iſto ex ſolis viribus naturæ. naturali lumine non poteſt ſcire claram viſionem Dei eſſe ſibi poſſibilem, nec actiue, nec paſſiue, neque euidenter ſcire naturam Intellectualem eſſe capacem gratiæ, gloriæ, aliorumque ſupernaturalium donorũ; probatur primo ex parte obiecti. Obiectum primum naturale motivum noſtri Intellectus pro ſtatu iſto, eſt quiditas rei materialis, vel ſenſibilis, igitur naturali ratione ſolum notum eſt eorum duntaxat cognitionem abſtractiuam eſſe nobis poſſibilem, quæ proprie & per ſe ſenſibilia ſunt, vel ſaltem eſſentialiter, vel virtualiter in ſenſibilibus incluſa ſunt; ſed cognitio prædicta, & ſcire prędictum nullo modo ſunt de contentis ſub prædicto obiecto, ergo &c. probatur ſecundo ex parte actus, nullius potentiæ finis proprius naturaliter cognoſcitur ab Intellectu noſtro, niſi ex actibus illius Intellectui noſtro manifeſtis, ex quibus deduci euidenter poteſt talem finem potentiæ, ſiue naturæ poſſe conuenire; ſed pro ſtatu iſto nullum actum in nobis euidenter experimur, ex quo etiam euidenti ratione deducere poſſimus claram viſionem Dei in propria natura eſſe nobis poſſibilem.

6 Creatus Intellectus ſiue Angelicus ſiue humanus ſecluſa omni reuelatione, & ſublata imperfectione ſui ſtatus naturali ratione probare poteſt claram, intuitiuamque viſionem Dei ſaltẽ paſſiue eſſe ſibi poſſibilem ex 4. diſtin. 49. qu. 8. quia omnis potentia habens obiectum ſuum adæquatum, vel poteſt per ſe attingere quodlibet per ſe contentum ſub illo perfectiſſimo modo;

vel

vel ſaltem eſſe per ſe capax notitię, perfectiſsimæ cuiuſpiam ſub illo contenti; Hæc propoſitio eſt per ſe nota, cum naturaliter notum ſit omnem potentiam, nec excedere proprium obiectum, nec ab eo excedi poſſe. Si eſt adæquatum, ſed ſublata ſtatus imperfectione eſt naturali ratione notum ens in quantum ens comune Deo, & Creaturis eſſe naturale obiectum adæquatum naturalis inclinationis creati Intellectus, cum ipſe ſit totius entis, ergo etiam eſt naturali ratione notum claram viſionem Dei, qui in latitudine entis eſt ſummum ens, eſſe poſsibilem creato intellectui, ad quam naturaliter inclinatur.

7 Viſio clara Dei, atque intuitiua quoad naturalem attingentiam eſt omnino ſupernaturalis cuilibet creato, vel creabili Intellectui ex natura potentiæ; adeout ſolis naturæ viribus nullus eam attingere poſsit, eſt de fide definitum in Concilio Vienēſi ſub Clemente V. celebrato, & præcipue habetur in Clementina illa Ad noſtrum de Hæreticis, & Cap. 6 primæ ad Timoth lucem inhabitat inacceſsibilem quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt; ſolis viribus naturæ ſcilicet, & Iſaiæ 64. oculus non vidit Deus abſque te, (ſcilicet abſque tuo auxilio ſpecialis) quæ præparaſti diligentibus te, & 1. Cor. 2; in cor hominis non aſcenderunt, quæ præparauit Deus his, qui diligunt illū; Rurſus Pſalm. 83. gratiam, & gloriam dabit Dominus; cuius pars eſt viſio beatifica, probat etiam Scotus hanc veritatem in 4. diſt. 49. q. 11. ex illo Rom. 6. gratia Dei vita æterna.

8 Probatur adhuc; nam hoc eſt perfectionis vi natura humana ex q. 1. Prologi ſcilicet naturalia non ſufficere ad vltimam eius perfectionem, quæ eſt Animæ rationalis, igitur nec ad perfectionem, quæ eſt gratia, & gloria; & opinio, ſeu ſententia Begardorum, & Beguinarum eſt maior hæreſis in hac materia, quam Hæreſis Pelagij, qui poſuit hominem ſine gratia poſſe iuſtificari; Aliter probatur, viſio Dei beata eſt notitia intuitiua terminata ad rem exiſtentem, & præſentem, quatenus ſic, at creatus Intellectus eſto habeat Deum præſentem per communem illapſum ſcilicet per eſſentiam, potentiam, & pręſentiam, non tamen eius præſentiam ſpecialem attingere poteſt illam ſcilicet, quæ eſt in ratione obiecti proxime cum eo ad ſui viſionem concurrentis, cum Deus ad eam efficiendam concurrat per concurſum liberum, libereque exhibitum, ergo ſimpliciter impoſsibile eſt Creatum Intellectum viſionem Dei naturaliter attingere, & adipiſci.

9 Eſt ſimpliciter impoſsibile etiam per abſolutam Dei potentiam imprimi ſpeciem in Intellectu creato, quæ eſſentiæ diuinæ in eſſendo adæquetur, vel quæ illam adæquate rappræſentet adæquatione abſoluta ſecundum proportionem rappræſentantis ad rappræſentatum; prima pars probatur, adæquatio entitatiua tantum inter ea reperitur, quæ æqualia ſunt in entitate. Sed impoſsibile eſt ens creatum ſic adęquari Deo, ergo. Secunda pars etiam probatur, nam Deus ex ſe eſt infinitè cognoſcibilis, & conſequenter infinitè rappræſentabilis, ſed eiuſmodi rappręſentatio fieri nequit, niſi per ſimilitudinem infinitè rappræſentatiuam, ſicut eſt intellectio infinita in Intellectu infinito. Ergo ſicut impoſsibile eſt dari ſpeciem impreſſam, vel expreſſam creatam formaliter infinitę perfectionis in genere entis, ita impoſsibile eſt dari ſpeciem creatam, quæ Deum adæquate rappræſentet adæquatione abſoluta ſecundum proportionem.

10 Similiter impoſsibile eſt etiam per abſolutam Dei potentiam dari poſſe ſpeciem impreſſam, quę in Intellectu

Digitized by Google

Beatorum ſit principium ſufficiens Deū intuitiue videndi, quia in primis ſpecies impreſſa eſt omnino ſuperflua in cognitione intuitiua, quia in tali cognitione obiectum actu intelligibile eſt potentię debite approximatum ſecundum propriam exiſtentiam. Vnde ſufficienter producit cognitionem intuitiuam; ſpecies enim ſolum habet locum, cum obiectum, vel non eſt actu intelligibile, vel non eſt debite præſens potentiæ, at in caſu noſtro neutrum dici poteſt, cum Deus ſit in ſe præſens intimè, & ſumme viſibilis Beatorum Intellectui; Deinde implicat ſimpliciter cognitionem intuitiuam fieri per ſpeciem impreſſam, quia implicat eundem numero actum cognoſcendi eſſe ſimul abſtractivum, & intuitivum, cum abſtractiua, & intuitiua notitia diſtinguantur eſſentialiter tanquam duæ ſpecies infimæ; quia abſtractiua cauſatur ab obiecto præſente potentiæ per ſpeciem impreſſam, ad idemque in ipſa ſpecie terminatur, è contrario vero intuitiua notitia ate in propria exiſtentia immediate cauſatur, ad eandemque ſic etiam terminatur. Ergo manifeſta foret contradictio, ſi Deus per ſpeciem intuitiue à Beatis videretur.

11 Concedendum eſt nō modo poſſibilem eſſe, ſed de facto reperiri ſpeciem impreſſam, quæ Deum diſtincte rappræſentat in cognitione tantum abſtractiua ex Scoto in 2. diſt. 3. q. 9. quod ſic probat. Datur de facto in Beatis ſpecies expreſſa, expreſſa inquam diuinæ eſſentiæ, quæ eſt ipſa viſio beata, igitur non repugnat dari ſpeciem impreſſam ad cognoſcendum Deum abſtractiue; non enim videtur ratio maior poſſibilitatis prioris, quam poſterioris ſpeciei, probatur antecedens, nam certiſsimum eſt Beatos videntes Deum habere viſionem, quæ eſt intellectio Dei intuitiua, ergo neceſſario habent ſpeciem expreſſam diuinæ eſſentiæ; Quod etiam de facto ſpecies impreſſa ſit in intellectu Angelorum Beatorum probatur, nam Beatitudo naturalis Angelorum in ſtatu vię excelluit beatitudinem naturalem hominis in ſtatu innocentiæ. At homo in ſtatu innocentię probabiliter habuit notitiam diſtinctam diuinæ eſſentiæ, tanquam ſui vltimi finis, ergo longe præſtantiorem eam habuit Angelus, & non niſi per hanc impreſſam ſpeciem, notitia enim confuſa Dei tam ſtatui innocētię, quam ſtatui naturali, in quo Angeli creati fuere diſſentanea, & incongrua nimis videtur.

12 Vlterius D. Paulus 2. ad Cor. Cap. 12. vere proteſtatur in raptu ad Tertiū Cœlum vidiſſe eſſentiam Diuinam eſto tranſitorie, & ceſſante illo actu videndi habere nequiſſet diſtinctam memoriam obiecti beatifici ſub ea ratione, qua fuit in viſione, niſi remanſiſſet in eo ſpecies impreſſa diſtincte eſſentiam Diuinam rappręſentans, igitur non videtur eiuſmodi ſpecies prorſus in Intellectu Creato neganda à Deo ei ſupernaturaliter impreſſa; Pro dictorum clara intelligentia notanda ſunt ſequentia; Primum ſpecies impreſſa ob tria capita eſt neceſſaria. primum caput eſt, vt res fiat actu intelligibilis ſi fuerit materialis, & extenſa; Secundum ſi exiſtēs in ſe actu intelligibilis fuerit potentiæ intelligenti; ſecundum localem diſtantiam improporcionata; tertium vt præſentia obiectiua rei intelligibilis in poteſtate fiat intelligētis potentiæ. Quando res illa apta non eſt per ſe ipſam naturaliter ad ſui intellectionem concurrere. Ita & eſſentia Diuina; & ob hanc cauſam ipſe Scotus in 2. diſt. 2. q. 9. iudicat neceſſario eſſe conſtituendam ſpeciem in Intellectu Angelorum Viatorum.

13 Secundo notandum munia ſpeciei impreſſe 6. communiter computari ſolere; primum eſt inhærere Intellectui,

ctui, quia eſt accidens ex 1. diſt. 3. q. 7; ſecundum in actu primo Intellectum conſtituere quia ei conuenit, quatenus cum eodem Intellectu conſtituit ſufficiens principium eliciuum actus intelligendi, non enim conſtituit formaliter Intellectum intelligentem vt falſo opinatus eſt Caietanus; tertium ei intelligibile obiectũ vnire, quod non ſic Intelligitur vt ſpecies preſtet ab obiecto potentiam informari, cum non oporteat obiectum per Informationem eſſe in potentia vt cognoſcatur, ſicut Scotus recte docet aduerſus Henricum in 4. diſt. 49. q. 11. ſed dicitur vnire tantum per modũ principij partialiter concauſantis Intellectionẽ, ſicut vniuntur plures Cauſæ partiales ad efficiendum effectum communem; Quartum actum cognoſcendi coefficere, munus etiam in re idem ſonat, vt ipſa ſpecies phiſice cum potentia efficiat actum intelligendi ex Scoto 1. d. 3. q. 7. & quolib. 15.

14 Quintum officium ſpeciei impreſſe eſt obiectum rappręſentare non quod ſit determinate ſimilitudo formalis obiecti; ſed potiſſimum, quia eſt ſimilitudo virtualis illius quolib. 14. eſt enim ſemen obiecti loco eius ſubſtituta ad efficiendum cum potentia expreſſam ſpeciem ſui obiecti formaliter ipſũ declarantem & exprimentem; Sextum intelligentem potentiam ad talem ſpeciem actus determinare non per modum termini, ſed tantum per modum cum principij, ad cuius principium determinatur actiuitas intellectus tanquam ex condicione ſine qua non ad determinatam ſpeciem notitiæ abſtractiuæ. Tertium notandum, quod inter ſpeciem hanc impreſſam, & obiectum eius duplex poteſt excogitari adęquatio vna ſimpliciter in genere entis, quæ ſit entitatis ad entitatem communiter appellata adæquatio entitatiua, & ita impoſſibile eſt ſpeciem ſic adæquari ſuo obiecto, cum ipſa ſemper deficiat à perfectione illius; Altera adæquatio eſt ſecundum proportionem rappræſentantis ad rappræſentatum, quæ dupliciter fieri poteſt, vel abſolute, cum ſpecies ſcilicet tantum rappręſentet quantum obiectum eſt rappræſentabile; ita ſpecies perfectiſſima albi rappręſentat ipſum, ſic quod eſt ratio compræhenſiua videndi illud; Vel relate, cum nimirum ſpecies rappręſentat obiectum tantum, quantum eſt attingibile, ſicut ſpecies albi in oculo cæcutiente ipſum album rappręſentat non perfecte in ſe, ſed perfecte per comparationem duntaxat ad actum, qui haberi poteſt à tali potentia ſic affecta circa illud.

15 Sententia eſt formaliter hæretica, quæ abſolute negat regulariter lumen glorie non eſſe neceſſarium ad videndum Deum in ſe iuxta Clementinam. Ad noſtrum de Hæreticis colligitur ex Scoto in primo diſt. 17. q. 2. & in 3. diſt. 14. q. 1. Non eſt tamen de fide certum lumen gloriæ neceſſarium ad videndum Deum dici habitum ſupernaturalem, ſiue aliquod auxilium tale, quo antecedenter intellectus creatus eleuetur ad eliciendam viſionem Dei; Nam Concilium Viennenſe inci-tata Clementina tantum damnare intẽdit errores Begardorum, & Beguinarum opinantium nos naturaliter poſſe videre Deum, non tamen aperte ſtatu t. lumen gloriæ. neceſſarium ad videndum eſſe aliquid diſtinctum à viſione Dei, cum tantum determinauerit illud eſſe neceſſarium ad videndum Deum, eo vel maxime, quia non eſt de fide intellectum Beati actiue concurrere ad videndum Deum, cum Scotus optime moneat in primo diſt. 3. q. 8. aliquod obiectum excedens multum facultatem intellectiuæ partis, ſicut eſt obiectum beatificum in quantum clare viſum

ſum poni poſſe totam cauſalitatem habere reſpectu ſuæ viſionis, ergo ſalua determinatione Concilij Viennēſis optime dici poteſt ipſam viſionem totaliter à Deo impreſſam creato intellectui eſſe lumen gloriæ neceſſarium ad videndum Deum, ergo non ſunt gratis de Hæreſi damnandi Doctores lumen gloriæ acceptum pro habitu inhærenti intellectui tantum negantes.

16 Non eſt à definitione citati Concilij diſcedere, ſi aliquis aſſeueraret creatum intellectum nudum cum obiecto beatifico ſpecialiter concurrente cum eo ad viſionem efficiēdam abſque alio lumine creato ſic, quod lumen ponatur aliquid increatum colligitur ex Scoto in 4. diſt. 49. q. 11. & quolib. 14. art. 2. vbi totam impotentiam creati intellectus ad videndum Deum ad impoſſibilitatem habendi Deum naturaliter præſentem obiectiue ſolum reuocat; verum etiam in 3. ſent. diſt. 14. q. 1. ad tertium principale, vbi docet obiectum ſufficienter vicem luminis ſupplere poſſe; Quod enim in intellectione naturali intellectus lumen ſit aliud ab obiecto hoc eſt ex eius imperfectione; Concilium autem illud ſtatuit duo ſcilicet creatum intellectum non poſſe Deum ex naturalibus videre & ad illum videndum lumine eleuante egere. Hic autē vtrumq; conceditur, cum non poſſit creatus intellectus ex naturalibus Deum præſentem per modum obiecti habere ad concauſandam cum eo viſionem, inde ſequitur concedere pariter eum ad hoc lumine eleuante indigere.

17 Probabilius eſt, determinationique Viennenſis Concilij conſonantius lumen gloriæ eleuans intellectum Beati ad videndum Deum eſſe habitum quēdam ſupernaturalem illi inhærentem, & ordine cauſalitatis antecedentem ipſam beatam viſionem tanquam principium eius, nam lumen gloriæ ponitur in patria ſuccedere lumini fidei infuſæ quod Beati habuerunt in via non tanquam habitus rappræſentans Deum, vel facilitans intellectum, quod Scotus negat, ſed tanquam adiuuans Beatum ad concauſandam diuinam viſionem; at lumen fidei eſt habitus intellectui Viatorum inhærens, ergo & lumen gloriæ eſt etiam donum habituale; Item ſicut Charitas perfecta, & conſumata in Beatis conſtituta ad diligendum Deum intenſius in Patria ſe habet ad illorum voluntatem, ita lumen gloriæ ſe habet ibi ad eorum intellectum (non enim cum certo fundamento diſparitas aliqua aſſignari poteſt), at Charitas in Patria de facto eſt habitus quidam ſupernaturalis voluntati inhærens ex 1. diſt. 17. q. 2. ergo etiam lumen gloriæ de facto eſſe oportet habitum ſupernaturalem, quo verius, & accomodatius explicatur definitio Concilij circa neceſſitatem luminis gloriæ edita, clariuſque declaratur impotentia intellectus ad videndum Deum, faciliusque explicatur eius eleuatio per lumen habituale, ergo reuera lumen gloriæ, pro habitu inhærente intellectui accipiendum eſt, eo vel maxime, quod modus hic eleuandi connaturalior eſt Beato intellectui, cum magis viſionem Dei in eius poteſtate conſtituat; At Deus in adiuuando cauſas ſecundas (quo magis fieri poteſt) illis in agendo ſe accomodat iuxta illud D. Auguſtini 7. de Ciuitate Dei Cap. 30. ſic Deus res, quas condidit adminiſtrat vt ſuos motus habere ſinat.

18 Pro notiori dictorum intelligentia notandum eſt (loquendo de facto ſecundum ordinatam Dei potentiam) quattuor modis accipi poſſe lumen gloriæ in propoſito; vno modo pro lumine obiectiuali, ſic lumen appellari ſolet ipſemet Deus quatenus eſt obiectū

beati

beatificum; & ex ſe ſumma lux illuminans intellectum Beati, & ita ingenue lumen in patria Scotus accepit in 3. diſt. 14. q. 1. ad tertium principale; ſecundo modo pro lumine actuali, & dicitur ipſemet actus intelligendi, ſicque lumē appellatus, quatenus eſt ſpecies expreſſa obiectum illud formaliter rappreſentās, & exprimens, ſed hoc non eſt Scholaſtice dictum, nam cum lumen gloriæ ponatur in creato intellectu, vt in ſua poteſtate ſit obiectiua præſentia Deo in ſe neceſſaria ſimpliciter ad ponendam in ſe ipſo beatificam viſionem, omnino veritati diſſentaneum videtur aſſerere lumen gloriæ eſſe formaliter ipſam met viſionem beatam, tum quia lumen eſt neceſſarium, vt Deus ſit obiectiue pręsēs in actu primo intellectui, tum etiam potius, quia videtur eſſe neceſſarium in illo ad phiſice eliciendam viſionem ipſam realiter à ſe ipſo diſtinctam, ſicut generatim effectus diſtinguitur à ſua cauſa.

19 Tertio pro lumine habituali; Lumen habitus Intellectualis potentiam determinans ad exprimendum obiectū recte nuncupatur, & in propoſito triplex eſſe poteſt (ſicut inſinuat Scotus quolib. 7. Scilicet fidei, gloriæ & medium inter lumen gloriæ, & fidei, primum eſt ipſa fides, quæ communiter eſt duplex ſcilicet infuſa, & aquiſita. Medium eſt ſpecies impreſſa diſtincte rappręſentans eſſentiam Diuinam, quæ Angelis omnibus à principio ſuæ creationis indita fuit; Lumen tandem gloriæ eſt quoddam tertium ſupremum, & habituale principium clare, & intuitiue videndi Deum, vt ſupra dictum eſt. Quarto modo accipi poteſt pro potentiali, ſic Lumen potentiale appellari poteſt ipſemet Intellectus, de quo forte Pſal. 4. dicitur ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine; ipſumque hoc ſenſu acceptum inſinuauit etiam Scotus quolib. 15. art. 3. vbi ait Lumen intellectuale videtur principium activum cognoſcendi veritates intelligibiles; Ex his fit, vt iuxta tres primas acceptiones luminis (excepta vltima recte, & ſine errore explicari poſſit articulus fidei) de neceſsitate luminis ad videndum Deum.

20 Quid Scotus reuera ſenſerit circa illud Lumen non ſatis conſtat inter Scotiſtas, qua controuerſia relicta breuitatis cauſa pauca hic ponuntur ſufficienter tamē exprimentia eiuſdem ſententiam; Scotus (vt obſeruat inſignis Scotiſta Vulpes diſput. 13. art. 7. n. 8.) Lumen gloriæ de facto negare in Intellectu creato ad videndum Deum viſus fuit, ſimul confutans modos quibus varij Theologi illud ſtatuere ſatagunt; negauit igitur Scotus lumen gloriæ ſex modis dari; primo, vt intellectus creatus viſionem Dei recipiat; ſecundo, vt ſit principium totale videndi, ſeu eliciendi viſionem; tertio vt ponatur tantum ad decorem, & pulchritudinem; quarto, vt potentia faciliter, delectabiliter prompte, & expeditè Deum videat; quinto eſſe neceſſarium ex parte obiecti, vt fiat actu viſibile eo modo quo ponī ſolet ſpecies impreſſa rei materialis, vt actu intelligibilis fiat; ſexta propter potentiam, vt à lumine accipiat actiuitatem ad videndum requiſitam in ordine ſuo, quibus modis defenditur Scotus a maleuolis contra ipſum garrientibus, tanquam Hæreticum.

21 Vera, ac ingenua Scoti ſententia de Lumine gloriæ eſt de facto ipſum poſuiſſe lumen prædictum pro habitu creato inhærente Intellectui acceptum neceſſarium regulariter, & de communi lege ad videndum Deum propter duo tantum. Primum, vt præſentia Dei obiectiua illi fiat debita, & in eius poteſtate conſtituta. Secundum, vt Deum intenſius, & perfectius videat; quod vltra prædicta magis conſpicuum fiet at-

ten-

Digitized by Google

tente conſideranti infra citata loca doctrinæ Doctoris ſubtilis. Videndus ergo eſt in 1. diſt. 17. q. 2. in fine in 3. diſt. 14. q. 1, in 4. diſt. 49. qu. 11. & 12. & qu. 4. & alibi ſæpe; Hinc conſtat ſufficienter Scotum Hęreſim Beguardorum, & Beguinarum confutaſſe ante Concilium Viennenſe; & ante Clementinam ſæpe citatam; mortuus eſt enim tam pius, & inſignis Doctor anno 1308. & Concilium celebratum anno 1311; quare non modo temeritatis, & immodeſtiæ in ſimulandi ſunt, verum etiam reprehendendi tanquam maledici detractores, qui Scotum vndequaque pium, & Catholicum voluntarie, & ſine fundamento auſi ſunt affirmare in citata Clementina Ad noſtrum de Hæreſi dãnatum fuiſſe.

22 Quod euidenter probatur falſiſſimum; Nam duo extitere prædictorum Hæreticorum errores; Primus quẽlibet hominem, in hac vita conſequi poſſe Beatitudinem, quam Sancti habent in alio ſeculo, & hunc Scotus reiecit ex inſtituto in 4. diſtinct. 49. q. 12. auctoritate prius D. Auguſtini 13. de Trin. cap. 8, vbi docet cum mortalitate eſſe non poſſe Beatitudinem; Secundo auctoritate ſacræ ſcripturæ exodi 33. nõ videbit me homo & viuet. Secundus error eſt Animam beatam non indigere lumine gloriæ ipſam eleuante ad videndum Deum, & hunc etiam ibidem damnat q. 11, vbi ſimiliter auctoritate Pauli ex illo Romanorum 6. gratia Dei vita æterna; Hoc enim (inquit) eſt perfectionis in natura humana (vt habet queſt. 1. Prol.) naturalia non ſufficere ad attingendam vltimam eius perfectionem, quæ eſt gratia & gloria, ſubditque hanc eſſe maiorem hæreſim, quam Hæreſis Pelagij, qui poſuit hominem iuſtificari ſine gratia, & tam ibidem, quam etiam quolib. 14. art. 2. oſtendit impoſſibilitatem ad vidẽdum Deum ex naturalibus auctoritatibus D. Auguſtini libro de videndo Deum, & D. Ambroſij aſſerentium Deum eſſe obiectum voluntarium; quomodo ergo Scotus de Hæreſi damnari potuerit ex eo, quod negauerit auxilium ſupernaturale neceſſarium ad videndum Deum, eo vel maxime, quia in 1. d. 17. quęſt. 2. in fine palam lumen etiam habituale, admiſit, & agnouit, inquit enim nullus negat communiter in Patria habitum luminis gloriæ, & iſte ex parte intellectus poni poteſt correſpondere Charitati ex parte voluntatis.

23 Nullo modo concedendum eſt lumen gloriæ concurrere ad videndum Deum in genere cauſæ materialis, neque vt ſit proximum, & immediatum ſubiectum, in quo viſio recipiatur, neque vt ſit diſpoſitio, quæ ſit ratio accipiendi illam, vel ſuſcipiendi obiectiuam præſentiam Dei neceſſariam ad viſionem Dei eliciendam contra Thomiſtas ferè omnes præſertim Caietanum p. p. q. 12. art. 5. Capreolum in 4. diſt. 49. q. 4. art. 1. Ferar. contra gentes lib. 3. cap. 54; Hæc concluſio efficaciſſime probatur ſic, ſubiectum naturaliter capax immediate alicuius formæ non eget diſpoſitione aliqua ad illam recipiendam; ſic ſe habet intellectus creatus reſpectu omnium formarum ſupernaturalium quę ad ipſum perficiendum ordinatur, ergo comentitium omnino eſt ponere lumen gloriæ in genere cauſæ materialis concurrere ad videndum Deum; maior cum conſequentia eſt euidens minor eſt Scoti q. 1. Prol. & in 3. diſt. 14. q. 1. & in 4. diſt. 49. q. 11. & probatur etenim aut intellectus creatus diſponi deberet per aliam formam ſupernaturalem, aut per naturalem non per naturalem vt patet; neque ſupernaturalem, cum ad illam recipiendam etiam diſponi per aliam oporteret, aut enim omnes formæ ſupernaturales quo

ad

Digitized by Google

ad recipi proportionatæ ſunt, aut improportionatæ creato intellectui, cum omnes quantum ad recipi ſint eiuſdem rationis, atque adeo protenderetur infinite informis diſponentibus, & perficientibus, quod eſt abſurdum.

24 Optime fieri poteſt per abſolutam Dei potentiam, vt creatus intellectus ipſum Deum intuitiue, ac beatifice videat ſine aliqua forma ſupernaturali illi inhærente, ſiue per modum habitus permanentis, ſiue per modum tranſeuntis Scotus in 3. diſt. 14. qu. 1. v. ſi autem forma. probatur lumen gloriæ (vt viſum eſt) non eſt neceſſarium ad videndum Deum in genere cauſæ materialis, ſed tantum in genere cauſæ efficientis, vel principaliter, vel inſtrumentaliter; at certum eſt Deum poſſe ſe ſolo efficere, quicquid principaliter, vel inſtrumẽtaliter efficit in hoc genere interuentu ſecundarũ cauſarum ergo Vt tamen creatus intellectus ſine lumine Deum ſimpliciter videat per abſolutam eius potentiam non oportet ipsũ Deum cauſalitatem aliquam luminis principalem ſupplere, quia vere intellectus habet integram virtutem naturaliter in ordine ſuo requiſitam ad ſimpliciter videndum Deum, igitur ad ſimpliciter Deum videndum ſicut non ponitur lumen, vt aliquam exerceat cauſalitatem principalem reſpectu viſionis, ita ex hac parte nulla remanet cauſalitas ſupplenda a Deo ſi ſine lumine per abſolutam potentiam videretur; Antecedens eſt Scoti in 4. diſt. 49. q. 11. & in 1. diſt. 1. q. 4. art. 4. vbi docet voluntatem abſque habitu ſupernaturali frui poſſe Deo, ſi ſibi, vt clare viſus ab intellectu proponeretur; Idque aſſerit eſſe intelligendum ex naturali virtute voluntatis, & non ex hoc quod Deus ſuppleret cauſalitatem alicuius habitus ſupernaturalis.

25 Quod Scotus aſſerit de voluntate affirmare etiam intendit de intellectu, & quidem rationabiliter, nam ſi Deus abſoluta ſua potentia ſine lumine gloriæ, vel alio quocumque habituali perfectiuo exiheat ſe intellectui creato in puris naturalibus in perfecta, & proportionata præſentia obiectiua, intellectus naturali ſua virtute videret ipſum intuitiue, & non ex hoc, quod Deus suppleret cauſalitatem alicuius habitus ſupernaturalis, nam in tantum lumen gloriæ ponitur à clementina neceſſarium ad videndum Deum viſione beata, & intuitiua, inquantum eſt neceſſarium ad ponendum Deum intellectui beatificabili præſentem non quacumq; præſentialitate, aut influxu, ſeu illapſu generali, ſed præciſe præſẽtialitate omnimode obiectiua, ſed hoc habet ab ipſo Deo ſecũdum abſolutam eius potentiã, ergo intellectus creatus in tali ſuppoſitione non indigeret lumine gloriæ ad videndum Deum intuitiue, ſicut nec voluntas in ſuperiori caſu non indigeret habitu Charitatis ad beatifice fruendum Deo. Vt vero creatus intellectus viſionem beatam attingat ita intenſam atque perfectam ſine lumine per abſolutam Dei potentiam, ſicut de facto attingit cum lumine, vtique in hoc caſu ipſum Deum cauſalitatem veram luminis ſupplere oportet ex 1. diſt. 17. q. 2. vbi generatim Scotus docet, tam de habitu acquiſito, quam de infuſo ipſum tantum eſſe cauſam partialem neceſſario requiſitam ad intenſiorem & perfectiorem actum attingendum igitur ex hac parte ſolum, vt ſcilicet intellectus creatus actu adeo intenſo, ac perfecto videat Deum ſine lumine cauſalitatem illius neceſſario eum ſupplere oportet.

26 Pro vberiori dictorum intelligẽtia notandum eſt lumen gloriæ eſſe habitum quemdam ſupernaturalem intellectui inhærentẽ, qui regulariter vtique requiritur, tum ad ſimpliciter, tũ etiam

ad

ad intenſius, & perfectius videndum Deum non tamen eodem modo, ſed cũ aliqua differentia, diſcrimine & diſparitate, nam talis habitus dicitur neceſſarius ad videndum ſimpliciter, tantũ requiritur neceſſario extrinſece, quatenus ad videndum ſimpliciter Intellectus creatus, per ipſum lumen ex extrinſeca ordinatione Diuina ſibi obiectiuã præſentiam adipiſcitur, ſine qua impoſſibile ei eſt illum videre, ſed ad videndũ intenſius ac perfectius eſt neceſſario requiſitus intrinſece tanquam cauſa in ordine ſuo propria virtute phiſice cum potentia influens in Beatam viſionem. Quare priori modo concurrit inſtrumentaliter ſicut ſacramenta ad gratiam ſumpto nimirum inſtrumento pro aliqua vltima diſpoſitione ordinata ad effectum principalis Agentis, ſic etiã perfecta, & completa organizatio corporis humani dici poteſt inſtrumentũ Creationis, & infuſionis Animæ rationalis in illud; Poſteriori autem modo concurrit principaliter ſcilicet effectiue per virtutem phiſicam ſibi formaliter in exiſtentem in eſſe quieto, ſicut generatim inexiſtit habitui in communi ſecundum veriorem opinionem ad intenſius agendum cum potentiam ſic Scotus in 1. d. 17. q. 2.

27 Eſt ſimpliciter impoſſibile etiam per abſolutam Dei potentiam creari Intellectum, qui in infinitum ſuperet perfectione, & virtute ſua eſſentiali quemcumq; alium creatum Intellectum, vel creabilem; quia quilibet creatus intellectus dicitur ens eſſentialiter dependens, participatioq; Diuini Intellectus, igitur neceſſe eſt, vt ſecundum aliquem gradum determinatum partem capiat infinitæ perfectionis intellectus Diuini; atque adeo habeat gradum determinatum virtutis, & perfectionis eius comparatione, ſicut eſt illius determinata participatio; ſummus itaq; Intellectus creabilis in tota latitudine intellectualium creaturarum in ſeipſo conſiſtens finitus, & limitatus ſecundum perfectionem non poteſt infinitè ſuperare ſua perfectione omnem alium intellectum finitum creatum vel creabilem infra eundem intellectum ſummum deſignatum, eſſet enim contradictio, & repugnantia eundem intellectum eſſe creatum, & ſimul infinite ſuperare alium intellectum, cum quo neceſſario conueniret ineſſe creato limitato, & finito, ergo alium non poſſet infinite ſuperare, non indiget probatione.

28 Si Deus ſupremum efficeret Intellectum ſecundum naturalem virtutem, & eſſentialem perfectionem, quo maiorem efficere ſua omni potentia non poſſet, eius comparatione eſſentia Diuina diceretur ita inuiſibilis ſimpliciter ex naturalibus illius, ſicut inuiſibilem eam ſacra ſcriptura docet comparatione noſtri intellectus, tam in via exiſtentis, quam ſimpliciter lumine gloriæ deſtituti pro quocumq; ſtatu; Quare abſolutè impoſſibile eſt à parte rei per omni potentiam Dei creari intellectum, qui naturaliter Deum videat, & ratio eſt, quia talis intellectus ſupremus poſſibilis per potentiam Dei abſolutam in tota latitudine intellectualium Creaturarum Diuinam eſſentiam ex naturalibus in ſe obiectiue præſentem ſub ratione naturaliter motiui habere non poteſt, à qua præſentia viſio beata, de qua eſt ſermo, quæ eſt notitia intuitiua omnino dependet, ergo de facto creatus intellectus ex naturalibus ſuis Deum videre non valeret.

29 Poteſt Deus ſua abſoluta potẽtia creare aliquam rationalem Creaturam, cui ad vidẽdum ſimpliciter Deũ, vel ad videndum Deũ ita perfectè, ſicut videt intellectus inferior cum lumine non ſit opus lumine; tum quia Deus abſq; lumine poteſt facere ſe præſentem obiectiue tali

Digitized by Google

tali intellectui, tum quia poteſt augere virtutem eiuſdem, vt intenſe æque, & ita perfecte videat Deum ſicut videret cum lumine; Hæc ſequitur eiuſmodi Creaturam rationalem in ſuppoſito caſu ex naturalibus tantum videre Deum ſi quidem naturaliter non attingeret obiectiuam præſentiam beatifici obiecti eum tantum libere, & contingenter Deus ſpecialiter cum ea ad ſui viſionem etiam concurreret; Non poteſt tamen Deus ſua abſoluta potentia efficere aliquam creaturam rationalem adeo perfectam, cui ſit connaturale lumen gloriæ, ſeu quæ eſſentialiter, ſeu eminenter, ſiue vnitiue contineat totam actiuitatem luminis gloriæ proportionabilis ſuæ actiuitati naturali; prima pars probatur Lumen gloriæ eſt forma ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam ſaltem quo ad efficientiam proindeque à ſolo Deo requirit creato Intellectui infundi, ergo nulli rationali Creaturæ, vel creabili fieri poteſt connaturale.

30 Probatur conſequentia; Qualitas connaturalis alicui ſubſtantiæ ea eſt, quæ ex intrinſecis principijs eius emanat naturaliter, ei formaliter inhærens tanquam naturaliter conſeruatiua ipſius, ſicut patet de frigiditate in aqua, vel caliditate in igne; vel ſaltem ea dicitur qualitas naturalis, quæ neceſſario ab Agente comproducitur, ſic, vt rei inhæreat tanquam naturaliter ſibi debita ex naturali eius conſtitutione; quatenus ſine illa connaturaliter conſeruari non poteſt, ſicut patet de qualitatibus Cœleſtium corporum. At neutro modo excogitari valet, ſic Lumen gloriæ concreari oportere alicui rationali Creaturæ, ergo nulli creaturæ poteſt tale lumen fieri connaturale, ſecunda pars etiã probatur; ſi creatura ſic contineret eſſet infinita; Ideo enim intellectus Diuinus eſt infinitus, & ſine lumine gloriæ habituali ei inhærente, quia eſt propria ſua perfectione formaliter talis eminenter, proinde continens ſua perfectione totam perfectionem luminis creati, vel creabilis ex Scoto in 1. diſt. 17. q. 2. v. ad ſecundum dico, vbi habet ſolum potentiam infinitam continere eminenter per identitatem totam perfectionem habitus, potentiam vero finitam non poſſe includere ſic eminenter per identitatem habitum ſibi proportionalem; Ideoque hæc poteſt deficere à perfectione ſibi conueniente, ſi non perficiatur habitu.

31 Viſio clara Dei ſimpliciter, & abſolute eſt ſupernaturalis, & omnino libera intellectui lumine gloriæ illuſtrato quolib. 15. probatur, ad efficiendam viſionem beatam non ſufficit coniunctum ex intellectu, & lumine cum generali concurſu Dei, ſed requiritur etiã proximus, & immediatus concurſus obiectivus ſpecialis diuinæ eſſentiæ per voluntatem Diuinam immediate ſuppletus, quatenus ex ſuapte natura nihil ad extra realiter efficere poteſt niſi per voluntatem, at eiuſmodi ſpecialis concurſus obiectivus Dei libere omnino, & voluntarie exhibetur conjuncto ex intellectu, & lumine gloriæ, vt patet, ergo viſio beata eſt ei omnino ſupernaturalis, & libera; ſi inſpiciatur modus concurrendi Dei ad viſionem ſpecialiter efficiendam immediate per modum obiecti viſio connaturalis ſimpliciter coniuncto ex intellectu, & lumine gloriæ eſſe nequit eo modo, quo calefactio dicitur connaturalis igni præſente combuſtibili; ſpectato modo, quo Deus cum eo ad calefaciendum concurrit.

32 Nihilominus non negamus, quin in ordine gratiæ ex ordinatione diuina de communi Lege illi debita ſit; Stando enim in ordine, in quo Deus, vt Auctor naturæ operatur; concurſus, quo agit interuentu cauſarum ſecundarum

Digitized by Google

ſecundum rem quidem libere exhibetur comparatione omnium, ac proinde effectus omnis contingenter emanat à cauſis omnibus ſecundis, cum nulla ſit connexio neceſſaria ſimpliciter cauſati cum cauſa ſecunda; nec aliqua cauſa ſecunda neceſſario ſimpliciter cauſet, ſed tantum ſecundum quid, quia quælibet depẽdet ab habitudine cauſæ primæ, ad cauſandum, vt docet Scotus in 1. diſt. 8. qu. 5; quia vero ſecundum modum concurrendi Deus ſe accomodat cuilibet cauſalitati cauſæ ſecundæ in ſuo ordine cauſandi omnibus coagendo ſecundum exigentiam naturalẽ virtutis vniuſcuiuſque. Ideo concurſus eius in hoc ordine recte appellatur cõmunis generalis omnibus debitus, & connaturalis: Non ſic in ordine gratiæ, in quo Deus operatur ſupra omnem debitum naturæ; proindeque omnes effectus ſimpliciter liberi, ac ſupernaturales appellantur; ſi vero in eodem ordine reſpectu aliquorum effectuum intercederet ex parte Dei illos efficiendi aliquod decretum, & efficax deliberatio, ſicut efficaciter viſionem cum intellectu lumine gloriæ illuſtrato efficere ſtatuit; tali decreto poſito in tali ſtatu, vel ordine ob ſui immutabilitatem hos effectus non efficere nequit; Ideo ſaltem ſecundum quid prædicti effectus connaturales, ſeu debiti eſſe videntur cauſis liberis exiſtentibus in tali ordine gratiæ; ſic recte diſpoſiti, & cum recte requiſitis muniti vere recipientes ſacramenta neceſſario recipiũt gratiam ſanctificantem ob tale decretum efficax, quo Deus decreuit poſitis Sacramentis ponere gratiam.

33 Pro vberiori dictorum intelligentia notandum eſt pluribus modis viſionem dici poſſe connaturalem coniuncto ex intellectu & lumine gloriæ; primo quia in eodem temporis inſtanti, in quo infunditur à Deo lumen intellectu regulariter ſequitur in eo viſio ſimul cauſata à toto coniuncto, & immediate ab obiecto beatifico ſupernaturaliter agente. Secundo, vt viſio ſit naturalis perfectio ſimpliciter debita toti coniuncto præciſe ex intellectu, & Lumine tanquam naturalis effectus ab illo veluti à cauſa totali naturaliter productus. Tertio, vt ſit naturalis perfectio prædicto coniuncto debita non ſimpliciter ex natura illius, ſed tantum ſecundum quid ex diuina ordinatione ſic decretante. Quarto, vt dicatur naturalis diſtinguendo naturale contra liberum, quaſi non liberè, ſed naturaliter omnino viſio cauſetur à ſuo principio totali in intellectu infuſo lumine. Quinto, vt ſit connaturalis diſtinguendo naturale contra ſupernaturale quaſi totale principium effectivum viſionis ſit totum naturale. Sicut reuera eſſet ſi poneretur cauſari ſufficienter à ſolo coniuncto ex intellectu, & lumine cum ſolo concurſu generali diuino.

34 De facto lumen gloriæ non datur à Deo Beatis æquale, vel inæquale ſimpliciter ſecundum gradum intenſionis iuxta naturalem actiuitatem Intellectus eleuandam maiorem, vel minorem ſed æquale, vel inæquale ſecundũ exigentiam viſionis per modum premij cõferendæ tantum iuxta meritorum menſuram præſtatur, ita in terminis colligitur ex Scoto in 4. diſt. 50. qu. 4. quod eſt etiam de fide, Dato enim oppoſito ſtatim ſequitur quod habens maiora vel æqualia merita habere æquale vel minus præmium, & ita periret ratio diſtributiuæ iuſtitiæ; quam per Apoſtolum 2. Corint. Cap. 9. qui parce ſeminat, parce & metet reuelat exerceri in reddendis premijs; Hæc dicta non habent locum in eorum ſententia, qui aſſerunt viſionem effectiue à vidente non procedere; ſed eius intellectui totaliter à Deo infundi; ſicut ita eſſe poſſibile do-

ce:

cet Scotus in 1. diſt. 3. q. 8, & in 3. diſt. 13. q. 3. & diſt. 14. q. 1. & quolib. 14. alias neceſſario dicendum eſſet inæqualitatem diſtributionis eſſe præciſe à voluntate Diuina volente vnum beatum intenſius Deum videre quam alterum & non ex parte actiuitatis intellectus videntis. Nec habent locum ob eandem rationem in eorum ſententia, qui dicunt totam actiuitatem ad viſionem efficiendam in potentia eiuſdem videntis à lumine petendam, etenim ſic etiam tota inæqualitas viſionis à ſolo lumine expectanda.

35 Melior intellectus in naturalibus cum æquali lumine gloriæ verè poteſt perfectiorem viſionem Dei efficere, proindeque melius eſſentiam Diuinam videre; ſuppoſito quod Deus eum ſineret toto ſuo conatu agere, quia ad beatificam viſionem Dei efficienter cócurrit non tantum lumen gloriæ, ſed etiam creatus intellectus immediate immediatione virtutis ſuæ naturalis atque vitalis, ergo vere, quo maior fuerit actiuitas vitalis intellectus partialiter influentis cum lumine æquali & perfectior erit viſio, conſequentia clara eſt, quia quantitas actionis penſatur penes quantitatem actiuitatis totius Cauſæ integræ. Antecedens etiam patet, cum videre Deum ſit in Beatis actio vitalis non per accidens, & extrinſece eis cóueniens ſed intrinſece & per ſe.

36 Hoc D. Thomas p. p. q. 12. art. 3. ad 3. principale & eius Diſcipuli negarent, ſuſtinentes totam actiuitatem proximam & adæquatam intellectus ad videndum Deum eſſe à ſolo lumine gloriæ, ſic vt intellectus ſe habeat tantum, vt inſtrumentum à Lumine eleuatum; ſuſtinendo. Agentem intellectum habere actiuitatem omnem in natura intellectuali ad intelligendum, tam ſcilicet ſpecierum intelligibilium abſtractiuam, quam actualis notitiæ productiuam, (quam opinionem Scotus admittit, vt probabilem quolib. 15. art. 1. puncto 3.) fateri neceſſum eſt vtrumque ſcilicet lumen gloriæ, & Agentem intellectum de facto concurrere ad viſionem Dei attingendam ſecundum opinionem eiuſdem Doctoris ſuſtinentis in 2. diſt. 3. q. 11. in qualibet intellectuali Creatura tam Angelica quam humana neceſſario duplicem reperiri intellectum ſcilicet Agentem, & poſſibilem) quia creatus intellectus habet ſe actiue actiuitate propria ad videndum Deũ eleuata tamen per lumen gloriæ; At huiuſmodi actiuitas naturalis videtur congruere intellectui agenti cuius eſt omnia facere 3. de Anima, ergo intellectus hic Agens eſt qui actiue concurrit ad videndum Deum cum lumine gloriæ.

37 Suſtinendo autem alteram opinionem (quam etiam probabilem admittit Scotus loco citato) aſcribentem actiuitatem actualis notitiæ productiuam ex parte rationalis naturæ intellectui poſſibili admitti nequaquam debet intellectus agens ad videndum Deum; nam agens intellectus tantum ad intelligendum concurrit; vbi obiectum preparari oportet antequam intelligatur, & ſit actu intelligibile, quæ præparatio tantum fit per actionem ſpeciei intelligibilis cauſatiuam; Deus vero, vt à Beatis videatur præparatione hac non eget, cum ſit in ſe ſumma lux, actuq; viſibilis; ſupponitur hic vtrumque intellectum agentem & poſſibilem recte lumen appellari; Intellectus agés, quatenus ipſius eſt ſpecialiter phantaſmata illuſtrare, reſque in eis latentes nam manifeſtatio omnis intellectualis ſpecialis quædam illuſtratio eſt; intellectus etiam poſſibilis, quatenus ſcilicet ſua virtute naturali actiua cum ſpecie obiecti, vel cum ipſo obiecto immediate præſente actualem producit noti-

notitiam, quæ cum ſit expreſſiua & declaratiua illius in actu ſecundo recte illuſtratio & manifeſtatio appellatur.

38 Quando intellectiuę potentiæ in Beatis ſunt perfectione, & actiuitate inæquales, ſicut ſe habent Angelicus, & humanus intellectus, ſi lumen gloriæ in eis conſtituatur ęqualę propter æqualia merita de facto nobiliorem potentiam dicimus non æqualiter conari cum potentia deteriori, ſed agere minori conatu ad videndum Deum, ita Scotus in 4. diſt. 50. q. 4. Nam Beati de facto generaliter loquendo non vident Deum toto conatu, quo eum videre poſſunt, ſed conantur tantum, quantum Deus ſua voluntate vult eos conari ad efficiendum viſionem ita intenſam, ſicut menſura, vel quantitas meritorum requirit ad ſeruandam iuſtitiam diſtributiuam iuxta illud Pſalmi 61. dabit vnicuique ſecundum opera ſua, & 2. Cor. cap. 9. qui parcè ſeminat, parcè & metet; Qua iuſtitia remota per abſolutam Dei potentiam, ſi Deus ſineret Beatos tantum beatitudinis accipere, quantum abſolute valent, poſſet tunc digne aſſeri ſi potentię ſunt ęquales & lumen ęquale æqualiter beatos ad Deum videndum conari; & ſi potentiæ ſint æquales, & lumen inæquale, conatum tantum ex parte luminis eſſe inæqualem, tandem ſi potentiæ ſint inæquales & lumen æquale, conatum tantum ex parte potentiæ etiam eſſe inæqualem; Hæc omnia ex ſe clara ſunt.

39 Viſio, qua Beati Deum vident vere & proprie eſt notitia intuitiua & quiditatiua ſuæ eſſentiæ, quod ſit intuitiua patet, quia terminat ad Deum, vel eius eſſentiã præſentem ſicuti eſt, quod vero ſit quiditatiua probatur, quia Beati vident Deum ſicuti eſt, ergo vident omnia prædicata quibus in ſuo eſſe formaliter, & quiditatiue ipſe Deus conſtituitur; Eadem Dei viſio in Beatis habet condiciones omnes perfectę ſciẽtiæ & propter quid ab Ariſt. 1. poſt. cap. 2. præſcriptas non quidem eminenter ſolum, ſed vere formaliter, & actualiter 1. ſent. q. 3. prologi & 4. laterali, probatur quoad omnes condiciones; eſt enim notitia certa omnium aliarum ſcientiarum abijciẽs deceptionem, & formidinem, non enim viſio illa innititur alio medio extrinſeco, neque teſtimonio dicentis, ſeu reuelantis, neque medio probabili, ſed immediate innititur euidentiæ rei in ſe, ergo eſt notitia certiſſima; & per hoc patet etiam ſecunda condicio nempe quod ſit euidens eſt enim facie ad faciem, nec euidentior eſſe poteſt.

40 Habet etiam tertiam condicionem, quia eſt de obiecto neceſsario, nam Deus non modo eſt obiectum neceſsarium ſcientiæ quantum ipſa ſcientia poſtulat, vt de eo formentur propoſitiones ſempiternæ veritatis; verum etiam dicitur ens ſimplex ſumme neceſsarium quoad ſuum exiſtere actuale ſimpliciſſimum; De quarta etiam condicione ſatis eſt nota nempe quod fiat per diſcurſum Sylogiſticum; nam Beati vere in diuina eſsentia intuitiue viſa diſcurſiue attingunt veritates aliquas neceſsarias mediatas demonſtratione propter quid per aliam veritatem immediatã ex terminis prius notam tanquam per cauſam propriam à priori; Hoc patet ex doctrina ſuperius tradita in 1. lib. art. 3. & quamuis iſta viſio beata ſit talis notitia in intellectibus beatorum non tamen ab omnibus æqualiter participatur, vt ſupra dictum eſt: quemadmodum omnes de facto non poſſunt ęquales in meritis reperiri; iuxta illud Ioan. 14. in domo Patris mei manſiones multę ſunt; quod etiam Tridentinum Concilium confirmat ſeſſ. 6. Cap. 10. & 16. in quo definitum eſt imparia eſſe Sanctorum merita in eiſque cre-

creſcere poſſe in hac vita bonis operibus eundo de virtute in virtutem; & ratio eſt, quia viſio beata datur Iuſtis per modum coronæ. Et mercedis Matth. 25. & Lucæ 15, & 2. ad Timoth. 4. ergo in ea communicanda Deus exercet de facto aliquam iuſtitiæ diſtributiuæ rationem.

41 Viſiones beatę in Angelis, & hominibus non differunt ſpecie iuxta illud Matth. 22. & Lucæ 20. Vbi dicuntur homines futuri in beatitudine, ſicut Angeli Dei, quem locum Patres complurimi interpretantur de Viſione beatifica; Cum igitur non ſint illi futuri æquales neceſſario in gradu indiuiduali viſionis profecto æquales erunt in perfectione ſpecifica, ſeu eſſentiali ipſius. probatur ratione Scoti in 2. d. 1. qu. 6. nam omnes ſpecies infimæ, cuius cum generis eſſentialiter inter ſe ordinantur ſecundum perfectius, & imperfectius, adeo vt quodlibet indiuiduum etiam infimum perfectioris ſpeciei eſſentialiter ſuperet perfectione quodlibet indiuiduum etiam ſupremum inferioris ſpeciei; ex ordine namque eſſentiali ſpecierum ordo eſſentialis vniuerſi coaleſcit, ergo ſi viſiones beatificæ hominum, & Angelorum eſſentialiter ſpecie differrent, profecto quælibet viſio Angelorum etiam infima eſſentialiter ſuperaret quamlibet viſionem hominum etiam ſummam Animæ Chriſti, quod eſt error.

42 Licet enim Angelus, & Anima quatenus ſunt tales naturæ à ſe diſtinguantur per ſe primo tanquam ſpecies, & pars ſpeciei, non tamen intellectualitas Angeli, & intellectualitas Animæ ſpecie differunt, & multo minus actus ſecundi earum, id eſt viſiones Beatificæ, differunt ſpecie, quia ſunt circa eadem obiecta, & tēdūt ad eadem obiecta eiuſdem rationis, etiam Aquilæ Anima, & Anima Bouis ſpecie differunt, non tamen ob id vis viſiua hic, & ibi, & multo minus viſio vnius, & viſio alterius in quantum talis, & talis perfectio differunt ſpecie. Hinc intelligere, & colligere licet viſiones beatas Angelorum, & hominum eſſe ſimpliciter eiuſdem ſpeciei; non modo, quia à Lumine gloriæ eiuſdem rationis pendent, & in idē obiectum ſub eadem ratione formali tendunt, verum etiam, quia ſunt à potentijs intellectiuis ſimpliciter eiuſdem rationis ſaltem in propria formalitate inſpectis, & conſideratis.

43 Naturalis appetitus Beati (qui non eſt aliud niſi quædam propenſio naturæ in ſuam naturalem perfectionē ſicut eſt appetitus lapidis, quo inclinatur deorſum ad centrum, in quo naturaliter quieſcit) ad videndum Deum clare non ſimpliciter, & totaliter expletur, ſeu ſatiatur per quemcumque gradum viſionis Beatæ, ſed tantum ſecundum quid, quia in qualibet intellectuali natura reperitur naturalis capacitas; naturaliſque appetitus ad ſupernaturalem perfectionem maxime ei conuenientem, qui appetitus in omnibus eſt æqualiter ad ſummam perfectionem ſupernaturalem, & viſio (de qua eſt ſermo) eſt perfectio in quocumque gradu conueniens intellectui creato; immo quo intenſior eo conuenientior. Ipſe vero intellectus creatus in ratione receptiui eſt eiuſdem rationis in omnibus, ergo ſimpliciter ſeu totaliter naturalis appetitus ad illam non expletur. Et confirmatur; In Anima Chriſti negari non poteſt appetitus naturalis ad ſummam viſionem, & dilectionem Dei ſupernaturalem etiam ſummam, cum certum ſit de facto eſſe illi ſummam beatitudinem comunicatam, ergo nequit in alijs Creaturis rationabilibus, & intellectualibus eiuſmodi appetitus naturalis ad ſummam Beatitudinem denegari, qui non ſatietur quolibet gradu

bea-

beatificæ viſionis Dei; hoc eſt igitur certiſſimum huiuſmodi appetitum naturalem intellectualis naturæ non eſſe contentum, niſi ſummæ beatitudinis.

44 Secus dicendum eſt de appetitu deliberatiuo, quo beati liberè feruntur in Deum videndum; Appetitus enim deliberativus eſt actus liberè à voluntate elicitus, vel ipſamet voluntas vere, & proprie elicitiua actus prædicti ex plena cognitione præcedente, quo liberè tendit in Deum, ſiue in obiectum volibile, ideo non neceſſario eſt ad perfectionem vere conuenientem naturæ à parte rei; propterea aſſerendum in omnibus Beatis vere, & proprie totaliter ſatiari, & æqualiter in omnibus expleri eo gradu viſionis beatæ; quo vnuſquiſque videt Deum de facto iuxta cõformitatem ad Regulam diſtributiuæ iuſtitiæ reſpicientis merita à voluntate diuina præfixam, nam viſio beata non datur, niſi per modum præmij, ergo ſatiare debet appetitum deliberativum iuxta meritorum quantitatem, & menſuram; talis enim appetitus in Patria eſt maxime rectus, & diuinæ voluntati conformis.

45 Beati videntes Deum intuitiue vident vtique de facto omnia, quæ formaliter ſunt in diuina eſſentia ſcilicet attributa Perſonas diuinas, & formalitates omnes reales ſaltem quoad eſſe abſolutum preſcindendo à reſpectibus rationis ad creaturas quos fundant, vel terminant; & omnem realem modum eſſentiæ diuinæ, diuinorumque attributorum; Hæc de facto. De poſſibili autem per comparationem ad abſolutam Dei potentiam poſſunt etiam beatifice videre eſſentiam diuinam non viſis attributis, vel viſo vno, ſed non omnibus; viſis omnibus, ſed non viſis Perſonis, vel viſa tantum vna perſona, ſed non omnibus, ita Scotus in 1. diſt. 1. q. 2. nam eſſentia diuina ex ſe præciſe accepta præſcindendo ab attributis, & Perſonis habet vnde ſufficienter (cum ſit infinita radicaliter) beatificam viſionem terminet: ergo &c. Hæc ſecunda pars à Thomiſtis omnibus reijcitur ponentibus omnimodam identitatem realem, formalem, & à parte rei inter eſſentiam diuinam, eius attributa & diuinas Perſonas. Sed de hac re in ſequenti Capitulo erit proprius ſermo.

46 Non eſt neceſſarium Beatos clarè videntes Deum de facto videre libera decreta, & conſilia omnia diuinæ voluntatis. Ita ex Scoto diſt. 50. q. 3. probatur ex D. Dionyſio 3. de Diuinis nominibus vbi ait inferiores Angelos à ſuperioribus illuminari de ijs rationibus, & conſilijs diuinis, quia non eſt neceſſarium ex vi viſionis beatificæ, vt ſit beatifica, beatos videre illa decreta Dei, cum reuelatio, qua reuelantur. non ſequatur naturam beatitudinis. Probabiliter tamen credendum eſt de facto Beatos videre aliquã decreta diuinæ voluntatis non omnes omnia, ſed ſingula ſingulos pro ratione ſui ſtatus, & Beatitudinis, colligitur ex Scoto qu. 3. Prol. vbi docet de facto viſionem Beatorum habere limitationem à diuina voluntate oſtendente ſcibilia in eſſentia ſua.

47 Item in Patria de facto dantur illuminationes, ſuperiores enim Angeli ex D. Dionyſio loco cit. illuminant inferiores, at non apparet, in quibus inferiores à ſuperioribus illuminentur, niſi in conſilijs, ac decretis diuinæ voluntatis ſibi immediate à Deo reuelatis, ergo &c. Eſt quoque probabile Deum poſſe reuelare Beatis ſua decreta cauſando immediate in eis propriam illorum viſionem diſtincta à viſione beatifica eſſentiæ, quæ naturaliter ſit cuiuſlibet illorum repræſentatiua; Non enim implicat Beatos ſimul habere plures viſiones à Deo immediate cauſatas,

vnam,

Digitized by Google

vnam, qua cognoſcant eſsentiam diuinam præciſe, alias quibus cognoſcant decreta ex Scoto in 3. diſt. 14. q. 2. Sic enim occurritur omni difficultati ad rem hanc explicandam excogitatæ. Sicut enim res à Deo volitæ cum exiſtũt immediate poſsunt creatum intellectũ mouere, propriamque in eo viſionem concauſare ita poteſt talis viſio immediate à diuina voluntate cauſari immo multo melius, & perfectius, eo vel maxime, quia ſi Deus per decretum efficax applicat ſuam voluntatem ad cauſandum res omnes in eſse reali, cur non poterit in aliquo creato intellectu eas cauſare in eſse cognito?

48 Probabile tamen eſt Beatos videre decreta Diuinæ voluntatis cum eis reuelantur eadem numero viſione beata ſubſtantialiter, ſeu abſolute immutata, facta tamen in ea aliqua mutatione aquiſitiua noui reſpectus realis cuiuſdã attingentiæ ad totum, id quod præſefert decretum Dei liberum, quatenus virtute prædicti reſpectus à Deo immediate cauſati conſtituitur illa viſio expreſſa ſpecies rappræſentatiua noui obiecti ſecundarij diuinæ voluntatis ex Scoto in 1. d. 1. q. 2. vbi docet viſionẽ, qua Beati vident eſſentiam Diuinam præciſe & ex intrinſeca eius perfectione tendere in ipſam, & non in alia ab ipſa formaliter diſtincta, quod eſt valde notandum.

49 Probabile eſt Beatos Deum vidẽtes de facto aliquas res poſſibiles videre in eſſentia diuina etto non omnes; nam ſi eſt priuilegium tantum Animæ Chriſti conceſſum, vt in Verbo de facto videat omnia poſſibilia, cum in ipſius Chriſti Anima D. Paulus Coloſs. 2. doceat Deum poſuiſſe omnes Theſauros ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ, ita vt nulli alij recta ratione priuilegium tale aſcribi poſſit, quia ſola Anima Chriſti eſt ſuper omnes alias dignificanda; maxime tamen conſentaneum eſt viſioni beatificæ, vt per eam Beati videant ſaltem aliqua, quæ Deus creare poteſt; etiam diſtincte cum hoc ſatis videatur concomitari viſionem illã, quatenus eſt notitia diſtinctiſſima ipſius Dei quoad omnia ſua attributa ſcientiã præſertim & potentiam.

50 Similiter B. videntes Deum (excepta Anima Chriſti) non vident de facto omnia futura, ſed ex illis tantum aliqua, quatenus magis, vel minus videre ſpectat ad ſtatum beatificum vniuſcuiuſque, prior pars eſt de fide iuxta illud Matth. 14. & Marci 13. De die illo (ſcilicet finalis Iudicij) nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, & Ephes. 3. vt innoteſcat Principatibus (miſterium ſcilicet Incarnationis) & poteſtatibus per Eccleſiam; multiformis gratia Dei: Secunda pars probatur nam eſſentia Diuina reſpectu intellectus crati non eſt obiectum naturale, ſicut intellectus Diuini, ſed eſt obiectum voluntarium quolib. 14. art. 2. & 3. ſent. diſt. 14. quæſt. 2. cum Deus extra ſe agat omnino libere & voluntarie ſequitur non omnia neceſſario rappræſentare intellectui Creato ſed ea ſolum quæ Deus vult, innoteſcere ſecundum proportionem ſtatus beatifici cuiuſuis Beati; item Angeli ſuperiores verè illuminant Inferiores, & eius modi illuminatio non fit Inferioribus, niſi de his futuris à ſuperioribus, quæ illis a Deo immediate denuo reuelata ſunt & reuelantur.

51 Beati videntes Deũ clarè & diſtincte ex viuiſion[e] ſ Beatę nihil formaliter videre poſſunt ex poſſibilibus vel futuris rebus; obiectum enim primarium diuini intellectus ideſt eſſentia diuina eſt ab obiecto ſecundario ex ſe abſolutiſſimum nempe ab omni re poſſibili vel futura, ergo non neceſſario eius viſio eſt viſio rerum poſſibilium vel futurorum; ſi hoc verum eſt reſpectus in-

intellectus

tellectus diuini, multo verius erit de intellectu Beatorum; non enim hic illo eſt acutior & perſpicacior; Non eſt neceſſario aſſerendum Beatos viſa eſſentia diuina ex vi viſionis videre quicquid poſſibile, vel creabile per omnipotentiã Dei etiã ſub comuniſſimo conceptu Creabilis, vel poſſibilis; nã nec in eſſentia Diuina, nec in ſua omnipotentia à parte rei repetitur aliquis reſpectus realis in ea fundatus, & terminatus ad res poſſibile vel futuras, neque res prædictæ in ipſa eſſentia rapprælentantur formaliter ex 1. diſt. 35. in fine, ergo formaliter Beati ex viuiſionis tantum vident eſſentiam, & alia, quæ formaliter à parte rei in ea reperiuntur, talia ſunt diuina attributa & perſonales relationes.

52 Ex his colligitur valde probabile eſſe Beatos in eſſentia diuina, quotquot res ex poſſibilibus, & futuris de facto vident per reuelationem tantum extrinſecam in ea à diuina voluntate cauſaliter factam, hoc eſt per propriam viſionem diſtinctam à viſione eſsentiæ videre, nam ſi prædictas res non vident per viſionem diuinæ eſsentiæ, ſequitur videre ex diuina reuelatione; Tamen probabilius eſt Beatos videre res, poſſibiles, vel futuras in Verbo ex peculiari reuelatione diuinæ voluntatis etiam formaliter ſcilicet per eandem numero viſionem, qua vident eſsentiam, facta in ea viſione tantum mutatione aquiſitiua noui reſpectus realis tendentiæ ſeu attingentiæ ad illas res 3. d. 14. q. 2; Hic modus dicendi nullam inuoluit repugnantiam, & excludit omnem multiplicitatem, quæ ſine manifeſta neceſſitate non eſt admittenda.

53 Beati diſtinctè & clarè vident de facto in eſsentia diuina omnia miſteria fidei, quæ explicite in via crediderunt, adeo vt ſicut in via Maiores in Eccleſia plura explicitè ex debito crediderunt, quam ſimplices; ex 4. diſt. 50. q. 1. ita de numero horum Credibilium plura in verbo vident quam ſimplices, iuxta illud 1. Cor. Cap. 13. nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut cognitus ſum, cum autem venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt; Quibus Verbis clarè edocemur Beatos diſtinctè videre in eſsentia diuina, quod in enigmate crediderunt in via: Hinc etiam dicitur Viſionem ibi ſuccedere fidei; Inſuper Beati de facto vident in eſsentia diuina totam vniuerſi huius Machinam, eius compoſitionem, & ordinem eſsentialem; ſpecies omnes rerum, quæ in ipſo factæ ſunt, & ſunt etiam futuræ eſto non eas, quæ poſſibiles ſunt, & nunquam erunt. Dictum eſt Beatos videre ſpecies, quæ futuræ ſunt, quia non eſt per ſe notum eſse à principio ſimul productas omnes ſpecies Animalium terreſtrium, vel Cœleſtium vel aquaticorum quas Deus ab æterno abſolute producere in vniuerſo decreuit iuxta vulgare Ariſtotelis affatum ſemper Africa affert aliquid noui.

54 Hæc aſſertio euidenter probatur, ſic Creatus intellectus recta ratione in eſsentia deſiderare poteſt ſibi diſtinctè reuelari hæc omnia, quæ ſpectant ad conſumatam Vniuerſi pulchritudinem tam appetitu naturali, quam deliberatiuo iuxta Regulam à voluntate diuina poſitam nobiſque reuelatam, vt viſio ſuccedat fidei; at viſio beata explet totum appetitum deliberativum, ergo verè beati vident de facto in Verbo totum vniuerſum modo prædicto, eo vel maxime, quia partes eſſentiales vniuerſi, & ſpecies rerum, quæ in eo repeiuntur ſunt expoſitæ cognitioni, & inquiſitioni hominum ſecundum lumen naturale; Secunda pars etiam probatur; tãtum Anima Chriſti videt omnia poſſibilia, quæ videt Verbum, ex tertio ſent. diſt. 14. ergo ea ſola videt ſpecies

P 3

Digitized by Google

poſſibiles rerum, quæ nunquam erunt, probatur conſequentia quia huic tantum Animæ diuina eſſentia eſt ſpeculum rapprçſentans omnia; alijs vero eſt ſpeculum rappræſentans determinata, vltra quæ non poſſunt velle alia ordinate videre.

55 Vlterius Beati videntes claro in eſſentia diuina ſpecies, omnes rerum de facto pertinentes ad vniuerſi pulchritudinem etiam vident omnia indiuidua de facto futura, tum ſub ſpeciebus intellectualium Creaturarum, tum etiam aliarum rerum, quæ æternitate ſaltem duraturæ ſunt; Quare ſatis probabile proinde putamus eos non videre indiuidua ſpecierum corruptibilium, ſed in ſingulis ſpeciebus ea ſolum, quæ ad diſtincte cognoſcendum eorum ſpecies conducunt prima pars probatur ſingularia hæc cum ſint perſe incorruptibilia, & æternitate duratura ſunt perſe intenta à natura ex 2. diſt. 3. q. 7, at multum conducit illorum cognitio ad rationem perfectæ notitiæ ſpecierum, & eſſentiæ diuinæ, quatenus participabilis eſt à creatura; Quod etiam videat indiuidua aliarum materialium ſpecierum quæ ſunt æternitate duratura, vt ſunt corpora Cœleſtia, & corpora ſimplicia ſublunaria patet ob eandem rationem; Et quia Beati non vident in eſſentia orbem, ſeu vniuerſum confuſe ſed diſtincte, ergo vident etiam in eo diſtincte hos Cœlos hæc elementa &c.

56 Quod vero non videant omnia indiuidua materialium ſpecierum ſimpliciter corruptibilium, patet, quia eorum cognitio impertinens videtur ad ſtatum beatificum; Beati non vident de facto omnia indiuidua, quæ nunquam erunt in ſingulis ſpeciebus factis, vel factibilibus; hoc enim eſt priuilegium conceſſum intellectui Animæ Chriſti, cui Deus cumulatiſſime omnia dona conceſſit; Tandem Beati non ſolum poſſunt in genere proprio videre omnium hominum facta, & eorum cordium cogitationes; & ſecreta naturali virtute, quia non excedunt adæquatum obiectum naturale intellectus eorum quo ad naturalem attingentiam, quod eſt ens finitum & limitatum, tam abſolutum, quam reſpectiuum, cuius terminus non eſt Deus; ſed etiam per actum beatificum in eſſentia diuina ex ſpeciali reuelatione prçſertim ea, quç ad cuiuſcumque Beati ſtatum ſpectant, colligitur ex Scoto in 4. diſt. 45. q. 4, vbi tanquam veritatem Theologicam ex ſe omnibus fidelibus notam accipit congruum eſſe Beatos coadiutores eſſe Dei in ſalute electorum procuranda, eorum præcipue, qui eos ſibi elegerunt in Sanctos Patronos ſeu aduocatos; ex qua veritate efficaciter hæc infertur ſequela hoc illos ſanctos electorum eiuſmodi facta reipſa videre in Verbo.

57 Eſt dogma fidei Beatos videre orationes, quæ ad eos in Eccleſia à fidelibus funduntur patet ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ inceſſanter preces ad Sanctos fundit, & ex illo Tobiæ 12. vbi Raphael ita eum eſt allocutus; quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos ego obtuli orationem tuam Domino; Beati poſſunt propria virtute naturali, tam intuitiue, quam abſtractiue orationes noſtras in Eccleſia ad eos fuſas in proprio genere videre decurſu temporis mox ſcilicet, quando fiunt, eas tamen actu non vident ſic, niſi cum ad nos mouentur. Ita Scotus in 4. diſt. 45. q. 4. prima pars probatur, quia tunc ſunt vere entia actu exiſtẽtia, & actu intelligibilia contenta ſub adæquato obiecto intellectus creati quo ad naturalem attingentiam, ergo nihil obſtat quin creatus intellectus à corpore ſeparatus illas in proprio genere videre poſſit; ſecunda pars probatur, quia inter potentiam, & obiectum debita

proportionataque ſecundum locũ exigitur præſentia (ſicut generatim inter plures cauſas partiales requiritur, vt communem con cauſent effectum;) at Beati in cœlo exiſtentes non habent ſic præſentes noſtras preces, ergo reipſa illas videre in proprio genere nõ poſſunt.

58 Vnde dicendum eſt ſanctos de facto videre orationes in Eccleſia ad eos fuſas in eſſentia diuina per reuelationem non neceſſario per viſionem diſtinctam, ſed per eandem numero, qua diuinam eſſentiam vident per nouum tamen reſpectum realem tendentiæ in ea viſione cauſatum ad orationes illas terminatum; prima pars patet ex ſupradictis; ſecunda pars probatur, Sancti in Empyreo exiſtentes nequeunt preces noſtras in proprio genere videre, niſi ad nos moueantur; at non ſemper neceſſum eſt ad hunc effectum ad nos moueri, ergo ſatis certum eſt illas videre in eſſentia; tertia pars contra recentiores probatur, quia illas preces videre propria viſione diſtincta à viſione Verbi ſeu eſsentiæ diuinæ non eſt formaliter illas in eſsentia videre, ſed potius in proprio genere per viſionem cauſatam ex virtute diuina, at Sancti Patres docent in ſpeculo diuinitatis ſãctos videre preces noſtras, ergo per eandem numero viſionem beatam illas reipſa attingunt; quarta pars probatur impoſſibile eſt eundem numero actum creatum habere plura obiecta formalia adæquata, in quæ propria virtute tendat, at ſi per eandem numero viſionem ex intrinſeca eius perfectione Beati viderent Deum, & noſtras preces, eiuſmodi viſio intrinſece haberet plura obiecta adæquata formaliter diſtincta, quod pugnat manifeſtè cum finitate, & limitatione creatæ viſionis.

59 Beati etiam homines in corporibus glorioſis eſto poſſint propria virtute cognoſcere in proprio genere, tam ſenſibili, quam intelligibili cognitione pęnas, quibus damnati in inferis affliguntur, de facto tamen non ſic dicuntur illas cognoſcere niſi ad inferos moueantur ex Scoto 4. ſent. diſt. 50. q. 2. poſſunt enim cognoſcere ſenſibiliter ignem quo inſtrumentaliter detinentur ſecundum locum damnati, atque etiam omnes pęnas, vel cauſas earum naturaliter ſenſibiles; quæ enim vere ſenſibilia ſunt à qualibet ſentiente potentia ſentiri poſſunt; Item poſſunt pariter pęnas illas. Beati cognoſcere notitia vere intellectuali, cum vere intelligibiles ſunt, vel poſitiue, ſi pęnæ ſunt poſitiuæ, vel priuatiue ſi pęnæ ſunt priuatiue; pro cuius rei intelligentia notandum eſt duplicis generis eſſe pęnas quas in inferis Damnati patiuntur ſcilicet negatiuas, ſiue priuatiuas, & poſitiuas; priuatiuæ (quæ etiam damni appellantur) ſunt carentia Beatæ viſionis, omniſque alterius actus beatifici; Item carentia rectitudinis debitæ eis in eſse, tam in actu primo, ſic eſt carentia habitualis iuſtitiæ, quam in actu ſecundo, ſicuti eſt priuatio rectitudinis debitæ actui ſecundo illorum damnatorum.

60 Pęnæ poſitiuæ, quæ etiam pęnæ ſenſus dicũtur ſunt triſtitię omnes, quas patiuntur, ſeu pęnæ in eis præciſe ex obiectis nolitis exortæ. In ſumma generaliter pęnæ damnatorum ad quinque genera reducuntur; quorum primum eſt carentia ſummi boni, ac donorum habitualium, quibus ſupernaturaliter Beati in actu primo perfunduntur, & decorantur; & in actu ſecundo, quo prædicto ſummo bono formaliter copulantur. Secundum eſt triſtitia immediate prouenies ex nolitione prædictæ pęne; tertium genus eſt triſtitia immediate exoriens ex nolitione culpæ quatenus, eſt præciſe cauſa ſibi correſpondentis pęnæ, quartum eſt triſtitia de nolitione ignis localiter detinen-

tinen-

tinentis; quintum eſt triſtitia de eodem igne immutante & inſtrumentaliter in perpetua conſideratione ſua detinente.

61 Beata viſio de potentia Dei abſoluta vere poteſt homini in hac mortali vita communicari præuia tamen ſuſpenſione naturalis effectus, vel ipſius viſionis (ſicut eſt immortalitas) vel ſtatus huius vitæ, ſicut eſt mortalitas, ex Scoto in 4. d. 49. q. 12; probatur quia mortalitas, & immortalitas formaliter ſunt incópoſſibiles in eodẽ ſubiecto alter effectus ortus naturaliter ex viſione beata, alter ex ſtatu huius vitæ virtute diuina ab inuicem ideſt à ſua cauſa originante ſeparari poſsunt, ſicut reipſa factum eſt in Chriſto, qui fuit Beatus in hac vita cum ſuſpenſione immortalitatis, ergo abſolute non implicat viſionem beatam puro homini etiam in hac vita communicari; Immo ſatis probabile eſt in hac mortali vita ſuſpenſa mortalitate Paulum, Moyſen, & Beatiſſimam Virginem Deum in propria natura intuitiue vidiſse per tranſitum ſicut per horariam viſionem Paulum tanquam Magiſtrum Gentium, Moyſen tanquam Magiſtrum Iudæorum Beatiſſimam Mariam, vt Apoſtolorum & totius Eccleſiæ doctricem.

62 De Paulo ſatis probabiliter indicant ipſius verba 2. Cor. 12. ſcio hominem in Chriſto quoniam raptus eſt in Paradiſum & audiuit arcana verba; quæ non licet homini loqui, circa quæ tria ſunt notatu digniſſima; primum raptum fuiſse vſque ad tertium Cœlum, ideſt vſque ad Empyreum ad viſionem diuinæ eſsentiæ intuitiuam ſecundum obſeruationem Gloſsæ, interlinearis; Secundum raptus ipſe in Paradiſum, qui ſignificat poſseſſionem gloriæ iuxta illud hodie mecum eris in Paradiſo; Tertium audiuiſse arcana Verba, vbi verbum audiuit non accipitur ad fidem ſignificandam, ſicut accipitur Rom. 10. fides ex auditu, ſed accipitur pro clara viſione iuxta illud Ioan. 8. ego, quæ audiui à Patre meo, hæc loquor in Mundo (& paucis interiectis) veritatem vobis locutus ſum, quam audiui à Deo, ergo ſatis probabile eſt vidiſse intuitiue diuinam eſsentiam; Huic probabilitati aſsentit Scotus in 2. diſt. 3. q. 9. vbi ex viſione diuinæ eſsentiæ colligit in Paulo neceſſario diuinæ eſsentiæ impreſsam ſpeciem ex ſola illius viſionis recordatione, quod etiam repetit in 4. diſt. 49. q. 12.

63 De Moyſe ſatis probabiliter colligitur ex verbis diuinis ad ipſum Moyſen. Exodi 33. & Numer. 12. vbi legitur Moyſi petenti videre gloriam Dominum reſpondiſſe ego oſtendam tibi omne bonum; Quod quidem promiſſum licet ibidem (paucis interiectis) ei negauerit oſtendens excellentiam huius doni, & miraculi magnitudinem, abſolute tamen non eſt dicendum Deum tale promiſſum ei nunquam ſeruaſſe, quod forte ſeruatum fuiſſe colligitur ex verbis Numer. 12. vbi legitur ſi quis fuerit inter vos Propheta Domini in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum; at nó talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt, ore enim ad os loquar ei, & palam, & non per enigmata, & figuras Dominum videt; Cum igitur his verbis Dominus diſcrimen conſtituerit inter modum, quo allocutus eſt alios Prophetas, & modum hunc, quo allocutus eſt Moyſen ſatis probabile eſt ab eo aliquando in propria natura fuiſſe viſum.

64 Huic probabilitati de Paulo, & Moyſe apertè fauent D. Auguſt. lib. 12. ſuper Geneſim Cap. 27. & 28. & lib. de videndo Deum qui eſt Epiſt. 112. Cap. 12. ad Paulinum de Moyſe, & ſpecialiter D. Baſilius in principio Exameronis

hom. 1. D. Ambroſ. tom. 4. lib. 1. Examerons Cap. 2. D. Thom. in 1. p. qu. 12. art. 11. ad ſecundum. De Virgine Maria idem ſuadet 1. pietas filij erga Matrem. 2. D. Antoninus 4. p. tit. 15. Cap. 17. v. 1. vbi ait fortè in ipſo conceptu, vel partu illi datum eſt ad horam vt videret miſterium eiuſmodi in Patria ſicut Paulus vidit in raptu D. Bernardus Hom. 4. in Miſſus eſt; Gerſon Alphab. 15. D. Ciprianus ſerm. de Natiuitate, Rupertus lib. 3. in Canticis in ea Verba; oculi tui columbarum, vbi dicit Virginem raptam fuiſſe in tertiū Cœlum, & vidiſſe arcana miſteria, quæ non licet homini loqui perfectius, & excellentius quam Paulus; tertio quia B. Virgo fuit Magiſtra Apoſtolorum, & conſequenter totius Eccleſiæ, eo vel maxime, quia in dignitate Maternitatis diuinæ tanquam in radice ſimul cum omnibus priuilegijs poſſibilibus puræ Creaturæ radicari maxime conſentaneum eſt.

De Immenſitate ſumma Perfectione, & neceſſe Dei. Art. VI.

1 Circa diuinam immenſitatem errarunt impijſſimi Saraceni exiſtimantes Deum eſſe in Cœlis in quadam Cathedra celſiſſima, quam octo maximi ſpiritus ſuſtinent, vt declarat Hermanus Sclavus in Chronica Saracenorum, Iudæi pariter errarunt putantes Deum non eſſe, niſi in Templo Hieroſolymitano, teſte D. Hieronymo in Cap. 66. Iſaiæ interpretans enim illa Dei Verba Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum ita ſcribit hoc, inquit dicit, vt Iudæorum cōuincat errorem, qui putant inuiſibilem, & incorporalem, & incompræhenſibilem Deum Templo Hieruſalem poſſe concludi; Amplius nonnulli dixerunt Deum eſſe in Cœlis quo ad caput, & in terris quoad pedes ex eodem loco Iſaię ſumentes exordium Cœlum mihi ſedes eſt &c. Item Baſilides Hæreticus in hanc dementiam deuenit, vt aſſereret Deum in circulo Solis contineri; Tandem Auguſtinus Eugubinus in Pſalmis tradit Deum replere omnia non eſſentia, ſed operatione vt Sol, qui Cœlo defixus machinam hanc ſuo lumine replet; iuxta illud de Cęlo reſpexit Deus filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.

2 Quibus omnibus reiectis, & non obſtantibus aſſerendum eſt, & de fide tenendum Deum eſſe immenſum, & omnibus rebus præſentem; cōſtat enim ex pluribus locis ſacræ ſcripturæ, vt Ieremiæ 25. Cœlum, & terram ego impleo, & ſapientiæ 1. ſpiritus Domini repleuit orbem terrarum, & Sap. 6. plena eſt omnis terra gloria eius, & alibi ſæpè quod confirmatur ſymbolo Athanaſij, & plurium veterum Patrum auctoritate, & omnium Theologorum conſenſu; Nulli igitur dubium eſt, immo (vt dictum eſt) eſt certum de fide Deum eſſe immenſum, & vbique præſentem tripliciter ſcilicet per eſſentiā, præſentiam, & potentiam. Per eſſentiam quidem, quia vbique eſt, & in omnes Creaturas intime illabitur; per præſentiam, quia omnia cognoſcit, & intime intuetur, omnia enim ſunt nuda & aperta oculis eius; per potentiam etiam quia cauſa efficiens, & productiua omnium Creaturarum.

3 Ita quod Deus verè, & propriè exiſtit intimè rebus omnibus per eſſentiam, quatenus eſſentia diuina ſua quiditate exiſtens ratione ſuæ immenſitatis intime, & immediate in rebus omnibus ſe diffundit ſecundum quandam quaſi extenſionem quaſi infinitam Scotus in 1. diſt. 39. verſ. contra iſtud vbi præ-

Digitized by Google

præſentiam Dei in rebus per eſſentiam appellat coexiſtētiam realem intimam, at huiuſmodi relatio coexiſtentiæ immediate, vel fundatur, vel terminatur ſupra ſubſtantiam rei exiſtentis, quæ intelligi nequit intima omnibus niſi concipiamus eam quaſi actu infinitè diffuſam, & in omnibus etiam ſpiritualiter (noſtro intelligendi modo) extenſam; Idem colligitur ex 2. ſent. Scoti diſt. 3. p. 2. q. 2. in fine vbi affirmat eſſentiam diuinam ſecundum ſe ipſam eſſe intimiorem entitatiue cuilibet creato intellectui, quam ſpeciem intelligibilem, ob quam intimitatem cauſare poſſet actum illum, quem cauſat ſpecies ſui ſi vellet; iſta quoque intimitas licet formaliter ex parte Dei non ſit extenſa, optime tamen conſideratur talis in ordine ad diuerſas partes loci, rerumque extenſarum.

4 Deus etiam eſt realiter præſens in rebus omnibus per potentiam quatenus ſua potentia immediate immediatione virtutis rebus omnibus, illabitur non modo quantum ad eſſe verum etiā quantum ad operari, ita colligitur ex Scoto in 3. d. 2. q. 1. in fine, & in 1. d. 37. & probatur; Deus ſua immediata virtute cunctas res in eſſe producit, eaſque immediatione virtutis conſeruat, ſicque etiam immediate cooperatur per ſuum realem influxum, ergo ſua potentia immediate terminat actualem dependentiam rerum omnium in eſsendo, & operando, proindeque neceſsario eſt in rebus omnibus per potentiā; Eſt quoque in omnibus illis per præſentiam vere, & realiter quatenus ex ſua omni ſcientia omnia clare, & intuitiue cognoſcit; probatur Deus dicitur Creaturis præſens per ſcientiam ſecundum illud eſse, per quod cognoſcuntur, & ſecundum quod terminant diuinam ſcientiam; At cognoſcuntur, & terminant diuinam ſcientiam ſecundum eſse reale quod habent, vel quod ſaltem eſſe non repugnat habere, ergo ſecundum eſse reale ſunt obiectiuę Deo præſentes.

5 Iſti tres modi prędicti eſsendi Dei in rebus ſunt ita à parte rei inter ſe diſtincti, & diuerſi, vt abſolute non repugnet per poſſibile, vel impoſſibile vnum poſse ab alio ſeparari ex 1. diſt. 37. quia Deus non eſt ex eadem perfectione formali ſimpliciter, ſed ex diſtinctis formaliter à parte rei vendicat ſibi in rebus hos eſsendi modos; quia eſt in rebus per eſsentiam ex infinita virtute, eſt in eiſdem per potentiam ex omnimoda operatione; In eiſdem quoque eſt per præſentiam ex omni ſcientia, ſed prædicta ſunt attributa in Deo formaliter diſtincta, ergo ſi per impoſſibile Deus eſset infinitæ perfectionis, & non omnipotens, nec omni ſciens in rebus ſolum eſset per eſsentiam, & non per potentiam, nec per præſentiam; Ex dictis colligitur Deum eſse in loco non circumſcriptiue, ſicut ſunt corpora quātitate extenſa, nec definitiue, ſicut Angeli, quia non terminatur aliquo loco, ſed ſimul eſt in omni loco, & repletiue, quia ſecundum ſuam naturam eſt vbique Cœlum, & terram ego impleo dicit Dominus Ieremiæ 25.

6 Immenſitas Dei non ita coæquatur rebus creatis totique huic Vniuerſo, vt nequeat ex ſe ſimul eſse realiter præſens indultis alijs ſi forent de facto alias non eſset in actu primo pręſentia Dei realis infinita formaliter, atque ita non eſset formaliter immenſus cum determinato ſpacio totius Vniuerſi metiretur, & clauderetur eius pręſentialitas ſimpliciter intra ſinum eius; Eſt igitur Deus immenſitate ſua realiter pręſens loco actualiter exiſtenti, atque adeo eſt vbique, quatenus vbique ſignificat omnia loca intra vniuerſum exiſtentia, & ſi abſolute negamus Deum eſse in

ſpa-

Digitized by Google

ſpatijs immaginarijs, ita ex Scoto 1. diſtin. 37. & diſt. 39. vbi ſic probat, coexiſtentia, & intima præſentia realis in loco dicit relationem realem poſitiuã, ergo neceſſario requirit extrema poſitiua realiter à parte rei exiſtentia, ſed ſpacium imaginarium à parte rei nihil eſt, niſi formaliſſime ſimplex negatio loci, ergo nec poteſt terminare relationem realem, quam realis præſentia in loco poſcit; Hinc ſequitur immenſitatem formaliter eſſe illimitationem quãdam exiſtentiæ diuinæ comparatione loci, ſecundum quam habet aptitudinẽ, vt ſit immediate præſens intime omnibus locis ſecũdùm ſuam propriam ſubſtantiam ſtatim, ac loca per potentiam Dei in rerum natura exiſtere incipiunt.

7 Quamuis fide teneamus (vt ſupradictum eſt) Deum eſſe immenſum, non eſt tamen mere creditum, ſed poteſt demonſtrari à priori, & à poſteriori, probatur prima pars, quia non ſolum teſtimonio fidei, & ſacræ ſcripturæ tanquam fide diuina notum eſt Deum eſſe immenſum, ſeu reuelatione diuina, ſed etiam fide humana, & ratione naturali id ſunt aſſecuti philoſophi, cum autem aliquid poteſt naturaliter demonſtrari non eſt mere creditum; Demonſtratur autem ſic à priori quicquid eſt infinitũ, nullo determinatur loco, aut termino circumſcribitur, aut cõtinetur Deus eſt infinitus, ergo nullo determinatur aut clauditur loco, ergo eſt immẽſus, Item illud eſt ratio eſſendi vbique quo poſito Deus eſt vbique, & quo circumſcripto Deus non eſt vbique, ſed circumſcripta Dei immenſitate Deus non eſſet vbique, ergo ratio eſſendi Deum vbique eſt immenſitas; Item ſicut ſe habet Anima ad corpus ita ſe habet Deus ad vniuerſũ præter hoc quod Anima informat & Deus non; vt D. Auguſtinus docet de quantitate Animæ & 7. de Trin. ſed Anima eſt tota in toto corpore, & in qualibet parte propter ſuam ſimplicitatem & virtutem. Virtus autem Dei eſt ſua infinitas ergo &c.

8 A poſteriori autem ſic demonſtratur Deus vbique operatur, ergo vbique eſt, Hæc conſequentia materialiter eſt vera, ſed non formaliter; materialiter quidem, quia omnipotentia, & immenſitas realiter ſimul identificantur diuinæ eſſentiæ, ergo impoſſibile eſt Deũ eſſe alicubi per potentiam, & non per eſſentiam, probatur conſequentia, quia immenſitas exigit naturali neceſſitate præſentiam ſubſtantialem loco, ſed omnipotentia Dei realiter identificatur immenſitati, ergo operari recte infert eſſe eſſentiæ exiſtentis; Dictum eſt hanc conſequentiam eſſe bonam materialiter non formaliter, vt eſſet occaſio decidendi illam magnam controuerſiam Theologicam inter duas ſcholas principales Diui Thomæ & Doctoris ſubtilis; Controuerſia eſt talis; An ex operatione Dei circa res omnes recte inferatur præſentia eius ſecundum eſſentiam in eiſdem rebus; Diſcipuli cum ſuo Magiſtro D. Thoma affirmant; Doctor vero ſubtilis cum ſuis Diſcipulis negat; Vtraque ſententia poteſt probabiliter defendi, opinio tamen Scoti nititur firmiori fundamento.

9 Pro cuius intelligentia notandum eſt primo, quod in præſentia per operationem non neceſſario & intrinſece includitur præſentia ſecundum ſubſtantiam & eſſentiam velut ſuperius in inferiori includitur; nam tunc ex operatione mediata, vel immediata agentis in paſſum inferretur optime & neceſſario præſentia agentis ad paſſum ſecundum ſubſtantiam quod abſurdum videtur, quia Sol immediate agit in viſceribus terræ mineralia producendo vbi tamen non eſt præſens ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum virtutem; notandum eſt ſecundo; quod Agens immedia-

Digitized by Google

mediatum eſt duplex, alterum immediatum immediatione virtutis quod nimirum habet virtutem agendi non ab alio emendicatam velut Sol ſi comparetur ad Agentia ſibi inferiora; Aliud eſt Agens immediatum immediatione ſuppoſiti, & eſt illud inter quod, & effectum illum nullum mediat ſuppoſitum coordinatum coagens.

10 Iſtis notatis probatur ſic ſententia Doctoris ſubtilis Agens Creatum poteſt operari in paſſum diſtans ſecũdũ locum vbi Agens non eſt præſens ſecundum ſubſtantiam ergo & Agens increatum; Antecedens probatur, quia (vt dictum eſt) ſol generat in viſceribus terræ mineram, vel aliquod mixtum, & proximum principium eliciti uum huiuſmodi generationis eſt ſubſtantia Solis, ergo Sol agit immediate, vbi non eſt ſecundum ſubſtantiam conſequentia probatur quanto Agens eſt virtuoſius tanto poteſt agere in aliquod paſſum magis diſtans, ſed Deus eſt Agens potentiſſimum & infinitæ virtutis, ergo ſi per impoſſibile diſtaret ab aliqua re adhuc poſſet in eam agere; Secundo probatur ſententia Scoti; Deus producit & operatur non per contactum phiſicum, ſed per ſuum velle, ſed volentem non oportet eſſe præſentem ſecundum eſſentiam volito.

11 Immenſitas ſicut & infinitas eſt modus intrinſecus diuinæ eſſentiæ quia ex Scoto in 1. diſt. 8. q. 3. ad primum principale quia non variat rationem formalem eiuſdem Diuinæ eſſentiæ, cuius eſt modus, ideſt non importat formalitatẽ propriam diſtinctam à parte rei; Non eſt tamen purum nihil, ſed aliquo modo res, quatenus res deriuat à reor reris, non quatenus venit à ratus rata, ratum, licet non ita proprie ſit res, ſicut id cuius eſt modus vt Scotus dicit in 2. d. 1. q. 5. eo vel maxime, quia res accipitur quattuor modis ex quolib. 3. art. 1. præſertim pro omni eo quod aliquo modo poteſt dici habere eſſe extra Animam, ideſt extra operationem intellectus; Hinc plures modi intrinſeci in vna re poſſunt dici ſic diſtincti per ſe, & ab illa ex natura rei etiam formaliter extendendo diſtinctionem formalem ad ſignificandam omnem diſtinctionem ex natura rei, etiam modalem quamuis non ſit vere formalis.

12 Eſſe vbique ex immenſitate ſua veluti ex perfectione ſua intrinſeca & naturali eſt ita proprium Deo, vt per nullam potentiã Creaturæ communicari, aut conuenire poteſt quia immenſitas importat illimitationem ſuper intẽſiuam ſubſtantiæ, & eſſentiæ infinitatem radicalem, ratione cuius ſubſtantia illa poteſt ſe diffundere comparatione locorum actu exiſtentium, quod Creaturæ conuenire nequit, neque communicari etiam per potentiam diuinam, quia formaliter, & ex natura rei ei repugnat; Creaturæ tamen ſiue corporeæ ſiue incorporeæ per omnipotentiam Dei abſolutam conuenire poteſt ſimul realiter omni loco eſſe præſentem, ſed hoc non proprie, & intrinſeca, & naturali virtute, ſed improprie hoc eſt virtute omni potentis Dei, Hoc enim illi nõ repugnat, nec inuoluit contradictionem. Lutherus in ſerm. de Sacrament. Cœnæ tom. 2. operum eius & alibi, & Ioannes Brentius tract. de Cœna Domini, & lib. de duabus naturis Chriſti, & Martinus Kemnitius lib. de duabus naturis in Chriſto ſenſerunt ex vnione hypoſtatica corpus, ſiue humanitatem Chriſti id obtinuiſſe, vt ſit vbique, ſicut eſt vbique Perſona diuina filij cui humanitas eſt inſeparabiliter vnita Verum horum Hæreticorum ſententia eſt falſa, & hæretica, quia repugnat articulis fidei; primo fides habet in ſolius Mariæ vtero fuiſſe corpus Chriſti, & ex eo vtero poſt 9. menſes vere natum fuiſſe, &

Secundo habet fides in morte Chriſti corpus, & Animam ſeparata fuiſſe, corpus in ſepulchro, & Animam deſcendiſſe ad Lymbum; Tertio, fides docet Corpus Chriſti poſt tres dies reſurrexiſſe, & de monumento clauſo exiſſe, & ad diſcipulos ianuis clauſis intraſſe; Quarto fides docet Chriſtum in Cœlum aſcendiſſe, & inde venturum ad iudicandum viuos & mortuos, ex quibus omnibus conſtat non eſſe aſſerendum corpus Chriſti eſse vbique, nec ex vnione colligi poteſt corpus, & humanitatem Chriſti eſse vbique, quia Perſona diuina filij eſt vbiq; quia vnita ſunt inęqualia, ſicut non ſequitur ſphera Solis ſimul circundat totum Mundum, ergo & corpus ſolare ſimul totum Mundum circundat, quia ſphera ſolaris, & corpus ſolare ſunt inæqualia idem dicendum eſt à fortiori de Perſona Chriſti infinita, & humanitate Chriſti finita; & quamuis daretur humanitatem Chriſti ob vnionem ad verbum imméſum eſſe vbique non tamen hoc illi cōueniret per ſe, ſed omnino per accidēs, Ideo ſtat veritas ſolo Deo conuenire eſſe vbique, & immenſum ex virtute natura, & eſsentia propria à ſe, & per ſe.

13 Deus eſt ens ſimpliciter, & abſolute perfectiſſimum non ſolum perfectione prima hoc eſt quiditatiua, ſed etiam omni perfectione, quæ concomitanter ſpectat ad prædictam perfectionem quiditatiuam; probatur prima pars diuinitas accepta à parte rei, vt pręſcindit ab omni eo, quod non eſt ipſa quiditatiue non ſolum eſt formaliter, ſed etiam radicaliter infinite perfecta ex 1. diſt. 13. & quolib. 5 1. ergo eſt ens perfectiſſimum ſimpliciter, & abſolute perfectione ſpectāte ad eſse primum; Probatur ſecunda pars, nam omnes perfectiones ſimpliciter, quæ poſſibiles ſunt in rerum natura, & quæ imperfecte reperiuntur in rebus Creatis in Deo ſunt formaliter, hoc eſt ex natura rei ſecundum eſse formale perfectiſſime, & formaliter infinitæ, vt ſunt iuſtitia, ſapientia, bonitas, & id genus ſimilia, quæ concomitanter ſpectant ad eſse primum ipſius diuinæ eſsentiæ.

14 Eſt quoque Deus ens perfectiſſimum perfectione ſecunda, quæ ſpectat ad operari perfectiſſimum, quia formaliter datur in Deo perfectiſſima intellectio, qua coniungitur ſuæ eſſentiæ tanquam ſummo bono, & perfectiſſimo intelligibili; ſimiliter amor perfectiſſimus, quo eidem eſsentiæ coniungitur, & vnitur, tanquam perfectiſſimo appetibili, ergo Deus habet perfectiones operatrices, quæ ipſum reddunt formaliter beatiſſimum. Pro horum clara notitia notandum eſt ex 4. diſt. 49. q. 1. in entibus reperiri duplicem perfectionem primam, & ſecundam, Prima eſt quando nihil rei deficit pertinens ad primum eſse eius, ſcilicet quiditativum, & de eſſentia; Secunda quando nihil deeſt pertinens ad eſse ſecundum ſcilicet ad operationem; Perfectiones omnes ſimpliciter eſto per Scotum ex natura rei ſint extra formalem rationem, & quidditatiuam Deitatis ſunt tamen in Deo ſecundum eſse proprium, & ſecundum rationem formalem ſuam ex eodem in 1. diſt. 8. qu. 4. & quolib. 1, & 5. nam Deus eſt ens ſummum, & infinite perfectum omni perfectione poſſibili formaliter acceptа ſub ente infinito ſimpliciter ſumpto, & in quocumque alio genere ſub ipſo ente infinite accepto, ergo neceſsario in eo ſunt formaliter omnes perfectiones ſimpliciter.

15 Perfectiones verò in certo genere ſub ente finito, quæ de ſe ſunt finitæ non poſſunt formaliter reperiri in Deo, ſed ſolum virtualiter, & eminenter eſt Scoti loco citato prima pars probatur; Eiuſ-

Digitized by Google

Eiuſmodi perfectiones ſunt de ſe formaliter finitæ,& limitatæ,ergo nequeũt Deo formaliter conuenire; ſicut enim prædicatum illimitatum nequit conuenire Creaturæ ſecundum hoc eſse,quia constitueret eam extra ſtatum ſuum, ita prædicatum limitatum nequit competere Creatori, quia ſecundum hoc eſse illum constitueret extra ſuum ſtatum; ſecunda pars probatur; quicquid poſitiue reperitur in rebus creatis eſt effectiue à Deo immediate ſaltem immediatione virtutis, cum ſic immediate agere ſit perfectionis ſimpliciter, ergo quicquid eſt formaliter in Creaturis eſt virtualiter in Deo; probatur tertia pars, quia eſse Creaturarum ſpectatum ſaltem ſecundum ſuam rationem formalem tranſcendentalem capax eſt infinitatis, ergo omne eſse creaturarum tranſcendenter acceptum in ente primo per infinitatem contractum proindeque perfectius, & eminentius eſse omne Creaturarum reperitur in ipſo Deo quam in ipſiſmet rebus creatis.

16 Vnde colligi poteſt Deum ſolum eſſe vſquequaque perfectiſſimum, Creaturarum vero, niſi cum limitatione, & aliqua participatione; Ideo omnis Creatura eſt ſimilis Deo ſimilitudine vniuocationis in eſse reali non in natura ſpecifica, vel generica, ſed tranſcendentali ex Scoto in prima diſtinct. 3. q. 2. nam omnis creatura in conceptu entis vniuoce conuenit cum Deo, ergo omnis Creatura eſt in hoc eſse Deo ſimilis; Secundo eſt ſimilis Deo ſimilitudine immitationis, quia omnis Creatura habet eſse quatenus immitatur diuinum eſse, ipſumque ab omni Creatura participatur; Item quælibet creatura imitatur Deum tanquam ſui ipſius menſuram, & ſicut res exemplata ſuum exemplar, & effectus ſuam cauſam; Tertio omnis rationalis Creatura eſt ſimilis Deo peculiariter ſimilitudine in prædicatis, proprijs acceptis ex proprijs ita Scotus in 1. diſt. 3. q. 9. & in 2. diſt. 16, & probatur omnis rationalis creatura dicitur Immago Dei naturaliter, quatenus in ſe habet aliquo modo naturaliter vnitatem, & Trinitatem, ſed eſse vnum & Trinum dicitur prædicatum proprium Dei ex proprijs deſumptum: maior probatur locis citatis, vbi Scotus oſtendit Imaginem Dei eſse naturalem in Anima noſtra, & non artificialem, & conſiſtere ſimul in actibus primis, & ſecundis; in primis propter conſubſtantialitatem, in ſecundis propter diſtinctionem realem per emanationem.

17 Creaturę rationales dici poſsunt Deo in moralibus virtutibus ſimiles, ex 3. ſent. diſt. 23. vbi Scotus aliquo modò concedit virtutes morales in Deo, Inquit enim poni poſse in Deo rationem virtutum moralium ſicut in eo cõceditur Charitas ſine accidentalitate, & hæc ſimilitudo eſt etiam imitationis in eſsendo de qua fortè eſt locutus Saluator Matth. 5. quando dixit eſtote perfecti ſicut, & Pater veſter perfectus eſt, Denique 5. In rationalibus creaturis reperitur etiam ſimilitudo cum Deo intentionalis ineſse quodam intelligibili in rappreſentando, & in eſsendo, nam datur duplex ſpecies impreſsa, & expreſsa diuinæ eſsentiæ in dictis creaturis, ſed eius modi ſpecies ſunt ſimilitudines obiecti in rappræſentando, ineſse quodam intentionali, &c. ergo &c.

18 Circa materiam eſsendi neceſsario dicimus ſequentia; Illud eſse dicitur neceſsarium, quod impoſſibile eſt non eſse; Et triplex eſt genus neceſſitatis Vnum quidem omnino abſolutæ, quod ita dicit neceſsarium eſse, vt nullo modo habeat initium, vel principiũ ab alio, ſed ſolummodo ſit à ſe. Quæ enim ſunt neceſsaria à ſeipſis illa nullo modo neque quoad produci ſunt ab

T alio,

Digitized by Google

alio, neque quoad fieri, quia non habent eſse dependentiæ, tanquam effectus ab vlteriori cauſa, alioquin enim non eſsent à ſe; neque quoad produci, originem quippe ab alio non trahunt, nec emanationem, nec proceſſionem alioquin non eſsent à ſe, quia eſse à ſe differt, & diſtinguitur contra eſse ab alio quomodocunque, & ideo huiuſmodi eſt ſolus Pater in diuinis, vel eſſentia diuina, aut Deus eſsentialiter ſumptus; Non enim Deus eſset effectiuum principium, ſi eſset ab alio, nec Pater eſset principium, & fons totius emanationis in diuinis ſi non eſset à ſe.

19 Secundum genus neceſſitatis eſt, quod non quidem dicit initium, aut inchoationem, vel inceptionem, ſed tamen originem, & principiatum ab alio, vt ſunt aliæ duæ perſonæ in diuinis; quæ dicuntur eſse neceſsariæ neceſſitate originis; non enim poteſt eſse Pater, quin habeat filium ratione relationis; & ideo ſi neceſsario eſt Pater, neceſsario etiam eſt filius; Accedit quod in Patre eſt Intellectus infinite actiuus, ſiue Intellectiuus, & eſsentia per modum obiecti infinite intelligibilis, ergo neceſsario intelligit, ergo neceſsario producit notitiam, & nō niſi infinitam, quam vocamus filium Dei, idem dicēdum eſt de Spiritus Sancto, quia quamuis voluntas in nobis ſit principium ad vtrumlibet in Deo tamen ad intra eſt principium neceſsarium producendi, quia cum voluntas ſit ſumme recta nō poteſt non amare ſummè, quæ ſummè ſunt diligenda, & ideo Pater non poteſt non diligere filium, nec filius Patrem, cum eadem ſit eſsētia in ambobus ſumme in vtroque diligenda, & ideo non poſsunt nō producere amorem, & quidem infinitum quem appellamus Spiritum Sanctum; in qua re illa infinita voluntas non amittit ſuam eſsentialem libertatem, nam in perfectiſſimis mentibus poteſt eſse libertas cum neceſſitate de qua re alibi.

20 Tertium genus neceſſitatis eſt, quod non ſolum dicit principium, & originem ab alio, ſed etiam initium, & inceptionem cuiuſmodi fuiſſent omnes creaturæ etiam ſi mūdus ab ęterno fuiſſet conditus, aut etiam ſi Deus neceſſario ageret ad extra vt volebant Philoſophi (quod tamen eſt falſum) nam ſemper Mundus eſſet effectus & Deus liber ad illum efficiendum; Vnde apparet differentia inter neceſſitatem, quam ponebant Philoſophi in creaturis effectis & inter neceſſitatem, quæ eſt in productione filij, ac neceſſitatem denique, quæ eſt in improductione Patris; Creaturæ quippe licet fuiſſent creatæ ab ęterno, & haberent entitatem, qua formaliter eſſent neceſſariæ, dependerent tamen à cauſa producente, nec eſſent de ſubſtantia eius productæ, ſed de nihilo, ſed filius habet formaliter eſſe neceſſarium, & eandem penitus cū producente eſſentiam; Idem dic de Spiritus Sancto; Pater denique habet eſſe formaliter neceſſarium ratione innaſcibilitatis, quia neceſſarium eſt dari aliquod primum principium non ſolum reſpectu creationis rerum, ſed etiā reſpectu cuiuſcumque productionis ad intra, quod ſit omnino improductum, & ita neceſſario habeat eſſe à ſe, & non ab alio; de quare alibi.

21 Deus igitur habet veram, & abſolutam neceſſitatem eſſendi, nam Deus habet eſſe à ſe, & eſt ſua quiditate exiſtens, ſicque neceſſario eſt vt implicet contradictionem ipſum non eſſe; probatur, non habet eſſe ab alio à quo in ſuo eſſe conſeruetur ergo non habet à quo poſſit annihilari; Habet etiam naturalem neceſſitatem operandi, & producendi pręciſe tamen in operationibus intellectus ſui, nam ex Scoto in primo diſt. 2. q. 7. habetur intellectum

eſſe

eſſe potētiam naturaliter operatricem, & productricem, quia eſt potentia naturaliter determinata ad vnum, & ideo habere operatricem, & productricem virtutem per modum naturæ; Deus in actibus voluntatis ad intra habet abſolutam neceſſitatem non naturalitatis, ſed ineuitabilitatis; nam Deus ex quolib. 1. art. 1. habet ſimpliciter neceſſitatem in actibus ſuæ voluntatis, quibus diligit ſe ipſum, & ſpirat Spiritum Sanctum, tum quia neceſſario ſimpliciter ipſe eſt perfecte beatus, tum etiam quia Spiritus Sanctus & neceſſario ſimpliciter Deus.

22 Quod autem prædicta neceſſitas non ſit naturalitatis, ſed ineuitabilitatis probatur nam libertas quæ excludit intrinſecam determinationem principij eſt condicio intrinſeca voluntatis, tam abſolute, quam in ordine ad ſuum obiectum, ergo non compatitur naturalem neceſſitatem in eodem principio; eſt igitur neceſſitas ineuitabilitatis, quæ abſolute excludit poſſe ſuccedere oppoſitum ei, quod ineſt; Non enim poteſt diuina voluntas non diligere diuinam eſſentiam, necnon ſpirare Spiritum Sanctum; Etiam in actibus ad extra Deus habet aliquam neceſſitatem ſcilicet immutabilitatis, etenim oppoſitum ſuccedere ei in tempore, quod in fuit Deo ab æterno, ſiue ex parte actus, ſiue ex parte tendentiæ fieri nequit abſque mutatione, quæ omnino Deo repugnat.

23 Summa, & abſoluta neceſſitas eſſendi eſt Deo adeo propria, vt nulli creaturæ ſecundum eſſe reale communicari poſſit etiam per omnimodam Dei potentiam, etenim ſi poneretur aliquid formaliter neceſſarium diſtinctum à Deo eſſentialiter poni non poſſet, ſine dependentia eſſentiali ad ipſum Deum primum omnino neceſſarium à quo in ſuo eſſe cauſetur, & conſernetur, ergo non eſſet ex ſe ſimpliciter neceſsarium, quia neceſſario cauſabile ab alio; Cauſari enim ab alio, & eſſe ex ſe neceſſarium ex diametro pugnant; Immo nec ſecundum eſſe poſſibile cognitum, & exemplatum res creatæ veram neceſſitatem habere non poſſunt; nam eſſe poſſibile cognitum, & exemplatum, quod creaturæ habuerunt in mente diuina ante omnem actum liberum diuinæ voluntatis ad extra non eſt niſi eſſe ſecundum quid, & eſſe rationis, & non eſſe ſimpliciter ſicut nec eſſe mortuum dicitur eſſe ſimpliciter Animalis; at neceſſitas & contingentia ſunt condiciones, ſeu modi intrinſeci entis ſimpliciter exiſtentis, ergo ſecundum tale eſſe cognitum &c. non poteſt creaturis neceſſitas conuenire.

24 Immo eſto Creaturæ ſpectatæ præciſe ſecundum illud eſſe, quod habuerunt, & quod diuinus intellectus cognouit eis non repugnare dicātur vera entia poſſibilia, tamen quia ſecundum illud eſſe etiam ab alio pendent ſcilicet principiatiue ab intellectu diuino, inde ſequitur eſſe entia participata, & conſequenter non ſimpliciter neceſſaria, probatur conſequentia, quia per poſſibile, vel impoſſibile non exiſtente illo, à quo ſunt, abſolute, & ſimpliciter non eſsent ſecundum illud eſſe. Et hæc ſatis de prædicatis quiditatiuis, & modis intrinſecis diuinis, inſequentibus agendum eſt de prædicatis qualificatiuis, ſeu de attributis, & perfectionibus ſimpliciter eiuſdem, quæ formalem infinitatem important emanantem tamen à radicali eſſentiæ diuinæ cum identitate reali.

Digitized by Google

De diuinis Attributis, & perfectionibus, tam in communi, quam in particulari. Cap. III.

De diuinis attributis, & perfectionibus in communi. Art. I.

1 QVæcumq; res quattuor modis poteſt conſiderari ex Scoto q. 3. Prologi vt verbi gratia homo primo ſub rationibus generalibus entis ſubſtantiæ &c. Secundo ſub ratione eſſentiali, & quiditatiua quatenus eſt Animal rationale. Tertio ſub ratione formali non quiditatiua, ſed qualificatiua, quatenus ſcilicet eſt natura manſuetus, admiratiuus, diſciplinabilis &c. Quarto ſub aliqua ratione relatiua, vel reſpectiua, vt quatenus ordinatus ad æternam gloriam, nobiliſſimus Animalium; ſic etiam Deus à parte rei abſque vlla fictione quattuor modis poteſt ſpectari; primo ſub rationibus communibus entis, ſubſtantiæ ſpiritus &c. ſecundo propriiſſime quatenus habet entitatem realem, abſolutam, quiditatiuam à ſe, & ex ſe ſimpliciter exiſtentem, formaliter, & radicaliter infinitam, tertio ſub ratione communi attributali, & qualificatiua, vt ſub ratione clementis, ſapientis, miſericordis &c. quarto ſub ratione relatiua ſeu reſpectiua, vt Creatoris, Conſeruatoris, Prædeſtinantis, Redemptoris &c. De Deo, primo modo agitur in Theologia naturali, ſeu metaphiſica, tribus alijs modis agitur in Theologia ſupernaturali, ſecundo modo actum eſt in ſuperiori capite, tertio agitur in præſenti capite, quarto modo in ſequentibus libris auxiliante Deo erit ſermo.

2 Nomine attributi non eſt intelligendum quicquid tribuimus Deo tanquam denominans, vt quidam exiſtimant, vt Thomiſtæ, ex hoc enim ſequeretur modos intrinſecos eſſe attributa quod tamen falſum eſt vti dictum eſt in ſuperiori capite; quia modus intrinſecus nõ variat rationem formalem, ſeu eſſentialem illius, cuius eſt modus, quia illi nullam addit realitatem, vel formalitatem; quod de attributis non poteſt affirmari, vt infra patebit, quippe quæ habent diſtinctam realitatem formalem, diſtinctam inquam à realitate eſſentiæ diuinæ cuius ſunt attributa; ſed nomine attributi intelligenda eſt omnis perfectio quæ ſumitur a Creatura, & Deo tribuitur in ſummo, per modum tertij adiacentis; Pro cuius clara intelligentia notandum eſt nos in hac vita non cognoſcere Deum clarè, & intuitiue (vt ſupra dictum eſt) ſicuti in ſe eſt, ſed tantum obſcurè, & abſtractiue iuxta illud 1. Cor. 13, 12. videmus nunc ſpeculum in enigmate; Hæc autem cognitio dupliciter haberi poteſt, primo ex creaturis iuxta illud ad Rom. 1. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, nam in creaturis relucet potentia bonitas, & ſapientia Creatoris.

3 Secundo modo ex reuelatione, quæ nobis per Chriſtum, & Prophetas, & Apoſtolos facta eſt; prior cognitio naturalis eſt, & cõmunis omnibus iuxta illud Iob 36. Tertius omnes homines vident eum vnuſquiſque intuetur procul, quid eſt procul videre Deum, & intueri? nihil aliud quam intueri Deum non in ſe, ſed in creaturis, quæ procul abſunt a perfectione Dei; Poſterior eſt ſupernaturalis, & non omnibus, ſed fidelibus tantum communis; iuxta illud Pſalmi 147, non fecit taliter omni nationi,

tioni, & Iudicia ſua non manifeſtauit eis; Porro perfectiones Creaturarum ſunt finitæ, & pluribus imperfectionibus permixtæ, ideo vt ex illis cognoſcantur perfectiones Dei, Scholaſtici ex D. Dionyſio Areopagita duos modos, ſeu vias tradiderunt, quibus ex perfectionibus creaturarum peruenire poſſemus in cognitionem diuinarum perfectionum nempe viam negationis ſiue remotionis imperfectionum; & viam eminentiæ, exempli gratia ex ſapientia creata venimus in cognitionem ſapientiæ increatæ dupliciter, primo via remotionis remouendo ſcilicet à creata eſse creatum, limitatum, & accidentale &c. Secundo via eminentiæ attribuendo eam ſapientiam ſic purificatam ab imperfectionibus creatis Deo in ſummo gradu.

4 Tales perfectiones, ſeu attributa ſunt ex natura rei in Deo ſecluſa quacunque operatione intellectus noſtri ex Scoto in prima diſt. 8. q. 4. & quolib. 1. probatur ex Damaſceno lib. 1. de fide Cap. 4; ſi bonum (inquit) ſi iuſtum, ſi ſapientem, ſi quodcumque aliud dixeris non naturam dices Dei, ſed quæ naturã eius circumſtant; Idem ex Diuo Auguſtino 15. de Trinit. cap. 5. ſi dicam æternus immortalis, incorruptibilis, immutabilis, vnicus, ſapiens, potens Beatus ſpiritus, horum omnium nouiſſimum, quod poſui videtur tantum ſignificare ſubſtantiam, cætera vero huius ſubſtantiæ qualitates; Immo ipſa ratio ſuadet, quia Deus vere à parte rei dicitur bonus, ſapiens, iuſtus, ergo vere a parte rei habet attributa; quæ in eo habent propriã infinitatem formalem, & non ſolum per realem identitatem cum diuina eſſentia & eius infinitate; quia attributa ſunt ex ſe perfectiones ſimpliciter, & ex ſe ſuapte natura communicabiles, ergo formalis infinitas eis ex ſe optime cohęret.

5 Immo infinitas eorum formalis eſt alterius rationis ab infinitate diuinæ eſſentiæ, ſi quidem eſſentia eſt infinita formaliter, radicaliter, & fundamentaliter, & ſimpliciter in genere entis; Attributa vero in genere proprio hoc eſt qualitatis; Item eſſentia eſt infinita à ſe, & ex ſe. Attributa vero ſolum ex ſe, & non à ſe. Idem colligitur ex Scoto in 4. diſt. 13. q. 1. art. 2. vbi docet quattuor modis poſſe aliquid dici infinitum ſcilicet intenſiue, extenſiue fundamentaliter, & formaliter & ſubdit; eſſentia diuina vt eſſentia eſt & dicitur infinita radicaliter & fundumentaliter, nec non formaliter, attributa vero formaliter tantum, ergo formalitas infinita eſſentiæ eſt omnino alterius rationis ab infinitate attributorum, ſimiliter colligitur ex quolib. 1. art. 1. vbi deſtribens Doctor eſsentiam, vt formaliter diſtinctam ab Attributis, & proprietatibus docet eſse entitatem primam, abſolutam, omnino vnicam, ex ſe exiſtentem, non recipientem ab aliquo alio eſse, & omni alij communicantem eſse; ſed attributa ita non habent eſse, ergo non ita habent infinitatem; Hæc de infinitate intenſiua.

6 Negatur tamen abſolutè in diuinis infinitas extenſiua, ſiue numeralis neque perfectionum formalium eiuſdem nec alterius rationis, neque realitatum, vel relationum, quæ formaliter non dicunt perfectionem ita Scotus in 4. diſt. 13. q. 1. art. 2. vbi monet nihil vnius rationis formalis eſse infinitum extenſiue in diuinis; immo forte nec abſolute eſt in Deo talis infinitas; quia ſicut perſonæ ſunt finitæ hac infinitate, ita perfectiones ſimpliciter ſunt numero & multitudine finitæ, quemadmodum relationes, & notiones hæc, & illa ſimul iuncta finita ſunt; prima pars probatur; nam nequeunt in Deo excogitari infinitæ ſapientiæ extenſiue cum ſolum vna ſimpliciſſima ibi ſit omnino in ſua ſpecie implurificabilis continens totalitatem

ſa-

ſapientiæ; alioquin non eſset formaliter ſecundum ſuam eſsentiam intenſiue infinita; Participari tamen poteſt à Creaturis rationabilibus in infinitum extenſiue tantum ſcilicet intra finitum terminum intenſiuæ perfectionis Creaturæ conuenientis, ergo vnica tantum ſapiētia vnius rationis implurificata reperitur in diuinis, Confirmatur, nam infinitam multitudinem in creatis entibus maxime abhorret natura, ergo ab ente perfectiſſimo eſt etiam multo magis eiuſmodi infinitas penitus reijcienda.

7 An vero intellectus, & voluntas Dei ſint inter attributa diuina Scotus de hac re agens in primo diſt. 8. q.4. & diſtinc. 26. in ſolutione argumentorum principalium, & quolibeto 1. & alibi videtur varius, & non fuiſse conſequēter locutus, etenim diſtin. 8. clare docet intellectum & voluntatem Dei eſse attributa cum tamen alijs citatis Locis oppoſitum ſentiat nempe non eſse attributa, ſed prædicata quiditatiua diuinæ eſsentiæ. Quibus non obſtantibus ſecundum Doctoris ſententiam dicendum eſt intellectum, & voluntatē Dei, quatenus ſpectantur non pro vita intellectiua, ſed quatenus ſunt potentiæ, quibus proxime tanquam inſtrumentis vtitur intellectualis natura ad intelligendum, & volendum proprie, & rigoroſe eſse attributa, & proinde perfectiones ſecundarias tertio loco diuinæ eſſentiæ inexiſtentes.

8 Poſita eſt illa particula (tanquam inſtrumentis) quia reuera huiuſmodi potentiæ inſtrumenta nō ſunt, ſed principales virtutes, à quibus vere eſt omnis Intellectio, & volitio, aut per veram cauſalitatem, vt in creaturis, aut per quandam ſimplicem pullulationem ſiue emanationem, vt in diuinis; vſi ſumus tamen inſtrumenti vocabulo, vt ipſas potentias ſecernamus ab ipſa natura intellectuali, quæ in recto tanquā principium quod, per illas vitaliter operatur; Poſita quoque eſt alia particula (tertio loco diuinæ eſſentiæ inexiſtentes) quia noſtro intelligendi modo cum vero fundamento in re iſta ordinate inſunt Deo, 1. prædicata quiditatiua, 2. prædicata modalia, 3. attributa, 4. relationes perſonales, 5. relationes communes, 6. denominationes extrinſecæ ad extra, vt Creatoris, cōſeruatoris &c.

9 Probatur concluſio ſi Scotus ſentiret intellectum, & voluntatem in diuinis eſſe prædicata quiditatiua, & non attributa inter ſe, & ab eſsentia formaliter diſtincta negare non poſſet Scotus, quod per idem omnino à parte rei formaliter intelligeret, & vellet; & quod idem formaliter haberet rationem potentiæ, & obiecti, & quod per eſſentiam formaliter à parte rei proxime, & totaliter generaret, & ſpiraret, quæ omnia ipſe maxima abſurda reputat, & abhorret; Tandem intellectus, & voluntas in diuinis formaliter, & ex natura rei diſtinguuntur inter ſe, & ab ipſa diuina eſſentia ex 1. diſt. 13. quæſt. vnica per totam vbi dicit Intellectum in diuinis nō eſse voluntatem formaliter ex natura rei, ergo nequeunt eſſe prædicata quiditatiua eſsentiæ diuinæ, quia eiuſmodi prædicata ex dictis alibi ſolum diſtinguntur ratione ratiocinata, vel à parte rei virtualiter, ſiue eminenter, quatenus eſsentia diuina formaliter ex natura rei ex ſua infinitate ſimpliciſſime includens formalitatem entis ſubſtantiæ, actus puriſſimi, vitæ Intellectualis, ſpiritus &c. ita eminenter ſe habet, vt poſſit diuerſos conceptus formales inadæquatos terminare non ſecus, ac ſi ex natura rei in diuina eſsentia prædicata hæc ponerentur plures realitates.

10 Attributa diuina ſunt non idem formaliter inter ſe, & cum eſsentia diuina, ſed diſtinguntur formaliter, tam inter ſe, quam etiam ab eſſentia diuina

ex

ex Scoto in 1. d. 8. qu. 4. probatur ſic contra Thomiſtas omnes, tam antiquos, quam modernos; In diuinis eſt eſſentia ex natura rei, ſapientia, bonitas, iuſtitia &c. Sed ſecluſo quocumque opere intellectus formalitas vnius non eſt formalitas alterius, ergo tales formalitates diſtinguntur formaliter, Item realis emanationum diſtinctio neceſſario à parte rei præexigit diſtinctionem attributorum, à quibus ipſæ emanationes ſunt principiatiue, ergo neceſſario attributorum diſtinctio eſt omnino à parte rei independens ab Intellectu; Antecedens probatur, quia emanationes inde diſtinguntur, quia altera eſt generatio per intellectum, Altera ſpiratio per voluntatem; Hæc diſtinctio formalis attributorum inter ſe, & ab eſſentia diuina eſt actualis non virtualis tantum; colligitur ex Scoto pluribus locis maxime quolib. 6. vbi docet ſimilitudinē, & æqualitatem eſſe relationes reales, & eſſe à parte rei multiplices ſecundū plura attributa diſtincta in diuina eſſentia, at ſi ſecundum Scotum attributa ſi non eſſent actualiter diſtincta non poſſunt à parte rei æqualitates, & ſimilitudines multiplicari.

11 Item datur in diuina eſſentia ratio, ſeu formalitas actualis ſapientiæ, & iuſtitiæ, ergo etiam formalis actualis diſtinctio inter tales formalitates; antecedens probatur, quia perfectio ſimpliciter reperitur in diuinis ſecundum ſuam rationem formalem actualem, cum ſecundum talem rationem ſit perfectio ſimpliciter. Inſuper de ijs, quæ ſolum virtualiter diſtinguntur non verificantur duo contradictoria ex natura rei, ſed ſolum ſic ſe habent, quod de ipſis poſſint verificari; At de diuinis attributis verificātur duo contradictoria ex natura rei, vt dicendo ratio iuſtitiæ non eſt ratio ſapientiæ, non eſt ſapiens ratione voluntatis, & ratione voluntatis non intelligit; ſi attributa conſiderantur in abſtracto prædicantur de ſe inuicem, & de eſſentia diuina prædicatione identica, nam omnia ſunt formaliter infinita, ſi vero conſiderentur in concreto, vere, & proprie prædicantur prædicatione formali dicendo Deus eſt ſapiens, iuſtus &c. & ſapiens eſt iuſtus, hæc tamen prædicatio formalis eſt in ſecundo modo dicendi per ſe, quia attributa perficiunt eſſentiam diuinam in eſſe quodam ſecundo, non in eſſe primo cū ſint prædicata qualitatiua ſcilicet per modum qualitatis Deo inexiſtentia ſe habent enim vt proprietates ex q. 3. Prologi contra Thomiſtas præſertim recentiores, qui aſſerentes attributa eſſe formaliter de quiditate Dei conſequenter docent prædicari de ſe inuicem in primo modo dicendi per ſe.

12 Prodictorum intelligentia notandum eſt primo quod attributum eſt perfectio eſſentiæ quaſi ſecundaria reperta in Creaturis, abſque imperfectione, ex quo patet, quod ea quæ ſecundum ſuam rationem formalem in diuinis non dicunt perfectionem ſimpliciter non dicuntur attributa; Ex quo. Item patet, quod illa prædicata, quæ repugnant creaturis & reperiuntur in Deo non dicuntur attributa, ſicut v. g. immenſitas, immutabilitas &c. licet aliquibus videantur, quod omnis perfectio, ſiue reperiatur in creaturis, ſiue non, ſit attributum, vt videre eſt apud Diuum Thomam 1. contra gentes Cap. 23. & p. p. q. 3. art. 2. Doctor ſubtilis primam ſententiam amplectitur, atqui ita in ſchola ipſius docendum eſt. Secundo notandum eſt in Deo non dari plures res, ſeu quiditates abſolutas nam eſt vnica tantum res, quiditas, natura, & eſſentia identice, & realiter continens quicquid in Deo reperitur; conceduntur tamen ibi plures rationes, ſeu

rea-

realitates præter omnem operationem intellectus noſtri, quæ fundant inte rſe, & cum eſsentia diuina identitatem realem, & diſtinctionem formalem ex natura rei, quæ realitates (loquimur de realitatibus attributalibus) à fonte & radice infinitæ eſsentiæ emanant, & pullulant cum propria infinitate formali.

13 Notandum tertio, & ſumme aduertendum (eſt enim petra ſcandali, & lapis offenſionis vbi aduerſarij impingunt) eſsentiam diuinam ſic radicaliter infinitam continere vnitiue & identice citra omnem compoſitionem, & componibilitatem omnem infinitam perfectionem, & proprie non recipere aliquam perfectionem ab attributis, nec ſe habere ad illa quaſi quoddam potentiale, ſed prædicta attributa ſe habere ad eſsentiam, ſicut actus ad actum; Non eſt tamen inconueniens concedere attributa tanquam formas quaſdam aduenire eſsentiæ diuinæ ſublatis imperfectionibus, cum quibus ſunt in Creaturis; In his etenim habent duplicem imperfectionem annexã ſcilicet, quod ſint formæ informantes, & quod ſint partes compoſiti; exempli gratia ſapientia creata informat hominem, & cum eo concurrit partialiter ad componendum hominem ſapientem; tamen id habent perfectionis, quod ſint rationes, quibus aliquid dicitur formaliter tale, & ſecundum hanc perfectionem, quæ præciſe cõſequitur ſuam rationem formalem; Attributa diuina poſsunt dici formę eſsentiæ diuinæ; etenim ratio formæ quiditatiua eſt, vt eam habens ſit formaliter tale per eam; Ceterum quod id præſtet per informationem, & non per ſimplicem identitatem eſt ei omnino accidentarium; Etto enim corpus ſit denominatiue informatum per Animam informantem. Homo tamen Animatus dicitur formaliter per Animam, vt eſt aliquid eius; non vt eſt forma eius, quia Anima non informat hominem, ita in caſu noſtro diſcurrendũ dum dicimus Deum ſapientem iuſtum &c.

14 Notandum quarto quadruplicem eſſe prædicationem nempe formalem, quiditatiuam, formalem denominatiuã identicam, & eſsentialem; formalis quiditatiua eſt, qua prædicata quiditatiua enunciantur de eo cuius ſunt, hanc prædicationem Logici vocãt in primo modo dicendi per ſe, tales ſunt in diuinis Deus eſt ens, Deus eſt ſubſtantia, Deus eſt ſpiritus &c. Prædicatio item formalis denominatiua eſt illa, in qua propria paſſio, vel quaſi propria paſſio prædicatur de ſuo ſubiecto quam Logici dicunt in ſecundo modo dicendi per ſe, ſic dicendo homo eſt riſibilis homo eſt admirativus &c. & in diuinis quando attributa prædicantur de Deo, vt Deus eſt ſapiens, Deus eſt iuſtus, Deus eſt miſericors &c. Prædicatio identica eſt, quando vtrumq; extremum eſt formaliter infinium, vt Deus eſt ſapiens, vel alterum tantum, vt Deus eſt Pater, vel ſaltem permiſſiue, vt Paternitas in diuinis eſt ens; Prędicatio eſſentialis eſt illa, in qua denotatur conſubſtantialitas, & origo vnius extremi cum altero extremo, quæ conſubſtantialitas eſt identitas numeralis naturæ, & eſsentiæ, vt dicẽdo filius eſt ex ſubſtantia Patris, cuius ſenſus eſt filius originatur à Patre, vt conſubſtantialis, ſunt enim eiuſdem eſſentiæ.

De vnitate, veritate, & Bonitate diuini eſſe. Art. II.

1 Agitur primo de vnitate Dei, quam de Trinitate perſonarũ; primo quia Trinitas præſuponit vnitatem, & non è contra; ſecundo quia vnitas.

Digitized by Google

tas eſt magis nota, & ab omnibus ferè conceſſa, non vero Trinitas; tertio quoniam vnitas conſequitur eſſentiam ratione eſſentiæ. Trinitas autem ineſt ſibi ratione notionalium, paſſiones autem eſsentialium pręcedere debent paſſiones notionalium; Hæc vnitas, vt perfectè declaretur, & firmetur contra multos errores indiget aliqua moroſitate, & ideo potioribus fundamentis procedendum eſt. Plures fuerunt errores circa hanc vnitatem; primo Gentilium plures Deos colentium, vt puta Iouem, Martem, Mercurium, Saturnum, Palladem, Venerem &c. Secundo Epicureorum, qui tot Deos poſuerunt quot ſunt entia viſibilia; tertio Academicorum, qui Cœlos, & Planetas Deos nominabant.

2 Quarto Stoicorum, qui Deorum multitudinem in Cęlis ponebant quinto, Gnoſticorum Hæreticorum, quorum Magiſter fuit Carpocrates, teſte Iræneo lib. 1. Cap. 24. qui putauerunt duos Deos eſse vnum bonum, alterum malum, atque idem opinatus eſt Appelles, à quo Diſcipuli nominati ſunt appellitę, teſte Euſebio lib. 5. Hiſtoriarum Cap. 13. & D. Auguſtinus lib. de Hæreſibus Cap. 23. Item Manichæi, teſte D. Auguſtino eodem lib. ſexto Cerdonis, & Marcionis, qui poſuerunt duos Deos, quorum alterum bonum Patrem Chriſti, alterum iuſtum, ſeu ſeuerum, Creatorem mundi eſse dicebant, vt teſtatur Iręneus lib. 1. Cap. 28.

3 Septimo Valentini qui cenſuit duo eſse rerum principia, quorum vnum vocauit profundum, alterum ſilentium ex quibus triginta Dæmones proceſſiſſe dixit teſte Epiphanio Hæreſi 31; octauo Peratarum, vt refert Theodoretus lib. 1. de Fabulis Hæreticorum, aſſerentium Perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis, tres eſse Deos; Nota quod quattuor fuerunt illa, quibus homines inducti ſunt ad ponendum plures Deos; primum eſt imbecillitas intellectus humani non valens tranſcendere corporalia, & non credens aliquid vltra naturam corporum ſenſibilium, & ideo quæ pulchriora, & digniora videbantur eis attribuebat, & impendebat diuinum cultum, huiuſmodi ſunt corpora cœleſtia, Sol, Luna, & Stellæ ſecundo ex carnali affectu ad filios, & conſanguineos, nam aliqui propter nimium amorem, erga ſuos faciebāt ſtatuas poſt eorum mortem, & illis diuinum cultum impendebant, tertio ex adulatione hominum; nam aliqui volentes adulari hominibus Dominis, & Regibus honorem Deo debitum exhibebant obediendo eis, quare, & poſt mortem aliquos fecere Deos, aliquos etiam in vita dixerunt eſſe Deos, quarto prouenit ex malitia Diaboli, ipſe enim voluit ab initio ſe æquiparare Deo, & totus ſuus conatꝰ in hoc exiſtit, vt faciat ſe ab hominibus adorari, & ſactificia ſibi offerri ſicut Deo.

4 Et ne procedamus in æquiuocis ſciendum eſt, quod Deus capitur multipliciter; primo abuſiue, vt Dij Gentium; ſecundo poteſtatiue, & ſic Sacerdotes nominabantur Dij, iuxta illud Dijs non detrahes; tertio participatiue, vt electi, ego dixi Dij eſtis; quarto eſſentialiter, & ſic accipitur hic in noſtro propoſito, poteſt autem dupliciter deſcribi vno modo affirmatiue, ſic Deus eſt ens omni alio à ſe melius, & perfectius ſecūdo negatiue Deus eſt ens quo nihil melius, & perfectius; ſecundum doctrinam Scoti deſcribitur hoc modo Deus eſt ens infinitæ actualitatis volūtatis, bonitatis, & potentiæ, & ens à ſe ſumme neceſſariū; vel alio modo Deus eſt ens infinitum immateriale informabile, inflectibile, inſenſibile ſimpliciter immutabile actu exiſtens in entibus, & actu omnia intelligens.

V 5 Item

5 Item ſciendum eſt, quod vnum dicitur multipliciter; Primo per accidens, vt ſubiectum cum accidente, ſecundo, continuatione, vt tabulæ vnitæ in artificio, tertio, aggregatione, & collectione, vt aceruus lapidum, quarto, compoſitione per ſe, vt partes eſſentiales in compoſito phiſico, vel metaphiſico, quinto, definitione, vt indiuidua eiuſdem ſpeciei; ſexto, conformitate, vt Chriſti fideles per Euangelium fiunt cõformes Deo; ſeptimo, eſſentia, & ſubſtantia ſingulariſſima, talis eſt vnitas diuina; qua Deus vere, & realiter eſt vnus; Hanc vnitatem oſtendit Deus Deuter. 32. vbi ait, videte, quod ego ſim ſolus, & non eſt alius Deus præter me; item Iſaiæ 44. ante me nõ eſt formatus Deus, & poſt me non erit; & Oſeæ 13. Deum abſque me neſcies, & ſaluator non eſt præter me. Secundo oſtenditur ex Prophetis Dauid Pſal. 17. quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum noſtrum, & alibi ſæpe; tertio ex nouo teſtamẽto Ioan. 13. Veritas Chriſtus Dominus dicit, vt cognoſcant te ſolum Deum verum &c. Et Lucæ 4. Dominum Deum tuum ſolum adorabiles, & illi ſoli ſeruies, & frequenter alibi.

6 Quarto comprobatur ex orthodoxis Eccleſię Doctoribus, qui omnes vno conſenſu, vnum, ac ſolum Deum eſſe aſſeruerunt; tam Patres, quam Theologi, Sed hic occurrit dubium decidendũ; An ſcilicet hæc veritas, quod Deus ſit vnus, ſit articulus fidei, vel naturaliter demonſtrari poſſit; Non defuerunt Theologi exiſtimantes hanc propoſitionem (Deus eſt vnus) eſſe ſolũ creditam ex ſacra Scriptura, & non ex naturali ratione demonſtrabilem; Idque aſtruunt auctoritate Rabbi Moyſis dicentis vnitatem Dei acceptam eſſe ex lege, deinde, & hac ratione confirmãt ſi naturali lumine, vel demonſtratiuo medio poſſet cognoſci, poterit, & eadem via ſciri eſſentia Dei, vt ſingularis, ſiue vt hæc, quod eſt falſum, quoniam Deus ſub propria Deitate, aut ſuæ eſſentiæ ratione à nobis cognoſci nequit; Verum oppoſitam ſententiam plures inſignes Theologi defendunt, vt D. Bonau. D. Thomas, Scotus, Richardus, Alenſis, & alij, qui pluribus rationibus vnitatem, & ſingularitatem diuinæ eſſentiæ probant naturali lumine.

7 Pro huius dubij reſolutione aduertendum eſt, quod articuli fidei ſunt in duplici differentia quidam ſunt mere crediti, qui non poſſunt cognoſci, niſi per fidem, vt Verbum caro factum eſt; Alij verò ſunt, qui non ſunt præciſe, & mere crediti, ſed poſſunt etiam ratione naturali cognoſci; ſicut iſte. Vnus eſt Deus, qui præcipue à Doctore ſubtili, vt infra videbimus egregie, & clare demonſtratur; Interim notum eſt Senecam hanc veritatem agnouiſſe, & varijs rationibus probaſſe vnitatem Dei; Idem dic de Cicerone, vt conſtat ex eius libro de natura Deorum, & in Academicis quæſtionibus. Idem naturaliter probat Iuſtinus lib. de Monarchia, & in exhortatione ad Gentes, qui etiam aſſeuerat multos Philoſophos, & Poetas olim agnouiſſe vnum Deum, Hoc idem ſentit Lactantius lib. 1. Diuinarum Inſtitutionum, & Euſebius Ceſarienſis lib. 1. de Præparatione Euangelica Cap. 9. Apuleius lib. de Deo Socratis refert ipſum Socratem Athenis veneno necatum fuiſſe, quia Deorum pluralitatem negauit. Item Trimegiſtus de Diuinitate ad Apuleium ait, quod vnus eſt Mũdus, & vnus eſt Deus. Præterea Plato in Thimæo aſſerit, quod Mundus eſt vnus; quia iuxta vnum exemplar formatus. Tandem Auicennæ 1. Metaph. inquit, quod impoſſibile eſt vt ei, quod eſt neceſſe eſſe ſit compar; Et vocat Deum neceſſe eſſe.

8 Sco-

Digitized by Google

8 Scotus pro reſolutione dubij, ſupponit quod nomine Dei ſignificetur per ſe apud omnes nationes vna natura per ſe ſimpliciter habens eſſe omnino à ſe, & non ab alio, & proinde pelagus ſit ſubſtantiæ infinitum, & interminatum implicans contradictionem poſſe eſſentialiter plurificari, etenim vel plurificaretur, ita vt vnus eſſentialiter eſſet ab alio diſtinctus, ſed hoc formaliter pugnat cum eſſentiali ratione diuinæ eſſentiæ, de cuius formali conceptu imbibitur eſſe à ſe, ſicut in conceptu eius etiam includitur totius entitatis plenitudo, vel plurificaretur itaut omnes eſſent à ſe, & hoc etiam implicat, tum quia eſſentialis ordo vniuerſi petit per ſe vnum ſolum ens primum, à quo omnia habent ſuum eſſe, tum etiam ambo impedirent ſe, vt infra patebit, quod pugnat cum ſuprema omnipotentia, & virtute vtriuſque; ſecundo ſupponit, quod in Deo datur ex natura rei vnitas realis ſingularitati diuinæ naturæ correſpondens formaliter ſignificans realitatem quandam poſitiuam à Deitate formaliter diſtinctam, per quã ei perfectè duplex ineſt negatio nempe diuiſionis a ſe, & identitatis cum alio; Scotus in 1. diſt. 31. & quolib. 6. art. 1.

9 His ſuppoſitis concludit Scotus cum citatis, Doctoribus Deum eſse vnum vnitate ſingulariſſima eſſentiali eſse demonſtrabile à priori, nam ſecundum eundem Doctorem ſubtilem infinitas demonſtratur de Deo à priori minus autem videtur infinitas demonſtrari de Deo quam vnitas, ergo &c. quia cum vnitas ſit affectio, & quodammodo proprietas optime à priori demonſtrari poteſt de Deo per ſuam eſſentiam, & quiditatem tanquam medium propter quid, & de facto à nobis demonſtratur cum Scoto à priori Deũ eſse vnum, non tamen immediate, ſed cognitis prædicatis intrinſecis ipſius Dei demonſtratione à poſteriori ex Creaturis; Scotus igitur putat vnitatem Dei poſse à priori naturaliter oſtendi primo, ex infinito intellectu, quia intellectus infinitus intelligit quodcumque intelligibile, quantum eſt intelligibile, ſecundo, ex infinita voluntate, quia infinita voluntas eſt rectiſſima, tertio, ratione infinitæ bonitatis, quarto, ratione infinitæ potentiæ, quinto, ratione infiniti abſolute; ſexto, ratione neceſse eſse.

10 Ex parte intellectus infiniti oſtenditur ſic, quia intellectus infinitus cognoſcit quodcumque intelligibile perfectiſſime, quantum eſt cognoſcibile, & intelligibile in ſe, ſi ergo eſsent duo Dij vnus cognoſceret alterum quantum eſset cognoſcibilis, ſed hoc eſt impoſsibile; quia aut illum cognoſceret per eſsentiam, aut non, ſi non, ergo non cognoſceret perfectiſſime quantum ſcilicet ipſe eſset cognoſcibilis; nihil enim cognoſcibile per eſsentiam perfectiſsime cognoſcitur, niſi per eſsentiam cognoſcatur, aut per aliquid includens perfectius eſsentiam illius, quam ipſa ſit in ſe; eſsentia autem Dei in nullo perfectius includitur quam in ſe ipſo, quia alioquin non eſset Deus; ſi autem alter alterum cognoſceret per eſsentiam ipſius, actus cognoſcentis eſset poſterior, naturaliter eſsentia ipſius cogniti, & ita cognoſcens non eſset Deus; omnis ſiquidem actus cognoſcendi, qui non eſt idem cum obiecto, eſt ipſo obiecto poſterior, neque enim prior eſse poteſt actus, nec ſimul natura cum obiecto ab actu diuerſo, tunc namque actus poſset intelligi ſine obiecto, & è conuerſo.

11 Si dicas, quod vnus alterum cognoſceret per propriam ipſius cognoſcentis eſsentiam, quæ ſimillima eſt cognito, aut per rationem ſpeciei vtrique communis Contra quia tunc cognoſcens non cognoſceret perfectiſsime,

Digitized by Google

& per conſequens non eſset Deus cum cognitio alicuius in ſimili tantum, ſiue in vniuerſali non ſit cognitio perfectiſſima, & intuitiua ipſius rei in ſe, & ita cognoſcens non cognoſceret cognitum intuitiue, & perfectiſsime. Vnde neutra concludit inſtantia; Deinde idem intellectus non poteſt ſimul habere duo obiecta adæquata; quia actus intelligendi in aliquo obiecto quietaretur, quo ſubtracto non adhuc minus quietaretur potentia in ſe ipſa, & ideo fruſtra eſset tale obiectum; At qui illorum quilibet eſset ſibi obiectum adæquatũ, & adæquatum pariter alteri, ſi alter ab altero poſset perfecte cognoſci (alioquin non eſset Deus) impoſsibile eſt autem, quod vnus alterum à ſe diſtinctum, & ſe ipſum ſimul intelligat vnica intellectione perfectè, quia neutrum eſset obiectum adæquatum; ſi autem vterque habet duas intellectiones realiter diſtinctas, ſui ſcilicet, & alterius, neuter eſset Deus.

12 Ex parte voluntatis probatur etiam, quia voluntas infinita eſt recta, ergo diligit omne diligibile quantum diligi poteſt; ſi igitur darentur duo Dij quilibet eſſet in infinitum diligendus, quia eſſet bonum infinitum, & infinite diligendum à voluntate valente in infinitum diligere; ergo voluntas diligentis alterum diligeret infinite; ſed hoc eſt impoſſibile, quia plus diligeret adhuc ſe, quam alium; Vnumquodque enim plus diligit eſſe ſuum, quam eſſe alterius, cuius nihil eſt, neque, vt pars neque vt effectus; Vnde plus diligeret ſe ipſum naturaliter, quam alterum; ergo non diligeret alium infinitè, quia plus ſe diligit actu elicito, quam illum, ſi habet voluntatem liberam rectam; Voluntas enim libera ſi eſt recta conformatur voluntati naturali, quæ, ſi eſt recta, debet ſe ipſum plus diligere, quã alium. Præterea ſi eſſent duo Dij, aut vnus frueretur alio, aut vteretur eo, ſi vteretur, ergo haberet voluntatem inordinatam, quia vteretur fruendis; ſi vero frueretur ergo eſſet beatus in duobus obiectis totalibus, & adæquatis in ſe videlicet, & in alio, quorum neutrum ab alio dependeret; quia ſicut eſſet beatus in ſe, ſic pariter eſſet beatus in conſorte; ſed hoc eſt impoſſibile, quia nihil poteſt eſſe beatum actu in duobus obiectis totalibus, & adæquatis totaliter beatificantibus; Vtrolibet enim eorũ deſtructo, nihilominus alius eſſet perfecte beatus. Et præterea etiam videtur, quod quietatum in vno obiecto adæquato non poſſit in obiecto alio quietari.

13 Ex parte diuinæ bonitatis infinitæ, aut enim poſſibilia ſunt plura bona infinita, aut non; ſi non; habemus intentum, quia vnum tantum ſummum bonũ eſt poſſibile, ſi ſic ergo datur infinitum infinito maius; plura enim bona ſi ſunt poſſibilia plus bonitatis includunt, quam vnum tantum, & conſequenter voluntas ordinata poſſet plus amare plura bona infinita, quam vnum tantum, quia voluntas ordinata poteſt magis appetere maius bonum, & magis maius bonum amare, & ideo in nullo vno bono infinito quietaretur, hoc autem eſt contra rationem boni infiniti, quod ſit infinitum, & non quietatiuum cuiuslibet voluntatis; Item ex parte infiniti abſolute; Infinitum ſiquidem non poteſt excedi, & ideo impoſſibile eſt plura dari ſimul actu infinita; & confirmatur quæcumque enim perfectio poteſt numerari in diuerſis ſubiectis plus perfectionis habet in pluribus, quam in vno vt dicitur 8. de Trinit. Cap. 1. ergo eorum quilibet non eſſet perfectus, & conſequenter non eſſet beatus.

14 Ex parte infinitæ potentiæ idem etiam poteſt oſtendi, quæ ſiquidem cau-

cau-

Digitized by Google

cauſæ non poſſunt eſſe totales eiuſdem effectus in eodem ordine cauſæ, ſed infinita potentia eſt cauſa totalis in ratione primæ cauſæ. reſpectu cuiuslibet effectus, ergo nulla alia potentia poteſt eſſe cauſa totalis reſpectu cuiuslibet effectus in ratione primę cauſę, & ideo nulla alia cauſa eſt infinitæ potentiæ; confirmatur quia à nullo aliquid dependet eſſentialiter quo non exiſtente nihilominus poſſit eſſe, ſed ſi vnus effectus duas haberet cauſas totales in eodem ordine cauſæ vtraque earum non exiſtente nihilominus ipſe effectus ab altera earum produceretur, quia alio non exiſtente alius ſemper Deus exiſteret, à quo effectus totaliter poſſet produci, ſed hoc eſt impoſsibile, ergo impoſsibile eſt plures eſſe Deos; Ex parte etiam neceſſe eſſe; ſpecies enim plurificabilis in indiuiduis non determinatur ex ſe ad certum indiuiduorum numerum, ſed quantum eſt ex ſe infinitatem indiuiduorum compatitur, ſi enim eſſent infiniti homines non deſineret vna eſſe eorum ſpecies. Igitur ſi ratio neceſſarij multiplicari poſſet in indiuiduis ad certum non eſſet determinata numerum, ſed quantum eſt ex ſe infinitatem poſſet compati. Impoſſibile autem eſt plura dari entia neceſſaria impoſſibile pariter igitur illud multiplicari poſſe.

15 Tandem oſtendi poteſt ex parte omnipotentiæ. Si duo darentur Dij, quilibet eorum deberet eſſe omnipotens, ergo poſſet facere quicquid vellet circa eſſe, vel non eſſe alterius. Et ita poſſet deſtruere alium, & conſequenter ille alius nó eſſet omnipotens, quia deſtrueretur à virtute alterius; & cum vicisſim iſte alius poſſet idem operari circa collegam, ambo ſe ſe deſtruerent, & ſic nullus eſſet Deus. Deinde omnipotens ſicut ſuo velle poteſt producere omne poſsibile, ita ſuo nolle poteſt omne poſsibile deſtruere, ſi igitur darentur duo Dij vnus poſſet omnia poſsibilia ſolo nutu, & voluntate in eſſe producere; Non eſſet autem neceſſarium, quod alter idem vellet; immo poſſet omnia illa nolle, & conſequenter illa deſtruere poſſet, & ideo ambæ eorum voluntates redderentur inefficaces, & quilibet illorum omnipotentum redderet alterum nulli potentem prohibendo per ſuum nolle eſſe volitorum ab alio vnde inquit D. Athanaſius. Æquæ in ambobus eſſet poteſtas & imbecillitas; par quidem poteſtas, quod alterius voluntatem alter vinceret, eo ipſo quod altero inuito agere poſſet; Par item imbecillitas, quod nolentibus ipſis, quæ nollent euenirét, ſi quidem vnus pręter alterius voluntatem exiſteret.

16 Ex his latiſſime patet Deum eſſe vnum poſſe naturali ratione demonſtrari ſuper eſt modo, vt reſpondeatur ad auctoritatem, & rationem in principio adductam pro oppoſita ſententia. Primo ad Auctoritatem Rabbi Moyſi dicitur Populum illum Iudaicum fuiſſe rudem, & ad idolatriam pronum, quam ob rem indiguit per legem, & ceremonias inſtrui vnũ eſſe Deum tamẽtũ à priori, & poſteriori naturali ratione demonſtrari poſſet; Pręterea vtile eſt etiam illa, quæ demonſtrari poſſunt per viam auctoritatis communitati tradi propter tria, primo propter negligentiam communitatis in inquirendo veritatem, ſecundò, ob impotentiam intellectus prouenientem ex peccato. Tertiò propter hæreſes & errores, quia vt Sanctus Auguſtinus 14. de Ciuit. Dei plures innitentes rationi naturali labuntur in multos errores; ſecundo ad rationem adductam reſpondetur cum Doctore ſubtili, quod licet poſſit cognoſci Deum eſſe ſingulare quoddam, non tamen inde ſequitur, quod ſub

pro-

Digitized by Google

propria ratione ſuæ ſingularis eſsentiæ, & diuinitatis cognoſci valeat, ſicut à ſimili poſsum cognoſcere Papam eſse vnum ſingulare hominis quanvis eum non cognoſcam ſub omnibus ſuis condicionibus indiuiduantibus.

17 Armeni Hæretici impie ſenſerunt Deum eſſe mendacem; & nonnulli alij, vt innuere videtur Melchior Canus de Locis Theologicis lib. 2. Cap. 3. impudenter dixerunt Deum potentia ordinaria per Adminiſtrum poſſe mentiri, vel fallere; contra quos talis ſtatuitur concluſio. Non ſolum in Deo eſt veritas, ſed eſt ipſaueritas; nam Saluator Ioan. 14. ego ſum via veritas & vita & Hierem. 10. Dominus autem Deus verus eſt & Num. 2. Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, & Rom. 3. eſt autem Deus verax &c. Quod vt recte intelligatur notandum ex Doctore ſubtili ſexta Metaph. quæſtione tertia, triplicem eſſe veritatem; prima dicitur veritas rei in eſſendo, ſecunda veritas cognitionis quæ veritas in cognoſcendo appellatur, & eſt commenſuratio eius cum obiecto cum apprehenditur, vel circa illud intellectus ratiocinatur ſecundum eſſe, quod in ſe à parte rei habet ex 1. diſt. 48. ad argumentum principale; Veritas (inquit) Intellectus nō pendet, niſi à ſolo obiecto, cum obiectum ita ſe habet ſicut intelligitur; Intellectus dicitur verus cum obiecto in intelligendo conformis eſt; tertia eſt veritas locutionis, & ſcripturæ, quæ etiam poſita eſt in commenſuratione locutionis, vel ſcripturæ, cum conceptu mētis, & fit, cum quis ita loquitur, vel ſcribit, ſicuti mente res apprehenditur, & concipitur ex Doct. ſubtili in 1. diſtinctione 27. q. 1. ad primum principale.

18 Additur quarta veritas moralis dicta quæ ex quolibeto 18. conſiſtit in Integritate omnium eorum, quæ rei cōuenire debeat ex recto dictamine rationis ſecundum exigentiam obiecti operabilis, à quo accipiuntur principia practica; Veritas hic ſolum accipitur pro veritate in eſſendo; Hæc enim tantum affectio entis nuncupatur ſicuti reuera eſt & cuilibet inferioris ſub ente ex Scoto in 1. diſt. 3. q. 3. quia ens, & quodcumque inferius ſub eo contentum cōceptum ſub ratione verè nō intelligitur præciſe ſub conceptu ſuo quiditatiuo, ſed ſub conceptu quodam accidentali accipiendo accidens pro extraneo à rei quiditate, & quod eſt extra rationem formalem rei, ſed tantum latè, & quatenus dicit proprietatem entis, ſi quidē ens formaliter non eo, quo dicitur ens dicitur verum, ergo acceptum ſub illa ratione accipitur ſub aliqua affectione neceſſario ipſum eſſe concomitante; conſequentia probatur, quia eſto veritas non ſit formaliſſime entis quiditas, non tamen dicitur accidens, per accidēs ab ipſo ſeparabile.

19 Veritas (ſi ſecundum ſuam rationem formalem accipiatur, vt eſt affectio alicuius entis in particulari) addit illi rationem, ſeu realitatem poſitiuam formaliter ex natura rei diſtinctam, quia ex loco citato, & etiam in 4. diſt. 49. q. 4. quodlibet ens ſub ratione veri non percipitur præciſe ſub aliqua ratione negatiua, vel priuatiua; ſed ſub aliqua ratione poſitiua; Cæterum ſi veritas ſpectetur, vt eſt affectio entis in communi diſtinguitur à parte rei, non rigoroſe ex natura rei, ſed tantum latè, & quatenus contra diſtinguitur à diſtinctione rationis ratiocinantis, quæ præciſe formatur ab intellectu abſq; fundamento à parte rei cum ſola non repugnantia.

20 Pro dictorum intelligentia recolendum eſt quod docet Scotus in 1. d. 8. q. 3. ens tranſcendentaliter ſumptum, quod eſt prædicatum vniuoce ſumptum,

ex

& dictum de Deo & Creaturis non dicere à parte rei realitatem aliquam actu ex natura rei præciſam à re, quæ eſt Deus, & à re, quæ eſt creatura contrahibilem per aliquas differentias, ſed tantum conceptum obiectiuum inadæquatum realem ex reali fundamento, quod habet in re comparatione intellectus creati potentis confusè concipere, cum Deus, & Creatura ſint omnino primo diuerſa in realitate, & ſolum conueniant in conceptu; ex quo fit, quod neque affectiones entis inter ſe, & cum ipſo ente in communi comparatæ poſſint aliquam huiuſmodi realitatem formaliter imbibere, cum ſubiectum ſit ſemper maioris entitatis ſuis affectionibus, ſed tantum dicũt conceptus quoſdam qualitatiuos formaliter diſtinctos à conceptu entis ſecundum rationem ratiocinatam cum vero fundamento in re; Applica veritatem vt eſt affectio entis in communi vt ſupra.

21 Veritas ſupra ens Creatum dicit non aliquam rationem abſolutam, ſed reſpectiuam, eſtque conformitas eius vel ad producentem Deum, à quo fit ſecundum ſuum exemplar, vel ad cognoſcentem intellectum, cui ipſa res apta eſt manifeſtari, aſſimilari, & intẽtentionaliter identificari; ita Scotus in Metaphiſica lib. 6. q. 3. inquit enim eſſe veritatem in rebus, & eſſe veritatem in intellectu; Et in rebus dupliciter, vel per comparationem ad producens; & ſic eſt conformitas producti ad producens, aut ſecundum adæquationem perfectam, vel imperfectam; conformitas ſecundum adæquationẽ, ſeu immitationem perfectam, inquit eſt in filio Dei, qui veritas eſt, cum ſumme aſſimiletur Patri primo Principio; ſecundo modo eſt in Creatura, quæ imitatur exemplar, cui aliquo modo aſſimilatur. Rurſus (inquit) eſt veritas in rebus per comparationem ad intellectum, & ſic tribus modis dicitur res vera primò; quia eſt ſui manifeſtatiua cuicumque intellectui, ſecundo, quia eſt aſſimilatiua ſibi intellectus aſſimilabilis; tertiò, quia facta manifeſtatione, & aſſimilatione res eſt in intellectu; ſicut cognitum in cognoscente, ergo veritas in eſſendo ſecundum Scotũ ſupra ens Creatum addit veritatem reſpectiuam conformitatis, vel ad Agens à quo fit, vel ad cognoſcens prædicto modo.

22 Deus eſt ſimpliciter, & abſoluta neceſſitate prima veritas in eſſendo, eſt de fide iuxta illud D. Pauli 1. Theſſ. conuerſi eſtis à ſimulachris ſeruire Deo viuo, & vero; Item eſt prima veritas in dicendo, dum non poſsit mentiri reuelando falſum; eſt lumine naturali notum ergo neceſſario eſt prima veritas etiam in dicendo; & non tantũ in eſſendo, Horreſcãt blaſphemi Armenius aſſerentes Deum eſſe mẽdacem; Et ſi à parte rei Deus per eſſentiam ſit realis menſura veritatis omnium rerum ex Scoto quolib. 5, menſurans omne aliud eſſe maius per acceſſum ad ipſum, & minus per receſſum ab eo; eius tamen eſſendi veritas nequit eſſe poſita in aliqua conformitate actiua ad ipſas res quatenus eis communicat eſſe; neque ſecundum habituale eſſe exiſtentiæ, neque ſecundum eſſe potentiale; neque ſecundum, quod eſt menſuratiuus earum quo ad ipſarum, eſse neq; ſecundũ quod eſt in illis manifeſtatiuus, aſsimilatiuus, & intentionaliter identificatus; Prima pars colligitur ex primo diſt. 18. quæſt. vnica, vbi Doctor ſubtilis docet omnem relationem Dei ad creaturam, ſiue actualem, ſiue habitualem, ſiue aptitudinalem eſſe ens rationis; At Deus dicitur ens veriſsimum à parte rei ergo eius veritas in eſſendo non conſiſtit in aliqua conformitate ad Creaturam; alias illa non exiſtente non eſſet verus Deus.

23 Se-

23 Secunda pars probatur, quia eſto creaturæ ſecundum eſſe potentiale habeant neceſsitatem eſſendi proportionatum ſuæ entitati nequit tamen Deus ad illas aliquam relationem realem fundare; tum quia creaturæ ſecundum illud eſſe ſunt participationes Dei, & ens per eſſentiam nequit pendere ab ente participato, tum etiam, quia hac ratione, qua participatum eſſe habent intrinſece eis non repugnat non eſse, & proinde ipſis non exiſtentibus etiam ſecundum hoc eſse non eſſet verus Deus; Tertia pars ex quolibeto quinto; vbi Scotus docet Deum ſua entitate abſoluta menſurare omnes creaturas, vel per acceſsum, vel per receſsum. Quarta pars ex quolib. 14. vbi Doctor ſubtilis docet eſsentiam non eſse naturaliter motiuam creati intellectus, ſicuti eſt qualibet eſsentia creata, ergo Deus r.ō eſt naturaliter ſui manifeſtatiuus aſsimilatiuus, & intentionaliter identificatus intellectui creato; & proinde naturaliter nullum reſpectum realem ad illum ex hoc capite fundare poteſt.

24 Reſtat igitur veritatem hanc, qua Deus dicitur neceſsario formaliter & per ſe verus eſse præciſe poſitam in reſpectu reali aptitudinali conformitatis ad ſuum intellectum cognoſcentem, quatenus eſt illi naturaliter ſui manifeſtatiuus, aſsimilatiuus, & intentionaliter identificatus, quia Deus eſſentia ſua neceſsario eſt ſui manifeſtatiuus, adæquatiſsime ſuo intellectui, & eo modo, quo dicitur obiectũ eius motiuum eſt neceſsario menſura illius; Spiritus Sanctus vero, & ipſum Verbũ, de quibus appropriate dicitur Veritas ex vi ſuæ productionis habent veritatem formaliter per comparationem ad ſuum producens, & principium ſecundum conformitatem adæquationis ad vtrumque Verbum ſcilicet, & Spiritum Sanctum; & quamuis veritas ſit appropriatum Verbi omnibus tamen æque conuenit Perſonis; Ideo Sancta Mater Eccleſia veriſsime cantat Verax eſt Pater, veritas filius, veritas Spiritus Sanctus.

25 Iſtis præſuppoſitis, & ſic declaratis; Dicendum eſt Veritatem Dei primo eſse ſummam, quia intellectus diuinus eſt ſumme conformis ſummo intelligibili, ideſt eſsentiæ ſuæ ſumme ipſam intelligendo, quantum intelligibilis ipſam adæquate comprehendo ſic, quod virtus intellectiua intellectus diuini ſit tanta, quanta eſt intelligibilitas diuinæ eſsentiæ, ideſt infinita, ſecundo eſse puriſsimam, tum, quia intellectus diuinus puriſsime intelligit penetrans omnia prædicata diuina, & hoc ſine vllo errore, tum etiam, quia eadem eſsentia eſt puriſsime ſui manifeſtatiua eidem diuino intellectui. Tertio eſse primam non ſolum quoad præſtantiam, & dignitatem ſuper omnem veritatem creatam; ſed ex eo etiam, quod ſit fons, & origo omnis veritatis, non ſecus omnis entitatis principium exiſtit, etenim diuina eſsentia non ſolum eſt primarium obiectum diuinæ cognitionis, ſed etiam ex illa habet Deus (noſtro intelligendi more,) quod ſit intelligens; Quod autem veritas diuina ſit origo, & Cauſa omnium Veritatum probatur ex D. Ambroſio ſuper illud Cor. 12. nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto. Sic inquit omne verum à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto eſt, ergo à prima veritate eſt verum. Quarto eſse vnam ex vnitate ſingulariſſima potentiæ intellectus diuini, & eſſentiæ Diuinæ eius obiecti; quinto eſse æternam, & immutabilem, quia Deus intelligens eſt æternus, & immutabilis, vt alibi probatum eſt.

26 Viſa vnitate, & veritate diuina videndum eſt de eius bonitate ideo notandum

tandum eſt, quod Bonitas ex Scoto in 2. diſt. 7. q. vnic. & quolib. 18. & alibi frequenter triplex eſt naturalis, moralis, & meritoria bonitas, naturalis eſt, qua res formaliter bona dicitur bonitate ſuæ naturali entitati in genere entis conueniente, qua naturaliter bona dicitur, quia eam habens habet omnia requiſita ad ſuum naturale eſſe. Secunda bonitas eſt in genere moris, & integritas omnium eorum, quæ recta ratio operantis iudicat deberi actui humano; vel ipſi operanti in ſuo actu conuenire; tertia bonitas conſideratur comparatione vltimi finis ſupernaturalis aquirendi, quæ bonitas Charitatiua appellatur à Scoto quolib. 17, & bonitas gratuita ex quolib. 18, vel bonitas ex acceptatione diuina in ordine ad præmium æternum, quæ actui moraliter bono adiungitur, quatenus elicitus eſt ſecundum inclinationem Charitatis, ſeu ſanctificantis gratiæ. Poteſt addi quarta bonitas, quæ poſita eſt in adeptione vltimi finis, & appellatur bonitas beatifica, de qua Scotus in 4. diſt. 49. qu. 2. vbi Scotus dicit nulli voluntati vltimate, & complete bene ineſt, niſi habito illo, quod eſt ſibi propter ſe volendum, quod eſt ſummũ bonum; ſed hic eſt ſermo de bonitate naturali.

27 Hæc bonitas naturalis ex 4. diſt. 49. q. 2. & quolib. 18. duplex eſt altera primaria, quæ rei ineſt in primo modo, altera ſecundaria, de qua (inquit) eſt locutus Boetius in libello ſuo de Hebdomadibus, vbi vult bonitatem eſſe accidens, & proinde res, non in eo quod ſunt, bonas eſſe, eſtque formaliter poſita præciſe hæc ſecundaria bonitas, tam in integritate eorum, quæ conueniunt rei ſecundum dictamen rectæ rationis, quæ in operatione illa, qua res ſuo vnitur fini, vel illum vltimate aſſequitur, apparet; quæ adhuc poteſt tribus modis accipi, vno modo pro perfectione illa, quæ rei ineſt in actu ſecundo cum operatur, & præſertim coniungitur ſuo fini, vel ſuo obiecto, quæ ſuperius in natura rationali appellata eſt bonitas beatifica, ſecundum quam ei ineſt bene, & complete; ſecundo modo pro perfectione, quam rei addit forma accidentalis ſibi conueniens, vt eſt bonitas ſcientiæ in intellectu, bonitas moralium virtutum in voluntate; & bonitas aliarum formarum, quæ inſunt creatis rebus, ſine quibus conſeruari nequeunt, vel debito ornatu non pollent; tertio modo pro conuenientia aptitudinali comparatione appetitus agẽtis, quem mouere apta eſt, ratione cuius res dicitur in ſe naturaliter appetibilis, vel per modum finis, vel per modum medij ordinati ad finem accomodatum.

28 Ex quo fit, quod bonitas, quæ eſt affectio entis tranſcendentalis ſolum hoc tertio modo accipitur, ſic enim dicit proprietatem bonitatis quiditatiuæ ſecundum determinatum gradum, eſtque aptitudo communicatiuitatis, vel delectabilitas, ſeu appetibilitas ad potentiam delectantem, ſeu appetentem, vt dicit Scotus in 4. diſt. 48. q. 1. Bonitas primaria eſt formaliter poſitiue ipſamet rei quiditas, quia quodlibet ens eſt ſua entitate perfectum, & bonum bonitate primaria licet non bonitate ſecũdaria; poteſtque eiuſmodi bonitas primaria duobus modis conſiderari ſcilicet fundamentaliter, & formaliter, primo modo eſt bonitas præciſe ipſamet quiditas rei, quæ dicitur perfectio quiditatiua, ita in primo diſt. 1. q. 2 cum Scotus dicit perfectio, ſeu bonitas formalis eſt entitas quiditatiua, ſecundo modo dicit modum intrinſecum eiuſmodi quiditatiuæ bonitatis ſecundum determinatum gradum perfectionis rei, ita Scotus quolibeto 18. cum dicit bonitas primaria entis (quæ dicitur eſſen-

Digitized by Google

rialis bonitas) eſt integritas, & perfectio rei in ſe, ſiue entis in ſe, & importat poſitiue negationem imperfectionis, per quam excluditur imperfectio, & diminutio.

29 Bonitas conſiderata, vt eſt affectio tranſcendentalis cum ente conuertibilis importat formalitatem quandam poſitiuam non abſolutam, ſed reſpectiuam appetibilitatis, vel propter ſe, vel propter aliud ab ipſo ente formaliter ex natura rei diſtinctam; nam ſicut ens ſe habet ad veritatem, ita ad bonitatem tranſcendentalem, at ens quodlibet eſt formaliter verum per reſpectum conformitatis ad intellectum cognoſcentem, quatenus eſt illi naturaliter ſui manifeſtativus, ſic ergo dicitur formaliter bonum hac bonitate per reſpectũ appetibilitatis ad appetentem, quatenus eſt illi natura ſua appetibile, vel delectabile, vel propter ſe, vel propter aliud; Bonitas tranſcendentalis, quæ eſt affectio entis dicit reſpectum aptitudinalem realem, quo quodlibet ens formaliter dicitur neceſſario bonum, quia conueniens alteri, cui debet conuenire, vel appetibile alteri, cui debet eſſe appetibile, & communicabile; quia omne ens dicitur bonum hac bonitate ſecundaria, quia natura ſua eſt aptum conuenire alteri, vel quia eſt alteri appetibile, vel tandem quia eſt alteri cõmunicabile, ſed eiuſmodi reſpectus eſt realis aptitudinalis neceſſario rei conueniens à parte rei, ergo in tali reſpectu eſt poſita affectio hæc tranſcendentalis bonitatis.

30 Diuina bonitas, vt eſt eius affectio eſt formaliter poſita in ſumma appetibilitate, qua Deus dicitur formaliter ſummè appetibilis, ergo ſumme appetibilis comparatione, cuiuslibet potentiæ appetentis; nam hic bonitas accipitur, vt eſt affectio formaliter extra rationem quidditatiuam Deitatis ei neceſſario in ſecundo modo conueniens; ſed nihil aliud eſſe poteſt, niſi eiuſmodi appetibilitas, primo, quia Deus dicitur neceſſario ex ſua natura appetibilis ſuper omnia cuilibet potentię appetenti, ſecundò, quia formaliſſime loquendo valet dicere eſt Deus ſumme appetibilis, quia ſummum bonum, ergo ſolus Deus eſt ſumme bonus ſimpliciter, & abſolutè in genere entis, nam ſolus Deus habet pleniſſimam entitatem à ſe omnino, & ab omni alio independentem, ergo ipſe ſolus habet bonitatem ſummam primariam, ſeu quiditatiuam, & ſecundariam, ſecundum quam dicitur ſumme appetibilis, & diligibilis per modum vltimi finis; probatur conſequentia Deus etenim ſecundum bonitatem ſuam excedit omne ens creatum, & creabile, & à nullo exceditur, ergo eſt ſuper omne ſumme diligibilis.

31 Immo ſolus Deus eſt ſumme bonus per eſſentiam omni modo, tam formaliter, quam effectiue; probatur Deus à ſe dicitur ſumme bonus per bonitatem, formaliter, & intrinſece ſibi inexiſtentem quam à ſe habet ab omni alio imparticipatam, quemadmodum habet in ſe entitatem ſimiliter imparticipatã, ergo ſolus Deus dicitur ſumme bonus. Quod vero ſit ſumme bonus effectiue ex eo manifeſtum eſt. Quod ſicut à Deo ſummo vero procedit omnis veritas creata, ita à Deo ſummo bono procedit omnis bonitas creata, cum hoc tamen ſtat, quod omnis creatura eſt, & dicitur bona formaliter bonitate proportionata, ita Scotus in 1. diſt. 1. q. 4. ſicut omnis creatura dicitur formaliter ens per propriam entitatem; Pro dictorum clara intelligentia notandum eſt duobus modis dici poſſe aliquod ens bonum, nimirum per eſſentiam, vel per participationem ex 1. diſt. 1. q. 4. v. ad ſecundum pro opinione, & diſt. 3. q. 3. ad ſecundum principale, & quolib. 16.

Di-

Dicitur bonum per eſſentiam, quod habet in ſe formalem bonitatem ſibi verè, & proprie tanquam eius formam intrinſece, & independenter inexiſtentem; per participationem vero ſic dicitur bonum, quod in ſe non habet talem bonitatem ex ſe, & independenter, ſed ab alio cauſatam, & participatam.

32 Deus eſt ita ſummum bonum abſolute bonitate primaria, & conſequenter ſupremum appetibile per bonitatē ſecundariam ei commenſuratam, quæ eſt entis affectio, vt ſimul acceptus cum creatis rebus, & cum earum bonitate non efficiat maius bonum, neque in ſe abſolute, nec in ſua eſſentia, aut quiditate, neque relatiue comparatione potentiæ appetentis; ſicuti acceptus cum entitate rerum creatarum non fit maius ens, nec magis verum ſi accipiatur cum veritate cuiuslibet rei creatæ; quæ licet de facto detur formaliter bona propria bonitate non ſequitur facere maius, quia ens infinitum ſaltem virtute, vel eminenter continet omnes res creatas, & creabiles cum ſuis entitatibus, veritatibus, & bonitatibus, cum ens infinitum formaliter ſit, quod in ſe realiter per identitatem perfectam includit omnem perfectionem ſimpliciter.

De Intellectu diuino & ſcientia Dei. Art. III.

1 Supponitur tāquam certiſſimum Deum eſſe intelligentem; quia Deus eſt Agens per cognitionem, eſtque primum efficiens, & omnia dirigit in ſeipſum, quod aliter fieri non poteſt, niſi per cognitionem 1. diſt. 2. q. 1. habet igitur intellectum, qui ſemper intelligit diſtincte, & neceſſario; hoc enim dicit perfectionem in intelligente, quæ in Deo eſt in ſummo; Intellectus diuinus non eſt aliud realiter diſtinctum ab eſſentia diuina; non eſt tamen de quiditate Dei, aut modus eius intrinſecus, vt ſupra viſum eſt, ſed eſt attributum formaliter infinitum, & formaliter diſtinctum ab eadem eſſentia, diſtinctum inquam diſtinctione, quæ eſt inter rem, & realitatem ſuam à parte rei. Eſt quoque in Deo intellectus agens non in quantum tranſmutatiuus, ſed in quantum productiuus; ſimiliter eſt intellectus poſſibilis non in quantum receptiuus, ſed in quantum operatiuus, quia in Deo eſt productio, & intellectio, quæ alio nomine dicitur operatio, ergo etiam principium vtriuſque.

2 Conceditur etiam diuinus Intellectus diſcurſiuus ſi nomine diſcurſus intelligatur ſola præſuppoſitio in obiectis intelligibilibus; ſupponitur enim hic, quod etiam alias tactum eſt, quod ad diſcurſum proprie dictum tria requirantur, primum, vt intelligatur hoc per hoc, ſeu vnum obiectum excognitione alterius, ſecundum, quod cognoſcatur hoc poſt hoc, ideſt vt cognoſcatur connexio poſterioris ad prius, tertium, vt ſint diuerſi actus; Intellectus diuinus non eſt diſcurſiuus quo ad primam condicionem, quia omnia ſimul, & actu intelligit, & non vnum ex vi cognitionis alterius, neque quoad tertiam condicionem, quia non ſunt plures actus intelligendi, ſed vnus tantum, eſt tamen diſcurſiuus quoad ſecundam condicionem, quia primo intelligit ſe ipſum, quam creaturam, quia in diuina intellectione ratione obiecti comparati ad intellectum poteſt eſſe ordo etiam cum prioritate, & poſterioritate naturæ, vel originis in inſtanti æternitatis, vt docet Doctor ſubtilis in 2. d. 1. q. 1.

3 Compoſitio etiam & diuiſio non ſunt formaliter in intellectu diuino, ſed tantum virtualiter, in quantum

Digitized by Google

nempe vno actu cognoſcit quid cui tribuatur; ſeu ſubiecti cum prædicato connexionem, & è contra quid cuique diſconueniat, & ſubiecti à prædicato ſeparationem, quorum cognitio in nobis pluribus actibus fit; obiectum primarium diuini intellectus primitate dignitatis ordinis, virtutis & adæquationis eſt eſſentia diuina, & quicquid eſt idem realiter cum ipſa; ſicque in ipſo obiecto primario reperiuntur, & computantur cum ipſo proprietates, & relationes reales diuinæ, quamuis non deſit, qui eas dicat pertinere ad obiectum ſecundarium, eo quod eſſentia diuina propter infinitam vim rappræſentandi non ſolum creaturas, ſed etiam proprietates & relationes rappræſentet intellectui diuino, Res creatæ omnes pertinent ad obiectum ſecundarium, de quo infra.

4 Actus diuini intellectus cum ſit idem realiter eidem intellectui eſt vnicus ſecundum ſubſtantiam, & realitatem reſpectu omnium intelligibilium; ſed multiplex eſt terminatiue ad diuerſa obiecta; & ideo hac ratione habet diuerſa nomina, nam idem actus intellectus diuini, qui eſt notitia, ſeu cognitio Dei quandoque dicitur ſapientia, ſcientia, & præſcientia, & iſta non ſunt ſinonima, nec multiplicant ſubſtantiam actus, vt dictum eſt, ergo deſumuntur ex varia terminatione notitiæ Dei ad diuerſa obiecta. Dicitur enim ſapientia, prout terminatur ad eſſentiam diuinam: Dicitur ſcientia, provt terminatur ad creaturas mediante diuina eſſentia, quamuis etiam dicatur ſcientia, quatenus terminatur etiam ad diuinam eſſentiam; Dicitur præſcientia provt terminatur ad creaturas, vt futuras, ſeu cum euentu rei præſcitas, & ſecundum D. Thomam dicitur prouidentia provt terminatur ad creaturas, vt gubernandas, ſed ſecundum Doctorem ſubtilem Prouidentia non eſt actus diuini intellectus, ſed diuinæ voluntatis; vt infra dicetur.

5 In intellectu diuino vere, & proprie reperitur ſapientia, ſiue ſcientia (ſic enim eam deinceps appellabimus) accepta pro clara, certa, & euidentiſſima ſui ipſius cognitione, eſt de fide in pſalm. 138. tu cognouiſti omnia nouiſſima, & antiqua, & Rom. 11. ò altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, & à fortiori probatur; nam vere, & proprie reperitur in Creaturis intellectualibus, ergo vere, & proprie reperitur in Deo, conſequentia patet, quia in eis nullam formaliter dicit imperfectionem, & eſt in eis ſecundum participationem ergo vere, & proprie in Deo reperitur per eſſentiam. Item vere, & proprie datur in Deo ſcientia in actu primo ex natura rei diſtincta à ſcientia, quæ in eo etiam reperitur in actu ſecundo; Pro quo nota quod nomine ſcientiæ in actu primo non accipitur actus primus pro aliqua ſpecie impreſſa obiecti ſcibilis inhærente intellectui, neque pro potentia intellectiua ad aliquid recipiendum ordinata; ſed tantum pro intellectiua potẽtia fœcunda, perfecta, operatiua obiecto ſcibili in propria exiſtentia præſente ex natura rei ab actu cognoſcendi tantum diſtincta, eo modo quo Scotus eſt locutus quolib. 1. ſimiliter ſcientia in actu ſecundo accepta non eſt neceſſario in præſenti aliquis actus vere productus, vel receptus in potentia, tum quia ſcire & intelligere formaliter nec eſt efficere nec recipere, ſed tantum præſuppoſitiue in increata natura intellectuali, tum etiam, quia in nobis hæ conditiones ſunt materiales impertinentes ad rationem formalem ſcientiæ. Quare accipitur hic ſcientia pro actu ſecundo; quatenus ſimpliciſſimè tantum pullulat, ſiue emanat a memo-

ria

ria fęcunda emanatione quadam rationis cum fundaméto in re tanquam realitas ex natura rei diſtincta ab intellectu ipſo fęcundo omni ſemota imperfectione actus ſcilicet perficientis, & potentiæ perfectibilis.

6 Nota 2. ex Scoto in 3. diſt. 24. q. vnica ſcientiam poſſe tribus modis accipi, primo modo pro habitu intellectuali, quo quis determinate verum dicit, & vni parti aſsétitur, ſicut aliquis aſſentiretur concluſioni demonſtratæ, & ita eam accepit Ariſt. 6. Ethicorum Cap. 4. & 7. ſecundo modo provt aliqua notitia cum adhæſione firma dicitur ſciétia opinioni oppoſita, tertio proprie, vt accipitur primo poſteriorum textu 5. quæ quattuor requirit condiciones, prima, quod ſit certa, excludendo omnem dubitationem, & deceptionem, ſecunda, vt ſit cognitio de obiecto neceſſario tertia, vt ſit per cauſam euidentem intellectui habita, quarta, vt ſit per cauſam neceſsariam euidentem intellectui ad concluſionem per diſcurſum ſilogiſticum applicatam; Quo fit, vt hic ſcientia accipiatur modo omnibus alijs perfectiori, quatenus eſt perfectio ſimpliciter omnem excludés imperfectionem tam ex parte potentiæ, vt ſcilicet non ſit habitus, vel qualitas accidentalis intellectum perficiés realiter proinde ab eo diſtincta; neque conſequenter, vt eſt actus proprie factus, vel vere à potentia intellectiua productus, neque per diſcurſum ex alijs actibus ſciendi comparatus, quam ex parte obiecti, vt pariter in ſe ſit neque contingens, neque obſcurum, ſimileſque imperfectiones materiales, quæ ſunt inexiſtentes ſcientiæ noſtræ, vt creata eſt.

7 Hæc Dei ſcientia non eſt extra eius quiditatem & eſsentiam, ſic vt ex ipſa tanquam vera res emanet, & ab ipſa realiter diſtinguatur, eſt de fide, & oppoſitum ponit manifeſtè plures Deos realiter diſtinctos, cum omnis alia diſtinctio realis, excepta diſtinctione perſonarum, eſset eſſentialis; & inter res eſsentialiter ſeparatas actu infinitas, atque adeo ſe haberent tanquam plures Deitates, cóſequentia patet, nam quicquid in diuinis ponitur ex natura rei ſi eſt abſolutum, dicitur formaliter infinitum; Hæc igitur Dei ſcientia accepta ſiue pro actu primo, hoc eſt pro memoria, ſiue pro actu ſecundo, hoc eſt pro intelligentia, non eſt de quiditate proprie naturæ diuinæ, ſed potius ex natura rei diſtincta, ac proinde non conſtituit eam quiditatiue in ratione talis naturæ, ſed potius ſupponit eam in eſſe vltimato, & conſumato eſsentiæ, nam quotieſcumque aliqua ſic ſe habent, quod ſi eſsent verè in genere ad diuerſa genere, ſeu prędicamenta ſpectarent, vnum nequit eſse formale conſtitutivum alterius, cum prædicamenta ſint omnino impermixta, ſic, vt vnum ad conſtitutionem alterius eſsentialem nó concurrat; At ſi Deus proprie eſset in genere (ſicut multi opinantur) Deitas vere eſset in genere ſubſtantiæ, ſcientia vero in genere qualitatis, ergo ſcientia Dei vere, & proprie eſt ipſius Dei quid extrinſecum, & extra ipſius quiditatem, quod eſt contra D. Thomam p. p. qu. 14. art. 1. ad primum, & ſuos Diſcipulos omnes tam antiquos, quam recentiores. Quorum præcipuus eſt Suarez. diſput. 30. Metaph. ſect. 15. n. 14. qui probant ſcientiam formaliter, ſpectare ad eſsentiam Dei, immo eſse prædicatum vltimate conſtitutivum diuinæ naturæ.

8 Hac ſcientia vere Deus cognoſcit ſe ipſum per ſuam eſſentiá immediate, tanquam per rationem obiectiuam cognoſcendi in actu primo; Nam Deo neceſſario conuenit nobiliſſimus cognoſcendi modus, cum ſit primum in quo-

cum-

cumque genere tam entis, quam intelligentis, at nobiliſſimus intelligēdi modus eſt cognoſcere intuitiue, in quo medium cognoſcendi ponitur immediate eſsētia rei cognitæ in propria exiſtentia, ergo cum Deus ſe ipſum cognoſcat perfectiſſime vere ſe cognoſcit per ſuā eſsētiam immediate; excluditur igitur quislibet alius modus cognoſcendi imperfectus præcipue abſtractiuus, qui fit per aliquod rappræſentatiuum, quod non poteſt recipi in intellectu diuino; qui eſt actus puriſſimus; Immo tanta eſt actiuitas intelligendi in intellectu diuino; & perfectio in diuina eſſentia, vt Deus ſe ipſum cognoſcere nequaquam poſſit, niſi comprehenſiue, quia tanta eſt actiuitas intelligendi in intellectu diuino; quanta eſt intelligibilitas eſſentiæ diuinæ nempe infinita; & hoc non tantum intenſiue, quatenus cognoſcit eſſentiam ſuam præciſe in ratione eſſentiæ actu cognoſcendi formaliter infinito infinite, proinde illa in ſe ipſa exprimente, & declarante ſe; ſed etiam extēſiue, quatenus etiam actus ille cognoſcendi ex propria ſua perfectione exprimit omnia alia ſcibilia ſecundaria in eſſentia illa diuina virtualiter contenta.

9 Attenta natura notitiæ praticæ, quæ conſiſtit in illa duplici relatione aptitudinali (non actuali) prioritatis & conformatiuitatis in ordine ad praxim probabile eſt ſcientiam, quam habet Deus de ſe, eſſe totam practicam, quia eſto voluntas diuina in agendo ſit rectiſſima immo prima regula in operando, nec indigeat regulari, tamen hujuſmodi ſcientia habet illam duplicem relationem aptitudinalem. Prioritatis quidem, quia intellectus etiam in diuinis aliquo modo præcedit voluntatem in operando; Conformatiuitatis etiam; quia quantum eſt ex parte diuinæ ſciētiæ ipſa poſſet regulare etiam diuinam voluntatem ſi eſſet regulabilis, & de facto regulat voluntatem creatam; opinio tamen contraria eſt quoque probabilis ſupponendo ad rationem ſcientiæ practicæ in Deo requiri neceſſario potentiam ideſt diuinam voluntatem regulabilem cum regulatiuum, & regulabile reciprocentur ſicut perfectiuum, & perfectibile.

10 Duplex eſt obiectum diuini intellectus, & ſcientiæ diuinæ, aliud eſt primarium ſecundum omnem ſimpliciter primitatē originis, adæquationis, & perfectionis, de quibus in primo d. 3. q. 2. Alterum ſecundarium; Primarium eſt omnino vnicum, & ſimpliciſſimū, quod diuino intellectui comparatur tā in ratione principij, vel quaſi principij comparatione intellectionis, cuiuſcumque cognoſcibilis, quam etiam in ratione primi termini comparatione ſuæ propriæ cognitionis formalis; etenim actus diuini intellectus dicit triplicem habitudinem ſiue reſpectum ad obiectum primarium, primum in ratione effectus, vel quaſi effectus, aut quaſi principiati; ſecundum in ratione attingentiæ, vel vnionis formalis, tertium in ratione menſurabilis ad propriam menſuram; obiectum ſecundarium eſt multiplex ſolum comparatum intellectui diuino in ratione termini etiam ſecundario actum eius terminantis; Quamobrē ad tale obiectum nullo modo diuinus intellectus, vel actus eius poteſt aliquē dicere ordinem, vel reſpectum realem ſibi intrinſecum neque reſpectum rationis, qui ſit primario in eo fundatus ex primo diſt. 35. quæſtione vnica, neque tanquam ad motiuum, neque tanquam ad ſimpliciter terminatiuum, neq; commēſuratiuum, cum nullum eſſe propriū formale tale obiectum ſecundarium habeat, prius quam à potentia intellectiua Dei cognoſcatur.

11 Quod, vt clarius innoteſcat; ad quinq; ferè capita reuocari videntur diſcri.

crimina quæ inter obiectum primarium & ſecundarium aſſignari ſolent; primũ diſcrimen eſt, quod primarium obiectum ex ſe formaliter habet eſſe independenter à cognitione, ita vt prius ſit in ſe actu intelligibile, quam intelligatur; ſecundarium vero nullum eſſe proprium habet prius quam cognoſcatur, ſed omnino primum eſſe per actualem recipit cognitionem; ſecũdum eſt, obiectum primarium potentiam fœcundat, eamque in actu primo ſufficienter in ratione memoriæ conſtituit; non ſic obiectum ſecundarium; tertium, tantũ primarium mouet potentiam phiſice quaſi comproducendo in ea actualem notitiam; dico (quaſi) quia talis notitia, vel actus in Deo eſt ſimpliciter improductus, obiectum vero ſecundariũ eſt potius productum per talem actum, quam è contra; quartum obiectum primarium notitiam per ſe primo terminat; hoc eſt relationem tendentiæ, vel actualis vnionis, quam in ſe actus cognoſcendi fundat, qnatenus potentiam actualiter copulat, & obiecto vnit, & ſe terminatiue exhibet; ſecundarium vero obiectum, cum in actu primo eſse producatur per actum diuini intellectus non poteſt fundare talem reſpectum, neque terminare; quintum obiectum primarium actum illum, ſeu intellectionem illam, quatenus vera eſt, menſurat per actualem conformitatem ad ſe ipſum, hoc eſt ita ipſum exprimit, ſicut eſt à parte rei, non ſic obiectum ſecundarium ſed potius à tali actu mẽſuratur, eum per eum recipiat eſse primum.

12 Cum iſtis limitationibus dicendum eſt Deum verè omnia alia à ſe cognoſcere tam quæ fuerunt ſunt, & erunt, quam etiam ea omnia quæ nunquam erunt, & in ſe ipſis poſsibilia ſunt eſt de fide, & colligitur ex pſalm. 138. tu cognouiſti omnia nouiſsima & antiqua; alias non comprehenderet eſſentiam ſuam, niſi cognoſceret ea, quæ aliquo modo continentur in eadem eſſentia, ſed res creatæ, & creabiles futuræ, & poſſibiles aliquo modo continentur in diuina eſſentia, ergo &c. Deus enim dicitur ſedere ſuper Cherubim, qui ſcientiam ſignificant, quia pleniſſimam habet omnium rerum ſcientiam ſine vllo labore, ſicque ſuper omnem ſcientiam eminere ac ſi eſſet ſcabellum pedum eius, Hæc ſcientia; qua Deus alia à ſe cognoſcit, nec poteſt ab eis ſpecificari, nec intendi, nec aliquo modo perfici, nec ab eis eſsentialiter dependere; quia notitia nequit ſpecificari, vel intendi, ac perfici ab aliquo obiecto, cum illud non præexigit in memoria tanquam motivum potentiæ, vel tanquam principium, à quo ipſa cum potentia comproducatur, At ſcientia, quam Deus habet de alijs à ſe nullo modo eſse aliquod proprium, & formale eorum præſupponit, cum primum omnino eſſe formale, quod habent poſsibilia per ſcientiam, mox cum primo à Deo cognoſcuntur recipiant, ergo nullo modo ſcientia Dei poteſt ab alijs à ſe cognitis ſpecificari, vel perfici, quæ cũ ſit perfectio ſimpliciter in Deo nulla extrinſeca perfectione indiget, qua perficiatur.

13 Scientia Dei comparatione obiectorum ſecundariorum ſufficienter diuiditur in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; & viſionis, ſeu (vt communiter loquitur Scotus) in antecedentem, & conſequentem determinationem diuinæ voluntatis vel (vt alij volunt quod idem eſt) in naturalem & liberam; nam ſcientia in Deo non diuiditur ex parte actus, ſed tantum ex parte obiecti ſecundarij, at obiecta ſecundaria non niſi duobus modis variantur, iuxta obiectiuam præſentiam, quam habent in intellectu diuino, etenim poſſibilia ei præ-

præ-

Digitized by Google

præſentia fiunt naturali neceſſitate virtute eſſentiæ diuinæ, futura vero liberè virtute liberę determinationis liberæ voluntatis, ergo in ſcientiam naturalem, & liberam tantum ſcientia Dei diuidenda eſt; ſcientia condicionata quã vt certam in Deo ſupponimus terminata ad futuros effectus ſub condiciones acceptos eſt membrum, ſeu ſpecies ſcientiæ liberæ in communi conſideratæ, & nullo modo eſt ſpecies ſcientiæ naturalis, ſiue ſimplicis intelligentiæ; nec media ſpecies aliquid participans de natura aliarum ſpecierum, nam conſtituitur in Deo poſt decretum liberum ſuæ voluntatis terminatum ad omnes effectus, qui infallibiliter eſſent futuri à quibuſcumque cauſis ſecundis pro eodem tempore in diuerſis rerum ordinibus, ſi in vnoquoque eorum conſtituerentur, igitur eſt adæquate libera, tum ex parte eius principij, tum ex parte termini, ſeu obiecti, & quidem ex parte principij libera eſt, quatenus eſſentia quodammodo dependenter à liberis decretis condicionatis mouet intellectum ad illa cognoſcenda ex parte etiã obiecti ſecundarij, quod non niſi libere terminat talia decreta.

14 Scientia ergo libera, ſeu viſionis ſufficienter ſubdiuiditur in abſolutam, & condicionatam, prior reſpicit obiecta abſolute futura dependenter à determinatione vltima & abſoluta diuinæ voluntatis; poſterior terminatur præciſe ad obiecta determinate futura ſub condicione ex prædeterminatione tantum non vltima ſed condicionata eiuſdem voluntatis diuinæ; Hoc dictum eſt contra Modernos Thomiſtas præcipue Molinam p.p.q. 14. diſputat. 17. & 18. & Suarez opuſculo de ſcientia Dei futurorũ ſubcondicione Cap. 3. n. 6. Vaſquez p. p. diſput. 66. Cap. 4. n. 3. vnanimiter affirmantes hanc ſcientiam cõdicionatam appellari mediam, inter ſcientiam naturalem, & liberam, ſiue ſimplicis intellingentiæ, & viſionis, addentes oportere admittere ad conciliandam libertatem arbitrij noſtri rerũque omnium contingentiam cum diuina præſcientia, ſed falluntur nam poſita ſcientia media ab illis ſic appellata tanquam ſpecies ſcientiæ liberæ, ſiue viſionis faciliime poteſt fieri prædicta conciliatio, vt patet diſcurrenti, ergo non eſt multiplicanda ſcientia media participans ex naturali ſcientia, & libera; plura implentur quinterna in hac inutili, & ſuperflua diſputatione de ſcientia media; Ideo ea dimiſſa ad vtilia properemus.

15 In Deo non datur ſcientia abſtractiua de alijs à ſe ſcibilibus, quia nihil eſt in Deo ponendum, quod eſsentialẽ imperfectionem inuoluit, cum omne, quod in eo eſt tanquam eſſentiale commune tribus ſit perfectio ſimpliciter, vel ſaltem perfectionem ſimpliciter neceſsario connotans, vel concomitans ſed ſcientia, quam Deus habet de rebus alijs à ſe ſcibilibus connotat ſaltem, vel concomitatur neceſsario perfectionem ſimpliciter, ſcilicet actum illum ſciendi abſolute, vel comparatione primarij obiecti præciſe conſideratum formaliter infinitum, qui actus eſt maxima perfectio ſimpliciter ex primo diſt. 35. vel 39. ſcientia vero abſtractiua eſſentialiter aliquid imperfectionis inuoluit, & ſi non in ordine ſuo ſaltem comparatione ſcientiæ intuitiuę ſcilicet gradum eſsentialem minoris euidentiæ claritatis, certitudinis, & limpitudinis actus ſciendi, in quantum per eam attingitur res ſcibilis, ergo reuera nequaquam reperitur in Deo.

16 Reſtat ergo dicendum ſcientiam, qua Deus res omnes alias à ſe poſſibiles attingit, quæ ſimplicis intelligentiæ, ſeu naturalis communiter appellari ſolet vere, & proprie intuitiuam eſse habere-

bereque ſupereminenter totam intuitiuæ notitiæ perfectionem eſsentialem iuxta illud ad Hebreos 4. omnia nuda & aperta ſunt oculis eius, Hoc quoque contra omnes D. Thomæ ſectatores p. p. q. 14. præcipue autem Molinam art. 9. & Suarez. tom. 1. de Trinit. lib. 3. Cap. 4. n. 2. ſuſtinentes ſcientiam, quam de poſſibilibus Deus habet appellari abſtractiuam, & proinde ſimplicis intelligentiæ; propterea quod res poſſibiles comparatione diuinæ ſcientiæ ex eo à futuris diſtinguntur, quod iſtæ ſecundum propriam exiſtentiam realiter coexiſtunt Deo in æternitate, illæ vero ab omni exiſtentia præſcindunt; & proinde recte etiam harum rerum ſcientia viſionis, & intuitiua appellatur, harum inquam rerum futurarum coexiſtentium Deo in æternitate.

17 Deus principiatiue omnia alia à ſe cognoſcit ex ſola eſſentia ſua tanquã ex ratione formali motiua, vel quaſi motiua ſui intellectus, ad propriam vniuſcuiuſque eorum notitiam, quod adeo verum eſt, vt ſine temeritate negari nequeat; ſcientia enim Dei de alijs à ſe, nec vere, nec quaſi cauſari à rebus dicitur, ſi quidem vileſceret intellectus diuinus, ſi immediate moueretur à rebus ex 2. diſt. 1. q. 1. Ita quod quamquam ab æterno Deus ſcierit, & proprie cognouerit res omnes poſſibiles ſecundum verum, & proprium eſſe; quod eis non repugnat, & quod in ſe ipſis in tẽpore poſſunt habere, ipſe nihilominus non recte dicitur illas ſubinde cognoſcere in ſe ipſis immediate, ſed præciſe, quatenus obiectiue ſecundum illud eſſe præſentes ſunt actuali intelligentiæ diuinæ per modum illius termini ſecũdarij virtute diuinæ eſſentiæ.

18 Dum dicimus Deum alia à ſe ſcire, & proprie cognoſcere in eſſentia ſua non intelligimus Deum ea ſic cognoſcere, tanquam in rerum omnium cauſa, cum re vera ipſa eſſentia præciſe accepta cauſa rerum non ſit, & virtutem earum proximè productiuam nequaquam quiditatiue, & formaliter includat, nec Deus vere, & proprie cognoſcit per ſe primo res poſſibiles ex perfecta comprehenſione ſuæ omnipotentiæ, quia ex primo diſt. 43. res prius formaliter ſunt poſſibiles, & vt ſic præciſe ab intellectu diuino cognitę, quam in Deo concipiantur relatiue accepta ad omne poſſibile, ergo non ex comprehenſione omnipotẽtiæ poteſt Deus per ſe primo cognoſcere res poſſibiles; etenim potentia actiua, quæ eſt omnipotentia in Deo non eſt apta dare alicui aliquod eſſe, niſi illud realiter producendo, cum ſit potentia realiter productiua ad extra, ſed ante omnem productionem rei ad extra res habent eſſe poſſibile, igitur non per actionem potentiæ actiuæ, quæ eſt omnipotentia dicuntur res aliæ à Deo primo poſſibiles, atque adeo non ex comprehenſione omnipotentiæ, poteſt Deus res poſſibiles per ſe primo cognoſcere.

19 Neque idem Deus verè, & proprie cognoſcit alia à ſe in eſſentia ſua, vel per eſsentiam ſuam tanquam in ſpeculo, & in ſpecie expreſsa rappræſentatiua rerum omnium contra Vaſquez dicentem per eſsentiam diuinam, quatenus eſt formaliter omnino idem cum intellectione diuina, quæ eſt expræſsa ſpecies declaratiua, & expreſſiua rerum omnium eſse medium in quo, & per quod Deus omnium aliorum à ſe ſortitur ſcientiam; ſed falſum eſt fundamentum de identitate formali eſsẽtiæ diuinæ cum diuina intellectione; Cognoſcit ergo Deus verè, & proprie alia à ſe tantum virtute eſsentiæ diuinæ, vel per ſuam eſsentiam, quatenus ipſa eſt ratio, vel ſimilitudo ad modum ſpeciei impreſsæ eminentialis rerum omnium (hoc eſt) antonomaſtice continens

Y tinens

tinens illud perfectionis, quod reperitur in qualibet propria ratione intelligendi quodcumque cognoſcibilium; nam eſsentiæ diuinæ, quatenus ponitur ratio cognoſcendi omnia alia à ſe diuino intellectui eminentiſſime inſunt omnia munia, quæ communiter attribuuntur ſpeciei impreſsæ habere cum ponitur ratio intelligendi. Antecedens patet; Sex enim communiter recenſentur munia impreſsæ ſpeciei creatæ; primum intellectui inhærere; ſecundũ in actu primo eum conſtituere; tertium obiectum potentię vnire; quartum actũ intelligendi efficere; quintum obiectũ intelligibile repræſentare; ſextum ad talem ſpeciem actus potentiam determinare, at omnia hæc munia eſsentiæ diuinæ, quatenus eſt ratio cognoſcendi omnia alia à ſe eminentiſsime conueniunt ergo; Hæc contra D. Thomam primo contra Gentes Cap. 48. & 49. & omnes eius diſcipulos, & præcipue Suarez. tom. 1. de Trin. lib. 3. Cap. 2. nu. 14. qui probant Deum omnia alia à ſe ita cognoſcere in eſsentia ſua, vel per eſsentiam ſuam, tanquam in cauſa, vel per cauſam omnium, vt omnis alius modus excludendus ſit.

20 Et ſi diuinus intellectus communia, & vniuerſalia rerum omnium prædicata virtute ſuæ ſcientiæ vere, & proprie attingat, res tamen ipſas particulares ſic in communi, & vniuerſali tantum cognoſcere non poteſt; prima pars patet, nam hoc eſt perfectionis ſimpliciter in creato intellectu, cum tantum ſub prædictis habeat de rebus perpetuam ſcientiam, ergo non eſt cur negemus Deum attingere rationem ſubſtantiæ Animalis &c. quæ formaliter reperiuntur in homine; ſecunda pars probatur nam non eſt in Deo formaliter conſtituenda ſcientia, quæ ex ex parte obiecti ſaltem maximam inuoluat imperfectionem; at ſcientia, quæ attingit res tantum ſecundum communia prædicata ratione obiecti inuoluit imperfectionem, cum non attingatur ſub perfecta ratione ſuæ cognoſcibilitatis hoc eſt per ſe propria, & diſtincta, ſed tantum confuſe in conceptu communi; igitur huiuſmodi ſcientia non eſt admittenda in Deo, ſed talis, qua Deus omnia alia à ſe, etiam minutiſsima quæque attingat ſub propria, & diſtinctiſsima ratione, hoc eſt ſecundum prædicata omnia generica, ſpecifica, & indiuidua, & ſecundum omnes formalitates abſolutas, & reſpectiuas naturaliter comitantes, eorum poſsibilitatem iuxta illud ad Hæbr. 4. Diſcretor eſt cogitationum, & intentionum cordis, & nulla creatura eſt inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius: & ratio eſt, quia Deus ob ſuam infinitatem radicalem in eſsentia ſua perfectiſsime continet res omnes eminenter, tam ſecundum entitatem omnem in eis repertam poſitiuam, quam ſecundum perfectam earum intelligibilitatem in quantum poſsunt producere propriam, & diſtinctiſsimam notitiam in intellectu creato, ergo virtute eſsentiæ ſuæ optime poteſt Deus ſua ſcientia attingere prædictas res ſecundum propriam, & diſtinctam vniuſcuiuſque rationem.

21 Omnino impoſſibile eſt Deum ita cognoſcere enunciationes & diſcurſus, vt vere, & proprie componat, diuidat, & diſcurrat, quia in intellectu diuino eſſe non poſſunt formaliter plures actus cognoſcendi, vt vnus poſterior habeatur poſt priorem per inueſtigationem; cum actus cognoſcendi in eo ſit formaliter infinitus, ac proinde ſimpliciſſimus, & ex neceſſitate ſuæ perfectionis naturalis ſit omnium ſcibilium apprehenſiuus, igitur impoſſibile eſt in Deo reperiri actum compoſituum, & diſcurſiuum, qui actus non

ſunt

Digitized by Google

ſunt ſimplices formaliter, ſed compoſiti; Vere ergo & proprie Deus ſua ſcientia ſimpliciſſima attingit enunciationes omnes affirmantes & negantes, atque omnes diſcurſus, tam qui de rebus ſcibilibus vniuerſis formari poſſunt, quam eos qui de facto à creato intellectu, quocumq; formantur virtute ſue diuinæ eſſentiæ; in qua omnia ſcibilia, vt dixi eminenter continentur.

22 Sententia negantium omnino Deum ſua ſcientia actu infinita ſcibilia, ſiue poſſibilia, ſiue futura in quacumque ſpecie entium indiuidua ſimul attingere falſa, & in fide ſuſpecta vere, & abſolute iudicanda eſt; falſa quidem, quia veritati diſſentanea, nam quicquid Deus poteſt ſimul, vel ſucceſſiue facere, ſimul vnico, & ſimpliciſſimo actu ſuæ ſcientiæ perfectiſſime attingit, cum habeat intellectum formaliter infinitum, cuius infinitas ſatis eſt ad cognoſcendum infinita numeraliter, at Deus ſimul, vel ſaltem ſucceſſiue poteſt efficere infinita indiuidua in quacumque ſpecie, cum habeat potentiam formaliter infinitam propria infinitate in genere potentiæ, quoniam eam habet à ſe, quod autem limitate habetur ab alio in aliquo, neceſſario habetur ab alio determinante illud ad certum gradum; probatur etiam ſuſpecta in fide, nam ea poſita ſequitur Deũ non eſſe omni ſcientem, itaut non attingat omnia indiuidua poſſibilia in quacumque ſpecie ſimul vnico actu, vel nõ habeat intellectum infinite perfectum, vt non poſſit vnico actu attingere omnia poſſibilia; Nec recte negari poteſt indiuidua poſſe eſſe ſub quacumque ſpecie actu infinita, quia cum in eis nullus ordo eſſentialis reperiatur non videtur, quomodo intrinſece ad certum numerum determinari poſſit, cui contradictorie repugnet maior pluralitas, & in infinitum.

23 Deus de facto, nec intelligit, nec reuera poteſt cognoſcere infinita actu in magnitudine moli, ſeu continuum actu infinitum, quia quicquid Deus cognoſcit immediate & directe virtute ſuæ ſcientiæ eſt ſimpliciter poſſibile, vt per ſuam omnipotẽtiam poſsit Deus efficere at continuum actu infinitum, ſeu corpus aliquod infinite extenſum fieri à Deo abſolute implicat, & repugnat, ergo ſimiliter à Deo directe, & immediate cognoſci pariter eſt impoſſibile, maior propoſitio conſpicua eſt; Creaturæ etenim eſto formaliter ex proprijs rationibus habeant, vt ſint abſolute poſsibiles principiatiue tamen id habent ſimpliciter ab intellectu diuino eas cognoſcente ex Scoto in 1. d. 43. Idem dic de infinito in aliqua qualitate corporea, vel ſpirituali ob formalem à parte rei repugnantiam ex 3. diſtinct. 13. q. 1. & 2. vbi Scotus ex inſtituto ſuſtinens gratiam collatã Animæ Chriſti eſſe tantum ſummam negatiue pariter docet formaliter finitam, & ita in termino, vt abſoluta potentia Dei; nec alius gratiæ gradus illi in infinitum adiungi poſsit, nec creari aliud gratiæ Indiuiduum, quod ſit gratia præ dicta de facto creata intenſius.

24 Ex quo enim inquit Scotus: Creata eſt talis gratia pariter finita eſt, & ex quo finita natura ſua ſibi certum, & determinatum terminum intenſionis ſibi præſcribit, ita vt vlterius augeri vel intendi ei abſolute repugnet; Repugnantia hæc intrinceſe oritur ex parte gratiæ; Ex quo enim ipſa eſt ens participatum in determinato gradu neceſſario Diuinum eſſe participabit, extrinſece vero oritur ex parte agentis quatenus ex nihilo tantum efficere poteſt naturas limitatas, item repugnat ex parte ſubiecti, quod cum etiam ſit limitatum, & finitum capacitatem tantum finitam habet ad formam quam po-

poteſt recipere etiam actu finitam; Idque etiam monet Scotus eſſe dicẽdum non modo de alijs corporeis qualitatibus, verum etiam de quantitate molis; eo vel maxime, quia eiuſmodi quantitati magis repugnare videtur infinitas, cum ſit deterioris condicionis, quam quælibet alia qualitas ſpiritualis, vel materialis.

25 Deus ſua ſcientia, ſiue ſimplicis intelligentiæ, ſiue viſionis attingere non valet infinitam actu ſpecierum poſſibilium multitudinem ex Scoto 3. ſent. diſt. 13. q. 1. & 2. & q. 3. prol. vbi docet Beatorum ſcientiam eſſe de omnibus quia ſcibilia non ſunt actu infinita; ſed quiditates duntaxat ſimplices rerum dicuntur proprie ſcibiles, ergo ſpecies rerum poſſibiles ſecundum Scotum reuera non ſunt actu infinitæ ſecundum numerum, & probatur euidenter; nam quod ex ſe directe non eſt poſſibile, neque eſt à Deo cognoſcibile, at infinitus numerus ſpecierum ex ſe poſſibilis non eſt; igitur neque eſt à Deo cognoſcibilis, minor probatur; nam numerus ſpecierum abſolute impoſſibilis eſt cum neceſſario contineat ſpeciem formaliter infinitam ſecundum perfectionem, quæ infinitas aufert rationem entis creati & dependentis ſicut eſt omnis creatura facta, vel fieri poſſibilis, & formaliter ponit independentiam illimitatam, & rationem entis per eſſentiam, ſicuti eſſet ille numerus infinitus ſpecierum, quæ cum ſint ſicut numeri ex Ariſtotile, ita vt vna ſit alia perfectior; Nec Deus abſoluta potentia duas ſpecies perfectione pares efficere poteſt, cum id ex ſe factibile non ſit ob ordinem eſſentialem, quem ſpecies habent, inter ſe; poſito igitur tali numero infinito tandem deueniẽdum eſſet ad aliquam formaliter infinitam, quæ ſimul eſſet Creatrix, & creatura, à ſe, & ab alio finita, & infinita dependens, & independens &c.

26 Diuinus intellectus non poteſt concipere non entia ſimpliciter, ſicut concipit vera entia; hac enim falſitate conceſſa certe ſequitur rerum omnium neceſſariarum vniuerſam perire regulam, ex quo enim omnia ab intellectu diuino accipiũt eſſe poſſibile, & rationes formales ad ipſum pertinentes ſane impoſſibilia conciperentur, vel fingerentur ad modum poſſibilium poſſibilia eſſent ſuſpecte impoſſibilia, ſicut impoſſibilia eſſent poſſibilia; Conceditur tamen, quod Deus intelligit non entia ad modum verorum entium, quatenus ſic ab intellectu noſtro ficte intelliguntur cum hoc modo vt entia, priuationes, & negationes vt formas poſitiuas, atque etiam falſas enunciationes & diſcurſus tanquam veros (fictos tamen ab intellectu noſtro) attingere tantum ſonet Deum ſua ſcientia compræhendere ſcibilia non immediate & directe, ſed tantum indirecte, quatenus mediatè ſcilicet ſic ficte exiſtunt obiectiue in intellectu noſtro, quia Deus omni ex parte ſua ſcientia infinita comprehendit noſtrum intellectum, ergo eum comprehendit cum actu ſuo quo fingit monſtra, & chimeras tanquam vera, vel poſsibilia entia; Item attingit actum illius omnem abſolutum comparatiuum, & reflexum, quo cauſat, & concipit entia rationis, vel ſecundas intentiones, quæ à parte rei formaliter nihil ſunt, tandem attingit etiam actum illum, quo priuationem luminis in nocte in aere fingit ad modum cuiuſdam diſpoſitiuæ formæ, per illum protenſæ.

27 Deus vere, & proprie virtute eſſentiæ ſuæ, ſua ſcientia attingit reales negationes, priuationes, & vniuerſaliter entia ſimpliciter impoſſibilia à parte rei, quæ non entia appellantur ſo-

lo iudicio quodam diuiſiuo eis ſcilicet tribuendo diſſenſum, nam hic modus cognoſcendi ſatis cõſentaneus eſt ſummæ perfectioni diuini intellectus; qui eſt prima veritas in cognoſcendo, proinde attingens res, ſicuti ſunt, vel eſſe poſſunt à parte rei poſſibilia, vt poſſibilia, & impoſſibilia, vt impoſſibilia, & negatiua, vt negatiua; Imperfectionis enim eſt cognoſcere rem aliter quã ſit; Item Deus vere, & proprie attingit ſua ſcientia virtute ſuæ eſſentiæ totum poſitiuum, quod pro ſubtracto reperitur in malis, ſiue pœnæ, ſiue culpæ. Ex Scoto in 4. diſt. 50. q. 3. quia eſſentia diuina eſt perfectiſsima ratio cognoſcendi omnia determinate, & in particulari, quæ habent in ſe ipſis propriam intelligibilitatem, vel intelligibilia ſunt ſecũdum ſpeciem; cum eiuſmodi eminenter contineat in quocumque genere ratione formalis ſuæ infinitatis primatiæ in genere entis; ſed quicquid poſitiui in malis pœnæ, & culpæ eſt in ſe vere intelligibile ſecundum ſpeciem, & habet propriam intelligibilitatem, ergo vere, & proprie cognoſci poteſt virtute eſſentiæ diuinæ, in qua etiam ſic eminenter continetur.

28 Deus malitiam formaliter acceptam pro carentia debitæ rectitudinis, vel perfectionis conuenientis, quam important mala omnia, ſiue culpæ, ſiue pœnæ immediate, & proxime, ſeu directe per ſuam eſſentiam, ſiue per rectitudinem ſuæ voluntatis, ſiue per bonitatem ſibi conuenientem, nequaquã poteſt ſua ſcientia cognoſcere, quia priuatio, ſeu carentia immediate, & directe non poteſt cognoſci, niſi per habitũ, cui immediate, & directe opponitur; quia in ſe nõ eſt intelligibilis, vt patet cum ſit intelligibilitatis, & entitatis omnino expers; ſed eſſentiæ diuinæ, ſiue eius bonitati nulla opponitur immediate, & directe priuatio; ergo nequit Deus immediate, & directe attingere malitiam formaliter ſumptam per ſuam eſſentiam, aut bonitatem; attingit tamen indirecte, & mediate ipſam malitiam formaliter ſumptam, ſcilicet pro ſimplici carentia bonitatis, vel rectitudinis debitæ, vel conueniẽtis, quatenus directe, & immediate attingit formam poſitiuam bonitatis, rectitudinis, ſeu perfectionis conuenientis, quæ ſubiecto apto deberet in eſſe, & non in eſt, quia non eſt cognoſcibilis directe malitia illa virtute eſſentiæ diuinæ, neque immediate per bonitatem diuinam, vt probatum eſt, ergo attingitur per bonum, cui opponitur, quod eſt bonum creatum, ſicut priuatio cognoſcitur per habitum priuatũ, cui immediate opponitur; igitur Deus ſolum mediate, & remote poteſt per bonitatem ſuã mala omnia culpæ, & pœnæ pro formali accepta ſua ſcientia attingere, ex dictis faciliter probatur; Dictum eſt enim Deum cognoſcere priuationem omnem per ſuum habitum creatum, cui immediate opponitur; at habitus huiuſmodi creatus non cognoſcitur à Deo, niſi præciſe per eſſentiam ſuam; Igitur eſſentia Dei, ſiue eius bonitas, quatenus proxime ponitur ratio remota cognoſcendi priuationem omnem priuato habitui priuatiue oppoſitam.

29 Scientia ſimplicis intelligentiæ, qua Deus ſcit extra ſe poſſibilia ante omne diuinæ voluntatis decretu liberum nullo modo poteſt dici practica, ſicut nec ſcientia viſionis, ſeu libera, quæ ſubſequitur decreta diuinæ voluntatis circa res abſolute futuras; Probatur quoad primam partẽ; quia ſcientia practica eſt regula determinate dictans opus faciendum, & modum, quo neceſſario fieri debet cum omnibus circũſtantijs determinatis finis, temporis loci &c. at ſcientia naturalis, ſeu ſimplicis intelligentiæ, tantum attingit poſſibilitatẽ

rei

Digitized by Google

rei factibilis, & omnino præſcindit ab abſoluta futuritione, & conſequẽter ab omnibus circumſtantijs, quæ à ſola diuina voluntate pendent, vt ex rebus poſsibilibus hæ, vel illæ ſint determinate futuræ ſecundum debitas circumſtantias; ergo nullo modo illa ſcientia diuina ſimplicis intelligentiæ, vel naturalis eſse poteſt formaliter practica.

30 Probatur quoad ſecundam partem, nempe etiam de ſcientia viſionis; nam huic ſcientiæ viſionis nullo modo conueniunt conditiones notitiæ practicæ, quæ eſse debet naturaliter prior praxi tanquam Regula ipſius determinate dictatiua, ergo nullo modo dicitur ſcientia practica, patet antecedens, quia huiuſmodi ſcientia eſt tantum apprehenſiua rectitudinis agendorum concomitanter poſt determinationem diuinæ voluntatis, ex Scoto in p. d. 3& in fine; reſtat igitur, vt dicamus totam Dei ſcientiam, quam habet de alijs à ſe, ſiue ſimpliciter poſsibilibus, ſiue determinate futuris eſse ſimpliciter ſpeculatiuam quod ex dictis remanet probatũ contra Thomiſtas omnes cum Diuo Thoma p. p. q. 13. art. 16. qui firmiter tuentur ſcientiam Dei ſimul participare de practico, & ſpeculatiuo; ſed hic notandum eſt modo non eſse ſermonem de ſcientia Dei, quam habet de ſe ipſo, quam in libro. 1. art. 4. dicimus probabiliſsime eſse practicam, ſed de diuina ſcientia quam habet de alijs à ſe ipſo.

31 Nulla ſcientia, quam Deus habet de alijs tam naturalis, ſiue ſimplicis intelligentiæ, quam libera, ſiue viſionis vere, & proprie eſt cauſa rerum, quatenus ab ipſo Deo realiter extra cauſantur neque phiſice per realem influxum, neque intentionaliter per cauſalitatem directiuam, vel regulatiuam probatur prima pars. Deus ad extra agit phiſice producendo Creaturas in eſſe reali per potentiam realem actiuam, tanquam per rationem agendi proximam; Hæc porro potentia actiua quatenus ſe extendit ad omne poſſibile, quod poteſt Deus in eſſe reali producere dicitur omnipotentia Dei, ſed eiuſmodi potentia actiua, qua Deus dicitur formaliter omnipotens ex 1. diſt. 43. non eſt formaliter intellectus, ſed quaſi ſupponit actionem intellectus, quatenus ab eo res producuntur in eſſe cognito; eſt autem voluntas, ſiue alia potentia executiua (ſi forte eſſet ponenda, quod non credimus) ergo nullo modo per ſcientiam poteſt Deus immediate creaturas producere per realem, ſeu phiſicum influxum, ſed ſolum per voluntatem diuinã.

32 Probatur ſecunda pars, neutra ſcientia in Deo eſt vere, & proprie practica ex dictis, ergo vere, & proprie vtrique ſcientiæ Dei naturali, & liberæ conuenire non poteſt cauſalitas aliqua directiua, vel regulatiua actionis realis, qua creaturæ à Deo phiſice producuntur. Probatur conſequentia, quia tota cauſalitas, quæ ſcientiæ conuenit in artifice creato; quatenus eſt ars eius, per quam agit ad prædictam directionem, & regulationem ſpectat, cum ars ſit habitus cum recta ratione factivus 6. Ethicorum. Conceditur tamen ſcientiam Viſionis, ſeu liberam, quam Deus habet de Creaturis determinate futuris earum cauſam intentionalem, ſeu moralem dici poſſe aliquo modo, & ſecundum quid, ſeu diminute ſecundum illam cauſalitatem, quæ conuenit arti in artifice Creato, quatenus per cognitionem dicitur extra ſe ipſum agere ex Scoto in 1. diſt. 38. ad primum; & in 3. diſt. 8. q. vnica, & probatur. Quod enim aliquo modo ſcientia, quam Deus habet de alijs à ſe ſit cauſa rerum eſt de fide, quia Deus eſt agens per cognitionem, & prius determinate cognoſcit, quod extra ſe ipſum vult agere ſecundum determinatum modum agendi cũ

omni-

Digitized by Google

omnibus circumſtantijs finis loci, & tẽporis &c. quod vero diminute, & ſecũdum quid cauſet ſatis patet, quia in Deo ſcientia non eſt regulatiua diuinæ voluntatis, ſed tantum præcedit actum eius tendendo in obiectum operabile; Hæc quoque dicta ſunt contra D. Thõmam p. p. q. 14. art. 8. qui cum ſuis diſcipulis probat ſcientiam Dei determinatam per voluntatem eſſe vere, & proprie cauſam rerum.

33 Res creatæ prius quam à Deo initio temporis realiter producerentur, & ab æterno vere, & proprie intelligerentur, & conſequẽter in eſſe cognito producerentur, nullum habuerunt eſſe proprium formale, ita Scotus in primo diſt. 35. & 36. & in 2 d. 1. q. 2. art. 2. contra Henricum, & Capreolum, & recentiores Thomiſtas, probatur faciliter ex principijs fidei: omne eſſe, quod creaturæ habere poſſunt, vel eſt eſſe reale actuale, quod à Deo recipiũt, dum producuntur, vel eſſe rationis, ſiue cognitum, quod accipiunt ab eodem Deo cum cognoſcuntur, ſed ſi aliud eſſe formale ſe haberẽt priuſquam à Deo producerentur realiter, & intelligerentur; certe illud haberent independenter à Deo, quod eſt error in fide igitur nullum eſſe formale proprium eas habuiſſe neceſſario fatendum eſt. Maior conſpicua eſt, nam Deus eſt agens ſolum per intellectum, & voluntatem prius cognoſcendo, & producendo obiectiue in ſe ipſo in eſſe quodam cognito, & inde per voluntatem eas producendo in eſſe reali, minor etiam clara eſt, ſolus enim Deus eſt agens à ſe neceſſarium omnino infinitum, & independens; Cætera vero omnia per ipſum facta ſunt, & ſine eius actione factum eſt nihil Ioan. 1.

34 Conceditur tamen Cretas res priuſquam à Deo initio temporis producerentur, & ab æterno cognoſcerentur, habuiſſe tantum in Deo eſſe poſſibile cognitũ virtualiter in memoria diuina, & eſſe reale proprium ſimiliter virtualiter quoque in voluntate diuina tanquam in potentia ſimpliciter productiua rerum omnium ad extra, videndus eſt Scotus in primo diſt. 43. ex cujus doctrina elicitur; duplex eſſe habere creaturas omnes realiter diſtinctum vnum prius alio ſcilicet eſſe cognitum, quod eſt primum omnino eſſe, aliud vero eſſe actuale reale, quod recipiũt à Deo, cum creantur, vel producuntur ad extra; Quia vero primum eſſe ab intellectu diuino recipiunt, dum cognoſcuntur, & ſecundum eſſe à diuina voluntate; Inde fit, vt penes primum eſſe virtualiter in Deo contineantur priuſquam cognoſcerentur, ſimiliter & penes eſſe poſtremum in eodem etiam Deo virtualiter cõtineri debeant priuſquam etiam per voluntatem crearentur, & producerentur ad extra.

35 Potentia, qua aliquid poſſibile dicitur, eſt triplex nempe logica fiſica, ſeu realis, & obiectiua Logica potentia ex Scoto in 1. d. 7. eſt modus quidam compoſitionis factæ ab intellectu iudicante ſubiectum in aliqua propoſitione conuenire prædicato, & è conuerſo, atque adeo ſolum non repugnãtia eſt inter ſubiectum, & prædicatum in ordine ad intellectum; Potentia fiſica, & realis duplex eſt actiua, quæ eſt potentia agendi, & paſſiua, quæ eſt potentia patiendi, vt eſt quodlibet ſubiectum potens aliquid ab agente recipere, vt materia prima, ſubiectũ quodlibet tranſmutationis; potentia obiectiua ex Scoto in 2. diſt. 12. q. 1. ea dicitur, ſecundum quam aliquid dicitur in potentia, vt ſit terminus alicuius actionis realis, diciturque eſſe hoc modo in potentia res, cum ſimpliciter non eſt, ſed tantum ſecundum quid hoc eſt in virtute ſuæ cauſæ, ſicuti eſt Roſa in

Hie-

Digitized by Google

Hieme in ſua radice.

36 Res,vt ſint poſſibiles,vel impoſſibiles potentia Logica non habent ab omnipotentia Dei; nam potentia actiua Dei alias dicta omnipotentia nō poteſt dare alicui eſſe,niſi illud producendo in rerum natura,ſed ante omnē productionē rei ad extra res habent eſſe poſſibile,& impoſſibile igitur non per potentiā Dei actiuam, maior patet, quia omnipotentia eſt ea, qua Deus dicitur agere ad extra & qua Deus in eſſe reali dicitur producere; minor probatur, quia prius homo eſt ex ſe poſſibilis, vt ſit Animal rationale, & impoſſibilis vt ſit Leo lapis &c. Tamen res priuſquam à Deo cognoſcerentur poſſibiles, vel impoſſibiles logice dici non poſſunt, ſed tunc eæ ſic appellantur ſtatim, ac cognitæ ſunt ab eo, quatenus in eis exurgit ratio conuenientiæ,vel diſconuenientiæ vnius cum alio intellectus iudicat rem aliquam eſſe poſſibilem hoc eſt poſſe componi cum altera, vel non eſſe poſſibilem hoc eſt non poſſe vnam cum alia coire,quare ſimul habēt vt ſint poſſibiles, vel impoſſibiles quaſi principiatiue ab intellectu diuino, & intrinſece ex ſuis rationibus formalibus, quia omnis formalis poſſibilitas debet ſupra aliquod formale eſſe fundari, at res priuſquam à Deo cognoſcūtur nullum eſſe formale habent igitur fundamentum eiuſdem Logicæ poſſibilitatis & impoſſibilitatis habere non videntur.

37 Res non eodem modo dicuntur principiatiue impoſſibiles logice ab intellectu diuino, ſicut poſſibiles logice ab eodem dicuntur; etenim res immediate dicuntur ſic poſſibiles, impoſſibiles vero nō niſi mediatè,& quaſi remote, nam vt inquit Scotus in 1. d. 43. ſicut Deus ſuo intellectu producit poſſibile in eſſe poſſibili, ita producit duo entia formaliter vtrumque in eſſe poſſibili, & illa producta ſe ipſis deinde formaliter ſunt compoſſibilia, vel incompoſſibilia inter ſe; Hanc autem impoſſibilitatem, quam important formaliter habent ex ſe, & principiatiue quodammodo,hoc eſt mediate, & quaſi remote ab eo qui produxit ea in tali eſſe,ex quibus clarè conſtat primam rationem poſſibilitatis rei diuerſo modo eſſe ab intellectu diuino principiatiue, quam ſit rerum impoſſibilitas; de quare alibi dictum eſt.

38 Quo ad potentiam obiectiuam, quam habent res, vt ſint obiectiue poſſibiles dicendum eſt, ita ab actiua potentia pendere, vt ſi per impoſſibile eiuſmodi potentia actiua non eſſet in Deo, res non dicerentur, formaliter obiectiue poſſibiles, ſed materialiter ſolum, & fundamentaliter, prima pars probatur. Nihil dicitur formaliter tale, niſi per propriam formam ſibi formaliter inexiſtentem, ſed forma, quæ rem aliquam conſtituit formaliter in potentia obiectiua eſt reſpectus ad potentiam actiuam agentis, ergo non exiſtēte eiuſmodi potentia agentis reſpectus rei factibilis exiſtere nequit; nullus enim reſpectus abſque termino intelligi poteſt; at proinde nulla res dicetur formaliter in potentia obiectiua non exiſtente potentia actiua Dei; probatur ſecunda pars; ſine tali potentia res eſſent formaliter poſſibiles Logice, ſed poſſibile formaliter Logice eſt fundamentaliter poſſibile obiectiuum, quia potentia obiectiua ſolum addit reſpectum ſupra potentiam Logicam ad actiuam potentiam terminatum.

39 Non ſolum probabile eſt dari Ideas, ſed adeo certum eſt, vt ſine magna falſitate,temeritate,& errore etiam in fide negari non poſſit, ideo ſupponitur extra omnem controuerſiam notum cum nullus hucuſque legatur, qui Ideas rerum dari negare auſus ſit; &

cum

eam ex D. Auguſtino lib. 83. quæſtionum quæſt. 46. Idea iuxta nominis interpretationem ſit forma, ſeu ſpecies, & exemplar, ad cuius imitationem artifex operatur, vbi etiam dixit Idearum Auctorem fuiſſe Platonem eaſque poſuiſſe in mente diuina; Idem ſupponit tanquam certum lib. 7. de Ciuit. Dei Cap. 28. contra Varronem; quod vero Ideæ dentur inde ſuadet ratio, nam Deus omnia cauſat, vel cauſare poteſt non irrationabiliter, ergo rationabiliter, & proinde habet rationes, ſecundum quas format non enim eandem omnium; ergo ſingula proprijs rationibus format, non autem rationibus extra ſe; quia non eget in efficiendo, aliquo alio à ſe diſtincto, in quo res extra factibiles intueatur, igitur rationibus ex mente ſua, quæ appellantur rationes ideales, quibus Deus vtitur in omnibus creaturis formandis.

40 De eiſdem Ideis manifeſte videtur etiam locutus D. Paulus ad Hebræos 11. illis verbis fide intelligimus aptata eſſe ſecula Verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent, innuens illa inuiſibilia in Deo fuiſse Ideas in mente eius reſidentes, ex quibus tanquam ex exemplaribus viſibilia hæc, nempe creaturæ formarentur ab ipſo Deo, Idea in ſuo formali conceptu dicit tantum formalitatem reſpectiuam, ſcilicet reſpectum ad Ideatum, quatenus illud rappræſentat ſub ratione factibilis, materialiter vero connotat entitatem ipſam factibilem, vt ſic præcognitam, abſolutam, vel reſpectiuam; prima pars probatur, nam certum eſt ipſas Ideas ſic naturaliter rappræſentare Ideata, hoc eſt operabilia ad extra, at iſta rappræſentatio non eſt effectiua, vt patet, ſed formalis, ergo ipſa rappræſentatio naturalis operabilis, eſt formale conſtitutivum rei præcognitę in ratione Ideæ.

41 Confirmatur ex D. Auguſtino libro citato vbi dicit Idea eſt ratio æterna in mente diuina, ſecundum quam aliquid eſt formabile ad extra, vt ſecũdum propriam eius rationem. At certum eſt illam particulam (ſecundum quam) in prædicta definitione poſitam non eſse notam cauſæ efficientis, ſed cauſæ formalis, ergo formalitas Ideæ eſt ipſa rappręſentatio naturalis rei pręcognitæ, vt factibilis; probatur ſecunda pars, quia tam entia poſitiua abſoluta, quam reſpectiua ſicut proprie factibilia ſunt, ita proprie, & vere habent ideam propriam in Deo; ſunt autem factibilia ſecundum eſse abſolutum, vel reſpectivum, ergo tale eſse eſt connotatum ab illo reſpectu Ideali; Ideæ ſiue accipiantur pro conceptu formali, ſiue pro conceptu obiectiuo rerum factibilium extra Deum tantum conſtituendę ſunt in intellectu diuino obiectiue, vel formaliter, & nullo modo in voluntate, quia Ideæ mere rappræſentant naturaliter id, quod rappræſentant, ergo Ideæ ſunt in intellectu diuino præciſe ante omnem actum voluntatis; probatur conſequentia; nullo modo ſunt ibi per actum voluntatis, quia per actum diuinæ voluntatis ponitur determinata futuritio in rebus poſſibilibus, ſed non omnia poſsibilia ſunt determinatè futura, & tamen habent propriam Ideam in Deo, ergo ſunt in Deo Ideæ independenter à diuina voluntate; probatur etiam Antecedens, quia quicquid naturaliter præcedit actum voluntatis eſt mere naturale.

42 Eſt de fide in mente diuina Ideas omnium rerum conſtituerę, quarum officium eſt formaliter operabilia rappręſentare; patet ex D. Paulo ſupra citato fide, inquit, intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent, hoc eſt vt ex Ideis inuiſibilibus viſibilia opera fierẽt (exem-

pluriter ſcilicet non effectiue; Hæ Ideę rerum in ſecundo naturæ ordine reperiuntur in intellectu diuino completo proceſſu originis ad intra, & proinde ſimul naturaliter in illo formaliter, & obiectiue ſub oriuntur, iam completa communicatione eſſentiæ tribus perſonis diuinis in qualibet illarum, atque adeo nō prius naturaliter in vna, quam in alia; niſi ſecundum quid prout vna perſona originatur ab altera, & Pater dicitur habere illas à ſe Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, ſed hoc eſt improprie dictum; proprie igitur loquendo Ideæ ſunt in intellectu diuino completo proceſſu diuinarum perſonarum, & conſequenter ſunt ſimul in eiſdem tribus Perſonis in ſecundo inſtanti ſecundi ordinis naturæ, & non in primo, in quo Deus terminat reſpectum; quia eſſe formale Idearum eſt proprie, & eſſentialiter poſitum in actuali rappręſentatione rerum relatiue poſsibilium in ordine ad potentiam Dei, at omnipotentia relatiue accepta ſecundum formalitatem omnipotentiæ in Deo non concipitur, niſi in ſecundo inſtanti huius ſecundi ordinis naturæ, in quo terminat reſpectum, quem neceſſario ad eam important res poſsibiles, prius in eſſe cognito productæ per actionem intellectus diuini in primo inſtanti eiuſdem ſecundi ordinis naturæ, quod valde notandum eſt.

43 Et fundamentum huius doctrinę eſt, quod prius naturaliter res à Deo ſunt cognitæ, ſicque formaliter ſunt poſsibiles formaliter ex ſuis rationibus formalibus, & principiatiue ab intellectu, antequam dicantur poſsibiles obiectiue, & phiſice per reſpectum ad omnipotentiam Dei, ſicut probat Doctor ſubtilis in p. d. 36. At Ideæ ſunt in Deo pro illo inſtanti in quo rappręſentant formaliter res poſsibiles obiectiue per omnipotentiam Dei, ergo ſi in ſecundo inſtanti ſecundi ordinis naturæ ſunt poſsibiles obiectiue negari nequit etiā pro hoc ſigno reperiri in intellectu diuino, & non in alio priori ſigno.

44 Pro plena horum intelligentia notandum eſt dari in diuinis duo ordines naturæ, vnus per comparationē ad obiectum primarium abſolute primū in mouendo omnimoda primitate originis perfectionis & adæquationis; Alter per comparationem ad obiectū ſecundariū, quod eſt omne creatum poſsibile; ſicut primarium eſt ſola eſſentia, & quicquid eſt in ea idem realiter; etenim reſpectu eſſentiæ diuinæ tanquam termini ſimpliciter primi, & infiniti conſtituitur primus ordo naturæ cum tot inſtantibus, vel ſignis, quot ſunt actus intellectus, & voluntatis operatiui, & productiui ad eſſentiam ipſam terminati. Reſpectu vero totius creati, vel creabilis entis tanquam termini ſecundarij, & finiti aſtruitur ſecundus naturæ ordo ſimiliter cum tot ſignis, quot ſunt actus voluntatis, & intellectus comparatione, ſiue operatiui, ſiue productiui hac ſemper lege ſeruata vt actus operatiuus tanquam eſſentialis comparatione eiuſdem obiecti, vel termini naturaliter præcedat productiuum naturalem, & liberum.

45 Ideo in priori ordine quattuor ex Scoto ſunt inſtantia vel ſigna, in primo eſt motio omnino naturalis intellectus diuini tāquam primi omnino mobilis ab eſſentia diuina ſimiliter prima omnino motiua illius præciſe ad intellectionem ſui eſſentialem comprehenſiuam, in ſecundo ſigno eſt motio voluntatis ad amorem eſſentialem eiuſdem eſſentiæ præciſe neceſſarium non quidem neceſſitate naturali, ſed ineuitabilitatis, vel ſummę rectitudinis eiuſdem diuinæ voluntatis, in tertio ſigno exoritur primus actus notionalis in intellectu, qui eſt dicere Verbum, & in quar-

quarto ſecūdus actus notionalis in voluntate, qui eſt ſpirare Spiritum Sanctum; completo prędicto proceſſu operationum, & originum circa obiectum primarium. Subſequitur ſecundus naturæ ordo, in quo comparantur intellectus, & voluntas diuina ad aliud obiectum ſecundarium eſſentiæ cuiuſcumque creabilis, & in primo inſtanti huius ſecundi ordinis eſſentia diuina mouet primo intellectum diuinum ad intellectionem ſimplicem omnis intelligibilis, & ordinate ad intellectionem ſimiliter cuiuſcumque veritatis, vel complexionis neceſſariæ ad veritates vero, vel cōplexiones contingentes ſimiliter mouet, ſed ſub neutralitate, & indifferentia; in ſecundo ſigno, ſeu inſtanti ſequitur motio voluntatis ſimpliciter libera, & contingens, quia in ſe determinat ea, quæ vult determinate fore ex mere poſſibilibus, in tertio ſequitur iſtorum altera motio intellectus ſcilic. ad intellectionem eorum determinatam ſecundum complexiones contingentes; in quarto ſigno ponitur in voluntate actio realis productiua eorum pro tempore, quo prius voluit illa abſolute fore; applica, &c.

46 In eſſentia diuina, neque vt eſt ratio perfectiſſima cognoſcendi creaturas, neque vt eſt ratio cognita reperiuntur reſpectus aliqui reales imitabilitatis participabilitatis, & ſimilitudinis comparatione creaturarum ex Scoto in 1. diſt. 35. prima pars probatur, non eſſe poſſunt reſpectus reales ex natura rei exorti in eſſentia diuina, vt vult D. Thomas p. p. qu. 15. art. 2. ad 3. alias ipſa diuina eſſentia eſſentialiter penderet à creaturis tanquam à terminis illorum reſpectuum, quod eſt abſurdum concedere, nam repugnaret ſummæ ſimplicitati, & infinitati diuinæ eſſentiæ, nec non neceſſitati diuini eſſe; ſecunda pars patet ob eandem rationem contra Henricum quolib. 5. q. 3; probatur ſecundo, Res creatę prius à diuino intellectu perfectiſsime cognoſcuntur virtute eſsentiæ diuinæ, & in eſſe cognito producuntur, quam ipſa eſsentia diuina formaliter imitabilis, & participabilis ab ipſis rebus cognitis nominetur, ita Scotus loco citato contra D. Thomam, nam prius præſuponitur eſse formale (quodcumque illud ſit) creaturarum antequam dicantur imitari diuinam eſsentiam, ergo creaturæ perfectiſsime cognoſcuntur à Deo virtute eſsentiæ diuinæ abſque illis reſpectibus.

47 Rigoroſe loquendo de ſignificato formali Ideæ eſsentia diuina, neque accepta abſolute quatenus eſt prima ratio cognoſcendi creaturas, neque ſumpta reſpectiue quatenus eſt cognita, vt imitabilis, & participabilis à creaturis poteſt Idea rerum factibilium appellari; ita Scotus contra D. Thomam; prima pars patet, quia in Deo ſimpliciter repetiuntur plures Ideæ; plures autem Ideas intelligere eſt ſimpliciter impoſsibile, niſi ſignificatum formale Ideæ plurificatum intelligatur, cum ergo eſsentia diuina abſolute accepta ſit omnino ſimpliciſsime vna certe Ideæ rationem formaliter ſub prædicta ratione abſoluta habere nequit, nam prius naturaliter ſunt rerum Ideæ in diuina eſsentia, ſiue intelligentia, quam Deus cognoſcat eſsentiam ſuam imitabilem, & participabilem à rebus poſsibilibus, quia prius intelliguntur extrema eſse antequam intelligātur fundare, & terminare reſpectum aliquem imitabilitatis, ergo nullo modo eſsentia cognita, vt imitabilis, & participabilis habet rationem Ideæ, ſicque patet reſponſio ad ſecundam partem.

48 Improbabile eſt eſsentiam diuinam ſortiri rationem formalem Ideæ rerum factibilium, quatenus eſt formaliter

Digitized by Google

liter actualis notitia, vel expreſsa ſpecies illarum contra Vaſquez p. p. diſp. 71. cap. 2. n. 10. nam primo eſſentia diuina formaliter, & quiditatiue accepta non eſt actualis notitia rerum, vt ſupponit Vaſquez, cum ipſa ponatur à parte rei potius ratio habendi illam notitiã diuino intellectui, ergo eſto actualis notitia rei poneretur idea ipſius: non recte tamen ratio formalis talis ideæ aſcribi deberet eſſentię diuinę ob identitatem realem ſui cum illa notitia; Idea vere, & proprie ideſt formaliter non eſt impoſita ad ſignificandum formalem rei conceptum, quo ſcilicet ipſa mente concipitur, & attingitur, quia ideo in diuina mente à Sanctis Patribus cõſtitutę ſunt, quia Deus eſt omniũ per cognitionem auctor ergo; Idea formaliter non ipſa actualis cognitio eſt; aut conceptus formalis, ſed potius ſunt ea, ad quæ ipſa actualis cognitio tanquam aſpectus ſummi Artificis terminatur.

49 Conceditur tamen formalem conceptum, quo res factibilis ab artifice concipitur ſecundum quid tantum, hoc eſt, improprie rationem ideæ participare, ita Scotus in 4. d. 1. q. 1. vbi ait quod de cognito obiectiue dicitur, in ipſa cognitione oportet realiter inuenire, & paucis interiectis declarat domum in intellectu artificis dici illud eſſe realiter habere, quod ipſa cognitio habet formaliter; Ideoque ſubdit domum extra fieri à domo in mente, quatenus fit ſcilicet directiue à cognitione domus in mente artificis tanquam à principio formali, provt ſcilicet domus in mente, & generatim res omnis cognita dicitur id eſſe participare, quod formaliter habet cognitio; ergo cognitio, ſeu formalis conceptus, quatenus ad rem factibilem, tanquam ad ideam terminatur recte rationem ideæ ſaltem improprie participare dicitur; Ideæ ergo creaturarum proprie, & formaliter ſumptæ ſecundum rigoroſum ſignificatum formale in mente diuina ſunt ipſæmet creaturæ præcognitæ à Deo, vt factibiles, adeo vt obiectiue tantum in diuina intelligentia contineantur tanquam reales conceptus obiectiui.

50 Eſt de fide in mente diuina reperiri idearum pluralitatem, ſiue realem, ſiue rationis; ideo eſt communis Theologorum ſententia, & colligitur ex illo Pauli ad Hæbreos 12. fide creditur aptata eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierẽt, & communiter ideæ conſtituuntur in Deo, quia eſt agens rationabiliter, ideſt cum ratione operans; Conſtat autem experientia Deum extra agere diuerſa, igitur diuerſis in mente ſua exiſtentibus vtitur rationibus; In Deo reperiuntur vere ideæ omnium creaturarum poſſibilium etiam earum, quæ nunquam erunt ex Scoto in 1. diſt. 39. quia idea non tantum exemplar eſt, cum ea actu vtitur artifex ad operandum, ſed etiam abſolutè accepta, quatenus ita rappræſentat operabile, vt artifex ea vti poſſit tanquam exemplari; Ideoque ideæ rerum poſſibilium, quæ nunquam erunt, quatenus Deus eis ſi vellet vti poſſet, optime exemplaria appellantur, eo vel maxima, quia non eſt de ratione idearum actu dirigere, & regulare artificem; nam etiam quando actu non operatur ars vere in eo reperitur integra cum ſua ratione, ſed ideo tanquam exemplaria ſpectant ad artem, vt patet ergo neceſſariũ non eſt artificem actualiter vti eis, vt exemplaria nominentur.

51 Tantum ſingulorum indiuiduorum prædicamenti ſubſtantiæ, tam perfectorum, quam imperfectorum, quæ per abſolutam Dei potentiam ſaltem ſolitarie exiſtere poſſunt proprie in Deo reperiuntur ideæ, adeo vt naturarum communium generum, & ſpecierum ad hoc prædicamentum ſpectantium

tium non ſint proprie ideæ diſtinctæ ab ideis ſuorum ſingularium, nam quicquid eſt per ſe, hoc eſt, ſolitarie producibile à quocumque alio diſtinctum habet propriam ideam in Deo, cum idea ſit ratio, ſecundum quam aliquid rationabiliter à Deo producitur, vel produci poteſt; ſed tantum indiuidua perfecta prædicamenti ſubſtantiæ ſolitarie producuntur de facto, & ſecundum Dei abſolutam potentiam tantum materia, & forma in ſuis proprijs indiuiduis ſeparatim produci poſsunt, ergo tantum prædicta habent diſtinctam, ſeu proprie ideam in Deo.

52 Item ea accidentia, quæ tum inter ſe, tum etiam à ſuis proprijs ſubiectis realiter diſtinguuntur, vt ſeparata interſe, & ab alijs ſuis ſubiectis ſaltem potentia Dei abſoluta exiſtere poſſunt propriam Ideam habent in Deo; quia quicquid eſt producibile propria productione neceſſariò habet propriam Ideam, ſecundum quam poteſt rationabiliter ab ipſo Deo produci, at accidentia abſoluta in proprijs indiuiduis accepta vere poſſunt à Deo ſine ſubiectis proprijs produci, quemadmodum producta de facto, in illis, ſine ipſis exiſtere, & conſeruari miracoloſe poſſunt, & conſeruantur, ergo propriam reuera habent in Deo Ideam; Item materia prima reuera propriam habet in Deo ideam realiter diſtinctam, tam ab idea formæ, quam ab idea compoſiti ex Scoto in 2. diſt. 12. q. 1. quia habet per ſe propriam entitatem, propriamq; exiſtentiam actualem diſtinctam realiter ab exiſtentia formæ, & ab exiſtentia compoſiti, ergo &c. & quia per abſolutam Dei potẽtiam creari poteſt ſeparata à quacumque forma; Ideoque eſt quoddam factibile à Deo rationabiliter ſecundum propriam rationem, & ideam.

53 Negationes, & priuationes præciſe acceptæ proprias in Deo non habent ideas, ſed cognoſcuntur tantum per proprias ideas formarum, quas negant, & habituum, quibus ſubiecta priuata formaliter denominantur; probatur primo, quia non ſunt de numero directe cognoſcibilium ſecundum ſpeciem, nam ſicuti carent omni poſitiua entitate, ita etiam carent propria intelligibilitate; ſecundo non ſunt de numero per ſe producibilium, cum terminus realis productionis ens reale poſitivum eſse debeat, ergo habere nequeunt ideam propriam, ſecundum quam vnaqueque illarum rerum factibilium ſit actu factibilis; tertio idea obiectiue eſt aliquid poſitivum in mente diuina tanquam ſecundarius terminus terminans actum diuini intellectus, ſed negationes, & priuationes nihil poſitivum formaliter ſunt à parte rei, ergo nequeunt habere propriam ideam. Hæc tota doctrina de priuationibus omnino verificatur de peccatis quibuſcumque pro formali acceptis, quæ ſic accepta important tantum priuationem poſitiuæ rectitudinis actui ſecundo debitæ ineſſe, ſicque peccata formaliter non ſunt de numero factibilium à Deo, atque adeo in eo non habent ideas.

De Præſcientia Dei.
Art. IV.

1 EXpedita tractatione omnium pertinentium ad naturalem ſcientiam, ſiue ſimplicis intelligentiæ intellectus diuini, hoc eſt, independenter a decretis liberis diuinæ voluntatis, tam comparatione primarij, quam ſecundarij obiecti ſcibilis; ſequitur de ijs agere, quæ ad liberam eius ſcientiam, ſiue viſionis, quam habet de futuris ſcibilibus, & dependentibus à decretis prædictis eiuſdem diuinæ vo-

lun-

Digitized by Google

luntatis, quibus aliqua ex poſsibilibus diuina voluntas vult eſse futura alijs relictis in ſua ſimplici poſsibilitate; In omnibus igitur effectibus determinate futuris extra Deum, tam ab eo immediate, quam interuentu ſecundarum cauſarum quarumcunque etiam naturaliter agentium ſimpliciter, & abſolute dari contingentiam demonſtrat Scotus in 1. diſt. 2. q. 2. vbi ad probandum Deum ad extra libere agere, tanquam notiſsimum principium accipit, aliquid in rebus creari, & in eodem primo diſt. 8. qu. 5. ad argumenta pro Filoſophis non modo demonſtrat à cauſis ſecundis liberis omnia contingenter fieri; ſed etiam à cauſis ſecundis naturalibus nihil poſſe neceſſario ſimpliciter cauſari; nulla inquit eſt connexio cauſati, & cauſæ ſecundæ ſimpliciter, sed ſecundum quid.

2 Fundamentum eius eſt, quod quælibet causa ſecunda dependet ab habitudine primæ cauſæ, cum nulla ſecunda cauſa cauſet, niſi cauſante quoque cauſa prima cauſatum eius, at prima cauſa cauſat omnia contingenter, ideoque ſimpliciter omnia contingenter eueniunt etiam à cauſis naturalibus, idem quoque prolixius proſequitur diſtin. 39. vbi ex inſtituto agit de rerum contingentia, & de diuina præſcientia per comparationem earum, igitur in actione ſecundarum cauſarum proxime agentium ex neceſsitate naturæ propter defectum illarum, quatenus ne ſua natura agant poſsunt impediri vere, & proprie dantur effectus contingentes ſaltem ſecundum quid, & extrinſece, nam à cauſa naturaliter determinata ad vnum per ſe effectus contingens deriuare non poteſt, cum in poteſtate illius non ſit poſitum agere, & non agere, ſed cauſæ naturales ſunt huiuſmodi, ergo à talibus effectus contingens per ſe haberi non poteſt, ſed ſolum extrinſece, & ſecundum quid.

3 E conuerſo dicendum eſt de cauſis ſecundis libere agentibus, quod nimirum ab illis verè, & proprie effectus contingentes producantur, hoc eſt de fide; Et lumine naturali notum, nam rationales omnes creaturæ verè, & proprie habent liberum arbitrium, penes quod in ſerie ſecundarum cauſarum dicuntur liberæ, ſeu voluntarie agentes; quatenus habent dominium propriæ actionis, ergo effectus omnes à prædictis cauſis deriuantes ſunt contingentes contingentia omnino intrinſeca; quia voluntas eſt potentia actiua intrinſece indeterminata, & indifferens ad exercitium, & ſpecificationem ſuorum actuum; Primaria tamen radix contingentiæ, quæ vere, & proprie reperitur in rebus eſt ita deſumenda ex libertate diuinæ libertatis, & Voluntatis, quod ſi per impoſſibile Deus cauſa prima ad extra liberè, & contingenter non cauſaret prorſus à rebus contingentia adimeretur ex Scoto in 1. diſt. 2. q. 2. & diſt. 8. q. 5. & diſt. 39. quod facile probatur, nam non ſolum quia ſi in Deo non daretur libertas per eſſentiam impoſſibile omnino foret dari in creatis rebus libertatem participatam ſicut omnes concedunt, ſed etiam, quia Deus ſi ad extra naturali neceſſitate ageret omnia ſe ſolo infinita ſua potentia efficere poſſet ſine concurſu cauſarum ſecundarum, nec earum expectaret concurſum, ſed eas præueniendo de facto omnia ſe ſolo efficeret; eo vel maxime, quia ageret ſecundum vltimum potentiæ ſuæ, & quantum poſſet, & ſicut poteſt, poteſt autem agere omnia ſe ſolo ſimul, & prius naturaliter, quam cauſæ ſecundæ agerent tam prioritate à quo, quam in quo, ergo de facto ita ageret, ideoque omnino in rebus contingentia periret.

4 Effectus contingentes, qui à nobis per enunciationes de futuro ſignifican-

tur

Digitized by Google

tur priùs quam in tempore fiant ad alteram partem contradictionis ſunt ab æterno determinati determinatione de in eſſe ita vt ab æterno hæc ſit determinate vera Antichriſtus erit, & hæc determinate falſa Antichriſtus non erit eſt de fide iuxta illud ad Hebr. 4. omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius; & illud D. Auguſtini ſuper Geneſim, Deus non aliter nouit facta, quam fienda; Deinde naturaliter notum eſt contradictiones, ſiue propoſitiones contradictorias in nulla materia eſſe poſſe ſimul veras, & falſas; ergo neceſſario altera pars eſt determinate vera, & altera determinate falſa; quare cum ſimul ambæ veræ eſſe nequeant totum hoc disiunctũ ſingillatim ſecundum ſuas partes Antichriſtus erit, vel non erit, neceſſario ſit, vt altera pars eius ſit determinate vera.

5 Hæc determinatio de in eſſe non conuenit intrinſece, ſeu ex neceſſitate terminorum futuris contingentibus, ſed tantum extrinſece ob aliquam cauſam vnientem extrema enunciationis de futuris contingentibus; Ob id enim futurum contingens appellatur, quia eſt indifferens ad fore, & non fore, alioquin potius diceretur neceſſarium; quam cõtingens; Cum prædicta determinatione de in eſſe per verbum futurum explicata in contingentibus integra in eis conſiſtit indifferentia, & indeterminatio de poſſibili vt verè, & proprie de eis negotiari, & rationabiliter præconſiliari poſſit; non enim aufertur eſſentialis ratio futuri contingentis per determinationem de in eſſe; omnia futura contingentia ſecundum prædictam veritatem, quam habent penes determinationem de in eſſe certitudinaliter; infallibiliterque à Deo de facto cognoſcuntur quantum ad omnes cõditiones exiſtentiæ eſt de fide, & proprium Dei ſit cognoſcere iuxta illud Iſaiæ 41. annunciate nobis futura, & dicemus quia Dij eſtis, & illud Ioan. 14. & nunc dixi vobis prius quam fiat, vt cum factum fuerit credatis; ratio à priori eſt quod Deus perfectiſſimè cognoſcit quicquid voluntate ſua cauſat, & cauſaturus eſt, ſed ipſe eſt omnium rerum immediate cauſativus ſaltem immediatione virtutis, ergo certitudinaliter, & infallibiliter, omnia futura cognoſcit.

6 Res quæcumque creatæ temporaneæ ſiue ſint præteritæ ſiue ſint futuræ vere, & propriæ Deo realiter in æternitate coexiſtere non poſſunt; etiam ſi copula illa (coexiſtit) præciſe accipiatur quatenus conſignificat nunc æternitatis ſemper præſens, quia res quæ in ſe non exiſtit, nulli alteri realiter coexiſtere poteſt cum coexiſtentia realis formaliter ſit ſimultanea duorum realis exiſtẽtia ſaltem in illa duratione, in qua ſimul coexiſtunt, eſt enim eiuſmodi coexiſtẽtia relatio realis ſupponens extrema realiter exiſtentia actualiter diſtincta, at res Creatæ futuræ, & præteritæ in ſe ipſis realiter non exiſtunt, ergo neque in æternitate Deo coexiſtere poſſunt, ſimpliciter enim eſt impoſſibile cogitatu rem aliquam realiter coexiſtere in duratione alterius, ſi in ſe omnis realis exiſtentiæ expers eſt.

7 Hinc aſſerendum eſt futura cuncta, quemadmodum etiam præterita, & præſentia, vt certo ab æterno cognoſcerentur ſufficere, vt tantum obiectiue præſẽtia ſuo intellectui diuino ab æterno præceſſerint, quemadmodum ei totus fluxus temporis quoad omnes eius partes vſque ad finem mundi ei eſt perfectiſſime præſens obiectiue; probatur ex D. Auguſtino 5. ſuper Geneſim Cap. 2. non aliter nouit Deus facta, quam fienda, & rationem affert, quia cum in eius diſpoſitione tempora facta ſunt, non ex præſentia reali ſed quia in eius mente omnia præſentia ſunt obiectiue tam facta quam fienda, ergo,

ita Deus cognoſcit facta quam fienda; Hæc duo dicta ſunt contra D. Thomã p. p. q. 14. art. 13. & contra eius diſcipulos acriter contra Scotum inſurgentes, & probantes cuncta futura realiter coexiſtere Deo in æternitate non adæquate accipiendo æternitatem vt coexiſtit cuilibet temporis parti præteriti præſentis, & futuri, ſed inadæquate, in quantum coexiſtit tantum parti futuri temporis.

8 Res quatenus actu exiſtunt in ſe ipſis in propria duratione, & conſequẽter vt coexiſtunt Deo in æternitate non cognoſcit Deus certitudinaliter ex hoc præciſe, quod in ſe ipſis exiſtunt & ipſi Deo realiter coexiſtunt, probatur ex citatis Verbis D. Auguſtini Deus non aliter nouit facta quam fienda, at futura certitudinaliter cognoſcit ſecundum eorum determinatum eſſe, quod in tẽpore habebunt, & ei non ſunt realiter præſentia in ſe ipſis ſecundum propriã durationem, ſicut illi realiter coexiſterent ſi in ſe ipſis de facto forent, ergo non poteſt Deus creaturas in ſe ipſis exiſtentes euidenter cognoſcere, quatenus præciſe ad ipſum fundant ipſam relationem realem coexiſtenciæ. Item Deus, vel certo ſciebat creaturas prius quam actu exiſterent in ſe ipſis, vel nõ, ſi hoc ſecundum dicatur, ergo mutatur diuinus intellectus, cum de non ſciente ſciens vere, & proprie euaſerit; ſi primum ergo non recte dicitur, eas nunc certo cognoſcere præciſe, quatenus realiter factæ ſunt ei præſentes, & coexiſtentes, & ſuppoſito tanquam vero res omnes ab æterno Deo realiter coexſtitiſſe præſentes ex eo capite non recte dici poſſe certe Deum eas ab æterno etiam cognouiſſe, nam ſi Deus res actu in ſe ipſis exiſtentes non poteſt ob id certo cognoſcere, quatenus ei realiter coexiſtunt, quia ſcientia Dei, ſicut immediate à rebus non cauſatur, ita ad eaſdẽ res nõ terminatur immediate, ergo manifeſte fit, ſi omnia ab ęterno realiter exiſterẽt nõ ob id ab ęterno ab eodẽ Deo certitudinaliter noſcerentur, ſciẽtia enim Dei non pendet à rebus; nec (vt dixi) ad eaſdem immediate terminat; ſed ab eſſentia diuina pendet, & ad eam immediate terminat, ergo omninò impertinens eſt realis præſentia rerum, vt certo à Deo cognoſcantur.

9 Ideæ non poſſunt eſſe rationes determinãtes diuinam ſcientiam per modum termini ſecundarij terminantis, vt determinate attingat futura contingentia; nam Ideæ conſtituuntur in diuino intellectu ante omnem actum liberum diuinæ voluntatis ad extra, cum prius quam ſic libere Deus ad extra aliquid vult, cognoſcat naturaliter omnia, quæ poſſibilia ſunt, ergo quicquid prædictis ideis conuenit in rappræſentando naturaliter conuenit, quare ſi ſcientiam Dei determinant, vt determinate attingat futura contingentia sanè Deus ipſa futura naturaliter ſciret, atque adeo nihil esset contingens, ſed omnia potius neceſſario euenirent, conſequentiã à Scoto in 1. diſt. 38. euidenter probatur, nam ſtante illa ſcientia naturali rappræſentante voluntati hoc eſſe determinate faciendum, Voluntas ipſa non poſſet illud non velle, quia alias non recta esse poſſet, cum voluntas potens diſcordare à ratione practica de neceſſitate ex ſe recta eſſe nequeat, ergo voluntas diuina neceſſario vellet illud eſſe faciendum.

10 Immo nullo modo Ideæ poſſunt determinate rappræſentare futura cõtingentia, neque abſolute, neque determinate, nec ante, nec poſt libera decreta diuinæ voluntatis, ita vt ingenue verum ſit Deum futura ipſa certo in prædictis ideis non cognoſcere, nam rationes cognoſcendi terminos alicuius complexionis non ſufficienter cauſant

no-

notitiam illius complexionis, niſi ipſa in ſe ex terminis cognoſci nata ſit, ſed complexio contingens non eſt nata cognoſci ex terminis, ergo rationes cognoſcendi terminos quantumcumque eos rapprætentent non ſunt ſufficientes cauſæ cognoſcendi illas complexiones contingentes, ſed Ideæ tantum rappræſentant terminos ſimplices, ideſt ſimplices rerum quiditates, & veritates complexas neceſſarias, quæ euidentiam habent ex prædictis ſuis terminis, ergo futura determinata in eis cognoſci nequeunt.

11 Deus ſublatis decretis abſolutis, & efficacibus diuinæ voluntatis, quæ in ſerie ſecundarum cauſarum non cõtinetur nullo modo poteſt ſcientia ſua certò attingere, nec omnes, nec aliquos effectus determinate futuros in cauſis ſuis proprijs, & proximis etiam ad agendum determinatis, & non impeditis, quia effectus determinate futuri tam in fieri, quam in facto eſſe dependent à cauſa prima, ergo antequam in eſſe ponantur, in ſuis cauſis proximis determinate cognoſci non poſſunt ſecluſa determinatione cauſæ primæ; Item effectus in ſuis cauſis proximis etiam determinatis cognoſci nequeunt, niſi ſecundum illud eſſe, quod habent in eis, at ipſi in prædictis cauſis non habent eſſe determinatum cum omnibus condicionibus exiſtentiæ, ſicut habent futuri effectus ſub præſcientia diuina, ergo quatenus continentur in ſuis cauſis proximis ipſam Dei ſcientiam terminare non poſſunt; minor probatur, quia vſus propriæ libertatis requirit, vt poſitis omnibus ad agendum neceſſarijs, & neceſſario requiſitis ad eliciendum actum liberum cauſæ maneant indifferentes; ex Scoto 2. diſt. 39. ergo effectus contingentes in ipſis habent eſſe indeterminatum, & indifferens.

12 Deus ante omnem liberam ſuæ voluntatis deliberationem, nec ex efficacia ſuæ ſcientiæ, nec ex eminentia, & ſumma ſui intellectus perfectione certò ſcire poteſt ea, quæ determinate à cauſis liberis abſolute, vel condicionatè futura ſunt, De ſcientia probatur authoritatibus antiquorum Patrum qui aſſerunt non ideo res eſſe futuras, quia præſciuntur à Deo, cum potius præſciantur à Deo quia futura ſunt. Ita Origenes lib. 7. in Epiſtolam ad Romanos vbi expendens illa Verba quos vocauit hos, & iuſtificauit, inquit non ideo aliquid erit, quia Deus ſcit, ſed quia futurum eſt ſcitur à Deo, antequam fiat; De intellectu diuino pariter probatur; nihil determinate futurum eſſe poteſt, nec immediate à Deo, nec interuentu ſecundarum cauſarum, quin determinate velit Deus futurum, atque adeo ante omnem diuinę voluntatis decretum diuinus intellectus nequit certo ſcire, quid determinate eſset facturum liberum arbitrium Petri, ſi in aliquo rerum ordine determinato cum certis circumſtantijs, & auxilijs accipiantur, antecedens probatur, cum nihil à cauſis ſecundis in tempore reipſa fieri poſſit, quin Deus cum eis concurrat determinate ad illud efficiendum pro ſua voluntate, conſequentia etiam patet; ſicut enim non eſt ſatis cauſis ſecundis, vt reipſa agant, quod præciſe in aliquo ordine rerum determinato conſtituantur cum certis circumſtantijs, & auxilijs exhibitis per modum principij, ſed etiam requiritur, vt Deus determinate concurrere velit cum eis ad hunc, vel illum actum in particulari, ita certò cognoſci nequit effectus determinate futurus ex eis in illo ordine rerum conſtitutis, quin cognoſcatur decretum determinatum diuinæ voluntatis.

13 Hæc materia de pręſcientia Dei, & decretis diuinæ voluntatis eſt adeo recondita, & difficilis, & humanum

Digitized by Google

captum ſuperans, vt vix ſine ſpeciali Dei lumine attingi poſſit, tamen quia abundat ſupernaturale auxilium, ideo creſcit confidentia feliciter euadendi periculum erroris ideo ſequentia notanda ſunt; Primum, implicat contradictionem eſſectum aliquem poſitivum fieri à cauſis ſecundis, ſiue naturalibus, ſiue liberis, in quem Deus vero, & reali influxu non influat; tum quia in rerum daretur aliqua poſitiua entitas independens à Deo ineſse, & in conſeruari, cujus Deus non eſset Auctor; tum etiam quia cauſæ ſecundæ eius comparatione independenter à cauſa prima agerent, quod eſt contra naturam cauſæ ſecundæ in communi, quæ eſsentialiter in eſsendo, & operãdo ſubordinatur cauſæ primæ; ſecundum concurſus cauſæ primæ in effectus omnes cauſarum ſecundarum eſt immediatus, tum immediatione ſuppoſiti in eſſendo, & operando, tum immediatione virtutis; Concurſus dicitur immediatus immediatione ſuppoſiti, cum Deus intime rebus omnibus per eſſentiam præſens ſit adeo, vt nullum ſuppoſitum creatum mediet, nec inter Deum, & prædictos effectus cauſarum ſecundarum, nec inter actionem eius, & eoſdem effectus, quos per illam Deus efficit; Dicitur vero concurſus immediatus immediatione virtutis, cum per virtutem ſibi inexiſtentem attingit Deus omnia extra ſe, & non tantum per virtutem à ſe diffuſam cauſiſque ſecundis communicatam, vt perperam aliqui opinati ſunt; non agnoſcentes dependentiam cauſarum in operando, ſed ſolum in eſſendo.

14 Tertium, eiuſmodi concurſus Dei eſt etiam ſimpliciter ſufficiens ſe ſolo ad ponendum effectum in eſſe, ſine concurſu cauſarum ſecundarum, ita vt ſi Deus concurſum ſuum, quo cum cauſa ſecunda efficit aliquem effectum conſeruare vellet, etiam non agente cauſa ſecunda, ex vi ſolius concurſus Dei effectus in re poneretur non ſecus, ac ſi cauſa ſecunda ageret ex Scoto in 4. queſt. 1. diſt. 12. & non aliter poteſt dici inſufficiens, niſi quatenus Deus liberè ſtatuit concurſum ſuũ, nec exhibere, nec conſeruare etiam agente eadem cauſa ſecunda contra aliquos male Theologizantes, & dicentes huiuſmodi concurſum eſſe vniuerſalem, inſufficientem, indeterminatum, indifferentem, & recipientem particularizationem à cauſis ſecundis, & conſequenter ab ipſis dependentem in operando.

15 Quartum; Deus per ſuum concurſum ſic explicatum, & applicatum nedum in effectus ſecundarum cauſarum, vt dictum eſt, ſed etiam in ipſasmet cauſas ſecundas agit non quaſi aliquam formam abſolutam tranſeuntem, vel permanentem in illis efficiendo, quæ ſit complementum earum in actu primo vt opinantur Thomiſtæ præmouens excitans; applicans, ſeu prædeterminans ad operandum eaſdem cauſas ſecundas, & conſequenter in cauſis ſecundis liberis maniſeſte impediens vſum libertatis, ſed quatenus cauſat cauſalitates earum, quæ ſunt relationes illę mutuæ inſurgentes in abſoluto effectus ad abſolutum cauſæ & è contra in abſoluto cauſæ ad abſolutum effectus; ratione cuius concurſus in cauſis dicitur etiam Deus eas mouere, & pręmouere, mouere quidem, cum vere in eis efficiat, quo ipſæ ſe mouent, & mouentes ſe denominantur, premouere vero, quatenus ſaltem prioritate à quo, licet non in quo relationes prædictas cauſalitatis actiuæ, & paſſiuæ in illis efficit, ſeu attingit.

16 In hoc concurſu duplex eſt prioritatis ordo inter cauſam primam, & ſecundam, cum efficiunt effectum communem. Alter eſt ordo prioritatis

à quo

à quo; qui conſideratur inter plures cauſas, quæ concurrentes ad communem effectum licet ſimul pro eodem inſtanti illum attingant, tamen cum vna agat à ſe per virtutem perfectiorem, & eminentiorem, altera vero per virtutem dependentem, & inferioris ordinis; prima recte dicitur attingere prius quam altera prioritate à quo. Secundus eſt ordo prioritatis in quo qui (vbi daretur) eſſet inter duas cauſas, quarum altera in agendo in aliquo inſtanti attingeret effectum, in quo altera non attingeret, & tunc effectus tantum à prima non à ſecunda procederet, cum ſecunda nihil ageret, quia ſi ageret; Idem bis produceretur.

17 Septimum; Quam vis Deus cum creata voluntate attingat actus omnes, quos pro ſua innata libertate efficit in tempore, ſiue moraliter, ſiue ſupernaturaliter bonos, ſiue culpabiliter malos ſaltem ſecundum entitatem poſitiuam præſcindendo eos à malitia formaliter accepta, quæ eſt carentia rectitudinis debitæ in eſſe nō tamen eodē modo concurrit ad actus malos, ſicut concurrit ad actus ſupernaturales; etenim priores efficit quatenus eos creata voluntas pro ſua libertate efficere vult, concurrendo ſcilicet pure concomitanter cum eadem creata voluntate, ſiquidem antecedenter non modo eos non procurat præmouendo, excitando, vel trahendo voluntatem ad eos efficiendum, immo quantum eſt ex ſe; ipſos omnino prohibet ne, fiant; Ad actus autem ſupernaturales concurrit Deus, tam antecedenter ad eos efficiēdos auxilijs quibuſdam præuijs gratiæ præuenientis excitantis, & operantis noſtram voluntatem ordine cauſalitatis præmouendo, alliciendo & pertrahendo ad eos eliciendos; tum conſequenter, quatenus cum voluntate creata ſic præuenta attingit illos; quo fit, vt hac ratione præciſa dicatur Deus cauſa ſupernaturalis, quatenus ſcilicet ad illos actus efficiendos noſtram antecedenter præmouet; Actus vero mali cauſa non dicitur, cum antecedenter illum potius prohibeat ne fiat.

18 Iſte concurſus conſequens habet fundamentum in decreto diuinæ prouidentiæ, quo ſtatuit ſic regere, & ſuauiter gubernare res, quas condidit, & creauit, vt eas proprios motus habere ſineret; Voluntas autem creata ob intrinſecam libertatem contingenter & libere vult, & non vult, vult hoc & non vult illud. Ideo Deus coagendo cum ipſa coagit concomitanter; non tamen antecedenter prædeterminando eam ad agendum, vel non agendum, hæc enim determinatio non coheret cum vero vſu ſeu exercitio libertatis voluntatis creatæ.

Octauum Corol. Duplex eſt decretum liberum diuinæ voluntatis quo decreuit concurrere ad actus liberos futuros prouenientes à cauſa libera creata nempe vltimum, ſeu abſolutum, quod nullam inuoluit condicionem, & ſic cum cauſa libere, & abſolute operante vult Deus abſoluto decreto concurrere; & non vltimum, ſeu condicionatum, quod nimirum inuoluit condicionem, quæ reperitur in cauſa libera creata; dum conſtituta in tali ordine rerum cum talibus circumſtantijs hoc vel, illud faceret & è contra; ſic decreuit concurrere ad capturam, & interfectionem Dauid faciendum à Ceilitis in deſcenſu Saulis, ſi Dauid tunc inuentus fuiſſet in Ceila, 1. Regum 23. & Niniuitarum ſubuerſionem, ſi non egiſſent pęnitentiam, Ionæ 1. & conuerſionem Tiriorum, & Sydoniorum ſi fuiſſent apud eos à Saluatore miracula facta quæ fecit Corozaim & Betſaidæ Matth. 11. & alia ſimilia.

19 Nonum Corolariū eſt decretum

Digitized by Google

Dei, cum ſit actus ille ſimpliciſſimus diuinę voluntatis, quo formaliter tēdit in omne volibile per relationem quandam attingentiæ, ſeu tendentiæ, quam præciſe fundat ſecundum noſtrum modum intelligendi poteſt dupliciter conſiderari primo modo materialiter, & pro fundamento relationis tendentiæ, quatenus eſt actus abſolutus, vel vitalis operatio voluntatis diuinæ, & ita eſt formaliter vnus, & virtualiter multiplex; ſecundo modo conſideratur formaliter pro relatione illa tendentiæ ſecundum quam concipimus actum illum tendere ad quemlibet effectum determinate futurum cauſę creatæ libere operantis, & ſic eſt formaliter multiplex, ſic que hac ratione huiuſmodi actum, quem vocamus decretum diuinæ voluntatis, & quem diuidimus prædictis diuiſionibus, & alijs vt in ſequenti articulo, prout creata voluntas diuerſimode elicit actus ſuos futuros, dicimus eſſe multiplicem.

20 Ex his ſic prænotatis ſequuntur hæc corolaria. Primum eſt, decreta libera diuinæ voluntatis per ſe, & immediatæ extendi debent ad effectus omnes, qui in tempore fiunt, ſiue totaliter ab ipſo Deo, ſiue interuentu cauſarum ſecūdarum, etiam ſi ſint actus mali pendentes à cauſis liberis, quia (vt dictum eſt) cauſæ omnes ſecundæ in eſſendo, & operando eſſentialiter pendent à cauſa prima; Ideoque ſine immediato eius concurſu nihil in re poſſunt cauſare; Ad effectus futuros à Voluntate creata Deus ſic ſe habet, vt eos non præfiniat abſolute, ſed ſimul omnino cum illa determinet, quatenus pro ſua libertate eos determinate effectura eſt; adeo, vt decretum prædictum Dei abſolutum, & efficax in ordine ad ipſam voluntatem creatam non faciat ſuppoſitionem antecedentem, ſed concomitantem, nam Deus in tempore eos ſimul efficit cum creata voluntate & nō prius niſi prioritate à quo, quæ eſt prioritas eminentiæ, ergo ab æterno non prius, ſed ſimul cum creata voluntate voluit determinate illos fore, cum Deus in tempore ita agat cum cauſis ſecundis, ſicut ab eterno agere decreuit.

21 Secundum Corolarium ſi de rebus, quæ immediate à Deo futuræ ſunt omnimoda immediatione eſt ſermo prima omnium, & adæquata ratio certitudinis diuinæ præſcientiæ, quam ab æterno habuit Deus de illis præciſe petenda eſt ex præfinitionibus abſolutis & efficacibus diuinæ voluntatis eſt certum apud omnes. Si vero ſit ſermo de rebus determinate futuris ex ſecundis cauſis liberis talis certitudo diuinæ præſcientiæ petenda eſt præciſe non ex eminentia diuini intellectus, qua cognoſcat quid eſſet futurum à prædictis ſecundis cauſis liberis ſi crearentur cum debitis circumſtantiis in aliquo rerum ordine, & Deus vellet cum eis concurrere; quia liberum arbitrium in quibuſcumque circumſtantijs, & auxilijs conſtitutum in quolibet rerum ordine, quamuis alioquin ad vnam partem naturaliter inclinatum ſemper eſt eſſentialiter liberum, indeterminatum, & indifferens ad vtramque partem, ergo præciſe ex perfectione infinita diuini intellectus prima ratio certitudinis præſcientiæ Dei accipi non poteſt.

22 Nec ex decretis abſolutis, & efficacibus Diuinæ voluntatis tantum ſi antecedunt voluntatem Creatam accipienda eſt ratio certitudinis talis, quia talia decreta abſoluta, & antecedentia repugnant vero vſui, ſeu exercitio libertatis eiuſdē voluntatis creatæ; Prima ratio certitudinis præſcientiæ diuinæ circa prædicta futura cauſæ liberę accipienda eſt ex præfinitionibus diuinæ voluntatis virtualiter inuoluen-

tibus

Digitized by Google

tibus etiam liberam determinationem actiuam prędictarum cauſarum liberarũ ſecundarũ, hoc eſt, ex decretis, quibus Deus concomitanter ab ęterno ſimul cũ eis effectus prædictos diſtincte, & in particulari in tempore creare voluit; Nam cum diuina voluntas ſit libera per eſſentiam certum eſt in ſe continere eminenter voluntatem creatam liberam per participationem, cui in operando decreuit ſe accomodare; ſuppoſita nimirum generali Lege, & decreto diuinæ prouidentiæ; quo producendo vniuerſum voluit eas cauſas liberas creare, eaſque libere agere, Igitur certitudo diuinæ præſcientiæ de futuris euentibus à cauſis liberis petenda eſt ex præfinitionibus diuinę voluntatis inuoluentibus virtualiter, & eminenter liberam determinationem dictarum cauſarum ſecundarum.

23 Tertium Corolarium eſt certum de fide cum infallibilitate, & certitudine diuinæ præſcientiæ recte cohærere contingentiam in futurorũ euentu, & libertatem in actibus cauſarum ſecundarum; probant hoc contra Hæreticos Thomas Valdenſis tom. 1. lib. 1. art. 1. Cap. 21. Alphonſus de Caſtro contra Hæreſes v. Fatum, quæ concordia ex eo præciſe accipienda eſt; quia ſcilicet ſupponit omnino res ipſas eſſe determinate futuras ex decreto libero diuinæ voluntatis non antecedente, ſed concomitante determinationem actiuam creatæ voluntatis, præſcientia enim Dei eſt tantum appræhenſiua rectitudinis agendorum, & non directiua, vel determinatiua ex Scoto in 1. diſt. 38. ad primum principale. Ideo enim Deus certo ſcit res determinate futuras, quia ipſæ determinate futuræ ſunt; ergo præſcientia Dei eſto ſit certa, & infallibilis, nequit tamen rebus futuris ſimpliciter neceſſitatem imponere, non enim eſt ſuppoſitio antecedens ordine cauſalitatis futuritionem eorum, ſed tantum concomitans, ideoque tantum neceſſitatem conſequentiæ inferre licet ex præſcientia diuina comparatione rerum determinate futurarum.

24 Nec ex parte abſoluti decreti diuinæ voluntatis, quod neceſsario ſupponit diuina præſcientia imponere poteſt rebus futuris abſolutam neceſſitatem, ſiquidem dictum eſt decretum illud, ſicut in ſe non eſt antecedens, ſed omnino concomitans determinationẽ liberam voluntatis creatæ; ita in tempore non poteſt phyſice applicare ad prædeterminandam antecedenter noſtram voluntatem virtutem cauſatiuã Dei, ſed tantum applicat ad agendum concomitanter nobiſcum ex Scoto in 2. diſt. 37. & 3. diſtinc. 17. ad primum principale reſponſione ſecunda; Hæc ſcientia quam Deus habet de cunctis futuris abſolutis reuera eſt certa, & infallibilis, neceſsaria, & immutabilis obiectiue, non quidem neceſsaria intrinſece ex natura terminorum, ſed tantum ab extrinſeco decreto diuinæ voluntatis modo dicto, quod eſt fundamentum, tum eiuſdem diuinæ præſcientiæ, tum etiam futuritionis effectuum liberarum cauſarum ſecundarum, ex quibus omnibus patet cum infallibilitate, & certitudine diuinæ præſcientiæ coherere contingentiam futurorum euentuum liberorum, & libertatem voluntatis creatæ in actibus ſuis.

25 Quartum Corolarium. Hac ſua præſcientia comprehendit Deus non tantum abſolutos effectus liberarum cauſarum ſecundarium, ſed etiam condicionatos; hoc ſenſu, quod Deus certo, & infallibiliter ſua præſcientia (non condicionata quam mediam vocant) comprehendat non tantum quid facere poſsent cauſæ omnes, tum naturales, tum liberæ in quolibet rerum ordine, ſed etiam quid de facto facerent, ſi cũ his

Digitized by Google

his, vel illis circumſtantijs in hoc, vel in illo rerum ordine crearentur, vel cõſtituerentur, operariq; finerentur etiãſi de facto non ſint cum illis circumſtantijs in prædicto rerum ordine conſtituendæ, quod ita verum eſt, vt oppoſitum non verear aſſerere eſſe periculoſum in fide; probatur hæc veritas ex ſacra ſcriptura, cognouit Deus deſcenſum Saulis in Ceilam, in cuius manus Ceilitæ dediſſent Dauid, vt interficeretur 1. Regum Cap. 23. Niniuitarum ſubuerſionem, ſi pœnitentiam non egiſſent Ionæ 1. Conuerſionem Tiriorum, & Sydoniorum, ſi fuiſſent apud eos à Saluatore miracula facta, quæ fecit Corozaim, & Bethſaidæ. Matth. 11. Lapſum multorum iuſtorum finaliter in mortalem culpam, ſi miſericordia Dei non fuiſſent morte præuenti Sap. 4. Scotus etiam in 4. diſt. 16. qu. 2. dicit Deum certo ſcire Petrum, qui peccauit pro A. eſſe dignum morte æterna, & pœna perpetua ſi pro A. finaliter eſſet iudicandus, vel ſi pro A fieret in termino; hoc eſt reuera condicionatè ſcire.

26 Quintum Corolarium: Non poteſt Deus ante omnem ſuæ voluntatis determinationẽ aliquid ex poſſibilibus certo cognoſcere ſub ratione determinate futuri, nec abſolute, nec condicionate ex eo ſcilicet quod ſi cauſæ ſecundæ liberæ in hoc, vel illo rerum ordine conſtituerentur cum determinatis circumſtantijs, vel auxilijs hoc, vel illud determinate agerent, quia tota futuritio cuiuſcumque effectus erit tantum ex decreto diuinæ voluntatis virtualiter, & eminenter in voluentis voluntatem creatam modo expoſito; Poſt igitur decretum diuinæ voluntatis non vltimum, ſeu condicionatum Deus certò ſcit effectus omnes determinate futuros condicionatẽ ex cauſis ſecundis liberis, eos ſcilicet, quos efficerent ſi cõſtituerentur in hoc, vel illo rerum ordine cum illis circumſtantijs, & auxilijs; determinata enim veritas generatim in futuris contingentibus non accipitur ex natura rei, cum potius ex hac parte indifferens ſit, & indeterminata ad fore, & non fore, igitur ex determinatione cauſarum liberarum deſumenda eſt.

27 Sextum Corolarium Deus certò ſcit eiuſmodi condicionate futura principiatiue, & attingit virtute ſuæ eſſentiæ, ſuppoſitis decretis prædictis condicionatis terminatiue vero ea attingit, quatenus ſunt ſibi obiectiue præſentia ſub actuali ſua intelligentia, ſub qua virtute eſſentiæ diuinæ, vt dictum eſt in eſſe cognito producuntur; prior pars colligitur ex Scoto in 1. diſt. 39. vbi eã probat, quia ſola eſſentia diuina tanquã obiectum primarium diuini intellectus eſt obiectiua ratio cognoſcendi omnia motiue, ſeu principiatiue. Secunda pars inſinuatur etiam ibi, vbi Scotus monet Deum attingere omnia futura in particulari cũ omnibus circumſtantijs, quatenus ſunt ſibi præſentia, non realiter, vt volunt Thomiſtæ, ſed in eſſe obiectiuo, & intelligibili; Hæc ſunt dicta contra eoſdem Thomiſtas ſcilicet Molinam p.p. q. 14. diſput. 17. & 18; Suarez opuſculo de ſcientia futurorum ſub condicione Cap. 3. n. 6. Vaſquez 1. p. diſp. 66. Cap. 4. num. 3. & Fauentinum Scotiſtam in 1. diſp. 54. nu. 49. omnes ſuſtinẽtes Deum habere certam, & determinatam ſcientiam de omnibus effectibus determinate futuris ex cauſis ſecundis ex vi ſolius intellectus independenter à liberis decretis ſuę voluntatis.

De

Digitized by Google

De voluntate diuina, & diuino amore ſui, & creaturarum. Art. V.

1 POſtquam in ſuperioribus articulis actum eſt de intellectu diuino eius actibus & obiectis nunc agendum eſt de voluntate, eius obiectis & principali actu nempe amoris ſui & creaturarum & inſequentibus de cæteris actibus eiuſdem voluntatis diuinæ erit ſermo. Pluribus locis maxime in p. diſt. 2. q. 1. & diſt. 45. & alibi ſæpe Scotus ait in Deo reperiri formaliter voluntatem ſumme, & infinite perfectam, vt operatiuam, & productiuam, & conſequenter tanquam principium volendi omne volibile, & hoc verum eſt non tantum de voluntate accepta pro appetitu libero verè, & proprie operatiuo, & productiuo, ſed etiam pro appetitu naturali; qui eſt pondus naturæ in ſuam perfectionem; Prima pars eſt de fide iuxta illud pſalmi 113. omnia quæcumque voluit fecit in Cœlo, & in terra & ratio ſuadet, nam voluntas eſt perfectio ſimpliciter, cum in natura intellectuali ſimpliciter melius ſit eam eſſe, quam non eſſe; ideo reperitur formaliter etiam in Angelis, & hominibus, quatenus ſunt ad immaginem Dei creati, diuina autem natura eſt pelagus infinitum, & interminatum omnis perfectionis, ergo eiuſmodi perfectio ei formaliter deeſſe nequit.

2 Secunda pars probatur; nam appetitus naturalis nullam inuoluit imperfectionem, dum eſt propenſio naturæ ad ſuam perfectionem vltimam; & quia non eſt de ratione huius appetitus ad bonum non habitum & non poſſeſſum; ſed etiam eſſe poteſt per modum amoris & quietis in re habita, perfecteque poſſeſſa; Voluntas diuina non eſt prædicatum quiditatiuum diuinæ eſſentiæ; neque modus eius intrinſecus; & conſequenter non eſt formaliter idem cum eſſentia diuina; eſt quidem realiter idem cum ea, ſed ab ea diſtinguitur formaliter tanquam attributum habens propriam formalitatem infinitam, ſicut intellectus, & cętera attributa, de quibus ſatis dictum eſt articulo primo; Voluntas diuina eſt potentia habens obiectum ſuum, circa quod verſatur, quod eſt duplex ſcilicet primarium, & ſecundarium; primarium quacumque primitate originis perfectionis, & adæquationis eſt eſſentia diuina, in qua ſatiatur adæquate, & complete non tantum quatenus voluntas diuina eſt potentia operatiua, ſed etiam quatenus eſt appetitus naturalis; Obiectum ſecundarium ſunt omnes res creatæ. De iſtis duobus obiectis plura dicta ſunt ſuperius, cum ageretur de intellectu diuino, quæ hic applicari poſſunt, cum intellectus, & voluntas idem obiectum reſpiciant, quamuis diuerſa ratione intelligibilis ſcilicet, & amabilis.

3 Voluntas diuina eſt vnica & ſimpliciſſima habens vnicum, & ſimpliciſſimum actum ſibi realiter identificatum, & tantum ex natura rei à ſe diſtinctum, adeo vt neque ſecundum rem, neque ſecundum realitatem actus ſimplicis volendi ſana fide voluntas diuina pati poſſit diſtinctionem, ſed ſolum diuidi poſſit ſecundum tendentiam eiuſdem actus ſimplicis in diuerſa obiecta, vel potius ſecundum diuerſum tendendi modum in illa; Hinc voluntas diuina ſolet in primis diuidi in voluntatem ſigni, & beneplaciti 2. diſt. 37. vbi docet Scotus multa Deum velle voluntate ſigni quæ prohibuit voluntate beneplaciti; inquit enim non vult omnia fieri voluntate beneplaciti, quæ præcepit, ſicut noluit Iſaac immolari

lari quod tamen præcepit; Voluntas beneplaciti ex Scoto in p. diſt. 46. eſt vltima determinatio abſoluta, qua Deus efficaciter vult aliquid fore ad differentiam voluntatis ſigni, quæ aut nullum ponit actum formalem in Deo immediate terminatum ad obiectum, quod per illud ſignum manifeſtatur volitum, aut non ſemper, niſi quando voluntas ſigni ſupponit etiam voluntatem beneplaciti; ſicut eſt talis voluntas ſigni ſecundum quam Deus vult prædeſtinatos ſaluari.

4 Hinc prior voluntas ideſt beneplaciti proprie dicitur formalis voluntas, ſiue volitio efficax diuinæ voluntatis, poſterior vero dicitur tantum ſignum illius; ſunt autem quinque ſigna diuinæ voluntatis ſcilicet præceptum, prohibitio, conſilium, permiſſio, & operatio; quorum ſufficientia eſt; quia aut diuina voluntas comparatur ad præſens, aut comparatur ad futurum; ſi ad præſens, vel comparatur ab bonum, & ita eius comparatione ponitur operatio, cum Deus operetur in nobis ſine nobis motum gratiæ excitantis, quæ ſignum eſt illius boni, quod à nobis Deus fieri vult; quatenus ad illud nos excitat, vel comparatur ad malum culpæ, & eius comparatione ponitur permiſſio. Si comparatur ad futurum, & illud vel eſt malum ſic ponitur prohibitio, ſiue præceptum negatiuum, vel illud eſt bonum, & tunc, vel bonum neceſſarium ad ſalutem, & de hoc datur præceptum, vel ſolum vtile ad illam, & ſic datur conſilium.

5 Item voluntas diuina adhuc duplex eſt alia abſoluta; alia condicionata ex Scoto in 4. d. 16. q 2. abſoluta voluntas dicitur efficax volitio, qua Deus abſolutè vult aliquid fore, & hæc ſemper impletur, nec impediri poteſt à cauſis ſecundis, cum de ea dicatur in ſcriptura non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati ſi decreueris ſaluare; Voluntas autem condicionata eſt volitio; qua Deus aliquid vult fore hac vel illa condicione exiſtente, conſtituiturque eiuſmodi duplex volūtas in Deo comparatione eorum quæ dependent etiam à cauſis ſecundis præſertim liberis, ita Scotus in 4. loco citato, vbi ait Deus volūtate condicionata hominem in peccato mortali exiſtentem ad pœnam æternam ordinare, ſi ſcilicet fiat in termino, vel ſi priuſquam in termino fiat & mortalis criminis fuerit pœnitens velle ei condonare æternam gloriam poſt remiſſionem criminis, & infuſionem gratiæ.

6 Diuina voluntas tertiò diuiditur in antecedentem, & conſequentem ex D. Damaſceno lib. 2. de fide cap. 29. & Scoto in 1. diſt. 46. ad primum principale; Voluntas antecedens eſt, qua Deus vult aliquid fore quantum eſt ex ſe, ſicut dicitur Deum neminem velle perire, ſed potius ſaluari, conſequens eſt, quæ in eo conſequitur ex aliquo actu liberi arbitrij creati infallibiliter futuro, & hac voluntate vult Deus finaliter peccatores perire ſtante præſcientia, quod ſint finaliter peccaturi; Igitur antecedens voluntas oritur ex bonitate & miſericordia Dei, conſequens ex vitio hominis; Vult enim Deus ſaluare, quia bonus eſt, vult punire, quia iuſtus eſt; Hæc breuiſſime expræſſit Tertullianus lib. de reſurrect. Carnis cum ait Deus de ſuo optimus, de noſtro iuſtus; Hæc diſtinctio declarari ſolet duobus exemplis vno Mercatoris altero Iudicis; Mercator voluntate antecedente vult omnes ſuas merces ſaluas eſse, conſequente vult eas in mare proijcere conſideratis periculis; in quibus verſatur, vellet tamen eas ſaluare ſi poſset. Similiter Iudex voluntate antecedente vult omnes ciues eſse ſaluos, & incolumes, conſequente vu-

al 1-

aliquos mori ſpectatis eorum ſceleribus, manente tamen velleitate de eorum conſeruatione, ſi leges paterentur Deus enim non creauit vllum ad mortem, & damnationem, ſed omnes creauit ad vitam, nec quemquam damnari, niſi propter culpam.

7 Hæc diuiſio partim cum priori conuenit partim ab illa differt; in eo enim conuenit, quod omnis voluntas condicionata eſt antecedens, & non è contra; Cum enim voluntas qua Deus præuenit peccatorem per auxilium excitantis gratiæ antecedens ſit non tamē eſt condicionata; Item non omnis abſoluta voluntas eſt conſequens, cum voluntas, qua Deus prædeſtinat homines abſoluta ſit, ſed non eſt conſequens, cum non oriatur ex meritis antecedenter præuiſis, omnis vero conſequens eſt etiam abſoluta; Item diuiditur voluntas diuina inefficacem, & in inefficacem, quæ aliter vocari ſolet velleitas, prior eſt, quæ inuoluit vltimam determinationem diuinæ voluntatis, quæ ſemper ſortitur effectum; poſterior includit determinationem non vltimam, & proinde non ſemper effectum conſequitur, quæ explicari poteſt per verbum optatiui modi vellem hoc, ſi fieri poſset; ſed diuiſio hæc æquipollet cum præcedentibus; Hinc patet quomodo in peccatoribus, qui faciunt contra voluntatem Dei ſemper tamen impleatur voluntas Dei, impletur enim voluntas efficax; qua ſtatuit eos punire tamen faciant contra voluntatem alteram, qua voluit eos non peccare.

8 Caluinus lib. 1. Inſtitut. Cap. 17. v. 2. & lib. 3. Cap. 20. v. 43. addit alteram diuinæ voluntatis diuiſionem in reuelatam in ſcripturis, qua vult præcepta ſua ſeruari, & in arcanam, ſeu abſconditam, qua omnia moderatur, & in ſuum finem deſtinat; Hæc diſtinctio admittenda non eſt eo ſenſu, quo à Caluino traditur; Nam ipſe docet Deum prohibere peccata per voluntatem reuelatam; præfinire tamen, & ordinare per voluntatem arcanam, & abſconditam; ideſt Deum quidem in ſcripturis reuelare nobis, & patefacere, quod nolit peccata; interim tamen occultè velle peccata, vt habeat occaſionem Iuſtitiam vindicatiuam exercendi; Dices ergo Caluinus admittit in Deo duas contrarias voluntates vnam, qua nolit peccata, alteram qua velit: Reſpondetur. Ipſummet Caluinum ſibi hoc argumentum lib. 1. Inſtitut. Cap. 18. v. 3. obijcere his verbis, quod obijciunt ſi nihil euenit, niſi volente Deo duas eſse in eo contrarias voluntates, quia occulto conſilio decernat, quæ lege ſua palam vetuit facile diluitur. Quibus verbis ſignificat hanc obiectionem facile ſolui poſse; & tandem poſt longam concionem ita ſoluit, quomodo idem diuerſo modo nolit fieri, & velit non capimus; Igitur facilis illa dilutio, quā Caluinus promittit eſt hæc non capimus; quam etiam Ruſtici norunt adhibere.

9 Iſtis diuinæ voluntatis diuiſionibus prælibatis, Dicendum putamus in actu eſsentiali diuinæ voluntatis, quo Deus vitaliter volendo tendit in eſsentiam ſuam abſolutam reperiri neceſſitatem ex Scoto quolib. 16. hæc veritas eſt de fide ab omnibus recepta; probatur actus ille eſt realiter ſubſtantia Dei, qui eſt in ſe ſumme neceſsarius, ergo &c. Item Deus eſt abſoluta neceſſitate beatus, non eſt autem beatus formaliter, ſine actibus intellectus, & voluntatis, quibus vitaliter attingit eſsentiam ſuam tanquam bonum ſimpliciter optimum ergo; Cum hac tamen neceſſitate abſoluta optime ſtat eſsentialis libertas in illo actu volendi, quo Deus eſſentiam ſuam attingit; nam voluntas habet modum operandi diuerſum eſ-

ſentialiter à modo operandi intellectus; alioquin non videtur quo modo ſint principia productionum realiter diſtinctarum; At intellectus habet modum agendi naturalem, hoc eſt ex ſe determinatum ad vnum, ergo voluntas habet modum producendi liberum, hoc eſt ab ipſa voluntate determinatum ad agendum; Ideo ſimpliciter in actu eſſentiali, quo Deus diligit ſe ipſum nulla ingenue reperiri poteſt naturalis neceſſitas, quæ ei conueniat ratione ſui principij volitiui quolib. 16. quia libertas, & naturalis neceſſitas eidem numero principio productiuo, & operatiuo coherere non poſsunt, cum ſint eſſentiales differentiæ ſibi inuicem contradictoriæ, & omnino oppoſitæ, cum naturalis neceſſitas in virtute agendi determinata ad vnum radicetur, libertas vero in virtute agendi libere ab ipſa voluntate determinata ad vnum, ſed implicat vnum numero principium eſſe naturaliter determinatum ad vnum, & non determinatum ad vnum, ergo manifeſte implicat voluntatem diuinam ſimul naturaliter & libere tendere in eſsentiam ſuam.

10 Prædicta declarantur; Principium agendi ſeu operandi (ex Scoto in quolib. 16. ar. 2.) eſsentialiter & per ſe primo diuiditur in principium naturale, & liberum, accidentaliter vero, & ſecundario in principium agendi neceſſario, & contingenter; Dicitur per ſe primo, & eſſentialiter diuidi in naturale, & liberum quia ex Scoto in primo diſt. 2. q. 7. naturaliter agere, & agere libere ſunt eſſentiales differentiæ per ſe prius diuidentes principium operandi in communi, & conſequenter ſpecies diuerſæ ab illo, quare neuter illorum agendi modus ad alterum reduci poteſt; Dicitur vero accidentaliter & ſecundariò diuidi huiuſmodi principium in neceſſarium & contingens, quia vterque modus ſic agendi ſcilicet neceſſario, & contingenter ſimul coherere poſſunt, tam cum libertate agendi, quam etiam in naturalitate.

11 Vt in præſenti propoſito. Voluntas enim diuina comparatione ſui obiecti primarij quod eſt eſſentia diuina præciſe eſt ſimul operandi principium libere & neceſſario, comparatione vero ſui obiecti ſecundarij, quod eſt omne creatum & creabile eſt pariter principium agendi libere & contingenter; Idem quoque accidit in principio naturaliter agendi in cunctis creatis rebus reperto, non tantum, quia agunt neceſſario ex ſe, contingenter vero quatenus ſunt ex ſe impedibiles, ſed etiam quia omnes effectus eius licet earum comparatione dicatur effectus neceſſitate producti, comparatione tamen primæ cauſæ, ſimpliciter & abſolutè producuntur liberè & contingenter ex 1. d. 8. q. 5. in fine; Idcirco eſſentiales differentiæ per ſe primo diuidẽtes principium agendi in communi ſimul eſſe nequeunt, ſed tantum accidentales & ſecundariæ.

12 In qualibet natura intellectuali, cui intrinſece conuenit agere libere duplex eſt libertas, vna dicitur potentiæ, & in actu primo, altera dicitur libertas ſecundum vſum libertatis potentiæ liberè operantis, & in actu ſecundo; Hęc ſecunda libertas præſuponit primam neceſſario, nequit enim libertas reperiri ſine facultate libera in qua radicetur. Prima libertas à poſteriori ſeparari poteſt, cum creata voluntas à Deo impediri poſſit, ne habeat exercitium ſuæ libertatis, quia eius libertas non eſt omnino prima, ſed participata, eſſentialiterque ſubordinata voluntati diuinæ ex Scoto in 3. diſt. 17. q. vnica ad primum principale reſponſione 2. Prima libertas eſt eſſentialis, quia ſeparari non poteſt à natura intellectuali; conſiſtit-

Digitized by Google

ſiſtitque formaliter in indifferentia, & indeterminatione actiuæ virtutis ad operandum, & naturaliter non determinata ad vnum, ſecunda libertas ſeu potius vſus libertatis dicitur libertas accidentalis, quæ conſiſtit in actu libere operandi ex natura rei à prima diſtincto; qui quantum eſt ex ſe ſeparari poteſt à facultate libera.

13 Hæc libertas accidentalis eſt duplex ſcilicet libertas exercitij, ſiue contradictionis ad velle, & non velle; & libertas ſpecificationis, ſiue contrarietatis ad velle hoc, & nolle aliud. Prior libertas eſſentialis eſt in Deo tantum ad intra, non ſecunda, ſiue vſus liber, nec quoad exercitium, nec quoad ſpecificationem, & hoc non ex aliquo defectu diuinæ voluntatis, ſed ob eius infinitam rectitudinem; & ob infinitam perfectionem ſui obiecti, ſiue eſſentiæ diuinæ, quam neceſſariò amat, & non poteſt eam non amare; quæ neceſſitas non eſt coactionis, nec naturalis, neque immutabilitatis tantum; ſed eſt neceſſitas ineuitabilitatis, quatenus voluntas diuina ob infinitam rectitudinem propriam eam euitare non poteſt libertatis vſus in Deo datur tantum reſpectu operum ad extra ſimpliciter quidem quantum ad exercitium, ſecundum quid vero quoad ſpecificationem; Deus res alias extra ſe in ordine ad actualem exiſtentiam vult tantum libere, & contingenter hoc eſt libertate contradictionis, prima pars eſt contra Ariſtotilem alioſque philoſophos opinantes Deum agere extra ſe neceſſitate naturæ, ſecunda pars affirmans Deum velle res extra ſe contingenter eſt aduerſus Thomiſtas exiſtimantes non eſſe idem Deum velle libere alia à ſe fore, & velle contingenter.

14 In creaturas, vt præciſe poſsibiles libere quidem libertate illa eſsentiali, qua fertur in diuinam eſsentiam, tendit, ſed neceſsario etiam neceſsitatē illa, quæ libertati cohæret, ſicuti eſt ea, quam voluntas ſibi imponit ob ſummā eius rectitudinem quolib. 16. nam duobus modis poteſt diuina voluntas circa res poſsibiles verſari vno modo efficaciter volendo eas in ordine ad exiſtentiam actualem, alio modo ſecundum quandam complacentiam earum poſsibilitatem volendo, & approbando, quo fit, vt licet priori modo contingenter earum comparatione ſe habeat; tamen poſteriori modo nequit ſic earum comparatione ſe habere; nam ſicut Deus cognoſcendo ſe neceſſario etiam virtute eſſentiæ ſuæ attingit creaturas, vt præciſe poſſibiles, ita volendo ſe neceſſario etiam volitione complacentiæ acceptat poſsibilitatem earum; Decretū, ſeu velle liberum, quo Deus vult res extra ſe fore, non addit aliquam perfectionem realem neceſſariam actui diuinæ voluntatis, quæ à parte rei velle liberum formaliter rei extra volibilis appelletur, quia aliquid eſſet ex parte rei formaliter, & intrinſece inexiſtens Deo, quod non eſſet Deus; quod eſt in fide ſuſpectum; aſſumptum ſic probatur; nihil quod poteſt eſse, & non eſse in Deo ex natura rei poteſt eſse Deus, cum ſit ſecundum totum id, quod formaliter habet ens abſolutè neceſſariū, at perfectio illa realis per liberum decretum addita, ſi libera eſt, poterat ineſſe, & non ineſſe Deo ſaltem ab æterno, ergo decretum diuinum &c.

15 Idem decretum liberum Dei formaliter conſtitui non poteſt per extrinſecam denominationem derelictam in Deo præciſe, quod aliquid in tempore efficit, ſeu eſſe reale alicui confert, quia Deus ab æterno dicitur velle verè à parte rei creaturas fore, ergo hoc velle liberum nequit conſiſtere in extrinſeca denominatione temporali relicta in Deo ex reali productione creatura-

Digitized by Google

tum. Item idem decretum Dei, quo vult alia à ſe fore, non conſtituitur formaliter à parte rei per reſpectum rationis, quia prius natura Deus libere vult creaturam fore eam futuram, quam comparet creaturæ volitę actum ſuum volendi, ergo quod dicit velle liberum à parte rei reſpectus eſſe non poteſt, remanet ergo dicendum præfatum decretum Dei liberum, quo vere, & proprie abſque metaphora vult res extra ſe fore eſſe profecto aliquid formaliter à parte rei in voluntate diuina nihil diſtinctum ab actu neceſſario volendi, quatenus vero à nobis concipitur, & explicatur ſanè eſt actus prædictus neceſſarius cum reſpectu quodam rationis à nobis confícto, & excogitato cum fundamento in re, eſt certum.

16 Decreta diuinæ voluntatis ſunt determinationes, quibus Deus determinat hoc, vel illud fieri, quæ licet ſint æterna habent tamen inter ſe, & cum præſcientia Dei ordinem, prima, & ſecunda pars patet, quia Deus nihil determinat in tempore, quod non determinauerit ab æterno, aliter reuera mutaretur phiſice; probatur tertia particula, quia ordine prę ſuppoſitionis quę determinauit ordinate, prius quippe vult v. g. gloriam Chriſto, deinde Angelis poſtea hominibus; vltima etiam particula patet, nam in ſententia Scoti in 3. diſt. 7. q. 3. prius Deus prædeſtinauit Chriſto gloriam, quam præuidit peccatum Adæ, ne tantum bonum ex occaſione peccati præfigeretur; ſi Deus in tempore non vellet, quod ab æterno voluit, mutaretur etiam mutatione morali, ſi enim mutaretur phiſicè multo magis mutaretur moraliter, cum plus requiratur ad phiſicam mutationem, quam ad moralem; Deus igitur tantum in tempore vult, & efficit, quæ ab æterno voluit, & efficere decreuit, patet ex dictis, quia diuina voluntas cum ſit infinitum principium operandi operatur omni meliori modo. ergo independenter à tempore, & à quocumque obiecto volibili creato, ſaluo tamen (vt dictum eſt) eorum ordine.

17 Qui, vt clare, & perſpicuè intelligatur notandum triplicem reperiri ordinem in rebus ſcilicet durationis, naturæ, & originis, qui ordines ſunt omnino alterius rationis, & eſſentialiter ſubordinati, adeo vt totus vnus ordo aſſignari poſſit in vnico inſtanti alterius ordinis; quo fit, vt cum ordo durationis ſit omnium notiſſimus, in vno inſtanti ipſius vere totus ordo naturæ cum omnibus ſuis inſtantibus, ſiue ſignis aſſignari poteſt, & in vno inſtanti ordinis naturę totus originis ordo cum omnibus etiam ſuis ſignis fundari poteſt; Porrò ordo naturæ eſt duplex alter eſſendi, alter intelligendi, primus adhuc duplex eſt vnus poſitiuus inter duo poſitiua repertus, quorum vnum ſine alio eſſe poteſt; Alter priuatiuus, qui inter poſitiuum, ſeu formam, eiuſq; priuationem tanquam duo priuatiua in ordine ad illorum ſubiectum idoneum intercedit, vt accurate Scotus declarat in 3. diſt. 3. q. 1. Iſti duo ordines naturæ ſunt prorſus alterius rationis, ordo, enim ſeu prioritas naturæ eſſendi declaratur per poſſe eſse, vel ſeparari, ſeu exiſtere vnum ſine alio, comparatione cuius dicitur natura prius, quomodo ſubſtantia prior eſt omni accidente, quia ſine illo eſse, & exiſtere poteſt ſaltem per Dei omnipotentiam.

18 Ordo vero naturæ intelligendi appellatus à Scoto ordo præſuppoſitionis, vel naturalis intelligentiæ, non recte notificatur per eſſe poſſe, vel ſeparari, ſed tantum per poſſe vnum abſque alio, vel prius illo intelligi, ſeu quia vnum in ſua intellectione alterius intellectionem non includit; Hanc tamen prioritatem, ſeu ordinem naturæ natu-

ralis

talis intelligentię in Deo conſtituit tam ad intra inter eſſentialia ad inuicem, & inter eſſentialia, & notionalia in ordine ad eſſentiam diuinam tanquam ad proprium ſubiectum (ſecundum noſtrum intelligendi modum) cui inſunt veluti naturales eius perfectiones ſecundariæ non accidentia quædam, vt volebat quidam impius Caluiniſta; quam etiam ad extra ſcilicet obiecti ſecundarij præſertim inter decreta libera diuinæ voluntatis ſecundum quam prioritatem intelligendi docet Deum prius velle vnum, quam aliud, vt infra clarius declarabitur.

19 Doctor ſubtilis admittit verum, & realem ordinem originis inter diuinas perſonas producentes, & productas, & conſequenter realem prioritatem, & poſterioritatem originis, ita ille in 1. diſt. 5. q. 2. & diſt. 10. q. vnica in fine, & diſt. 12. q. 2. & alibi ſæpe quem ſequuntur Scotiſtæ eius diſcipuli, in qua re diſcrepat à D. Thoma p.p. q. 42. art. 3. vbi licet admittat ordinem originis inter diuinas perſonas, quatenus vna eſt producens, & alia producta; negat tamen aliquam prioritatem, aut poſterioritatem etiam originis inter illas admitti debere eo, quia putat has habitudines prioris, & poſterioris inæqualitatem, imperfectionem, & cauſalitatem ſemper inuoluere, quæ omnia à diuinis ſunt penitus remouenda ſic etiam D. Bonauentura in 1. diſt. 2. art. 2. q. 1. & 2. & alij antiquiores Theologi. Hæc controuerſia eſt ferè de nomine, nam in re conueniunt omnes in diuinis dare realem ordinem originis inter perſonas diuinas producentes, & productas ex natura rei, & non ex noſtra tantum cõſideratione, aut ex aliqua alia extrinſeca denominatione, at vbicumque eſt realis ordo, ſtatim inter ea ſecundum talem ordinem non eſt ſimultas, ſed neceſſario aliqua prioritas, & poſterioritas ſecundum eam rationem, ſub qua eſt ordo, quia per eſſe vnum prius origine alio ſolum intelligimus vnum producere aliud, & per eſſe poſterius hoc eſſe productum ab alio, & nequaquam à ſe habere eſſe; at in diuinis vere Pater eſt principium filij, & hic ab eo producitur, & vterque eſt principium Spiritus Sancti, & hic ab vtroque procedit, & pariter producitur, & hoc ab omnibus conceditur, vt articulus fidei, ergo in re inter Thomiſtas, & Scotiſtas non eſt realis diſcrepantia.

20 In quocumque agente rationabiliter volente duplex aſſignatur ordo, ex Scoto in 3. diſt. 7. q. 3. alter eſt ordo intentionis, alter executionis; ſiquidem contrarius eſt omnino in actione artificis proceſſus in exequendo ei, qui eſt in intendendo; Quod enim eſt primum in intentione eſt vltimum in executione. Quare quod primo à Deo fit extra ſe in natura intellectuali eſt vltimum volitum in ordine intentionis, quod vero ei vltimatè in executione communicatur fuit primo in ordine intentionis volitum; Huius fundamentum eſt, quia generatim agens ordinate quicquid vult ordinate vult, & quicquid agit etiam ordinate agit, quia in executione ex multis ſibi obiectis vnũ vult eſſe propter aliud tanquam medium propter finem; Ita in intentione prius ex multis inter ſe ordinatis vult, quod habet rationem finis, mox alia, quæ ad finem illum comparandum conducunt. Quo fit, vt cum Deus hominem creauerit, vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, & amando poſſideret, ideo Scotus in 2. diſt. 20. q. 2. docuit prius Deum velle ſeipſum, ſeu bonitatem ſuam tanquam finem, ſecundo bonum vltimatum rationalis creaturæ, quod eſt communicatio gloriæ; mox gratiam, & cętera ſupernaturalia dona, quæ ad gloriam con-

conſequendam ordinantur, vltimo tandem velle bonum naturæ, ſcilicet talem naturam realiter exiſtere, & à tali, vel tali parente naſcituram, ſic enim recte declaratur quomodo primum in executione ſit vltimum in intentione Dei.

21 Ex dictis ſatis conſtat regulam, ſecundum quam ordo prioris in decretis diuinis reperitur, ſumendam eſſe præciſe ex ordine, quo res extra volibiles in agentis Dei intentione ordinātur, adeovt decretum, quo vult finem præcedat naturaliter decretum, quo vult media, & inter decreta, quibus vult media inter ſe ordinata. Decretum, quo vult proxime ordinatum ad finem pariter antecedat decretum, quo vult remote ordinatum ad eundem finem conſequendum, quod miro artificio Scotus declarauit in 1. diſt. 41. in 2. diſt. 20. q. 2. in 3. diſt. 7. q. 3. & diſt. 19. q. vnica, & diſt. 32. vbi expendens, quomodo ſit æqualitas in Deo in diligendo omnia comparando actum ad agens, ſed inæqualitas comparando illum ad ea ſuperque tranſit, inquit hanc inæqualitatem non tantum exoriri, quia illa volita inæqualia ſunt, ſed etiam quia ſecundum quendam ordinem trāſit ſuper illa; Primo enim Deus vult finem ſcilicet bonitatem ſuam; ſecundo ea, quæ immediate ordinantur ad ipſum Deum prędeſtinans hoc ordine electos, qui immediate Beatitudinem ſunt conſecuturi; tertio vult ea, quæ electis neceſſaria ſunt ad attingendum prædictū finem, ideſt dona gratiæ; vltimo vult propter ipſos electos, alia, quæ ſunt remotiora ſcilicet mundum hunc ſenſibilem cum omnibus ſuis partibus, quibus conſtat.

22 Quare ſicut conſideratur inęqualitas in volitione diuina non vt volitio eſt diuinæ voluntatis, ſed vt tranſit ſuper obiecta, ita in ea ſunt inſtantia prioris, & poſterioris intelligentiæ in volitione illa, non vt eſt actus voluntatis, ſed vt tranſit ſuper obiecta volita ſecundū prædictum ordinem intelligendo ſcilicet vnum eſſe propter aliud; tanquam per ſuum proprium finem, ad quem ordinatur; ex quibus patet non tantum propter fictionem noſtri intellectus, ſed etiam à parte rei aſſignanda eſſe inſtantia prioris, & poſterioris ordinis naturæ non eſſendi, ſed cognoſcendi, ſeu intelligendi in Deo præſertim inter decreta libera diuinæ voluntatis comparatione rerum, quæ fiunt extra; in quibus reperitur etiam prioritas, & poſterioritas naturæ eſſendi; Et licet diuina voluntas in rebus creatis, & poſſibilibus creari reuera velit vnum ens creatum eſſe, vel fieri propter aliud, nulla tamen cauſa finalis repetiri poteſt, à qua eadem diuina voluntas quaſi phiſicè moueatur ad volendum, quia à ſola eſſentia diuina mouetur, niſi dicamus diuinam bonitatem ſimpliciter infinitam quaſi mouere eandem voluntatem ad volendū omnia tanquam ad finem, propter quē vltimate velit omnia.

23 Probabile eſt quod permiſſio diuinæ voluntatis, nec ſit velle diuinum, nec ſit nolle diuinum, ſed ſit non velle, quia per non velle diuinum ſufficienter habentur omnia ad permiſſionem prærequiſita ideſt neceſſaria; & inconuenientia, quæ in oppoſita ſententia inueniuntur hac ratione facile tolluntur dicendo permiſſionem diuinam eſſe quid medium inter actus volendi, & nolendi ſcilicet non velle, quod eſt ſuſpenſio actus volendi, & non volēdi negatiuum nō autem nolendi poſitiuum, quia nolle poſitiuum triſtitiam infert, ſi eueniat id, quod quis non vult, triſtitia enim eſt de ijs quæ nobis nolentibus accidūt; quæ triſtitia locum in Deo non habet, & velle poſitiuum videtur indicare Deum eſſe aliquo modo cauſam pecca-

ti

ti quod à fideli Catholico nullo modo ſana fide concedi poteſt; quod impius Caluinus in pluribus locis ſuæ diabolicæ & impiæ doctrinę nititur defendere, de quare erit fuſus ſermo in tractatu de cauſa, & auctore peccati, vbi doctrina Catholica de hac re ſatis propugnabitur.

24 Quicquid Deus vult voluntate conſequente, & abſoluta ſecundum vltimam eius determinationem neceſſario ſemper impletur, quia cum cauſa aliqua dicitur determinata vltima determinatione ad aliquid efficiendum, ex eius impotentia procedit, ſi illud ineſſe non ponit, ſi enim id non efficit, aut eſt, quia non eſt ſufficiens, aut quia ab alio impeditur, aut ſaltē quia mutatur, at in Deo ſana fide nulla præſumi poteſt inſufficientia, vel impotentia, aut mutatio, ergo quod vltimate vult reipſa ſemper impletur; Conceditur tamen voluntatem antecedentem ſub non vltima determinatione acceptam, quam habet Deus comparatione quorundam effectuum à cauſis ſecundis liberis pendentium non ſemper impleri oportere, nam Deus hac voluntate vult omnes homines ad fidem venire, quemadmodum omnes inreuocat ſaltem vocatione interna mediate, vel immediate ſtatim, ac ad annos diſcretionis perueniunt; Et tamen non omnes Deo vocanti reſpondent, & ad fidem veniunt. Item vult ab omnibus ſua pręcepta impleri, quatenus reipſa omnibus ſufficientia exhibet auxilia pro illorum impletione neceſſaria, & tamen non omnes illa ſeruant, vel implent; Inſuper Deus neminem vult perire, ſed omnes ſaluari cum omnibus tribuat ſufficientia auxilia ad ſalutem comparandam neceſſaria, ſed reipſa plurimi pereunt, & non omnes ſaluantur.

25 Vere, & proprie omni ſecluſa metaphora amor in Deo reperitur, tam actualiter, quam habitualiter, eſt de fide non ſolum quia Deus eſt natura intellectuali vere, & proprie intelligens, & volens ex Scoto d. 2. q. 1. primi; ſed etiam, quia expreſſe habetur in ſcriptura 1. Ioan. 1. appellatur Charitas, quod magis clarum apparet ex dictis ſupra de voluntate diuina; nam ſi in Deo vere reperitur voluntas ex natura rei ſub ratione facultatis vitaliter operatricis, & productricis; ſequitur etiam in Deo amorem reperiri, quia volūtatis cuiuſcunque, ſiue creatæ, ſiue increatæ primus actus eſt ſimpliciter actus amoris, vt enim recte Scotus docet in 2. diſt. 6. q. 2. duplex actus communiter in qualibet voluntate diſtingui poteſt, nimirum velle, quo acceptatur aliquod objectum conueniens, & nolle quo voluntas fugit diſconueniens, Velle adhuc eſt duplex, velle amicitiæ, quod eſt eius obiecti, cui volo bonum, & velle concupiſcentiæ, quod eſt eius obiecti, quod tanquam bonum volo alteri prius amato; omne nolle reducitur ad velle, & velle concupiſcentiæ ad velle amicitiæ, quod eſt primum, ergo primus actus voluntatis diuinæ eſt actus amicitiæ, & amoris.

26 Vere, & proprie, & non metaphorice tantum Deus eſt beatus diligendo ſe ipſum prima pars patet ex illo Pauli primæ ad Timoth. Cap. vltimo, quæ ſuis temporibus oſtēdet Deus beatus &c. & ex illo D. Auguſtini de Trinit. Beatus eſt qui habet quicquid vult; at Deus verè, & proprie in ſe ipſo habet, quicquid vult; nam particula (quicquid vult) ex Scoto in 4. diſt. 49. q. 2. ad primum principale non capitur ab Auguſtino diuiſiue pro quolibet appetibili, ſed vnitiue pro vno, in quo continentur omnia eminenter, ita vt habeat vnum ſimpliciter, in quo eminenter omne bonum reperitur vere in eo beari dicitur; Quod vero hæc Beatitudo

diuina

diuina conſiſtat in diligẽdo ſe ipſum, & quidem in ſolo amore ſui, probatur ex 4. diſt. 49 q 3. vbi ſupponit Doctor ſubtilis beatitudinem formalem (de qua hic eſt ſermo) non ineſſe naturæ intellectuali diuinæ quoad ſuam rationem formalem naturæ, niſi per operationem vitalem, qua vnitur, vel vitaliter attingit ſummum bonum ſimpliciter melius omni alio bono, in quo adæquatiſſime ſatietas ſui naturalis appetitus habetur.

27 Quo ſuppoſito ſic probatur propoſitum præſens, Beatitudo naturæ intellectualis conſiſtit in vnica tantum operatione, qua ſibi vnit vitaliter perfectum bonum ſimpliciter adæquate expletivum omnis eius naturalis appetitus, nam ſicut obiectum beatificum, in quo tanquam in extrinſeco perfectiuo ineſt naturæ perfecte bonum inquãtum ab ipſa attingitur immediate per operationem eſt tantum in ſe vnicum re, & ratione, ita talis operatio in ſe ſimpliciter vnica eſſe debet; ſed operatio eiuſmodi eſſe nequit, niſi ea, quæ ſimpliciter eſt nobilioris potentiæ; ſicut eſt operatio voluntatis, ergo in vnica operatione voluntatis præciſe eſt poſita beatitudo Dei; quod vero operatio voluntatis ſit perfectior operatione intellectus ex eo patet, quod intellectus in qualibet intellectuali natura eſt facultas omnino ſubſeruiens voluntati per operationem ſuam, Voluntas vero omnino imperans, & prædominans ergo ſimpliciter operatio voluntatis coniuncta ſummo bono in ſe nobilior eſt operatione intellectus eiuſdem boni comparatione, ergo operatio voluntatis eſt ſimpliciter beatitudo diuinæ naturæ; eo vel maxime quia Beatus eſt, qui habet quicquid vult ex D. Auguſtino 1. de Trin. Cap. 13. & Cap. 5. & primo de Doctrina Chriſtiana Cap. 6; ſed magis habetur à natura quicquid ipſa vult (vt ipſum Verbum vult clarè indicat) per operationem voluntatis coniunctam ſummo bono, quam per operationem intellectus, quia ipſa vltimate aſſequitur ſummum bonum in ſe, & illi in re naturam vnit, & copulat.

28 Deus omnia poſſibilia præciſe inſpecta ſecundum gradum poſſibilitatis eorum, neceſſario ſimpliciter amat, & diligit amore quodam complacentiæ tantum, & inefficaci, quia independenter à voluntate diuina creaturæ omnes cognoſcuntur à Deo poſſibiles tanquam vera entia, quibus ſcilicet verum eſſe non repugnat, ergo independenter ab eadem voluntate habent gradum bonitatis eſſentialis, ſecundum quam rationabiliter terminare poſſunt actum complacentiæ Diuinæ voluntatis, vt neceſſario ſibi complaceat prædictas creaturas in ſe ipſis formaliter habere eſſe poſſibile; Deus amore efficaci non amat omnes creaturas, quæ ſunt poſſibiles, ſed tãtum eas, quas vult efficaciter fore in tempore ineſſe realis exiſtentiæ; Nam amor efficax ex Scoto in 1. d. 47. eſt, quo voluntati non ſolum complacet eſſe voliti, ſed ſi poſſet ſtatim ponere volitum, & amatum in eſſe, ſtatim in eſſe illud poneret, at voluntas diuina in ſe eſt efficaciſſima, ergo ſi efficaciter amaret res omnes poſſibiles, omnes reipſa produceret ineſſe realis exiſtentiæ: amare enim eſt velle bonum rei amatæ, ſed primum bonum amabile, & diligibile cuiuſcumque rei eſt bonitas eius eſſentialis realiter in ſe exiſtens extra ſuas cauſas, ergo ſi Deus efficaciter amaret eſſentialem bonitatem cuiuslibet rei poſſibilis illam realiter extra ſe ipſum cauſaret; Iam vero certum eſt multas res eſſe præciſe poſſibiles, quæ nunquam erunt, quia Deus ab æterno non voluit eas fore, ergo non amat Deus amore efficaci res omnes poſſibiles.

29 Stat igitur veritas, quod ſimul amore efficaci & complacentiæ Deus amat tantum ea omnia quæ ab ipſo in tempore eſſe actualis exiſtentiæ recipiunt; ſola enim voluntas Dei eſt ratio primaria, ſecundum quam omnia, quæ ſunt habeant in ipſa eſſe, quod habent, adeo, vt verum ſit dicere ea actualiter eſſe, quia Deus vult ipſa habere eſſe creando, conſeruando, operando, & cooperando, ſed amare efficaciter eſt velle bonum eſſentiale amato quod eſt proprie eſſe actualiter; Item Deus in rigore Theologico amat efficaciter omnes creaturas, tam irrationales, quam rationales amore cõcupiſcentię ex Scoto in 4. diſt. 49. q. 8. nam Deus eſt cauſa finalis omnium idque non aliter, niſi propter quem amatæ ſunt res, Deus enim omnia producit propter ſe ipſum, & ſic eſt cauſa finalis immediata omnium, vt propter ſe, & à ſe, omnia igitur amat amore concupiſcentiæ, quia omnia vult efficaciter fieri propter manifeſtationem ſuæ potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis. Conceditur tamen Deum amare aliquo modo tantum creaturas rationales duntaxat ex charitate ſecundum amicitiam, quia communicat ſe nobis, quodammodo concupiſſendo nobis bonum ſuum, quod præſtat non ſolum creando, & conſeruando, ſed etiam reparando, & diſponendo per auxilia ſpecialia ad fœlicitatem ſupremam, & vltimatam. Quia actus diuinæ voluntatis, quo Deus amat omnia extra ſe ipſum eſt vnicus, & ſimpliciſſimus. Ideo æqualiter omnia diligit, cum actus ille in ſe ſecundum rem non multipliciter, neque formaliter, neque materialiter, neque modaliter ſecundum diuerſos intenſionis gradus; Inæqualiter vero aliqua diligit accipiendo diligere formaliter, quatenus dicit illam vitalem tendentiam potentiæ in obiectum, quod vitaliter ab ea per actum operandi attingitur; Diligit enim creaturam rationalem ex Charitate, qua non diligit irrationalem, ſed ſolum amore concupiſcentiæ, & non ſolum propter hoc diligit inæqualiter, verum etiam, quia ordine quodam naturalis prioritatis per actum diligendi tranſit ſuper illas ordinatiſſime amando prius finem, deinde ordinata ad finem conſequendum.

De diuina Prouidentia. Art. VI.

1 DOctor ſubtilis quolibeto 21. art. 2. Concluſ. 2. pie, & catholice ſupponit dari prouidentiam in Deo, ibi enim agens de fortuna (inquit) falſam eſſe Paganorum poſitionem immaginantium fortunam eſſe quandam Deum; cui tanquam cauſæ per ſe tribuuntur effectus quos videmus fortuito euenire, & initio art. 2. monet ſecundum Theologos cauſam bonæ fortunæ eſſe ponendam in concurſu ſecundarum cauſarum ſub diſpoſitione primæ acceptarum, quia ſub intentione cauſæ vniuerſalioris cadunt plures effectus; & proinde ſub intentione cauſæ primæ cadunt omnes effectus; Hæc eſt ſumma veritatis de hac re; ſed pro clariori & vberiori doctrina notandum eſt Paganos fuiſſe in duplici differentia; nam quidam ſuſtulerunt prorſus diuinitatẽ negantes omne numen, à quo Mundus dependeat, alij admiſſo tali numine negarunt ipſius prouidentiam circa res in particulari ſpectatas præſertim circa liberas actiones, quas putabant regi non poſſe per extrinſecam quamcumque cauſam.

2 Primi qui omnino negarũt Deum eſſe pauci fuerunt, quorum præcipui Diagoras Mileſius, & Protagoras abderites vterque Democriti Diſcipuli &

Digitized by Google

Theodorus ille paſſim Atheus dictus ſophiſta impuriſſimus pariter, & impudentiſſimus. Vide Suidam in Lexico lib. 2. & 9. de Vitis Philoſophorum; His adiungi poteſt Lucianus. Omnium numinum irriſor, & acerrimus Chriſtianorum hoſtis, qui ob impietatem à canibus diſcerptus eſt. Tandem noſtris temporibus creuit numerus illorum Atheiſtarum, vt paſſim vbique inueniantur, qui quamuis proprie ſint ignoti, nec audent ſuum ſenſum evulgare, niſi inter familiares metu legum; tamen ex eorum moribus, & vita, quam ducunt facile dignoſci poſſunt; Hos Politicos vocamus, quia omnem Religionem ad politiam, ſiue ad ſtatum politicum referunt, & quatenus Religio aliqua ad hunc ſtatum conducibilis videtur, eatenus eam exiſtimant, & vſurpant. Ex horum numero non poſtremus fuit Niçolaus Machiauellus, vt ex libris, quos italice conſcripſit, & in primis ex libro de Principe qui multorum manibus teritur, conſtat; ſolam prouidentiam conceſſo numine ſiue Deo, negarunt Democritus, Heraclitus, Epicurus, & Lucretius, quia omnia putabant euenire, aut vi Naturæ, teſte Lactantio lib. 1. de Ira Dei Cap. 9. & 10, aut fortuito athomorum concurſu, vt aperte colligitur ex Laertio.

3 Contra hos omnes apertè pugnat fides Catholica, quæ certiſſimam veritatem ſtatuit cōfitendum vnum numen ſupremum eſſe, cuius prouidentia res humanæ, & cætera omnia gubernantur; Quod Deum vocamus, idque non ſolum eſſe articulum fidei reuelatione diuina notum; ſed etiam multis rationibus ex ijs, quæ nobis patent, & ſenſibus percipiuntur ſolide probari poſſe; licet enim diuinitas ſecundum ſe nobis ſit planè inuiſibilis, tamen tam multæ, & perſpicuæ illius in rebus ſenſibilibus elucent notæ, tot vbique impreſſa veſtigia, tot illius lucis emicant ſtructuræ, vt ſi quis hæc diligenter conſideret, nullo modo de illa, eiusque prouidentia poſſit ambigere; Hoc naturaliter cognouerunt ferè omnes gentes, tam barbaræ, quam litteris cultæ omnibus ſæculis quantum ex hiſtorijs conſtare poteſt; Ita Iudæi, Ægyptij, Æthiopes, Aſſyrij, Caldæi, Græci, Romani, Germani, Galli, Indi, Chinenſes, Iapones, Tartari, & alij non ſolum poſt Chriſtū, ſed etiam ante. Cuius manifeſtum ſignum eſt; nam omnes habuerunt ſua ſacra, ſuas Ceremonias, ſua templa, ſuos ſacerdotes ad cultum Numinis inſtitutos.

4 Huic preces, & vota faciebant, ſacrificia, & donaria offerebant, & varijs modis illud placare, & ſibi conciliare conabantur; Tribuebant ergo illi prouidentiam, & ſentiebant omnia noſtra ab eo cognoſci, illudque poſſe opē ferre, pericula propulſare, deſiderata largiri, & male facta vindicare, alias fruſtra ſupplicarent, & ſacrificia offerrent illi, qui non attenderet, qui rebus noſtris non ſe miſceret, nec noſtri curam gereret; Hinc ſequitur hāc ſententiam non eſſe traditione acceptam, ſed à natura omnium mentibus inſitam, cū omnes gentes in eam conſentiant; & ſi enim non omnes conueniant; ſit ne ille Deus vnus, an plures, Corporeus, an incorporeus, finitus, an immenſus, omnes tamen ſentiunt eſſe aliquem Deum vere colendum, vt etiam Cicero teſtatur lib. 1. de Legibus; cum ait de hominibus nulla gens eſt, neque tam immāſueta, neque tam ferrea, quæ non (etiam ſi ignoret qualē Deum habere deceat) tamen habendum ſciat; Cuius ergo vel amentiæ, vel arrogantiæ fuerit ob leues aliquas coniecturas contra ſentire? hoc enim nihil eſt aliud quam iudiciū priuatum iudicio totius orbis, & omnium ſæculorum anteponere, & ſe ipſum

ſum omnibus ſapientiorem, & perſpicatiorem facere; Produnt ergo omnes Athei ſuam amentiam, & ſuperbiam quandam immenſam, quæ eos dementauit.

5 Dicamus igitur cum fide Catholica eſſe vnum Deum qui gubernet, & regat res omnes, quas creauit, & conſeruat; eiuſque per determinata media dirigat ad ſuos fines tanta ſuauitate, vt proprios motus habere velit; ſed obſeruandum eſt duplicem ordinem reperiri in rebus, alter eſt, quem ſibi vendicant inter ſe præciſe nulla habita ratione, ſicut eſt ordo inter partes domus, ſecundum quem dicimus fundamentum vltimum tenere locum, tectum ſupremum, parietes medium; conſimilis etiam ordo eſt, quem ſimplicia corpora ſeruant in vniuerſi conſtitutione; quæ enim perfectiora ſunt nobiliorem ſibi locum vendicant. Alter ordo eſt, quem res ſeruant comparatione finis, tum communis; qualis eſt manifeſtatio potentiæ, ſapientiæ, & bonitatis Dei, tum etiam particularis, vt eſt æterna fęlicitas, ad quam naturales creaturæ ratione, & libertate præditæ naturaliter inclinantur. Prior ordo appellatur diſpoſitio tantum rerum in mente artificis; Poſterior vero nuncupatur proprie prouidentia, & quatenus eſt executioni mandatus gubernatio nominatur, quia poſt rerum creationē earum conſeruatione, & concurſus adminiſtratione perficitur. Rurſus finis rerum ex Scoto. qu. 1. Prol. & 4. diſt. 49. q. 8. in fine eſt duplex alter acceptus pro cauſa finali, ſic Deus dicitur cauſa finalis omnium, & hoc non aliter, niſi quia propter ipſum res productæ ſunt; & amatæ alter vero ſumptus pro vltima perfectione, ad quam res ordinantur ſic ipſemet Deus dicitur finis rationabilium, & intellectualium creaturarum attingibilis per operationem earum.

6 Duplex prouidentia datur in mente diuina, altera naturalis ſeu phiſica, altera moralis, ſiue ſupernaturalis; prior communis eſt cunctis rebus animatis, & inanimatis rationabilibus, & irrationabilibus, & quatenus omnibus conuenit eſſe ſimul, & operari; ad hanc ſpectant rerum creatio in eſſe actualis exiſtentiæ, earum conſeruatio in tali eſſe, & cooperatio ad omnes actus, & operationes earum; Prouidentia vero ſuper naturalis ſolum propria eſt intellectualibus creaturis, quatenus naturaliter inclinantur ad ipſum Deum, ad quem ſpecialiter attingendum ſupernaturaliter eleuantur; Ad hanc non ſolum ſpectant prædicta, ſed etiam moralis gubernatio, quæ conſiſtit in præceptis & conſilijs, promiſſionibus, & comminationibus, prę-mijs, & ſupplicijs, atque etiam in ſupernaturalibus auxilijs excitantis, adiuuantis, & iuſtificantis gratiæ, quibus rationalis creatura ad Deum ſpecialiter attingendum adiuuatur.

7 Quod prima prouidentia detur in mente diuina eſt de fide ex ſapientiæ 6. & 8. vbi dicitur, quod attingit à fine vſque ad finem fortiter diſponens omnia, & ſuauiter, & 6. cap. æqualis eſt illi cura de omnibus, & alibi ſæpe, & probatur, nam Deus actualem gubernationem habet huius vniuerſi quatenus ipſum creauit, conſeruat, & debitum concurſum cauſis omnibus ſecundis communicat, cuncta dirigendo in proprium finem, propter quem omnia, quæ ſunt in vniuerſo in eſſendo, & operando immediate a cauſa prima pendere dicuntur, at eiuſmodi gubernatio non eſt formaliter, niſi executio æternæ prouidentiæ in mente diuina, ipſa enim comparatur ad prouidentiam, ſicut actus tranſiens ad actum immanentem, ergo in mente diuina datur prouidentia phiſica, & naturalis.

quod etiam in ea reperiatur prouidentia ſpecialis, ſeu moralis, quæ communiter appellatur ſupernaturalis pertinens tantum ad intellectuales creaturas, quas in ordine ad finem ſupernaturalem dirigit per accomodata media; (ſupponitur hic ex Scoto in p. diſt. 46. ad primum principale Prouidentiam quo ad ſuam formalitatem eſſe ordinem mediorum, quibus vnaqueq; res ſuum aſſequitur finem, ſiue fallibiliter, ſiue infallibiliter) probatur ex D. Paulo primæ ad Timotheum cap. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, & ad Rom. Cap. 8. quos prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos vero iuſtificauit, hos & glorificauit, ergo habet Deus ſupernaturalem prouidentiam, qua per proportionata media dirigit omnes creaturas intellectuales in finem ſuum ſupernaturalem.

8 Prouidentia proprie ſumpta in Deo formaliter dicit actum diuinæ voluntatis, quo Deus præparat, & ordinat media, quibus in re vult quamlibet creaturam ſuum proprium finem, ad quem ordinatur, conſequi; quia prouidentia eſt recta ratio agendorum ſcilicet mediorum ad finem determinatum conſequendum, ratio autem recta, ſeu determinata agendorum regula in Deo nõ conſiſtit eſſentialiter in actu intellectus, ſed in actu libero ſuæ voluntatis, quia ipſa eſt prima omnium factibilium, & agibilium regula, & ob id, vt recte agat, & efficaciter non indiget dictamine Intellectus tanquam regula ſui. Conceditur tamen neceſſario ex ordine potentiarum connotare duplicem actum intellectus vnum antecedentem, qui eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ; alterum concomitantem, qui dicitur ſcientia viſionis; Ideo prouidentia præſuppoſitiue, vel concomitanter etiam ad actum intellectus ſpectare poteſt; & ratio eſt, quia intellectus, & voluntas in actibus ſuis adeo connexa ſunt, & naturaliter ſubordinata, vt voluntas, nec ferri poteſt in obiectum, niſi fuerit præcognitum, nec aliquid decernere poteſt circa obiectum præcognitum, quin eius decretum ſtatim ab intellectu apprehendatur. Quare vt diuina voluntas ordinem mediorum ad aliquem finem peculiarem prefiniat ordo huiuſmodi debet prius ab intellectu, vt poſſibilis apprehendi, & ſic apprehenſus voluntati proponi, quem inde voluntas diuina eligens, ac determinans, mox iterum intellectus apprehendit tanquam in re aptiſſimum ad finem conſequendum, ergo intellectus, tam præſuppoſitiue, quam concomitanter ſe habet ad conſtituendam in Deo prouidentiam.

9 Finis adeptio virtualiter in genere cauſæ efficientis inuoluitur in ordine mediorum, quæ reipſa à Deo ad eum conſequendum præparantur, & exhibentur; omnis enim cauſa virtualiter ſuum continet effectum, & media ſi ſufficientia ſunt, & idonea ad finem conſequendum in genere cauſę efficiẽtis concurrunt ad finem comparandum, ergo neceſſario finem, ad quem ordinantur virtualiter continent; Eiuſmodi tamen finis aſſecutio non inuoluitur eſſentialiter in formalitate prouidentiæ, quatenus eſt ordo mediorum ad aliquem finem; Quare non ſemper neceſſum eſt res infallibiliter aſſequi finem, ad quem ex prouidentia ordinantur eſt contra Caietanum prima parte q. 22. art. 1. ſuſtinentem cum D. Thoma prouidentiam diuinam non tantum reſpicere ordinem mediorum ad proprium finem cum propoſito illum ordinem executioni mandandi, ſed etiam inuoluere ſemper formaliter finis conſecutionem, cum eius obiectum adæ-

qua-

quarum eſſe velit ordinem mediorum, & finis adeptionem adeo, vt ſi res non aſſequantur finem aliquem, ad quem ordinari poſſunt ſit euidens ſignum ipſas non eſſe ad illum finem ordinatas.

10 Huius ſententiæ oppoſitum eſt adeo certum, vt abſque manifeſto in fide errore negari non poteſt, ſiquidem Deus ex ſpeciali ſua prouidentia vult omnes homines ſaluos fieri, cum tamen non omnes ſaluentur; Pro comperto enim habemus in omnibus rationabilibus creaturis eſſe ordinem ad finem ſupernaturalem: quibus ad hoc nimirum ad illum conſequendum Deus ſufficientia exhibet media optime præparata, & accomodata, ſicut ſunt dona naturalia, leges rectæ, adiutoria communia, quibus poſſunt homines ſufficienter bene facere, & ſaluari; Pro omnibus enim Chriſtus mortuus eſt, pro omnibus cruĕtum ſacrificium proprij corporis in Ata crucis Patri obtulit ex 3. ſent. diſt. 19. q. vnica, pro omnibus ſacramenta inſtituit, pro omnibus etiam per totum orbem ad diſſeminandum eius Euangelium miſit Apoſtolos, ergo vel aſſecutio finis formaliter in ratione prouidentiæ non clauditur, vel non omnes homines per diuinam prouidentiam ad vitam æternam ſunt ordinati, quod eſt contra omnium Catholicorum ſententiam, & contra ſacræ ſcripturæ oraculum, quod etiam meritum, & redemptionem Chriſti ſatis extenuat.

11 Eſto Deus efficacia media aliquibus intellectualibus creaturis ad ſupernaturalem finem comparandum exhibeat ex ſpeciali prouidentia ſupernaturali, quam circa eas exercet, non tamen inde neceſſario colligitur finis ſpecialis conſecutionem ad formalem hujuſcemodi prouidentię rationem pertinere, ſed tantum materialiter illam comitari tanquam extrinſecam perfectionem pendentem ex efficaci virtute morali prædictorum mediorum ad illum finem; nam ſi in executione ſpectentur media ſupernaturalia prædeſtinatis exhibita; & gloria æterna propter cuius adeptionem exhibentur, certe media habent rationem cauſæ, efficientis, & adeptio eiuſdem gloriæ ęternæ retinet rationem effectus vt patet, ſed non eſt de ratione cauſæ efficientis, vt formaliter inuoluat exiſtentiam ſui effectus, ergo aſſecutio finis eſt omnino extra formalitatem quiditatiuam prouidentiæ; Confirmatur nam talia auxilia quantumcumque congrua, & ſuaui attractiua vicollata adhuc abſolutam efficaciam non obtinent, ſed duo adhuc requiruntur, primum eſt liber vſus illorum auxiliorum conſiſtens formaliter in conſenſu libero creatæ voluntatis ſecundum eſt acceptatio extrinſeca diuinæ voluntatis compenſantis illum actum tanquam meritorium & dignum ſupernaturali fine ex prima q. prologi, ergo non videtur quomodo prouidentia hæc ſpecialis, ſecundum quam Deus ſupernaturalia media congrua (efficacia appellata) exhibet prædeſtinatis, vt infallibiliter ſaluentur ſpectata natura talium mediorum formaliter, & quiditatiue inuoluere poſſit ſupernaturalis finis adeptionem.

12 Diuina prouidentia effectibus à cauſis naturalibus eſſentialiter dependentibus reipſa ineuitabilem neceſſitatem imponit ex Scoto in p. diſt. 8. q. 5. in calce, quia ab æterno Deus abſolute præfiniuit effectus omnes ex cauſis naturalibus futuros, cum certo ab æterno effectus omnes prædictos, vt determinatè futuros ſciuerit, & non niſi in decreto ſuæ voluntatis, at abſolutum decretum Dei per cauſas naturales in tempore impediri nequit; ſimiliter Deus cum cauſis naturalibus concurrit regulariter modo naturali, hoc eſt cum

con-

concurſu ad vnum determinato, ergo cauſæ naturales efficere nequeũt aliud ab eo, ad quod in re producendum Deus ſuum concurſum exhibet, tum quia cauſę naturales ſunt ex ſe ad vnum determinatę, ad vnum inquam modum agendi, tum etiam, quia habent concurſum ad oppoſitum omnino denegatum; Quod vero Deus concurrat cum eis modo naturali probat D. Auguſtinus 7. de Trinit. cap. 30. his verbis Deus res quas condidit, ita adminiſtrat, vt eas ſuos motus agere ſinat.

13 Effectibus eſſentialiter à cauſis liberis prodeuntibus diuina prouidentia ineuitabilem non infert neceſſitatem ex Scoto in 1. diſt. 39. & 40. & eſt de fide Eccleſ. Cap. 15. creauit Dominus hominem rectum & cõſtituit eum in manu conſilij ſui & alibi ſæpe ſacra ſcriptura docet; Ita Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. & Can. 4. 5. 6. vbi dicitur liberum arbitrium poſt Adæ peccatum ammiſſum, & extinctum non eſſe, neque eſſe titulum, ſine re ita Can. 5. & in 6. elſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ideoque Can. 4. ſtatuitur hominem pro ſua libertate polse diſsentire Deo vocanti & excitanti, ergo neque per ſuum concurſum, ne per auxilium excitantis gratiæ à Deo exibitum ratione ſuæ prouidentiæ effectibus à libero arbitrio creato pendentibus neceſſitatem aliquam Deus imponit, Item ad diuinam prouidentiam ſpectat naturas rerum non corrumpere ex D. Dionyſio Areop. Cap. 4. de diuinis nominibus, at natiua virtus creatæ voluntatis expoſtulat operari cum Dominio ſuæ propriæ operationis, ſicut fit cum operatur cum indeterminatione, & indifferentia ad vtrumlibet ex 1. diſt. 39. vbi Scotus hoc negantes ſecutus Auicennam 1. metaph. merito monuit egere pœna, vel ſenſu, & acriter verberandos elſe, vel igni exponendos quovſque concedant non elſe idem comburi, & non comburi, vapulare, & non vapulare, & poſſibile elſe non torqueri. Concordia autem libertatis creatæ cum abſoluto decreto diuinæ voluntatis comparatione actuum præuiſorum à Deo eſsentialiter pẽdentium à voluntate creata optime explicatur per concomitantiam illius decreti cum libero arbitrio noſtro fundatam ſuper continentiam eminentialem, ſeu virtualem voluntatis noſtræ liberæ in diuina voluntate libera, ſuppoſita præſertim illa vniuerſali lege, qua Deus ſtatuit cauſas liberas creare, eaſque ſinere agere libere iuxta exigentiam connaturalis modi agendi iuxta D. Auguſtino ſupracitatum.

14 Ea eſt prouidentiæ diuinæ ſpecialis, ſiue ſuper naturalis amplitudo, vt nemini in hac vita indurato, & à Deo auerſo denegat auxilia ſufficientia ad ſalutem comparandam, quin potius ea omnibus communicat, quod adeo certũ vt oppoſitum execrabilem in fide errorem indicet, & conuincat, quod probari poteſt illa famoſa D. Pauli ſententia 1. ad Timoth. Cap. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, quæ non tantum eſt exprimenda per diſtributionem accomodatam pro generibus ſingulorum, & non pro ſingulis generum, ſed de voluntate antecedente, ſecundum quam Deus hominibus dedit dona naturalia, leges rectas & communia adiutoria ad ſalutem ſufficientia ex Scoto in 1. diſt. 46. ad primum principale, probatur per illud Matth. 11. venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos; quibus verbis omnes inuitat Saluator ad pœnitentiam agendam, & proinde omnibus hominibus oſtendit ſe paratum ſua diuina auxilia offerre ad bene, ſanctequе viuendum neceſſaria. Idem ex illo Ioan. p. fit clarum Deus illuminat omnem hominem venientem

in

Digitized by Google

in hunc mundum vbi non tantum ſit ſermo de naturali lumine rationis ſed etiam de Lumine ſupernaturali ad bene ſanctèque viuendum neceſſario; & ex illo ſapientiæ 12. redditur euidentius vbi dicitur quã bonus & ſuauis, eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus & per eã quæ ſequuntur vſque ad Cap. 14.

15 Confirmatur etiam ex D. Auguſtino de natura, & gratia Cap. 26 Deus neminem deſerit, niſi prius deſeratur ab ipſo; ſi ergo Deus alicui ſufficiens auxilium denegaret, certe prius eum deſereret, quam ab illo deſertus eſſet; & idem oſtenditur rationibus efficacibus, primo ſi Deus homini in hac vita ſufficiens denegaret auxilium, ergo illum in termino in hac vita conſtitueret, atque adeo eſſet, & non eſſet Viator; Secũdo Redemptio Chriſti per eius mortem operata non eſſet vniuerſalis, ita vt non pro omnibus vſq; ad mortem Chriſtus Dominus promeruiſſet auxilia diuinæ gratiæ ſecundum ſufficientiam; Tertio malitiam, & Iniquitas hominis Dei miſericordiam euidenter ſuperaret; Tandem libertas hominis comparatione propriæ ſalutis per rectum illius vsũ acquirendæ per ſubtractionem diuinorum auxiliorum omnino periret, cum amplius non eſſet in eius poteſtate bene viuere, & ſaluari, quod eſt error in fide.

16 Obijcies primo; Henricus de Gandauo quolib. 8. qu. 5. Abulenſis in quartum Capitulum Matt. Caietanus in Cap. 12. Ioannis ſuper illa verba; non poterant credere & Roffenſis argum. 26. contra Luterum probabiliter ſentire viſi ſunt Deum quibuſdam inſignibus, & maximus peccatoribus ad cumulum quendam peccatorum peruenientibus totaliter denegare auxilia ſufficiẽtia ſuę gratię ad ſalutem comparandam; Secundo obicies D. Auguſtinum in expoſitione incohata ſuper Epiſt. ad Romanos propoſitione 18. vbi diſſeredens Pharaone dicit tantam fuiſſe eius impotentiam cordiſque duritiem, vt inobedientia non imputaretur; Tertio idem de Antiocho 2. Machab. Cap. 9. orabat autem hic ſceleſtus Dominum; à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus; Quarto de Eſau ab Hębreos 11. dicitur, qui non inuenit pœnitentiæ locũ quãquam cum lacrymis inquiſiuiſset eam; Quinto de Iudæis Ioan. 12. propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias excæcauit, & indurauit cor eorum, ergo aperte his ſacræ ſcripturæ teſtimonijs inſinuatur quibuſdam peccatoribus obduratis Deum auxilia ſupernaturalia ſufficientia denegare; Sexto probatur & obijcitur Ioan. 5. eſt peccatum ducens ad mortem non pro illo dico vt roget quis; &c.

17 Septimo Matth. 12. vbi habetur; qui dixerit Verbum in Spiritum Sanctum non dimittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro; Octauo illud Hæbreorum 6. Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, & prolapſi rurſus renouari ad pænitentiam; Nono illud Hæbreorum 10. voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis nõ relinquitur pro peccatis hoſtia; Decimo ratione ipſa oppoſitũ probatur; Reprobis ſemel iuſtificatis ſufficiens gratia ad perſeuerandum in accepta iuſtitia neceſsaria non datur, tum quia donum perſeuerantiæ prædeſtinatis tantum elargitur, tum etiam quia ſi reprobis iam iuſtificatis reipſa daretur tale donum, in gratia finaliter perſeuerarent & ſaluarentur, ergo Deus non omnibus in quolibet ſtatu prouidet ſufficientia auxilia ad aſsequendam ſalutem neceſsaria.

Ad primam obiectionem reſpondetur dictos Doctores, ſi ita ſenſerunt non conuenire cum D. Paulo loco ad Timot. citato & cum alijs fundamentis

fidei

fidei ſupra citatis; Ad locum D. Auguſtini, ipſum multa, quæ in expoſitione illius propoſitionis docuit nimirum fidem eſse ex nobis, eamque eſse principium meritorum, infidelitatemque demeritorum retractaſse lib. p. retractationum Cap. 23. & Cap. 3. de prædeſtinatione sãctorum, ſicut refert Scotus in primo diſt. 41.

18 Ad tertium, & quartum de Antiocho, & Eſau eſt communis doctorum expoſitio eos propterea non inueniſse apud Deum miſericordiæ locum, quia non veram, ſed fictam egerunt pœnitentiam ſcilicet non propter Deum, ſed potius quia dolebant propter morbi grauitatem, vt Antiochus, & propter hæreditatis paternæ ammiſſionem, vt Eſau, & etiam vt alia mala euaderent; Ad quintum ideſt ad locum Ioannis 12. dicimus illam particulam (non poterant) non ſonare phiſicam impotentiam, ſed tantum maximam difficultatem, quæ moraliter dicitur impotentia vide Scotũ in 4. d. 20. q. 1. Ad textũ, ideſt ad locum Ioan. 5. eſt digna interpretatio D. Ambroſij lib. 1. de pænit. Cap. 8. & 9. dicentis peccatum ducens ad mortem (quod peccatum aliqui dicunt inuidiæ fraternæ Charitatis, alij peccatum infidelitatis) pro eo dico non roget quis, hoc eſt quicumque de populo, ſed vir eximiæ ſanctitatis, & ſingularis virtutis; ad ſeptimũ, ideſt ad locum Matth. 12. facit interpretatio D. Griſoſth. intelligentis non de phiſica impotentia, ſed de maxima in hoc genere difficultate communiter appellata impotentia moralis, ſimiliter ad 8. ſcilicet ad locum D. Pauli reſpondent citati Patres Ambroſius, Auguſtinus, Griſoſthomi, & alij explicantes non de impoſſibilitate ſimpliciter, ſed de renouatione, quę fiat iterum per baptiſmum, qui enim ſemel baptizatus à gratia baptiſmali cadit, iterum per baptiſma renouari nequit, vt aliqui perperam opinabantur; Ad 9. ideſt ad alium locum Pauli reſpondent Patres citati eſse intelligendum de alia hoſtia à Chriſto, ita vt ſit ſenſus, voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, hoc eſt, alia noua, cum antiqua ſufficiat; Ad 10. reſpondetur reprobis ſemel iuſtificatis dari auxilium ſufficiens, quo perſeuerare poſſent ſi vellent in adepta iuſtitia, ſed non actu perſeuerant, quia nolunt vti ſufficientia talis auxilij.

19 Certum eſt ſufficientia auxilia dari à Deo hominibus ad duo præſtanda; ſcil. ad obſeruantiam præceptorum naturalium & diuinorum, & ad tentationes omnes vincendas, adeo vt nunquam occurrere poſſit eis aliqua obligatio, aut aliqua tentatio ſuperanda, quin ſimul non dentur ſufficientia auxilia, quibus præcepta implere, & tentationes vincere poſſint; Hoc confirmatur eadem omnino ſententia D. Pauli Deus vult omnes &c. exhibẽdo ſcilicet adiutoria communia (de quibus Scotus in 1. diſt. 46. ad primum principale) quibus poteſt homo bene viuere, & ſaluari quolibet tempore, dum durat eius via, & vita hæc mortalis, nam ſi ſufficientia ſingulis temporibus non darẽtur omnibus ad præceptam implenda, tẽtationesque vincendas nec ommiſſio, nec præceptorum tranſgreſſio, nec tentationibus ſuccumbere eis ad culpam iuſte imputari poſſet, quod eſt manifeſtus error in fide, probatur conſequentia; etenim ommiſſio eius, quod ſolis naturæ viribus homo præſtare non poteſt ſine viribus Diuinæ gratiæ, ſi non præſtat ex eo præciſe, quod vires illæ ei opportune non adfuerint, ei ad culpam iuſte imputari nequit, iam vero de fide eſt hominem ſolis naturæ viribus non poſſe tentationes vincere, & præcepta

ſeruare ergo &c.

10 prædicta auxilia ſufficientia in ſe ipſis inſpecta ſemper talia ſunt, vt eis poſſit homo ſufficienter bene viuere, & ſaluari; nihilominus per accidens tantum, hoc eſt ex indiſpoſitione ſubiecti, ideſt eiuſdem hominis, frequenter accidere poteſt, vt moraliter loquendo inſufficientia dicantur, ſicut experientia docet in ijs qui, adeo ſunt peccatis irretiti, eorumque vinculis colligati, vt vocationem Dei non modo non audiāt, verum etiam eam audiendo prorſus reſpuant, quos merito ſacra ſcriptura induratos, ſeu obſtinatos, & auerſos ſic appellat, vt traditos in reprobum ſenſum impoſſibile ſit ad Deum conuerti; non quidem ſimpliciter, & abſolute ſecundum phiſicam impotentiam, ſed tantum ſecundum quid penes quandā moralem impotentiam cum ſola maxima difficultate reciprocatam, ita Scotus in 4. diſt. 20. q. 1. & ratio eſt, quia difficile in illis eſt veram habere pœnitentiam maxime in extremis.

21 Primo, quia tunc vſus liberi arbitrij impeditur; ſecundo, quia difficile eſt tunc habere actum moraliter-circūſtantionatum maxime circumſtantia finis, & principij actiui principalis, vt ſit voluntaria propter Deum; tertio, quia habitus malus vſque tunc continuatus multum retrahit ab actu veræ pœnitētiæ, & per conſequens magnam ingerit difficultatem, vt debita de peccatis habeatur diſplicentia, quæ ſit ſufficiens diſpoſitio ad illorum deletionem, & remiſſionem, quarto, quia quanto quis eſt minus dominus ſui actus tanto interior requiritur diſplicentia, vt ſit ſufficiens ad deletionem culpæ dipoſitio; In huiuſmodi autem male habituatis, & maxime in extremis conſtitutis non adeſt dominium, niſi attenuatum ſui actus; Idcirco ſicut nullo modo tales ſui actus interiores ad peccandum; ita multo minus idonei ad pœnitendum reperiuntur, plura enim requiruntur ad pœnitentiam, quam ad peccandum ex parte pœnitentis, nam ad peccandum ſufficit cauſa libera defectiua & priuatiua, ad pœnitendum non ſatis eſt cauſa libera, ſed requiritur quod ſit poſitiua effectiue elicitiua actus moraliter circumſtantionati prouenientis etiam ex auxilio diuinæ gratiæ conſequente acceptatione diuina.

22 Prædicta ſufficientia auxilia prouidentia diuina dat etiam infidelibus notitia Euangelij carentibus ſaltem per ſe primo ad totam legem naturæ ſeruādam; Secundo dat fidelibus, ſiue iuſtis, ſiue iniuſtis ad præcepta quoque implenda, tentationeſque omnes vincendas, eo tempore, quo neceſſitas impletionis præcepti, vel tentationis ſuperandæ vrgebit, tertio dat iuſtis, ſiue prædeſtinatis, ſiue non prædeſtinatis ſufficiens adiutorium ad finaliter in accepta iuſtitia perſeuerandum; prima pars huius dicti probatur Lex Euangelica quibusdam ſaltem infidelibus eſt omnino ignota ignorantia omnino inuincibili, ergo fruſtra Deus interius illos mouens ad fidei noſtræ articulis credendum, ſi ſimul illis miraculoſo modo, & credenda, & operanda non explicaret; quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo audient, ſine prædicante? ergo fides ex auditu, inquit D. Paulus ad Roman. cap. 10. ex quibus ſit, vt ad credendum articulis fidei ſimul exigatur interna, & externa vocatio, vt etiam actus credendi ſit, vt oportet, ad gratiam ſanctificantem conſequendam; Idem inde etiam magis conſpicuum ſit, quia videtur eſſe communis Patrum ſententiam, infideles nullam habentes notitiam Chriſtianę Religionis non damnari propter peccatum infidelitatis, ergo ſupponitur in eis ignorantia fidei inuincibilis;

Cæterum, quod eis auxilia ſufficientia tribuantur proprie ad totam naturę legē ſeruandam, patet, tū quia eiuſmodi lex naturali lumine nota eſt, vt non egeat homo extrinſeco Doctore illam explicante; tum etiam, quia homo naturæ viribus legem illam totam non valet ſeruare, ſimulque peccata omnia contra illam ſine ſpeciali Dei auxilio vitare.

23 Ita quod præuio tali auxilio ſpeciali ſufficienti ad obſeruandam totam illam legem poteſt homo naturalibus viribus ſe accingere, & peccata vitare, quod ſi præſtaret, daretur ei à diuina prouidentia vlterior vocatio ſufficiens ad proxime credendum Euangelio, ad quam dandam Deus ſaltem remote ſemper eſt paratus iuxta illud Theologicum axioma à Scoto relatum in 2. diſt. 37. ſcilicet, quicquid Deus dat antecedenter, daret etiam conſequenter quantum eſt ex parte ſua, niſi per creaturas ſteterit quin detur; Secunda pars dicti prædicti ex Scoto colligitur in p. diſt. 44. q. vnica vbi docet de ordinata potentia Deum non modo omnem peccatorem poſſe ſaluare, verum etiam aliquem finaliter malum, eſto adhuc viuens non ſit finaliter peccator maxime dum eſt in via, quia poteſt Deus eum gratia ſua præuenire, & in 4. diſt. 22. q. p. de viro illo profundiſſime lapſo refert Scotus, cum propter ſua facinora morti ad iudicatus fuiſſet, miſericordioſiſſime viſitatus perfectiſsima pœnitentia ei ſubito inſpirata eſt; Id autem non docuiſſet Scotus, ſi Deus ex communi lege omnibus etiam peccatoribus non tribueret auxilia ad deteſtanda peccata neceſſaria.

24 Immo in 4. diſt. 14. q. 2. huc inſpexit dicens, peccator in peccatis exiſtens poteſt ex naturalibus cum communi influentia conſiderare peccatum commiſſum (vt offenſiuum Dei, vt contra legem diuinam, vt auerſiuum à Deo, vt impeditiuum præmij, & vt inductiuum ſupplicij, & ſub multis talibus rationibus) eiuſque voluntas ipſum ſub aliqua; vel ſub multis illarum rationum, ſic conſideratum deteſtari, & ille motus poteſt continuari, & intendi ante infuſionem gratiæ ſanctificantis: vbi ſummopere notandum, & aduertendum eſt Doctorem ſubtilem non intelligere per communem influentiam concurſum Dei generalem, & communem etiam cauſis naturalibus; ſed auxilium excitantis gratiæ ſufficiens quod in primo diſt. 46. ad primū principale, commune appellat, commune inquam omnibus hominibus ſaluandis per ſufficiētiam talis auxilij, tertia pars præteriti dicti ex eodem Scoto non obſcurè colligitur in p. diſt. 17. q. 2. vbi docet ad actum meritorium, ad quem iuſtus & gratia ſanctificante inclinatur non ſufficit voluntas informata illa gratia, ſed requiritur gratia ſpecialis excitans & mouens, ſicut inſtrumentum non tantum habet propriam inſtrumentalem, ſed requirit motum artificis diſpoſitionem &c.

25 Et parum poſt docet illam ſpecialem motionem eſſe omnibus iuſtis debitam ex communi lege inquiēs Spiritum Sanctum cooperari voluntati habituatæ ad eliciendum actum ſecundum illum habitum eſſe de communi lege, qua Deus aſſiſtit cauſis ſecundis ad ſuos actus; Igitur Spiritus Sanctus cooperatur voluntati habenti caritatem, non quidem quia habet caritatem ita vt caritas eius ſit cauſa prior mouens Spiritum Sanctum ad cooperandum, ſed quia Spiritus Sanctus omni cauſæ ſecundæ generaliter cooperatur ad illum actum, ad quem ſecundum formam ſuam ordinatur, vt ad diligere cooperatur voluntati habituatæ habitu cari-

Digitized by Google

caritatis; Ad huc probatur eadem tertia pars, Iuſti ſiue prædeſtinati, ſiue non prædeſtinati poſt acceptam iuſtitiam tenentur ad præceptorum obſeruantiã iuxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 20, ſed ſine ſpeciali auxilio Dei nequeunt præcepta illa implere, & tentationes omnes vincere vt patet Ioan. 5. ſine me nihil poteſtis facere, ergo Deus ex communi lege ratione ſuæ prouidétiæ tenetur auxilia ſua, etiam fidelibus iuſti præſtare, vt in iuſtitia perſeuerent.

26 Non ſufficit fides parentum infantibus in hac Euangelica lege, vt ab originali culpa mundẽtur, & in ſtatu ſalutis conſtituantur cum baptiſmate non in re, ſed in voto tantum ſuſcepto, etiã ſolo ſigno Crucis adhibito vel Sanctiſſimæ Trinitatis inuocatione contra Caietanum 3. p. q. 68. art. 2. & 11. aſſerentem ſic Deum prouidiſſe ſufficientia media paruulis omnibus ad ſalutem eorum comparãdam neceſſaria, vt tã in maternis vteris periclitantibus ibiq; morientibus; quam etiam alijs infantibus, qui ſtatim ab vtero materno egreſſi, ita premature moriuntur, vt ab baptiſma peruenire non poſſint Deus alia media ſufficientia præparauerit, vt illis adhibitis indubitanter ſaluentur ſuntque nõ alia huiuſmodi media, niſi baptiſmus in voto parentum ſuſceptus cum aliquo præc pue ſigno exteriori ſcilicet cum aliqua ipſius benedictione, ſeu illius oblatione ad Deum facta etiam cũ inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis; Hęc Caietani opinio non immerito iuſſu Pij V. ſummi Pontificis ex ſuis operibus fuit expuncta cũ aperte dicto Euangelij Ioan. 3. contradicat, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poterit introire in Regnum Cœlorum, & etiam communi Doctorum ſentẽtię, infantes in maternis vteris periclitantes, vel ſtatim in lucem editos non reipſa ſuſcepto baptiſmate damnari, hoc eſt ad limbum deſcendere, & in eo per totam æternitatem includi, & pœnam damni ſuſtinere.

27 Deus voluntate antecedenti verè voluit infantes, & proprie omnes pro quocumque tempore ſaluari, & ad vitam æternam peruenire, quatenus pro omni ſtatu eis quoque prouiderit media ſufficientia, vt efficaciter à culpa originis mundentur; probatur ex toties repetita D. Pauli ſententia 1. ad Timoth. 2. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire; quod teſtimonium non modo de adultis verum & de infantibus, quibuſcumque Scotus in 1. diſt. 46. ad primum dignè eſt interpretatus; Vult enim Deus infantes omnes ſaluos fieri voluntate antecedente regulariter curſu cauſarum ſecundarum non immutato, ergo occurrens impedimentum ex parte dictarum cauſarum, quominus remedium ſufficiens ad originis culpam auferendam eis adhiberi poſſit Deus auferre non tenetur; Confirmatur ex D. Auguſtino lib. 4. contra Iulianum, qui palam teſtimonium Pauli etiam pro infantibus interpretatur dicens; nunquid Paruuli homines non ſunt? vt non pertineant ad id, quod dictum eſt, Deus vult omnes, homines ſaluos fieri; probatur vlterius Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnibus ſufficiens remedium contra originale peccatum, atque etiam media ſufficientia ad ſalutem promeruit; Antecedens eſt de fide ex D. Paulo vnus enim Deus, & mediator homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum in redemptionem pro omnibus 1. ad Timoth. 2. 5. ergo eſt error in fide infantes non ſuſcepto baptiſmate morientes ſub illa voluntate, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri non comprehendi, & conſequenter ſufficientia remedia ad ſalutem propriam obtinendam eis à

Deo non præſtari.

28 Spectat tantum ad generalem ſaluandorum prouidentiam, vt ſufficientia remedia ab eodem Deo inſtituta ad deletionem originalis culpæ infantibus omnibus interuentu cauſarum ſecundarum applicari poſſint; Quocirca ſi impedimentum ex parte illarum acciderit, quo minus applicari valeant, illud Deus nequaquam auferre teneatur ea ratione, qua vult omnes homines ſaluos fieri; probatur prima pars, nam prouidentia ſupernaturalis in omnium ſententia duplex eſt nempe ſpecialis, quam Deus circa electos tantum exercet, & generalis, qua vniuerſas creaturas rationales dirigit ad finem ſupernaturalem attingendum, ſed auferre impedimentum ex naturali concurſu cauſarum ſecundarum illatum, vt media ad ſalutem, attingendam ſtatuta, ſiue inſtituta reipſa ad illum finem inducant eſt effectus duntaxat, ſpecialis prouidentiæ non generalis; ſecunda pars ſuadetur. Euidens miraculum eſt Deum impedire actionem cauſarum ſecundarum per ſubtractionem ſui concurſus illis aliquo modo debiti ſpectata naturali, earum conſtitutione; ſicut factum legimus Danielis 3. de igne babilonico, cui ex propria libertate concurſum ad tres pueros in eum comburendos proiectos denegauit, in p. diſt. 8. q.5. denegauit inquam non concurrendo cum prædicto igne ad combuſtionem, quæ neceſſitate naturæ ſequi debebat, at Deus ita miraculoſe operari, vt omnes reipſa ſaluentur nequaquam tenetur, ergo nec tenetur auferre impedimentum, quo applicatio efficacis remedij ad culpam originis auferendam infantibus impeditur; patet conſequentia, quia applicatio prædicta non impeditur, niſi per actionem ſecundarum cauſarum necem inferentiū infantibus, vel in maternis vteris, vel ſtatim ex illis egreſſis priuſquam ad remedium ſuſcipiendum perueniant.

29 Ad prædicta clarius intelligenda notandum eſt ex Scoto in 1. diſt. 17. q. 2. v. ad ſecundum & in 4 diſt. 19. q. vnica quod Deus vniuerſaliter non negat cauſalitatem creaturis, quæ eis naturaliter conuenire poteſt, immo illam potius communicat, & ad propropriam actionem omnibus tanquam cauſis alijs à ſe ſecundis aſſiſtit, eo enim ipſo quod Deus orbem hūc creare voluit, eo modo quo apparet diſpoſitus ſecundum omnis eius partes, tam primarias, & eſſentiales, quam ſecundarias, & accidentales, ſicut omnia in eſſe creauit, & conſeruat, ita omnibus ad operandum aſſiſtere decreuit, quia eſſe eſt propter operari; Quapropter cuilibet cauſæ ſecundæ cooperatur ad illum actum, ad quem ſecundum formam ſuam ordinatur.

30 Hinc fit vt licet Deus ex præuiſis atque exhibitis Chriſti meritis, qui pro omnibus mortuus eſt prouiderit omnibus quoque remedia ex ſe ipſis ſufficientia pro quocumque ſtatu ad auferendum peccatum originale, & conſequenter ad aquirendam vitam æternam; illius tamen remedij applicationem ab eſſentiali dependentia ad ordinem vniuerſi, & ad totam cauſarum ſecundarum coordinationem regulariter non excepit; Hinc ſecundo fit, vt ſi in caſu aliquo ex impedimento cauſarum ſecundarum prædictum remediū alicui applicari non poſſet, obid non recte diceretur Deum de communi remedio neceſſario ad æternam vitam comparandum non ſatis prouidiſſe, quemadmodum remedium illud ſuam non ammittit ſufficiētiam ex eo, quod ex cauſis ſecundis impedimentum opponitur, quin minus ad cauſandum in Anima reipſa applicetur; eo vel maxime, quia aliud eſt loqui de inſtitutione

ſuf-

ſufficientis remedij ad deletionem originalis culpæ ordinati, & aliud de illius applicatione, & certe remedij inſtitutio totaliter & immediatè à Deo eſt, ſed applicatio illius remedij decreuit Deus, vt ordinate fieret interuentu cauſarum ſecundarum, ex quarum defectu tantum euenire poteſt, vt remedium illud non ſemper ſuum effectum ſortiatur, ſicut etiam, vt non omnibus ſemper reipſa applicetur.

31 Entitas omnis poſitiua, tam ſecundum gradum genericum, & ſpecificum, quam ſecundum gradum indiuidualem, quæ reperitur in effectibus cauſarum omnium cum omnibus circumſtantijs vere, & proprie eſt diuinæ prouidentiæ ſubiecta eſt de fide ex illo ſapientiæ 8. attingens à fine vſque in finẽ fortiter, ſuauiterque diſponens omnia; & ratio eſt, quia Deus eſt Agens rationabiliter, hoc eſt ordinate volens omnia, quæ extra ſe ipſum operatur propter debitum finem, ergo ex intentione efficit omnia, at cauſalitas Dei poſitiua ſe extendit ad omnia, quæ fiunt in rerum natura, ergo omnia ordinat, agit, & diſponit ad ſuum debitum finem; inſuper permiſſiones peccatorum, & peccata ipſa ſunt diuinæ prouidentiæ ſubiecta, quatenus ea in quibuſdam Deus impedit, ne fiant, & in quibuſdam permittit, vt facta ordinet, vel ad oſtẽſionem ſuę iuſtitię punitiuæ, vt in reprobis, vel ad materiam exercendæ miſericordiæ, vt in prædeſtinatis, iuxta D. Auguſtinum tractatu ſuper pſalm. 54 dicentem, nec putetis gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum; omnis malus, aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per eum bonus exerceatur.

32 Contra hanc veritatem ſolẽt fieri quædã friuolæ obiectiones facile reſolubiles, prima eſt de actibus peccaminoſis quos cũ Deus per ſe, & poſitiue velle non poſſit, eorum cauſas, nec præparat, nec ordinat, vt fiant, immo ſimpliciter negatur ipſum eſſe eorum cauſam ex Concil. Trid. ſeſſ 6. ergo diuinę prouidentiæ non ſubijciuntur; Secunda eſt de actibus fortuitis nullum enim præuiſum dici poteſt fortuitum, ergo ſi omnia eſſent diuinæ prouidentiæ ſubiecta nihil daretur inentibus fortuito euenies contra philoſophorum omnium ſentẽtia; Tertia eſt de ratione formali veræ prouidentiæ; omnis enim vere prouiſor ſapiens malum, & defectum, quantum poteſt aufert à rebus ergo cũ multi actus deformes fiant à cauſis ſecũdis aut ingenue non omnes effectus ſunt diuinæ prouidentiæ ſubiecti, aut vere Deus non eſt omnipotens, cum illos non impediat; Quarta eſt de ijs quæ neceſſario fiunt. Quæ enim neceſſario eueniunt prouidentiam non requirunt multa autem neceſſario eueniunt, vt patet ergo &c. Quinta eſt de cauſis liberis; quæ ſibi ipſis dimittantur, alterius prouidentiæ minime ſubijciuntur, at rationales omnes creaturæ ſuæ dimittantur libertati, & de hominibus patet ex illo Eccleſ. 15. Deus conſtituit hominem in manu Conſilij ſui, Sexta eſt de quorundam ſuffocationibus in fluminibus, & multorum etiam infantium à parẽtibus, ac de interfectionibus aliorum, ſiue à graſſatoribus, ſiue ab inimicis horum necationes nequaquam a Deo videntur eſſe per ſe intentæ, nec Deus earum cauſas, vt eueniant præparare poteſt, cum nec diuinę bonitati nec diuinę clementiæ quæ neminem vult perire conuenire poſſunt; Septima eſt de minutiſſimis Animalibus, quæ diuinę prouidẽtiæ etiam ſacra ſcriptura proteſtatur nõ eſſe ſubiecta 1. Cor. cap. 9. Deo non eſt cura de bobus.

33 Ad primam Reſpondetur & negatur conſequentia cum peccata ex alio capite vt dictum eſt, dici poſſint diuinæ

uæ prouidentiæ ſubiecta; Ad ſecundam conceditur aſſumptum, nihil ſcilicet comparatione diuini Agentis fortuito euenire, quod nec Gentiles Philoſophi negare auſi ſunt; Ad tertiam conceditur antecedens de particulari prouiſore curam de rebus tantum ſpecialibus gerente, qui quantum poteſt defectum ab illis, quorum curam gerit, excludere debet; non ſic vero vniuerſalis totius vniuerſi curam gerens, is enim ad bonum totius vniuerſi rationabiliter aliquos ſinit eſse defectus; eſto enim in rebus naturalibus defectus aduerſari particulari naturæ videantur, minime tamen cum intentione naturæ vniuerſalis pugnant; ipſa enim defectus vnius ordinat in bonum alterius, ſicut reuera vnius corruptio ad conſeruandam ſpeciem eſt alterius generatio; eodem modo etiam Deus, vt auctor gratiæ perſecutionem Tyrranorum ordinat in patientiam, meritum, & premium ſanctorum. Ad quartum conceditur, minor comparatione cauſatũ naturaliter agentium tantum, quatenus ab eis in ſuo ordine tales effectus emanant; ſed comparatione cauſæ primæ omnia ſimpliciter contingenter eueniunt ita Doctor ſubtilis in primo diſt. 8. q. 5. in calce.

34 Ad quintum Reſpondetur dupliciter intelligi poſse hominẽ eſse concilio ſuo dimiſsum, vno modo vt ſit à diuina prouidentia exceptus & ita falſum eſt; alio modo vt habeat verum liberum arbitrium de re, & non de ſolo titulo, vt perperam hæretici Lutherani, & Caluiniſtæ ſunt opinati, & ita ipſa conceſsa negatur conſequentia; Ad ſextam dicitur ſuffocationes illas & interfectiones non eſse à Deo antecedenter volitas, & ordinatas, ſed ſic tantum permiſsas, & ſolum concomitanter volitas cum naturali cauſarum concurſu naturalium, vel liberarum, quas Deus ex generali prouidentia ſinit agere motus ſuos adminiſtrando eis ſuum debitum concurſum, vt à connaturali ordine minime extrahantur; nec id bonitati, & miſericordiæ diuinæ aduerſatur, ſed potius ſit ſuæ bonitati conſentaneum, vt nulli cauſæ ſecundæ debitus ad agendum denegetur concurſus; Ad ſeptimam negatur ſimpliciter aſsumptum, nec locus ſacræ ſcripturæ ad propoſitum eſt digne intellectus; cum in eo ſermo tantum fiat de ſupernaturali tantum prouidentia, qua Deus rationales creaturas duntaxat regit gubernat, & ad finem ſupernaturalem attingendum ordinat non vero de hac generali, ſeu naturali prouidentia, qua Deus cuncta diſponit.

35 An vero diuina prouidentia ſe extendat ad omnia immediate; pro reſponſione notandum eſt poſſe multis modis intelligi mediate, & immediate primo, mediatione, vel immediatione virtutis, ſecundo, mediatione, vel immediatione cauſæ, tertio, mediatione, vel immediatione ſuppoſiti; primo modo dicitur cauſa immedite agere, aut quia independenter à virtute alterius, & ita ſolus Deus dicitur ſic agere immediate; omnis autem ſecunda cauſa agit mediate; aut quia agit per virtutem ſibi formaliter inexiſtentem, mediate vero per virtutem à ſe diffuſam quomodo ſol per lumen in ſe exiſtentem immediate, & à ſe diffuſum mediate aerem illuminat, & ignis aquam, aliudque calefactibile ſimiliter per calorem in ſe exiſtentem, & fluentem à ſe calefacit; ſic etiam Deus immediate in omnes effectus operatur; licet enim per veram agendi virtutem cauſis ſecundis præſtiterit ad attingendos effectus proprios illis commenſuratos; nihilominus illis in agendo per virtutem ſibi inexiſtentem, & ab alio ſuperiore agente independẽte ad effectus illos reipſa producendos vere, & proprie opitulatur, im-

immò prædictarum cauſarum virtus ſimpliciter ad agendum, ſine immediato concurſu Dei non eſt ſufficiens, cum concurſus ille ſit ſimpliciter neceſſarius; hac enim ratione vniuerſæ cauſæ ſecundæ quatenus à cauſa prima motæ dicuntur agere ſecundum Scotum in 4. diſtinct. 1. q. 1. in fine & alibi ſæpe.

36 Secundo modo cauſa cenſetur immediate agere cum ſe ſola abſque interuentu aliarum cauſarum ſuum effectum cauſat; mediate vero cum operatur ſimul cum conſortio aliarum cauſarum; & ita Deus non omnibus immediate prouidet, ſed quibusdam non; Nam Deus res aliquas ſe ſolo efficit ſine cauſarum ſecundarum interuentu, vt ſunt ſpirituales omnes ſubſtantiæ & ſupernaturalia accidentia, quæ ſuapte natura à ſolo Deo per creationem fieri poſtulant; non nullas alias res Deus efficit cum conſortio prædictarum ſecundarum cauſarum non ex indigentia & defectu virtutis diuinæ, ſed ex infinita ſua liberalitate, qua non modo cauſas ſecundas in eſſe conſeruat; verum etiam eiſdem ad efficiendum effectus connaturales regulariter aſſiſtit exhibendo illis debitum concurſum, ſine quo prædictos effectus cauſare non poſſunt.

37 Tertio modo immediatio, vel mediatio ſuppoſiti contingit dupliciter vno modo in agendo, altero modo in eſſendo vtroque modo cauſa dicitur agere immediatione ſuppoſiti, in eſſendo quidem quando localiter ab effectu, quem producit non diſtat, ſed potius per eſſentiam intime illi præſens ſit; in agendo etiam quando ſcilicet immediate effectus à ſuppoſito agentis procedit actio; Vel clarius quando inter ſuppoſitum agentis, & ſuppoſitum effectus nihil neceſſarium ad agendum intercedit, ſic Deus vtroque modo immediate immediatione ſuppoſiti prouidet omnibus creaturis, in eſſendo quidem ob ipſius Dei immenſitatem, quæ eſt eius naturalis perfectio per eſſentiam ſuam intime præſens eſt omnibus rebus; In agẽdo etiam ob infinitam rationem, & virtutem producendi, quia actio Dei non modo eſt omnium ſecundarum cauſarum immediate conſeruatiua, verum etiam eſt omnium earum effectuum productiua, quia actio Dei nó eſſet ad effectus prędictos immediate terminata ſi inter Deum, vt agentem, & effectus prædictos ſuppoſita cauſarum ſecundarum in agendo mediarent; ſicq; patet quomodo diuina prouidentia ſe extandat immediate ad omnes cauſas ſecundas, & ad omnes earum effectus.

De Prædeſtinatione Sanctorum, eiuſque natura obiecto termino cauſis & effectibus. Art. VII.

1 HÆc materia de prædeſtinatione cum maxima humilitate, reuerentia, & modeſtia, eſt tractanda, quippe quæ, eſt difficillima, periculoſiſſima, ampliſſima, ſuauiſſima tamen; primo eſt difficillima, quoniam pendet à voluntate diuina, quæ lumine naturæ percipi nequit, ſecundo eſt periculoſiſſima, quia complures in varios errores prolapſi ſunt, dum plus ſapere, quam oportet, enixi ſunt, ac ſenſum domini noſcere, nec non altitudinem diuitiarum ſapientiæ Dei metiri, & perſcrutari tentauerunt, tertio eſt ampliſſima, quia ad eius notitiam perueniri non poteſt, niſi multa ex vberrimo ſacræ Theologiæ fonte hauriantur, complectitur enim diuinum intellectũ, voluntatem, ſcientiam, præſcientiam prouidentiam, miſericordiam, gratiam,

Digitized by Google

tiam, & gloriam. Quarto eſt ſuauiſſima, quia detegitur, & patefit diuina benignitas, & miſericordia, erga nos.

Quod detur prædeſtinatioquæ (vt videbimus infra) eſt electio ad gloriam, patet ex illo Lucæ 12. nolite timere puſillus Grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum Cœlorum, numerus electorum dicitur puſillus; quia multo ſunt vocati pauci vero electi Matth. 20. Horum electio eſt infallibilis, & infallibilem illorum ſalutem reddet, iuxta veritatis promiſſionem nemo rapiet eas de manu mea.

2 Illa particula (præ,) ſignificat duplicem ordinem videlicet æternitatis, & dignitatis primo ſignificat ordinem æternitatis, quandoquidem Deus electos ab æterno deſtinauit hæredes vitæ æternę iuxta illud Matth. 24. venite benedicti Patris mei percipite regnũ quod vobis paratum eſt ab origine Mundi; & Pauli ad Ephes. 1. Elegit nos in ipſo ante Mundi conſtitutionem; ſecundò importat ordinem dignitatis, ita vt homo dicatur prædeſtinari ideſt præcæteris creaturis ad beatitudinem deſtinari, cum enim ſit dignior ſpecialem de illo prouidentiam habet ideo in fine ſupernaturalem ordinat, & dirigit; Vel ordinem dignitatis deſignat attendendo differẽtiam inter homines & homines, quoniam etſi omnes homines ſint ad beatitudinem creati, & illius ſint capaces; aliqui tamen efficacius alijs, quapropter dicuntur ad vitam æternam præ deſtinati, ideſt præ alijs hominibus deſtinati.

3 Prædeſtinare idem eſt, quod præordinare, vel præoptare bonum alicui conueniens, inquit Scotus in 3. diſt. 7. qu. 3. vbi definiens prædeſtinationem dicit, prædeſtinatio eſt præordinatio alicuius ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam, quæ videtur oppoſita definitioni alteri, quam dedit de prædeſtinatione in primo diſt. 40. q. vnica, dum dixit, prædeſtinatio propriè ſumpta dicit actionem voluntatis diuinæ videlicet ordinem electionis per diuinam voluntatem alicuius creaturæ intellectualis, vel rationalis ad gratiam, & gloriam; Hæc vltima coincidit cum definitione D. Auguſtini tradita in libro de bono perſeuerantiæ Cap. 14. vbi dicit prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicumque liberantur, ſed ipſe Scotus videtur ſibi cõtrarius; ſed reuera non eſt ſibi contrarius, ſed ideo duas prædictas deprædeſtinatione dedit definitiones quodammodo inuerſo ordine, vt vtraque intellecta, recte quoque intelligeretur prędeſtinationis natura.

4 Prædeſtinationis ergo natura, & eſſentia formaliter, & quiditatiue rationabiliter declaratur tantum per electionem voluntariam Dei alicuius rationalis creaturæ præciſe ad gloriam, ſeu ad æternam fœlicitatem, vel hæreditatem, ita vt ipſa prædeſtinatio ſit immediata rationalis creaturæ ad gloriam æternam electio. Ita Scotus in 3. citatus iuxta illud ad Rom. 8. quos prę̃ſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri immaginis filij ſui hos & vocauit, quos autem vocauit, hos, & iuſtificauit, quibus verbis perſpicue inſinuat dona gratiæ eſſe potius prædeſtinationis effectus; quam eſſentialiter ipſa prædeſtinatio; probatur illo principio Scotico ordinate volens prius vult finem quã media, ergo Deus ordinatiſſimus in volendo prius vult rationali creaturæ gloriam æternam, quam dona gratiæ tantum ad illam obtinendam neceſſaria, ergo formaliter eſſentia prędeſtinationis in ordine immediato ad gloriam rationali creaturę præparatam, & præoptatam eſt formaliter poſita; Recte tamen prædeſtinatio etiam definitur,

tur, & quidem quietatiue; per hoc quod ſit virtualiter, ſeu cauſaliter præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur iuxta Diuum Auguſtinum ſupracit. vel tranſmiſſio in mente diuina rationalis creaturæ ad gloriam vt dicit D. Thomas p. p. q. 23. art. 1. in corpore, & altera definitio Scoti in p. d. 40. &c. debet ita declarari, vt prædeſtinatio non eodem modo ſit ordo ad gratiam, & gloriam, ſed virtualiter tantum eſt ordo ad gratiam, & eſſentialiter ad gloriam; Definiuit autem Scotus rationabiliter prædeſtinationem per ordinem rationalis creaturæ ad gratiam ſimul, & ad gloriam, vt noſter intellectus in explicatione eſſentiæ prædeſtinationis adæquate quietetur.

5 Hæc prædeſtinatio, quę eſt eſſentialiter electio, ſeu ordo electionis rationalis creaturæ immediate ad gloriam per media idonea, & proportionata pertinet eſſentialiter ad actum diuinæ voluntatis iuxta illud 1. ad Theſal. cap. 4. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ergo per voluntatem ſuam ſtatuit, ordinat, & efficit omnia ad extra, & ſpecialiter per eam noſtram operatur ſanctificationem; ratio etiam ipſa ſuadet; nam prædeſtinatio eſt eſſentialiter, & intrinſece actus liber, at ſolus actus voluntatis eſt actus liber in Deo, ergo prædeſtinatio eſt actus voluntatis, maior propoſitio patet tum quia Deus ad extra libere operatur quatenus agit per voluntatem ſuam iuxta illud Pſalmi 113. omnia quęcumque voluit fecit, tum etiam, quia prædeſtinatio eſt omnium donorum Dei maximum; ſed donum eſt id, quod voluntate datur; Idem dicendum de prędeſtinatione accepta quatenus virtualiter eſt præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime prædeſtinati liberantur contra Sanctum Thomam; auxilia enim Dei prædeſtinatis non præparantur per intellectum, ſed per voluntatem, quia per eandem potentiam, quâ auxilia illa exhibet, determinate præparat, exhibet autem liberè per eius voluntatem, ergo per eandem determinate præparat.

6 Verum tamen eſt prædeſtinationem vtroque modo acceptam pro electione ad gloriam, & præparatione beneficiorum Dei ad conſequendam illam neceſſario connotare duplicem actum intellectus diuini, alterum antecedentem, alterum concomitantem; nā intellectus & voluntas ſic naturaliter in natura rationali connectuntur, vt in ſuis actibus ſibi inuicem famulentur, adeo vt ſicut voluntas nihil vitaliter attingit per actum amandi, quin prius ſibi vt cognitum proponatur per actum intelligendi, ita nihil fit formaliter per actum volendi amatum, quin ſtatim ab intellectu concomitanter per ſcientiam comprehendatur, ergo ſicut intellectus antecedenter voluntati diuinæ proponit cuncta poſſibilia, ita naturaliter cuncta, quæ per voluntatem redduntur futura concomitanter comprehendit: Ita Doctor ſubtilis in p. d. 38. q. vnica contra D. Thomam p. p. q. 23. art. 1. & q. 6. de veritate art. 1. qui firmiter docet prædeſtinationem eſſentialiter eſſe actum intellectus, & ſolum connotare ſeu habere actum voluntatis adiunctum tanquam extrinſecum complementum.

7 Prædeſtinatio formaliter accepta nullo modo poteſt dici pars diuinæ prouidentiæ, nam actus habentes materialiter & formaliter obiecta diſtincta, ſunt quoque neceſſario inter ſe diſtincti, adeo vt obiectiue vnus non ſit pars alterius, cum actus per obiecta ſpecificentur, & diſtinguantur, pręſertim in Deo, in quo actus operandi eiuſdem potentiæ non ſunt ſecundum rem di-

ſtincti, ſed præciſe penes tendentiam in diuerſa obiecta ſecundaria, at prouidentia, & prædeſtinatio diuerſa reſpiciunt obiecta formalia, cum illa reſpiciat media, hæc autem finem naturaliter prius volitum, ergo obiectiue formaliter diſtinguntur; & proinde neutra pars alterius ſubiectiue recte eſſe non poteſt; ſi vero prædeſtinatio virtualiter, ſiue cauſaliter ſpectetur pro præparatione actuali beneficiorum Dei, quibus prædeſtinati certiſſime ſaluantur, intentione diuina in actu exercito quaſi obiectiue exorta ex formali electione ad gloriam poteſt recte pars prouidentiæ in communi acceptæ, tam obiectiue, quam ſubiectiue cenſeri; hoc eſt notum ex terminis.

8 Si prædeſtinatio formaliter ſpectata comparatione finis ſupernaturalis, quatenus eſt electio ad eundem finem ſupernaturalem non poſſit ſpecialis prouidentia appellari recte tamen poteſt prouidētia ſic ſpecialis dici comparatione alterius finis ſupernaturalis, vt exaltationis Chriſti, & oſtenſionis diuinorum attributorum iuxta illud D. Pauli 1. Corint. Cap. 3. vbi alloquens prædeſtinatos inquit omnia veſtra ſūt, vos autem Chriſti, Chriſtus vero Dei, ergo Deus electos prædeſtinauit, vt eorum prædeſtinatio cederet in gloriam Chriſti; eadem prędeſtinatio ſpectata, tum penes abſolutam actus entitatem, tum etiam penes eius terminationem ad prædeſtinatam creauram, eſt actus æternus Deo nullo modo ex tempore conueniens; ſed in inſtanti æternitatis ante omnia ſæcula, non eſt tamen ita æterna illa prædeſtinatio, vt Deus ab æterno prædeſtinauerit, & modo non prædeſtinet, nec amplius prædeſtinabit, quia verba diuerſorum temporum cum de Deo enunciantur nunc æternitatis tantum ſignificant non abſolute, ſed quatenus omnibus partibus temporis coexiſtit.

9 Duplex actus in Deo conſideratur immanens, & tranſiens actus immanēs dicitur, qui obiectū in ratione termini primarij intra æternitatem habet ineſſe obiectiuo, ſicut ſunt actus ad intra, quibus Deus ſe, & ſuam eſſentiam intelligit, diligit, dicit, & producit Verbum, & ſpirat Spiritum Sanctū, producit res ineſſe poſſibili ex eſſentia ſua, & cōprehendit, & in eas, vt ſic per actum complacentiæ neceſſario tendit, talis eſt actus prędeſtinationis actiuę, quo Deus formaliter dicitur prædeſtinans, Actus vero tranſiens (per oppoſitum) ille accipitur, qui obiectum ſuum per modum termini ſecundarij reſpicit extra æternitatem, vel conſtituit, vt eſt actus, quo creat, vel ſupponit, vt eſt actus, quo conſeruat, quo prædeſtinat, quo vocat, quo iuſtificat, quo glorificat, & vniuerſaliter ſunt omnes actus intellectus, & voluntatis, quibus Deus operatur circa creaturas, quatenus conſiderantur ineſſe futuro.

10 Decretum abſolutum, & efficax, quo Deus infallibiliter vult gloriam electis communicare, ſpectatum quatenus efficax, & infallibile nō dicit ſuppoſitionem antecedentem, ſed totius virtualiter concomitantem determinationem creatæ voluntatis, tum ad gratiam infallibiliter recipiendam, tum ad finaliter in ea perſeuerandum, tum tandem ad gloriam reipſa conſequendam, quia abſolutum decretum, quo Deus prædeſtinat, certitudinem, & infallibilitatem futuri euentus non habet, niſi virtute eorum, per quæ efficaciter executioni mandatur; talia ſunt diuinę gratiæ congrua auxilia, quam congruitatē efficaciam vocant, quibus prædeſtinati ad bene operandum, & ad præcepta finaliter implenda adiuuantur; at decreta huiuſmodi, quibus Deus prædicta executioni mandat comparatione crea-

tæ

Digitized by Google

tæ voluntatis concomitantem faciunt ſuppoſitionem, cum non niſi cum noſtra voluntate determinet actus noſtros ſupernaturales ex gratia futuros; ergo decretũ, quo Deus prædeſtinat quatenus certitudinem habet ſaltem virtualiter, ſuppoſitio dicitur concomitãs. Hinc colligitur prædeſtinationem non poſſe abſolutã neceſſitatem prædeſtinato imponere, ſeu neceſſitatem conſequentis, quia quos Deus ab æterno prædeſtinauit; ex vi prædeſtinationis tantum ſequitur eos in illo rerum ordine conſtituere cum illis circumſtantijs, & auxilijs diuinis, in quo pro ſua libertate volent bene viuere, & in gratia finaliter perſeuerare, ergo nulla ſequitur abſoluta neceſſitas in voluntate prędeſtinati ex prædeſtinationis decreto.

11 Non eſt diſſonum à veritate aſſerere prædeſtinatum non poſſe inſenſu compoſito damnari bene tamen inſenſu diuiſo; nam inſenſu compoſito eſt vna Cathegorica, cuius ſubiectum eſt perſona exiſtens ſub prædeſtinatione, & prædicatum eſt, damnari; Impoſſibile autem eſt ſenſum huiuſmodi eſſe verum ex Scoto 1. ſent. d 39. art. 1. quia impoſſibile eſt pro eodem inſtanti voluntatem poſſe ſimul velle, & non velle idem obiectum, ergo impoſſibile eſt etiam ſimul de aliqua perſona prædeſtinationem, & damnationem enunciari, patet conſequentia, quoniam, tam prædeſtinatio, quam damnatio actum ſaltem virtualiter volũtatis perſonæ prædeſtinatæ inuoluunt, ergo in ſenſu compoſito prædeſtinatus non vult damnari; In ſenſu diuiſo ſunt duę Cathegoricæ, altera de ineſſe in qua enunciatur de perſona creata prædeſtinatio per copulam implicitam in ſubiecto illius Cathegoricæ, quam facit ſenſus compoſitus, & altera de poſsibili, in qua enunciatur poſſe damnari, ſed cum actu prædeſtinationis coheret poteſtas damnationis ex parte prædeſtinati et go in ſenſu diuiſo recte dicitur prædeſtinatum poſſe damnari.

12 Decretum prædeſtinationis neceſſario ſupponit naturalem ſcientiam, qua Deus cognoſcit prædeſtinatos habere poſsibilitatem ad naturaliter exiſtendum extra ſuas cauſas, capacitatem que, ſeu naturalem propenſionem, vt ad bonum ſupernaturale vltimum bonum ordinentur, ac tandem omnem ordinem poſsibilium mediorum, quibus illud ſupernaturale bonum in re ab illis attingi poteſt; eſt notum ex terminis, & Scotus perſpicue tradit in p. diſt. 38. vbi docet Ideas rerum omnium in diuino conſtitui intellectu ante omnem actum voluntatis non quidem determinate dictantes practice de operabilibus extra Deum, ſed tantum ſpeculatiue operabilia ipſa oſtendentes. Huiuſmodi decretum prędeſtinationis, nec ſcientiam abſolutam, & liberam de rebus in aliqua temporis differrentia determinatè futuris formaliter præſupponit, nec illam neceſſario præ exigit; probatur; res ideo dicitur futura, quia in tali ſtatu futuritionis ponitur per actum liberum diuinæ voluntatis, ergo eſſe futurum ſequitur tale decretum; & conſequenter cognitio eiuſdem futuri determinati non præexigitur neceſſario ad illud decretum.

13 Item idem decretum non poteſt præſuponere abſolutã ſcientiam, quod mundus hic ſenſibilis quoad omnes eius partes ſit abſolute futurus, neque quod prædeſtinati ipſi ſint futuri in rerum natura; neque conſequenter quod futuri ſint fideles, ſeu ad fidem peruenturi; quod ſint libero arbitrio, ceteriſque naturalibus bonis bene vſuri, quodque ad gloriam obtinendam cum diuinis auxilijs ſint meritorie operaturi; & prędictorum ratio eſt, quia nihil certò cognoſcitur futurum in rebus, ſiue im-

Digitized by Google

mediate à Deo, ſiue interuentu cauſarum ſecundarum, niſi prius Deus illud fore voluerit; Item idem decretum non poteſt condicionatam ſcientiam (quam mediam vocant) prçſupponere, qua Deus certò ſciat, quid infallibiliter prçdeſtinati cum auxilijs diuinç gratiç ſi in hoc, vel illo ordine cum determinatis circumſtantijs conſtituerentur ex Scoto 1. diſt. 41. quia (vt ſçpe dictum eſt) nihil eſt in rerum natura determinate futurum, ſiue à ſolo Deo, ſiue interuentu cauſarum ſecundarum abſque determinato, & libero ipſius Dei concurſu, ergo ante ipſius determinationem nequit diuinus intellectus certo cognoſcere, quid cauſç ſecundç determinate agerent in vnoquoque ordine cum diuinis auxilijs.

14 Hoc dictum eſt contra Thomiſtas omnes maxime recentiores Suarez lib. 1. de prçdeſtin. Cap. 7. Molinam p.p. q. 14. art. 13. diſp. 18. membro 3. Vaſquez ibidem diſp. 67. & Scotiſtam Fauentinum in p. diſp. 54. Cap. 6. n. 67. & 69. ſuſtinentes decretum prçdeſtinationis neceſſario ſimpliciter ſupponere ſcientiam condicionatam de effectibus omnibus infallibiliter ex prçdeſtinatis futuris pro quolibet rerum ordine, cum quibus circumſtantijs, & auxilijs conſtitutis, ex hypoteſi ſola, quod Deus velit cum eis agere, ſicut nõ eſt poſsibilis motio ex ſe naturaliter efficax, ſeu auxilium ſic phiſice liberi arbitrij creati prçdeterminatiuum antecedenter ad reipſa operandum ſaluo integro vſu libertatis, ita non eſt poſsibile, vt diuinus intellectus ſciat certo ante omnem ſuç voluntatis deliberationem, quid determinate creata voluntas ex ea faceret, ſi motionem talem, ſeu auxilium diuinum in genere qualitatis tantum conſideratum in aliquo rerum ordine haberet. Ad impoſsibile enim determinari phiſice (quod reuera ſic eſt) liberum arbitriũ creatum ad operandum, ſequitur impoſsibile, quod diuinus intellectus certò ſciat ante omnem ſuç deliberationem voluntatis quid determinate creata voluntas ex ea faceret, ſi motionem talem, ſeu auxilium diuinum in genere qualitatis conſideratum tantum in aliquo ordine haberet.

15 Decretum abſolutum prædeſtinationis vniuerſorum prædeſtinatorum ſub Chriſto excluſiue præſupponit neceſſario liberam ſcientiam determinatam, atque abſolutam ex parte obiecti, quod Verbum ſit aſſumpturum humanam naturam, aut paſsibilem, aut impaſsibilem ex Scoto in 3. diſt. 7. q. 3. nam ſicuti effectus neceſſario cauſam ſuam inexiſtentia ſupponit, ita illam ex neceſſitate in præſcientia Dei exigit, at Chriſtus prædeſtinationem noſtram ſimpliciter quoad electionem ad gloriam meruiſſe creditur, ergo noſtra prædeſtinatio in præſcientia Dei tanquam ſui cauſam exigit prædeſtinationem Chriſti, ideo neceſſario quoque ſupponit Verbum abſolute futurum hominem, ſiue impaſsibilem, ſiue paſsibilem; Cæterũ nullius effectus, qui ſit determinate futurus à prædeſtinatis abſolutum decretum prædeſtinationis noſtræ poteſt ex neceſsitate præſcientiam ſupponere eſt Scoti in 1. diſt. 41. non tantum quia docet prædeſtinatos pro ſigno prædeſtinationis ſuæ puris naturalibus diuinæ voluntati offerri, verum etiam quia arguens contra Henricum inquit Deum non præuidere illum bene vſurum libero arbitrio, niſi quia vult, vel præordinat illum bene vſurum libero arbitrio, cum certa præuiſio contingentium ex determinatione diuinæ voluntatis exoriatur; at Deus prçdeterminat aliquem finaliter cum auxilio gratiç bene vſurũ libero arbitrio ex eo, quod illum prçdeſtinauerit.

16 Hæc

Digitized by Google

16 Hęc de quidditate, & eſſentia prędeſtinationis,nunc videndum eſt de eius cauſis; quamuis nulla poſsit cauſa prædeſtinationis proprie inveſtigari quod actum ipſum, quo Deus rationales creaturas ad gloriam prędeſtinat, vt eſt communis Theologorum ſententia, nam actus ille eſt omnino increatus, & improductus alioquin realiter à diuina voluntate eſſet diſtinctus, quoniam vera productio non eſt niſi realiter diſtinctorum, alias idem poſſet ſe ipſum producere,conceditur tamen eundem actũ diuinę voluntatis, quo ipſa tendit ſuper rationales creaturas eas ordinando ad gloriam, admittere quattuor cauſas improprie tamen ob rationem prędictã nempe efficientem, finalem, materialẽ, & formalem; cauſa efficiens eſt duplex principalis, quę eſt ipſemet Deus volens, & prędeſtinans, & meritoria, quę eſt Chriſtus;cauſa finalis eſt oſtenſio diuinę bonitatis, & miſericordię, cauſa formalis eſt modus ordinandi ipſaſmet creaturas ad ſuum finem ſupernaturalem, de quo modo hucuſque, & magis infra dicetur, cauſa materialis eſt ipſa natura beatificabilis.

17 Quod autem Deus ſit cauſa agẽs ſiue efficiens prędeſtinationem probatur primo ex illo Apoſtoli ad Philippenſes Benedictus Deus, & Pater Dñi noſtri Ieſu Chriſti qui prędeſtinauit nos &c. Item ex illo Iacobi primo vbi cuncta bona, quibus creatura potitur Dei liberalitati adſcribit dicens omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum &c. patet igitur quid ſit cauſa efficiens ſicut, & finalis dicta ſuperius, nec vlteriori indiget probatione; cauſa materialis eſt natura beatificabilis, Hęc natura beatificabilis duplex eſt, quędam eſt,quę neceſſario, & intrinſecę,eſt talis & hęc eſt natura diuina,quę cum ſit ex ſe perfectiſsima,& habeat obiectum infinite amabile, ideſt eſſentiam ſuam, & potentias intellectum,& voluntatem infinitas actu ſumme beatificabiles,nõ indiget aliquo extrinſeco ad ſuam beatitudinem, ideo non eſt prędeſtinabilis; Alia eſt natura beatificabilis contingenter, vt Angelica, & humana, quę ex ſe non habent, vnde poſsint complete perfici niſi per prędeſtinationem ordinentur ad aliquod extrinſecum earum perfectiuum, talis eſt viſio, & fruitio diuinę eſſentię.

18 Primus omnium prędeſtinatorum eſt Chriſtus Dominus; eſt de fide iuxta illud D. Pauli Epheſ. 1. elegit nos in ipſo (ſcilicet in Chriſto) ante mundi conſtitutionem, & iuxta aliud eiuſdem loco cit. inſtaurare omnia in Chriſto, ſiueq;in Cęlis,ſiueq; in terris,ex quo loco colligitur perſpicue Chriſtũ eſſe cauſã meritoriam noſtrę prędeſtinationis, & Angelorum,& ratio euidens eſt,nam ſicut ordinate volens prius vult finem, quam media, ita interea, quę ſunt ad finem,prius vult, quod eſt fini propinquius, quam minus propinquum fini, ſed inter omnes prędeſtinatos, quibus Deus ordinate vult gloriam Chriſtus ad ſummam gloriam prędeſtinatus eſt vltimo fini cęteris propinquior, ergo Chriſtus naturaliter prius alijs prędeſtinatus eſt; & poſt eum probabile eſt Beatam Virginem eius genitricem primum quoque locum obtinere, non eſt de fide ex Scoto que non colligitur ſed pie tantum aſſeritur propter dignitatem Matris Dei,nam ſicut plenam habuit Genitrix Dei gratiam in via, ita plenam quoque in Patria obtinuit gloriam, ergo poſt Chriſtum Deo vltimo fini omnibus alijs prædeſtinatis in gradu gloriæ præeminente ipſa virgo dicitur propinquior.

19 Immo ſatis probabile eſt naſcituro Chriſto ex Matre Virgine Deum prædeſtinando humanitatem eius ad ſummam gloriam,& concomitanter ad vnio-

vnionem hypoſtaticam priuſquā alios prædeſtinaret, protinus etiam ante alios ipſam Virginem prius ad plenam gloriam, & concomitanter ad dignitatem Maternitatis prædeſtinaſſe probatur conſequentia; prædeſtinata fuit ad Maternitatem; Maternitas autem optime poteſt medium congruitatis appellari ad plenam gratiam, & gloriam ſibi collatam, ſicut vnio hypoſtatica in Chriſto ſimile medium à Scoto conſtituitur. Huic ſententiæ fauet D. Bernardinus Senenſis ſerm. 51. de B. Virgine tu (inquit) ante omnes creaturas in mente Dei prędeſtinata fuiſti, vt ipſum Deum hominem procreares, quam ſententiam ex Anſelmo refert, eamque etiam Rupertus Abbas lib. 2. in cantica ſignificat: Poſt Ieſum Dominum noſtrum, eiuſque Sanctiſſimam Matrem in ordine intentionis omnes alij, tum Angeli, tum homines in eodem naturæ inſtanti prædeſtinati ſunt ex Scoto in 3. d. 19. vbi Scotus dicit in 3. ſigno Deum prædeſtinaſse hos, ſcilicet electos, ſcilicet ad gloriam, & gratiam, & circa alios habuiſse actum negatiuum, ratione etiam probatur, ſi aliquis eſset ordo prioritatis in prædeſtinatione, vel eſſet comparatione actus prædeſtinandi præciſe, vel ex parte obiectorum, non ex parte actus, qui eſt vnicus, & ſimpliciſſimus ex ſua infinitate ſufficienter habens vnde ſimul in omnia tendat volibilia; neque ex parte obiectorum, in quæ tranſit, nam vel eſset ordo cauſalitatis, & hic non cum vnus electus non ſit finis gloriæ alterius; licet enim non omnes ad eundem prædeſtinentur gradum gloriæ, ſed vnus ad maiorem alius ad minorem. Secundum indiuiduam gloriæ perfectionem nihilominus non quilibet exceſsus infra latitudinem eſsentialis perfectionis ſpecificæ eſse poteſt ſufficiens cauſa prioritatis ſecundum finalem cauſalitatem, niſi ſit ſummus; vt in Chriſto, vel ſaltem plenus, vt in eius Matre, vel eſset ordo dignitatis & ſic eadem ratione, vt patet aſtrui inter prædeſtinatos (poſt Chriſtum, & Beatam Virginem) non poteſt; Concedi tamen poteſt non omnes prædeſtinatos homines in effectu, & executione ſimul electos fuiſse, ſed cum vera ſucceſſionis duratione; nam Deus, nec ſimul prædeſtinatos homines creauit, nec ſimul ad fidem vocauit nec ſimul iuſtificauit, ergo, nec ſimul eos glorificauit.

20 Omnes homines, qui ſaluantur electi ſunt; & prædeſtinati ante peccatum Angelorum præuiſum, immo ante voluntatem illud permittendi; probatur auctoritate D. Anſelmi lib. cur Deus homo Cap. 18. vbi docet ideo homines futuros eſse beatos, etiā ſi Angeli non peccaſsent, quia alias eſſet hominibus gaudendum, quod Angeli peccauerint, & finaliter à gratia ceciderint, & eadem retione ibi generaliter concludit nullam eſse in Cœlo Animam, quæ ſibi perſuadeat ſine peccato alterius non fuiſse gloria fruituram; Suadet ratio, quia prędeſtinatio Angelorum, & hominum ſimul facta eſt in eodem naturæ ſigno, ſiquidem gloria vnius non eſt propter gloriam alterius, at prędeſtinatio Angelorum non pręcedit ſcientiam lapſus aliorum; à fortiori aſserendum eſt omnes homines, qui ſaluantur, electos, & prędeſtinatos eſse ab ęterno non modo ante pręuiſum Adę peccatum, & ante voluntatem illud permittendi, verum etiam ante pręſcientiam peccatorum omnium actualium abſolute à toto generale humano futurorum, quia ante voluntatis diuinę decretum nihil eſt determinate, & abſolute futurum, at primum illius voluntatis decretum ad extra eſt ad gloriam abſolute prędeſtinatis communicandam, ergo nulla

pec-

peccatorum ſcientiā poteſt decretum prædeſtinationis præire.

21 Prædictam electionem, & prædeſtinationem intellige factam ante præſcientiam peccatorum omnium, non modo vt abſolute futura verum etiam futura ſub condicione, quia prima diuinæ voluntatis deliberatio, ſeu determinatio ad extra eſt prędeſtinationis decretum, ſed ante diuinę voluntatis deliberationem, aut determinationem nihil poteſt certo cognoſci, vt determinate futurum neque abſolute, neque condicionate, ergo ante decretum prædeſtinationis, quod eſt primum omnium comparatione determinate futurorum neque abſolute, neque condicionate cognoſci poſſunt hominum, vel Angelorum peccata tanquam determinatè futura, Prædeſtinatio omnium electorum fuit ab æterno facta ſimul ad gloriam, & ad determinatum eius gradum, probatur ex D. Auguſtino qui tractat. 68. in Ioannem expendens illa Saluatoris Verba in domo Patris mei manſiones multæ ſunt quærens quomodo hoc Chriſtus dixerit, & ſubtexuerit vado parare vobis locum. Reſpondit manſiones iam eſſe in prædeſtinatione, & electione, parare autem ingubernatione; ratio etiam ſuadet, Deus ab æterno cognouit certo non modo prædeſtinatos omnes, verum etiam gradus gloriæ in re, vel executione ab eis aſſequendos, ergo non ſolum ab æterno eos ad abſolutam gloriam prædeſtinauit, ſed etiam certo, & determinato illius gradū; antecedens patet, cum Deus ab æterno nouerit omnia futura contingentia ſecūdum omnes eorum differētias, & circūſtantias, conſequentia probatur, quia huiuſmodi futura certo attingit ex decreto ſuæ voluntatis.

22 Hæc prędeſtinatio electorum ad gloriam, & ad certum & determinatum gradum ab æterno ab eo facta ſimiliter fuit in eodem inſtanti naturæ probatur illo principio Scotico ordinate volens prius vult finem, quam media ad finem ordinata, cum hæc velit propter illum, ergo prius vult finem in particulari iuxta hunc, vel illum gradum, quam velit determinata media ordinata ad illum ſingulariter comparandam, conſequentia probatur; non minus abſoluta voluntas mediorum ex voluntate etiam abſoluta finis exoritur, quam determinata voluntas circa media in particulari ex determinata voluntate finis ſingulariter conſiderati, at Deus eſt agens rationabiliſſimum, & ordinatiſſimum, ergo non prius vult rationales creaturas habere finaliter tot, taliaque merita ad tantam, talemque gloriam in executione attingendam, quam eas in intentione ad gloriam illam indeterminato gradu prædeſtinauerit; ſicut enim ſe habet gloria in communi ad merita in communi, ita gloria in tali gradu ad merita in tali gradu, ſed gloria in communi intenditur tāquam finis meritorum in communi, ergo etiam gloria in tali gradu comparatione meritorum in tali gradu.

23 Intellectualis natura vt ſic ſeu humanitas abſq; perſonalitate ſpectata eſt vere, & proprie in ſe ipſa per ſe primo prædeſtinabilis, nam ſi Anima intellectiua, quæ eſt pars totius ſubſiſtentis à corpore ſeparata reipſa ſupernaturalibus donis condecoratur, & beatitudine potitur, ergo ab æterno præciſe ſpectata in ſe potuit ad beatitudinem illam ſimpliciter à Deo prædeſtinari, & conſequenter ad vniuerſa ſupernaturalia dona in ordine ad illam per ſe primo ordinari independenter ab vnione ad corpus, atque adeo multo magis natura ſingularis prius natura, quā in ſe ſubſiſtens concipiatur, & perſonata propria perſonalitate, vel aliena perſonalitate eſt prædeſtinabilis; eo vel maxime, quia bea-

beatitudo conſiſtit formaliter in actibus intellectus, & voluntatis terminatis ad Deum in ſe; at natura præciſe ſumpta abſque perſonalitate totum habet neceſſario requiſitum ad actus intelligendi, & volendi eliciendos, & recipiendos, cum principium proximum eorum elicitivum, & receptivum ſit intellectus, & voluntas in ſe, ergo per ſe primo capax eſt prædeſtinationis, ſicut capax eſt beatificæ operationis independenter à perſonalitate.

24 De facto humana natura ſingularis ſine propria, vel aliena perſonalitate prædeſtinata eſt ad ſummam gloriam, ita Doctor ſubtilis in 3. diſt. 7. q. 3. nam *Hypoſtatica* vnio fuit naturæ humanæ volita in ordine ad ſummam gloriam,& gratiam in re ei conferendã, ergo prius prædeſtinata fuit ad ſummã gloriam, quam ad vnionem hypoſtaticam, ergo nulla perſonalitas erat in natura illa cum ad gloriam, & gratiam ſummam prædeſtinabatur; ſi quæ enim perſonalitas in ea præ intelligebatur, propria,ac intrinſeca perſonalitas creata eſt;Hæc autem nequaquam dici poteſt, quoniam ordinari ſubinde ad perſonalitatem Verbi minime potuiſſet, ergo independenter à quacumque perſonalitate prædeſtinata fuit; Licet de poſſibili ſpectata Dei abſoluta potentia prædeſtinatio per ſe primo reſpicere poſſet naturam ſingularem ſine perſonalitate, nihilominus de facto iuxta communem Legem in omnibus eam tendere in naturam in ſe perſonatam certum eſt prima pars iam ex dictis remanet probata.

25 Poſterior autem ſic probatur, nulla natura prædeſtinabilis eſt non perſonata perſonalitate creata igitur in omnibus prædeſtinatis citra Chriſtum prædeſtinatio terminatur ad naturam perſonatam ſaltem ſpecificatiue; omnes Thomiſtæ in 3. p. q. 24. art. 2 cum S. Thoma ad primum principale, defendunt prædeſtinationem reſpicere neceſſario ſuppoſitum, & perſonam tanquam obiectum proximum, non vero naturam ſingularem vt ſic, & conſequenter naturam aſſumptam à Verbo prius fuiſſe ordinatam ad vnionem hypoſtaticam, quam ad gloriam prædeſtinatam, & ratio eorum eſt quoniã operatio (ſicuti eſt beatitudo formalis) eſt ſuppoſiti ſiue perſonæ, non naturæ ſingularis vt ſic; Quod falſum eſt, nam ratio quiditatiua operandi eſt ipſamet natura ſingularis; perſonalitas vero eſt naturaliter concomitans, quatenus ſcilicet nulla datur de facto natura intellectualis ſingularis naturaliter operans, quæ non ſit perſonata; Dictum eſt ſuperius, naturam diuinam eſſe beatificabilem, ſed non prædeſtinabilem; quia beatitudo eius eſt ei, & tribus diuinis perſonis, in quibus ſubſiſtit omnino intrinſeca, & connaturalis ob rationem ibi dictam.

26 Accidentia non ſunt prædeſtinabilia, ſed ſolum ſubſtantiæ, ſed dicuntur aliquando prædeſtinari, quatenus prędeſtinatio ad quamlibet diuinę pręfinitionis ſignificationem extenditur; nam prædeſtinatio proprie de re dicitur quę ad finem ſuum conſequendum ordinatur cum ſit ordo rei in proprium finem, at proprium eſt ſubſtantiæ conſequi finem; cum accidentia ſint media ſubſtantijs inſeruientia ad finem conſequendum, vel eis potius ratio formalis termini prædeſtinationis, quatenus in eis reperiri poteſt ratio formalis vltimi termini, vel vltimæ dignitatis inhærentis rationali creaturæ, qualis eſt viſio, & fruitio beatifica. Obiectum prædeſtinationis, quatenus eſt ordinatio rei ad ſupernaturalem finem non ſunt omnes ſubſtantiæ, ſed ſola natura intellectualis perſonata creata, vt eſt Angelica, & humana prima pars patet, nam nec irrationabilia, nec inanimata ſunt

ali-

Digitized by Google

alicuius doni ſupernaturalis capacia, ſicut probatur à Scoto in 4. diſt. 1. q. 5. aduerſus D. Thomam, vbi docet nullam eſſe virtutem ſupernaturalem formaliter Sacramentis inhærentem, quia non ſunt illius virtutis capacia.

27 Secunda pars probatur nam ſola natura intellectualis creata eſt per ſe capax gloriæ, aliorumque ſupernaturalium habituum; & ſoli huic naturæ ipſa gloria non dicitur connaturalis, ſed ſimpliciter eius vires naturales excedens, ergo ſola natura intellectualis creata eſt prædeſtinationis capax, atque adeo ipſa ſola rectè proximum eius obiectum conſtituitur, nam prædeſtinatio rigoroſe accepta eſt ordo alicuius naturæ perſonatæ ad ſuum vltimum finem, quem ſuis naturalibus viribus attingere non poteſt, at ſola natura intellectualis creata gloriam tanquam ſuum vltimum finem ſuperantem eius vires naturales reſpicit, ergo ſola hæc natura obiectum prædeſtinationis ſtatuitur; ſed quæres an numerus prædeſtinatorum ſit certus? Reſpondetur cum diſtinctione; vel loquimur de numero numerante, ſiue formaliter, vel de numero numerato, ſiue materialiter primo modo eſt certum, ſecundo modo non, puta ſi diceretur quod certum eſt eſſe mille prędeſtinatos non autem certum eſt qui ſint illi mille.

28 Reſpondetur ſecundo iuxta Doctrinam Sancti Thomæ de Veritate qu. 6. art. 4. quod de certitudine numeri prædeſtinatorũ poſſumus duobus modis loqui, vno modo per comparationem ad cauſam primam prædeſtinantem ſcilicet ad Deum, alio modo in comparationem ad cauſam proximam ſcilicet ad liberum arbitrium creatum, primo modo numerus prædeſtinatorũ eſt certus Deo formaliter, materialiter, & immutabiliter. Formaliter quidem quia ipſe ſcit quot ſunt ſaluandi, materialiter etiam, quoniam ipſe nouit, qui ſunt ſaluandi; Inuariabiliter ſeu immutabiliter quoque propterea, quod talis numerus non patitur additionem, nec diminutionem, nec variationem, ſi vero ſit ſermo de certitudine numeri prędeſtinatorum in comparatione ad cauſam proximam ſalutis humanæ non eſt idem iudicium de numero formali, & materiali, nam numerus formalis nullo modo cadit ſub voluntate humana, eo quod nulla voluntas ſe extẽdit per modum cauſalitatis ad totam integritatem numeri prædeſtinatorum, & ideo numerus formalis remanet omnino incertus, numerus autem materialis aliquo modo ſubiacet voluntati humanæ, quæ eſt variabilis in quantum ſalus vniuſcuiuſque eſt ſub libertate arbitrij conſtituta, & ſic numerus materialis aliquo modo certitudine caret, ex parte tamen Dei vterque numerus certitudinem habet.

29 Ex reſolutione huius dubij aperte patet error Vuiclephi damnatus in Concilio Conſtantienſi, & Caluini aſſerentium prædeſtinatos ſemper eſſe in Dei gratia, nec poſſe aliquando ab ea excidere, oppoſitum etenim ex ſacris litteris probatur primo Dauid extitit de numero prædeſtinatorum, & tamẽ peccauit mortaliter peccato adulterij, & homicidij vt patet ex 2. Regum Cap. 12. Dominus tamen transtulit peccatum ſuum; Secundo Petrus Apoſtolus fuit prædeſtinatus, & tamen peccauit mortaliter, & gratiam ad tempus amiſit negando Chriſtum in nocte Paſſionis eius vt narrant Euangeliſtæ ergo; Tertio Paulus ſimiliter fuit prędeſtinatus qui tamen peccauit mortaliter perſequendo Chriſtum ac eius diſcipulos, vt ipſe teſtatur 1. ad Thimoth. 2. quoniam blaſphemus fui, & contumelioſus, & perſecutor; probatur ratione; prædeſtinatus quandiu eſt in

Digitized by Google

hac vita habet liberum arbitrium flexibile in bonum, & in malum, nam quamuis prædeſtinatio efficiat infallibiliter, quod prædeſtinatus moriatur in gratia, cum donum perſeuerantiæ ſit effectus prædeſtinationis, non tamen efficit in omnibus prædeſtinatis, quod nunquam peccent, aut poſſint peccare mortaliter, ergo poſſunt peccare niſi in gratia ſint confirmati.

30 Pro cuius intellectu aduerte, quod ſicut aliquis poteſt eſſe perfectus duobus modis, vno modo ſecundum quid vt in via quando habet fidem, & Charitatem ſecundum modum præſentis vitæ, alio modo ſimpliciter, vt in patria, quando perfecte diligit Deum, nec tamen in via aliquis omnino perfectus eſt vt in patria; Ita quis poteſt eſſe confirmatus in gratia, & in bono in via, qui tamen omnino non eſt confirmatus in bono, ſicut in Patria; v. g. aliquis liberum arbitrium habet dupliciter confirmatum in bono ſcilicet in bono ſimpliciter, ſcilicet quod omnino peccare non poteſt, & ſic beati qui ſunt in patria habent in ſe ſufficiens ſuæ firmitatis principium ſcilicet donum gloriæ cum negatione diuini concurſus ad actum poſitiuum, & materialem peccati, ex quo omnino peccare non poſſunt; Alio modo dicuntur aliqui confirmati in bono per hoc, quod datur eis donum gratię diuinæ; quo ita inclinantur in bonum, quod non de facili poſſunt deflecti ab eo, non tamen per hoc ita retrahuntur à malo, quod omnino non poſſent peccare niſi diuina prouidentia cuſtodiente, ſic fuerunt confirmati B. Virgo, & Apoſtoli ob eorum varia priuilegia, ex quibus conſtat prædeſtinatos, qui non ſunt in gratia confirmati poſſe mortaliter peccare, & gratiam Dei ad tempus amittere & ita contingere de facto aliquibus.

31 Deus ab æterno potuit plures Angelos, & homines prædeſtinare, quę de facto prædeſtinauit, immo potuit omnes eligere quotquot abſolute voluit fore, adeo vt nullus Angelorum & hominum eſſet futurus reprobus, Deus enim eſt omnipotens Dominus ſuę gloriæ; Nec repugnat ſimpliciter, & abſolute loquendo ſuo quoquo modo poſſe prædeſtinatorum numerum augeri, vel minui; Dicitur ſimpliciter, & abſolute loquendo, quatenus ſcilicet prædeſtinatorum numerus ſpectatur, vt præciſe ſub eſt electioni ad gloriam præſcindendo à decreto illo virtualiter in ipſa electione inuoluto, quo Deus concomitanter vult expreſſe prædeſtinatos efficaciter in tempore in gratia finaliter perſeuerare; ſic enim prædeſtinatio non inuoluit voluntatem prædeſtinati eſse confirmatam in gratia; De facto ſuppoſito abſoluto decreto, quo ab æterno Deus prædeſtinauit hos Angelos, illoſque homines determinatè ad gloriam illam in re ab eis per efficacia media aquirendam eſt adeo certus formaliter & materialiter prædeſtinatorum numerus, vt neque per abſolutam Dei potentiam valeat amplius augeri, vel minui probatur per D. Auguſtinum lib. de correct. & gratia Cap. 3. vbi ait certus eſt prædeſtinatorum numerus, qui nec augeri poteſt vel minui, nam ſolum prædeſtinati efficaciter dicuntur; quibus ab æterno efficaciter præfiniuit gloriam ſuam per media efficacia diuinæ gratiæ communicare, at ab æterno Deus eorum numęrum in particulari ſeu ſingulariter præfiniuit.

32 Certus eſt igitur prædeſtinatorum numerus formaliter, & materialiter per ſe primo non in præſcientia mediorum ſupernaturalium gratiæ excitantis, præuenientis, & operantis, neque in prædeterminatione, & phyſica eorum cauſalitate ſupra liberum arbitrium

trium prædeſtinati, ſed in abſoluto decreto electionis ad gloriam ante præuiſa merita, nam Deus prius prædeſtinat ad gloriam, quam præfiniat media, quibus infallibiliter prædeſtinati vitam adipiſcuntur æternam ex Scoto in 1. diſt. 41. & 2. diſt. 20. q. 2. & in 3. diſt. 7. q. 3. ergo prima ratio certitudinis numeri prædeſtinatorum neque in præſcientia, neque in præfinitione mediorum per ſe primo radicari poteſt, antecedens patet, quia voluntas finis naturaliter præcedit voluntatem mediorum. Si de numero prædeſtinatorum determinato in ſingulari eſt ſermo ex Angelis omnibus ſimul à Deo initio temporis creatis prædeſtinatorum numerus eſt maior numero reproborum eſt de fide iuxta illud Apocalipſ. 12. vbi de caſu malorum Angelorum legitur, & ecce Draco, Magnus rufus habens capita ſeptem, & cornua decem; & in capite eius diademata ſeptem, & Cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum Cœli, & miſit eas in terram.

33 Ex omnibus vero hominibus quos Deus ab æterno ſucceſſiue abſolute creare ſtatuit in tempore; numerus reproborum maior eſt numero prædeſtinatorum; Hoc ſine errore in fide negari non poteſt; nam Ethnici Infideles, Hæretici, & Schiſmatici, qui ſemper in orbe fuere ſunt, & erunt vſque ad finem Mundi longe ſuperant multitudine fideles; ſed fide conſtat fideles ſolum vitam adipiſci ſempiternam, ergo facta comparatione inter omnes homines fide certum eſt, reprobos multitudine ſuperare prædeſtinatos; Obijcies primo illud Apoc. 7. vbi cum Ioanni eſset reuelata Cœleſtis illa Hieruſalem, quæ ex prædeſtinatis coaleſcit, proteſtatur ſe vidiſse turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus ſtantes ante Thronum, ergo prædeſtinatorum numerus eſt innumerabilis; Hinc Matth. 8. Legitur multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent in ſinu Abrahæ, filij autem regni eijcientur foras & Iſaiæ 54. multi filij deſertæ (ideſt gentilitatis) magis eius quæ habet filios, ideſt populo Iudæorum, quibus verbis inſinuatur clarè prædeſtinatorum numerum eſse omnino innumerabilem; Reſpondetur facile prædeſtinatorum numerum poſse duobus modis conſiderare modo in ſe, vno & abſolute, & ita ſanè maximus, & quaſi infinitus dicitur, altero modo conſideratur relate comparatione numeri reproborum, & ideo dicitur paucus, & puſillus grex à Saluatore. Lucæ 12.

34 Obijcies ſecundo Deus ante præuiſionem meritorum prædeſtinat eos, quibus efficaciter in tempore gloriam communicat, ergo plures ſunt prædeſtinati quam reprobi, conſequentia probatur ſi poſt præuiſa merita Deus ad gloriam rationales elegiſſet creaturas, cum propter peccata mortalia, vel ſaltem propter originale homines æternis cruciatibus, aut ſaltem pœna damni, vel priuationis æternæ gloriæ naſcantur digni, tunc ſanè iuxta ex cauſa poſſet Deus plures reprobare, quam prædeſtinare, at cum res ita non ſe habeat, vt Scotus exactiſſime in 3. diſt. 7. quæſt. 3. probat, durum nimis videtur, quod plures homines reprobauerit, quam prædeſtinauerit. Confirmatur, Ex Angelis plures ſunt prædeſtinati, quam reprobi ex dictis ſupra; ergo etiã ſimili modo tenendum eſt ex hominibus plures eſſe prædeſtinatos quam reprobos, cum nulla poſſit diſparitatis ratio aſſignari, quoniam tam Angeli, quam homines ante præuiſionem meritorum fuerint electi; Reſpondetur negando conſequentiam; & ad probationem dicitur Deum neminem profecto ante præuiſa merita poſitiue repro-

bare, & ante præuiſa merita prædeſtinare, ſed in numero ſatis breui comparatione maximi numeri reproborum, quoniam eſt abſolutus ſuæ gloriæ Dominus; Ad probationem negatur conſequentia, & ratio diſparitatis nulla alia poteſt aſſignari à priori, niſi diuina voluntas à poſteriori vero quia conſpicuũ eſt homines in ſuis operibus magis quã Angelos recedere à regula diuinæ voluntatis.

35 Comparatione facta tantum inter fideles adhuc numerus reproborum probabilius ſuperat numerum prædeſtinatorum, iuxta illud Matth 7. quam anguſta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniant eam, & iuxta aliud Matth. 20, 22. multi ſunt vocati, pauci vero electi, quæ verba de fidelibus ſolum intelligi docent D. Gregorius hom. 19. & D. Griſoſt hom. hom. 65. vbi commemorans multa ad mores aſtinentia ſic concludit; quare non iniuria quidam dicebat paucos fore ſaluandos ego (inquit) licet videam efficaciam paſſionis, meritorum Chriſti, & Sacramentorum, quibus eadem merita rite diſpoſitis applicantur; dum tamen multitudinem peccatorum conſidero; deinde quam parum curent homines propriam ſalutem quam de fides, ne dicam imparati accedant ad ſacramenta valde timeo, ne maior pars fidelium ſit damnatorum, quam prædeſtinatorum, præſertim cum vel vnum lethale peccatum, de quo debitam pęnitentiam non egerint ad interitum æternum ſit ſatis, & homil. 3. ad populum quot (inquit) putatis in hac noſtra Ciuitate, qui ſalui fient? Infeſtum eſt quod dicturus ſum; dicam tamen non poſſint in tot millibus (in Antiochia erant tunc ad ducenta millia hominũ) centum inueniri, qui ſaluentur, immo (inquit) de eis dubito.

36 Non eſt certus numerus fidelium ſaluandorum, ſed ſoli Deo notus, & ex ſola ipſius reuelatione ab hominibus ſciendus; Falſa ex dictis eſt opinio illorum qui dixerunt tot homines eſſe ſaluandos quot Angeli corruerunt, nam homines non ſunt principaliter prædeſtinati in defectum Angelorum qui corruerunt, ſed potius, vt per ſe numerus prædeſtinatorum compleretur à Deo præſignatus ante præuiſionem *caſus* Angelorum ex Scoto in 3. diſt. 7. q. 3. nec id poteſt eſſe certum, quod alij dixerunt cum D. Gregorio hom. 34. vbi tot ait homines ſaluari quot ſunt Angeli qui gloriam ſunt adepti, cum homines ſint prædeſtinati independenter à prædeſtinatione Angelorum contra ſuperius aſſertum nempe comparatione facta tantum inter fideles probabilius eſſe adhuc numerum reproborum ſuperare numerum prędeſtinatorum, obijcitur; fideles in fine vitæ recipiunt Sacramenta, quibus peccata omnia expiãt, ſicque expiati in ſtatu gratiæ, & ſalutis decedunt. Reſpondetur, non omnes ſuſcipiunt Sacramẽta, nam multi in pręlijs, in nauibus, in mõtibus, in itineribus & pluribus alijs occaſionibus moriũtur ſine Sacramentis; Rurſus ex ijs, qui ea ſuſcipiunt, multi ea male ſuſcipiunt, ac proinde peccata non expiant; multi enim laborant ignorantia vincibili, & craſſa articulorum fidei, quos explicite ſcire, & credere tenentur, æque ac Sacramentorum, & præſertim ignorant efficax propoſitum abſtinendi a peccatis requiri, vt quis ſit capax abſolutionis, & neſciunt quam fortis & conſtans reſolutio animi requiratur, vt propoſitum cenſeatur eſſe abſolutum, & efficax.

37 Multi nolunt ſibi vim adhibere etiam ſi ſciant tale propoſitum tam ſerum, & efficax requiri, & ad rem tam arduam, ſublimem, & difficilem totis viribus procurari deberi; inde fit, vt

Digitized by Google

in morbo, & articulo mortis; cum ratio, Iudicium, ſenſus, & vires hominis debilitantur, & ſopiuntur, & ex habitu tot annorum in morte formant propoſitum tale, quale ſolent in Paſchate ſcilicet ſuperficiale, verbale, & ineſſicax; nam illa eſt pœna peccati, vt qui rectum facere cum poſſet, noluit, amittat poſſe cum velit, & hæc pœna eſt iuſtiſſima; multos autem carere hoc neceſſario propoſito ex varijs indicijs facile conijci poteſt; Primum indicium eſt, quod hoc propoſitum obiter, ſemel eliciāt in Paſchate ad hoc, vt confiteantur, quia ad hoc à Paſtoribus coguntur, vnde hoc propoſitum eſt magis coactum, quam liberum, & ſpontaneum; Hinc mox à Paſchate, & confeſſione ad ſuas cupiditates, vitia, & ſcelera redeunt, ſicuti etiam poſt confeſſionem in articulo mortis peractam ſi periculum hoc euadant, & reualeſcant; qui facilis reditus ſignum eſt illud propoſitum fuiſſe coactum, & metu mortis exortum, non ſincerum, & ſerium.

38 Secundum indicium, quia multi malos habent habitus rixandi, inebriandi ſe, fornicandi, blaſphemandi, peierandi, maledicendi, & ſimiles, quos deponere nolunt, aut ſi volunt non adhibent remedia ad rem tam inhærentem deſtruendam neceſſaria; Vis videre horum malorum habituum efficaciam? Adi aulas, tribunalia, officinas, nundinas, militiam, fora, exitus viarum, naues curſus, & concurſus & alibi, & ibi puerorum, adoleſcentium, virorum, ſenumque corruptiſſimos mores, videbis periuria, inuidias, detractiones, fraudes, conuitia, contumelias, rixas, obſcœnitates, corrupta deſideria, ſuperbiam, auaritiam, edacitatem, vinolentiam &c. Vade ad mūdum muliebrem, & ibi videbis vanitates in ſummo, ſuperfluos ornatus laſciuiam graſſantem in honeſtos, & impudicos aſpectus, adeo vt tibi licebit clamare cum Pſalmiſta pſalm. 13. corrupti ſunt; & abominabiles facti ſunt in ſtudijs ſuis non eſt, qui faciat bonum non eſt vſque ad vnum, vel cum Michea 7. 2. periijt ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt.

39 Tertium indicium, quia multi habent principia politica, aut vitioſa propoſito huic directe contraria, in quibus à pueritia enutriuntur, adoleſcunt, & ſeneſcunt verbi gratia, iniuriam tibi & tuis factam talione vindicandam, inglorium, vilem, & infamē eſſe, qui id non facit; duellum ſi offeratur eſſe acceptandum, ne honor perdatur; In conuiuijs cuilibet adæquales hauſtus propinanti eſſe reſpondendum, ideoque inebriandum, ante omnia conſulendum eſſe ſtatui, prolibus familiæ, vt ſtatum honorem retineas omnimodo enitendum, nec curandas leges Eccleſiæ, vel Dei ſi obſiſtant; vitam & fortunas tuendas eſſe præ omnibus etiam cum diſpendio legis Dei; non eſſe tolerandas ignominias, calumnias, verbera, ſed par pare referendum; Hæc autem dictamina, & principia data occaſione ſæpius actu cogitant, ruminant, & confirmant, ac nunquam deponunt nec in confeſſione quidem, adeo vt ſi à confeſſario de ijs præciſe rogentur, reſpondent ſe in ijs perſtituros, quia vbi agitur de honore, lucro, & comodo non curant conſcientiam, nec Deum, nec Infernum; Porro hæc propoſita habitualiter, immo virtualiter ſemper in ijs manētia ex diametro repugnant propoſito ſerio cauendi omnia peccata Dei que legibus per omnia obediendi; & concionatores hæc non docent non explicant, non inculcant, ſed communem tramitem explicandi Euangelia ſequuntur; peccatoribus comendant paſſionem Chriſti, miſericordiam Dei largitionem eleemo-

eleemoſinarum, & cultum B. Virginis, quod illa ſuos cultores non ſinat perire; nec deſcendunt ad vitia huic, vel illi loco propria, vt contra ea tonent, & fulminent, eaque extirpent; Vnde vrbes, & populi in eiſdem malis regulis, conſuetudinibus, propoſitis, & vitijs manent, nec vllum vel exiguum ex concionibus omnibus fructum referunt. Mutent ergo modum concionandi, ſi Deo, conſcientiæ, Eccleſiæ, & auditoribus conſulere ſatagunt, vt cõſcientias feriant, exijſque malum ſemen, quod in tali loco graſſari ſciunt, ſtirpitus euellunt.

40 Quartum Indicium; eſto aliqui in articulo, vel periculo mortis cõfitẽtes concipiunt verum propoſitum, tamẽ ſi poſt confeſſionem ſi pluribus diebus (vt contingit) decumbant, recurrit memoria priſtinarum cupiditatum, quæ Animum ijs ſe paſcere ſolitum ad conſenſum flectunt, vt in prauam cogitationem, & delectationem moroſam præteritæ, & ſolitæ voluptatis illicitæ conſentiant; præſertim quia Dæmon tunc eandem menti obijcere, & refricare ſolet, grauiſſimeque hominem tẽtare in vltimo illo duello, adeoque in ipſo agone, quo Anima è corpore migrat, permittit enim id Dæmoni Deus iuſto iudicio in pęnam ſcelerum, & negligentiæ, qua ſani, & vegeti cupiditates illas mortificare non curarunt, ſed eis indulſerunt quaſi equus, & mulus, quare tunc multi ſuccumbunt, & pereunt, cuius rei plura funeſta extant exempla; Quintum indicium; virtus ſalus, & gloria Cœleſtis eſt res ſublimis & ardua ſuperans omnis naturæ vires; Ex altera parte hominis natura per peccatum corrupta, & plane ad res terrenas depreſſa eſt; tamque viui in ea ſunt affectus terreni, & cupiditates opum, honorum & cupiditatum, & deliciarum, vt vis apprehendat, aut capiat res cœleſtes, multo minus ſe erigat, & totis viribus connitendo aſſurgat; eſto enim gratia Dei præueniatur, tamen illa perinde ſe habet in homine lapſo, ac medicina in homine infirmo, & proſtrato, vt illum vix erigere queat, & ſi erigat faciliter rurſum collabatur, & corruat; Quare in hac generali naturæ corruptione facile eſt cuilibet inter tot occaſiones & tentationes carnis, mundi, & Dæmonis labi in aliquod peccatum mortale, ex eo autem reſurgere per pœnitentiam & propoſitum efficax arduum eſt & difficile; Hęc ſœpe meminiſſe & ruminaſſe iuuabit.

41 Adhuc tamen aliquis erectus in ſpe cum parabola Matth. 22. poteſt obijcere, & probare ſaltem æqualem numerum prædeſtinatorum & reproborum, immo prædeſtinatorum, eſſe multo maiorem; ibi enim dicitur, Cum intraret &c., vt videret diſcunbentes vnum ſolum inter plures inuitatos inuenit, qui nuptiali veſte careret, ergo indicium certum ex omnibus fidelibus ad Cœleſtes nuptias vocatis eſſe plures, qui illis perfruantur, quam qui eis priuentur; confirmatur ex Angelis maior pars prædeſtinata eſt, vt fide cõſtat, ergo ſimiliter ex fidelibus patet conſequentia, ſicut ad imitationem Draconis, ſcilicet Luciferi tertia Angelorum pars cecidit, ita ad imitationem Chriſti gemina fidelium pars debet reipſa eleuari ad ſydera; Ad parabolam Euangelij reſpondet D. Hieronymus ibidem nomine vnius veſtem nuptialem non habentis deſignaſſe Saluatorem omnium reproborum cõgregationem, qui ad vnam Babilonis Ciuitatem pertinent, vt recte quoq; vnius nomine deſignati, quia in vna damni pœna conueniunt, eaq; confuſo, & indiſtincto modo nectuntur; Ad confirmationem negatur conſequentia, ad cuius probationem dicitur, licet ex proportione illa-

latis.

Digitized by Google

ſatis probabile colligatur congruentia ad oppoſitam ſuadendam ſententiam, reuera tamen non conuincit quoniam experientia conſtat ex fidelibus paucos eſſe qui ſerio curent propriam ſalutem, & qui arctam, quæ ducit ad cœlum, viam perambulent; Quare tantum probabiliter proportio illa dæmonſtrat ex fidelibus plures per Chriſtum ſufficiēter ſaluari poſſe, quam per Luciferum ex Angelis corruiſſe.

42 Caietanus ſuper Matth. 25. opinatur facta inter fideles comparatione prædeſtinatorum numerum æqualem eſſe numero reproborum, probat ex parabola Saluatoris, quam ibi Euangeliſta memorat de decem illis Virginibus, quarum quinque dicuntur fatuæ quinque prudentes, at ibi ſermo fit de Chriſti fidelibus, qui ob candorem fidei, Virginum nomine ſignificantur ergo &c. Reſpondetur hoc fundamentum Caietani nullam certam circa propoſitum facere probationem, cum parabola illa de decem Virginibus non ſit intelligenda de omnibus Chriſti fidelibus, ſed de ijs tantum qui in Eccleſia Chriſti peculiarem aliquam ſuæ ſalutis curam habent; appellantur enim Virgines quoniam aliquem conſcientiæ nitorem interdum ſeruant, & non quia ſola fide perfuſi ſunt, alioquin inſignes quoque peccatores, qui ore confitentur Chriſtum, factis autem negant Virgines ſimiliter dicerentur, quod blaſphemiam ſapit; Quo fit vt ſi ex illis fidelibus, qui in Eccleſia Chriſti cum aliqua propria ſalutis cura vitam ducunt vix pars dimidia ſaluatur, ſignum profecto eſt ex fidelibus generatim partem maximam damnari. Faxit Deus, vt nos arctam viam cum Sanctis ingrediamur, vt ſecurè cum eis ad vitam perueniamus æternam.

43 Quandoquidem prædeſtinatio, & liber vitæ pari paſſu incedant, & vnum alterum declaret, & explicet; Ideo aliquid de libro vitæ dicendum eſt; Liber vitæ vere, & proprie reperito in Deo in aliquo ſaltem ſignificato vero à parte rei eſt de fide; iuxta illud Danielis 12. in illo ſaluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit in libro, & Apoc. 21. non intrabit in ea, niſi qui ſcriptus eſt in libro vitæ agni; & Cap. 20. quicumque non eſt inuentus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis, nam liber vitæ vel eſt formalis conſcriptio ordinatorum ad vitam, vel eſt certa notitia, qua intellectus diuinus immutabiliter intelligit eos, qui ad vitam conſcripti ſunt; & vtrumque certe, & proprie reperitur in Deo, cum ad ipſum pertineat ad illam beatam vitam rationabiles conſcribere creaturas, & immutabiliter, & certò ſcire conſcriptos, & ordinatos ad illam cęleſtem patriam; Ergo verè in Deo repetitur liber vitæ, qui præſſe ſumptus pertinet ad intellectum diuinum non ſubiectiuę, ſed obiectiue; eſt enim medium, ſeu obiectum, in quo per notitiam legit nomina conſcripta prædeſtinatorum; liber vitæ formaliter eſt idem, quod prædeſtinatio ipſa, nam in libro vitæ prædeſtinati dicuntur ad vitam ęternam finaliter ordinati, & huiuſmodi prædeſtinatorum ordinatio ad vitam æternam eſt formaliter prædeſtinatio.

44 Differunt tamen, nam liber vitę ſaltem connotatiue inuoluit reſpectum quendam, ſiue habitudinem ad intellectum diuinum intuentem in eo, tanquam in libro, eos, qui ad gloriam ſunt finaliter electi, & prædeſtinatio perſe primo tantum dicit ordinem electionis rationalis creaturæ per voluntatem diuinam ad gloriam, & concomitanter tamen accipitur pro actu intellectus concomitante illam electionem Scotus 1. diſt. 40. Liber vitæ ſimpliciter ſumptus

tus

tur formaliter, & per ſe primo eſt reſpectu gloriæ, & virtualiter ſiue mediatè reſpectu gratiæ, prima pars patet ex dictis, nam liber vitæ eſt idem formaliter, quod prædeſtinatio, at prædeſtinatio per ſe primo primitate ordinis, & adæquationis eſt reſpectu gloriæ ergo; ſecunda pars probatur, vita beata non aquiritur niſi per gratiam, ergo in abſoluto decreto, quo Deus prædeſtinatum in libro vitæ habet conſcriptum virtualiter inuoluit gratiam formalem, & finalem, quæ eſt proximum medium ad beatam vitam obtinendam; De libro vitæ modo prędicto accepto nemo poteſt reipſa deberi; eſt de fide iuxta illud Ioannis 10. non peribunt in æternum, & nemo eas rapiet de manu mea; & ratio eſt, quia prædeſtinatus reipſa in ſenſu compoſito non poteſt damnari, cum per actum voluntatis creatæ impediri nequeat actus voluntatis diuinæ; impediretur autem ſi ſtaret propoſitum diuinæ voluntatis, & oppoſitum eueniret per voluntatem creatam, quod eſt impoſſibile.

45 Dices conſcriptus in libro vitæ poteſt reipſa mortaliter peccare, & à gratia excidere; & in tali ſtatu nôn dicitur amplius ad vitam æternam ordinatus, ergo dicitur non conſcriptus, ſed potius deletus de libro vitæ. Reſpondet Scotus in 4. diſt. 16. q. 2. ad minorem prædeſtinatum pro eo inſtanti in quo peccat, & in peccato exiſtit ſimul dici ad gloriam, & pœnam ordinatum, ad pœnam voluntate tantum condicionata, ſi ſcilicet in tali ſtatu fieret in termino; ad gloriam vero voluntate abſoluta ſecundum finalem ſententiam. Quamobrem prædeſtinatus cum peccat abſolutè de libro vitæ non deletur; Dices quomodo poſſunt oppoſita ſimul eſſe vera in inſtanti æternitatis aliquem ſcilicet ſimul eſſe abſolute ad gloriam ordinatum, & per peccatum ordinatum ad pœnam condicionatè. Reſpondet Scotus loco citato in eodem inſtanti æternitatis hanc eſſe veram Petrus pro A. eſt ordinatus ad pœnam, & pro B. non ordinatus ad pœnam, ſed abſolutè ad vitam, nec iſta ſunt contradictoria, cum non enuncientur de eodem ſubiecto pro eodem inſtanti temporis licet in eodem inſtanti æternitatis; nec eodem modo, ſed ſimpliciter diuerſo enunciantur de illo ſcilicet vnum abſolute alterum condicionate; ſi liber vitæ latè accipiatur ſcilicet pro libro iuſtorum, qui tempore, quo in gratia exiſtunt cõdicionatè ad vitam beatam ordinantur vtique poteſt aliquis de tali libro deleri eſt de fide ex Pſalmo 68. deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur; ibi enim Pſaltes de prædeſtinatis, & ſpecialiter à Deo ab æterno electis minime loquitur, ſed tantum de iuſtis ſecundum præſentem iuſtitiam D. Thomas p. p. q. 24. art. 1. & cum eo Neoterici omnes opinantur librum vitæ eſſentialiter ad intellectum diuinum ſpectare, & proinde notitiam illam certam, & firmiſſimam ſignificare qua Deus præſcit, qui ſunt infallibiliter vitam æternam adepturi ex ordine mediorum ſufficientium diuinæ gratiæ.

46 Cauſa meritoria prædeſtinationis duplici modo conſiderari poteſt vno modo per comparationem ad meritum extrinſecum ipſis prædeſtinatis, vt ad meritum Chriſti, alio modo per comparationem ad meritum intrinſecum ipſorum prædeſtinatorum, vtroque modo inquirenda eſt ad præſens propoſitum quantum ad primum. Primo reijciendus, & damnandus eſt error Manicheorum turpiter aſſerentium naturalem cuiuſque diſpoſitionem, & aſtrorum cõſtitutionem eſſe cauſam prædeſtinationis, ſicque negabant omnem actum diuinum intellectus ſcilicet, & voluntatis contra ſacras ſcripturas noui

teſ-

Digitized by Google

teſtamenti, quod admittebant; ſic etiã tollebant de medio liberum hominis arbitrium. Deinde dicendum eſt Dominum Ieſum Chriſtum in aſſumpta humanitate per ſua merita non exſtitiſſe cauſam meritoriam prædeſtinationis totius corporis miſtici ſub ipſo capite incluſiue, nec quoad electionem, nec quoad integrum eius effectum ex Scoto in 3. diſt. 18. q. vn. nam prædeſtinatio ſic inſpecta compræhendit Chriſti prædeſtinationem, eius hypoſtaticam vnionem; & omnia dona ſupernaturalia ſibi collata, At Chriſtus nihil prædictorum ſibi potuit promereri, & quidem de Incarnatione aperte id docet D. Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum Cap. 15, nam in Chriſto principium meriti ſaltem de congruo dicitur Incarnatio; principium meriti non poſſe ſub merito cadere eſt in confeſſo apud omnes Theologos; Item Chriſtus iure ſibi non potuit gloriam promereri, cum primus actus elicitus ab Anima Chriſti fuerit beatificus, quo Verbum vidit intuitiue, eoque fruebatur beatificè; Scotus loc. cit. hoc demonſtrat, ergo Chriſtus vere, & proprie prædeſtinationem ſibi non promeruit, quia beatus actu beatifico nihil poteſt mereri, & conſequenter neque promeritus eſt beatitudinem totius corporis miſtici.

47 Christus in aſſumpta humanitate, neque Angelis, neque hominibus potuit promereri prædestinationem ad gloriam, nec ad gratiam primam iuſtificantem, omneſque etiam diſpoſitiones ad illã per paſſionem, & per cruentam eius mortẽ præuiſam, vel per alios actus meritorios pœnales carnem eius paſſibilem neceſſario ſupponentes; nam prædeſtinatio omnium electorum ad gratiam, & ad gloriam antecedit naturaliter præſcientiam paſſionis, cruentę mortis, aliorumque actuum meritoriorum Chriſti eſſentialiter pendentium ab eius carne paſſibili, ergo Chriſtus non potuit per ſuam paſſionem, & alios actus à carne paſſibili determinate pendentes promereri prædestinationem, primam gratiam ſanctificantem, omneſque diſpoſitiones ad illam, conſequentia patet; cum cauſa naturaliter debeat præcedere ſuum effectum, antecedens probatur à Scoto loco citato; omnes prius natura erant prædestinati, quam paſſio Christi eſſet præuiſa cum Deus prius voluerit gratiam, & gloriam quam præuiderit eſſe caſuros, & prius caſuros quam medicinam prçordinaſſet contra lapſum per Chriſti paſſionem, & mortem; ergo Christus in ea carne paſſibili non potuit promereri electionem ad gloriam, & ſanctificantem gratiam.

48 Ieſus merito ſuæ paſſionis prçuiſe hominibus tãtum fuit prædeſtinationis cauſa quoad remittendam offenſam & conferendam gratiam reconciliantẽ, & antecedentes diſpoſitiones ad illam neceſſario requiſitas; Angelis vero ſolum promeruit reparationem ruinæ, prima pars probatur ex Scoto in 3. diſt. 19, homines prædeſtinati ſi Adam non peccaſſet in gratia, & originali iustitia naſcerentur, ergo Christus per ſuam mortem præuiſam non potuit primam gratiam ſimpliciter ſanctificantem promereri, ſed ſolum reconciliantem poſt lapſum; ad hoc enim Christus paſſus eſt, vt nos Deo reconciliaret, ergo Chriſtus nobis meruit gratiam reconciliantem; ſecunda pars probatur, nam Angeli independenter à peccato Adę ad gloriam fuerunt principaliter prædeſtinati, & concomitanter ad gratiam, & ad alia ſupernaturalia dona in ordine ad illam in re obtinendam, ergo per ſuam paſſionem nihil Chriſtus promeruit Angelis ſpectans ad eorum Beatitudinem; Cæterum, quod Angelis Christus reparationem ruinæ promeritus fuerit merito

ſuæ paſſionis eſt de fide, iuxta illud Pſalmi 19. impleuit ruinas, & Epheſ. 1. reſtaurare omnia in Chriſto, ſiue quæ in Cœlis, ſiue quæ in terris ſunt, eſtque etiam ſententia communis Sanctorum Patrum ſcilicet prædeſtinatos homines in executione ordinatos ad reparandas Angelorum ruinas, An vniuerſis hominibus prædeſtinatis datur actualis introitus in Regnum Cœlorum per paſſionem Chriſti exhibitam, ergo per eam reparantur ruinæ Angelorum.

49 Dominus Ieſus Chriſtus in aſſumpta natura actibus illis meritorijs à paſſione ſua, & à paſſibili carne omnino abſtrahentibus, qui ſunt legem, & præcepta implere diuina, proximos in Deum, & propter Deum, tum in proprio genere, tum etiam in verbo viſos diligere, orare pro illis, docere, & alia miſericordiæ opera exercere, & alijs huiuſmodi ab æterno à Deo præuiſis; omnibus Angelis, & hominibus promeruit prædeſtinationem non ſolum quo ad electionem ad gloriam, ſed etiã quoad integrum prædeſtinationis effectum, & conſequenter primis parentibus promeruit efficaciter ſtatum innocentiæ ſcilicet originalem iuſtitiam, primam gratiam, & alia ſupernaturalia dona ſtatum illum concomitantia, nam Chriſtus, vt homo eſt caput totius Eccleſiæ non ſolum triumphantis, ſed etiam militantis, at de ratione capitis eſt influere in totum corpus omnem actum, & motum, ergo Chriſtus ſuis meritis totum corpus myſticum totius Eccleſiæ ex Angelis, & hominibus compactum integrum ſtatum pertinentem ad beatitudinem & ad eſſe ſupernaturale influit. Confirmatur illo Epheſ. 1. vbi dicitur Benedictus Deus, & Pater Domini Noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos benedictione ſpirituali in Cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mũdi conſtitutionem, vt eſſemus Sancti, & immaculati in conſpectu eius in Charitate, & ibidem Cap. 4. qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſuam ſecundum operationem vniuſcuiuſque membri.

50 Confirmatur ſecundo ex D. Auguſtino 3. de libero arbitrio, vbi ait quicquid tibi vera ratione melius occurrit, ſcias hoc Deum magis feciſſe, quam non feciſſe in humanitate Chriſti ſic Auguſtinus, ſed (tu ſublume) ſimpliciter melius videtur iuxta rationem rectam Chriſtum Dominum omnibus pro meruiſſe prædeſtinationem, tam ſecundum electionem ad gloriam, quã ad integrum eius effectum, ergo de facto promeruit; Confirmatur tertio ex Doctore ſubtili in 3. diſt. 13. q. 2. vbi inquit in comendando Chriſtum malo excedere, quam deficere à laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam oporteat in alterutrum incidere, at maxime cedit in gloriam Chriſti aſſeuerare ipſum omnibus Angelis, & hominibus promeruiſſe electionem ad gloriam cum cœteris donis, ergo ita, & non aliter putandum eſt ſecundum Scotum & hoc independenter à carne paſſibili, & à merito ſuæ paſſionis, ideo in 3. diſt. 7. q. 3. docuit ſi Adam non peccaſſet adhuc Verbum incarnatum fuiſſet, veniſſetque in hunc mundum non vt Redemptor, ſed vt Glorificator habens in ſe ſummam gratiam de congruo ex vi vnionis hypoſtaticæ, ſicut de facto ſummam accepit in carne paſſibili; ſummum autem in gratia creatur à Deo vt influat ſecundum eſſe gratiæ in inferiora, vt docet Scotus in 3. diſt. 13. q. 2. ad tertium principale; Licet Chriſtus omnibus prædeſtinatis Angelis, & hominibus promeruerit prædeſtinationem ad gloriam, eo modo quo dictum eſt, ea tamen refundenda eſt in abſolutum

Digitized by Google

lutum decretum diuinæ voluntatis, quod cum ſit primum nõ admittit cauſam, nec aliquid aliud, quod reſpectu illius dicatur quaſi cauſa, quod nullo modo concedendum eſt.

51 Non poteſt purus homo alteri promereri beatitudinem, neque prædeſtinationem ad illam quoad electionem ad gloriam, quia merita vnius prædeſtinati non antecedunt in præſcientia diuina prædeſtinationem alterius, cum in eodem inſtanti naturæ ſimul fiat prædeſtinatio omnium poſt prædeſtinationem Chriſti Capitis, ergo nequit vnus prædeſtinatus alteri formalem ad gloriam electionem promereri, antecedens inde etiam patet, quia nihil ex poſſibilibus eſt determinate futurum ante decretum diuinæ voluntatis ex Scoto in p. diſt. 38. & 39. primum autem decretum ad extra, quoad tendentiam ſcilicet extrinſecam eſt prædeſtinatio Chriſti, & ſecundum (pie) B. Virginis Matris Mariç tertium prædeſtinatio aliorum omnium ſimul ex 3. diſt. 7. q. 3. at præces, quas vnus prædeſtinatus pro alio ad Deum fundit illi impetrando primam gratiam non modo ſunt effectus prædeſtinationis exorantis ſed nec etiam illius, pro quo funduntur, nam electio ad gloriam eſt primus actus abſolutus circa prædeſtinatum, & cum omnes fuerint in eodem ſigno prædeſtinati Angeli, & homines, ſanè eorum electio præcedit præſcientiam præcum vnius prædeſtinati, quas pro alio eſt determinate fuſurus tanquam ſibi meritorias, & alij impetratorias; atque adeo ſunt prorſus vtriuſque prædeſtinationis effectus patet conſequentia, quicquid enim Deus vult determinate fore tanquam profuturum electis, in gratiam illorum prædeſtinationis fieri vult; Non poteſt tamen purus homo alteri integrum ſuæ prædeſtinationis effectum promereri, quia non poteſt vnus alteri promereri electionẽ ad gloriam, ergo neque præparationem gratiæ finalis, quæ præparatur præciſe intuitu prædeſtinationis.

52 Non poteſt prędeſtinatio ſanctorum precibus iuvari quoad ſuam eſſentiam, ſiue quoad liberam terminationem actus diuinę voluntatis ad gloriam abſolute comunicandam, quia preces Sanctorum ſunt à Deo præfinitæ, & preſcitæ poſt electionem omnium Angelorum, & hominum ſimul factam ad gloriam, immo in nullo ordine ſiue intentionis ſiue executionis poteſt prædeſtinatio quoad integrum, & totalem eius effectum ſimpliciter primum Sanctorum precibus iuvari prima pars probatur, quia prædeſtinatio quoad ſuum effectum integrum inuoluit preces ſanctorum, ergo preces Sanctorum ſunt effectus à Deo præordinati, tanquam determinate futuri ex primaria illa intentione, qua dare decreuit illud ſupernaturale donum, quod in re precibus Sanctorum obtinetur. Secunda pars patet, quoniam ipſęmet Sanctorum præces ſunt primarij effectus in executione à Deo in ordine intentionis vltimo loco volitę ex primaria voluntate abſoluta communicandi gloriam electis. Conceditur tamen prædeſtinationem Sanctorum precibus iuvari quoad aliquem ſolum eius effectum ſpecialem quem Deus in ordine executionis decreuit per Sanctorum prçces conferre; nam donum, quod Deus ab æterno ſtatuit prædeſtinatis conferre in re non obtinetur, niſi illis medijs, quibus conferre decreuit, at primam gratiam congruam Deus ſtatuit nonnullis prędeſtinatis per præces Sanctorum conferre, quemadmodum huiuſmodi gratiam congruam, & efficacem Paulo elargitus fuit prçcibus Stephani, ergo hoc modo tantum prçcibus Sanctorum noſtra prędeſtinatio iuuatur quoad illum ef-

ſectum ſpecialem.

53 Cauſa meritoria prędeſtinationis quoad meritum intrinſecum ipſorum prędeſtinatorum nunc indaganda eſt; ſed prius reprobandus eſt error Origenis, quo toto Cœlo errauit aſſerens merita ante hanc vitam geſta in cauſa fuiſſe, vt quidam prędeſtinatentur, alij vero non; ſupponit enim vnum falſiſſimum, nempe omnes Animas ſimul fuiſſe creatas in principio Mundi, & ſimul cum Angelis; Deinde recolendum, quod alibi dictum eſt, nempe in voluntate diuina reſpectu prędeſtinatorum ſuper quos tranſit prędeſtinandos eſſe duo ordines, ſcilicet intentionis, & executionis adinuicem ordinatos ſic, quod vnus eſt primus, alter eſt ſecundus, & vbi deſinit primus incipit ſecundus; & vbi deſinit ſecundus, iam inceperat primus; ſumpta ſimilitudine Artificis in ædificatione domus, prius enim intendit comodum, & habitationem in mente, deinde diſponit partes uſque ad fundamentum, deinde in ſecundo ordine incipit à fundamenta, & proſequitur edificium ordine inuerſo, qui fuerat in intentione, ſic voluntas diuina in negotio prędeſtinationis: (noſtro modo intelligendi) iuuerſo modo procedit ſecundum iſtos duos ordines prius intendendo, poſtea exequendo.

54 Abſolutum decretum diuinę voluntatis communicandi gloriam rationabilibus creaturis naturaliter præcedit efficacem voluntatem communicandi illis ſupernaturalia media ad illam gloriam reipſa adipiſcendam, nam in ordine intentionis verè, & propriè Deus vult media propter finem, ergo prius vult finem, quam media, cum horum voluntas ex voluntate finis oriatur; Hinc ſequitur primum actum, ſeu primum abſolutum decretum, quod Deus habet ad extra eſſe abſolutam voluntatem ordinandi aliquas rationales creaturas Angelos, & homines ad gloriam, adeo, vt gloria ipſa ſit quoque primarius terminus, ad quem prædeſtinantur electi; prior pars eſt D. Pauli Epheſ. 1. vbi ait elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus Sancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate, ergo electio ad gloriam, quæ eſt cauſa ſanctitatis in re, antecedit omnino meritorum, & mediorum decretum; D. Paulo conſonat Doctor ſubtilis in 2. diſt. 20. q. 2. & in 3. diſt. 3. q. 3. & probatur ſufficienter illo famoſo principio; ordinate volens prius vult finem, quam media, prius etiam vult ea, quæ proxime ordinantur ad finem, quam ea, quę ſunt à fine remota, ad ipſumque etiam remote ordinata. Secunda pars probatur prędeſtinatio per ſe primo reſpicit dignitatem vltimatam, ſeu principalem, & primariam intellectualis naturę, non vero ſecundariam, ſeu minus principalem ad vlteriorem ordinabilem; at gloria eſt vltimata dignitas intellectualis naturæ cum dona gratiæ ordinentur ad gloriam.

55 Moderni omnes pręſertim Suarez lib. 1. de prędeſtin. Cap. 8. admittunt abſolutum decretum quo Deus immediate vult gloriam communicare eis, qui infallibiliter ſaluantur; hoc tamen decretum volunt in diuina voluntate non poni, niſi poſt ſcientiam quandam condicionatam, qua certo diuinus intellectus determinate cognouit quempiam prædeſtinatorū infallibiliter gloriam promeriturum, ſi in determinato rerum ordine cum certis mediis conſtitueretur ex hypotheſi ſola, quod Deus velit cum illo coagere, quod ſic probant diuinus intellectus certo ſcit tam abſolute quam condicionate futura; at hæc futura condicionata certò attingit ex ſola ſua perfectione infinita, qua infiniti ſuperat cunctas cauſas ſecundas in quacumque rerum ordine conſtitutas

tas

tas independenter à decretis condicionatis, quæ dari nequeunt in diuina voluntate; ergo; ſecundo probant; Ablata tali ſcientia abſolutum decretum diuinę voluntatis, quo Deus prędeſtinat voluntatem prędeſtinati phyſice prędeſtinaret, ſiue prędeterminaret, alioquin non videtur quomodo efficax, & infallibile foret; Reſpondetur ad primum minorem eſse falſam omnino, cũ comparatione condicionate futurorũ dentur quoque in diuina voluntate cõdicionata decreta, & determinationes non vltimæ ex Scoto in 1. diſt. 46; & 4. diſt. 16. qu. 2; Ad ſecundum negatur antecedens, ad eius probationem dicitur, quod voluntas diuina, cum ambiat, & virtualiter contineat voluntatem creatam ſecundum ſuam totam virtutem, & agendi indifferentiam dependenter tantum à ſimplici ſcientia poſſibilium poteſt in tali rerum ordine cum determinatis circumſtantijs, & auxilijs prædeſtinatum conſtituere, in quo infallibiliter pro ſua libertate finaliter recte viuat, vt gloriam in illo gradu; ad quem fuit prædeſtinatus promereatur, & finaliter beatificetur.

56 Secundum igitur ordinem intentionis omnes, qui re ipſa gloriam adipiſcuntur in tempore prius ſunt à Deo gratis electi ad illam; bonus vſus liberi arbitrij auxilio diuinæ gratię moti, & excitati ab æterno à Deo præuiſus tanquam determinate futurus non poteſt recte cenſeri ratio, ſine qua actus prædeſtinandi ad gloriam communicandam creaturis intellectualibus terminatus non eſſet ita Scotus in p. diſt. 41. contra Henricum quolib. 4. q. 19. nam Deus abſolute non præfiniuit prædeſtinatum bene vſurum libero arbitrio, niſi quia illud ad gloriam elegit, ergo bonus vſus liberi arbitrij tanquam determinate futurus nequit in præſciẽtia Dei præcedere decretum prædeſtinandi, antecedens probatur; nam licet Deus decreuerit aliquem bene vſurum libero arbitrio ſimul cõcomitanter cum illo, quatenus ſcilicet ille pro ſua libertate in ordine ſuo eſt illo bene vſurus, nihilominus in tali rerum ordine cum determinatis circumſtantijs conſtituatur, vt libero arbitrio pro ſua libertate recte vtatur, donum Dei eſt intuitu prędeſtinationis illi collatum; eodem modo theologizandum eſt de actu fidei, & ſi ex ſpeciali Spiritus Sancti auxilio proueniente, per quem ad gratiam ſanctificantem diſponimur, nam eius modo actus credendi non modo appellatur ſpeciale Dei donum ab æterno intuitu prædeſtinationis præfinitum, verũ & ordine cauſalitatis ſupponit Spiritus Sancti illuminationem, & inſpirationem, quæ eſt effectus prædeſtinationis, ergo nequit in præſcientia Dei tanquam effectus determinate futurus pręcedere decretũ prædeſtinationis, quod eſt peculiaris cauſa, ex qua oritur abſoluta illius actus præfinitio, à qua dependet eius determinata futuritio.

57 E contra Pelagiani, & quotquot ex hæreticis opinati ſunt hominem ſolis naturę viribus poſſe actum credendi elicere, qualis eſt ad ſalutem neceſſarius, & ad obtinendam ſanctificantem gratiam requiſitus, conſequenter in hac re ſuſpicari videtur Deum ab æterno ex rationabilibus cauſis per naturalem ſcientiam cognitis in puris naturalibus ſcilicet, ſine ſupernaturalibus donis eas ſolum creaturas prædeſtinaſſe, quas ſibi credituras præuidit, verum hæc hæreſis facillime ex dictis poſſet confutari; nimirum quia illa pura naturalia a longe diſtant a decreto prædeſtinationis tantum abeſt, vt poſſint aliquo modo dici cauſa eiuſdem; Verum ex ſolidioribus principijs confutanda eſt; & dicendum hominem ſolis naturæ viribus, ſine ſpeciali auxilio excitantis

&

& mouentis gratiæ,non poſſe aliquod opus moraliter bonum attingere, quoad integrum, vel primarium prædeſtinationis effectum de congruo, vel de condigno ſufficienter, & proxime ſe diſponat; eſt de fide iuxta illud 2. ad Cor. 3. non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, & illud Ioan. 6. nemo venit ad me,niſi Pater meus traxerit illum, & Rom. 9. docet Paulus reſpectu gratiæ nullam eſſe cauſam meritoriam; Si enim ex meritis iam non eſt gratia; Item primus prædeſtinationis effectus (vt videbimus) eſt ſupernaturalis vocatio ad fidem, & per fidem ſupernaturalis diſpoſitio ad ſanctificantem gratiam. Ita Conc. Trident. ſeſs. 6, & ſuadet ratio, nam diſpoſitio proxima ad aliquam formam debet eſſe eiuſdem ordinis cum illa ex Scoto in 4. d. 1. q. 5. ſed gratia eſt forma ſupernaturalis, ergo diſpoſitio ad gratiā ſanctificantem etiā debet eſse ſupernaturalis.

58 Pro intelligentia dictorum notandum eſt, vt aliquod opus bonum ex parte hominis prædeſtinati aliquo modo cōſtituatur cauſa, vel diſpoſitio primæ gratiæ ſanctificantis, quæ eſt effectus ſecundus prędeſtinationis ſecundū intentioné aliquas oportere in eo cōuenire condiciones,prima ut ſit actus liber hoc eſt libere à prædeſtinato elicitus quolibeto 17; ſecunda talis actus debet eſse moraliter bonus, hoc eſt complete circumſtantionatus ſecundum moralé virtutem 2. diſt.40. q. vnica. art. 2. quia actus moraliter bonus. Eſt quidpiam potentiale comparatione virtutis, ſeu meritoriæ bonitatis; tertia, vt ſit actus proportionatus ſuæ cauſæ, ſicut generatim omnis cauſa proportionatur ſuo effectui, vt vero talis ſit cauſa de congruo meritoria debet habitudinem fundare, ſimilitudinis ideſt debent eſſe eiuſdem ordinis ſupernaturalis, nam diſpoſitio debet eſſe eiuſdem ordinis cum forma, ad quam eſt diſpoſitio. gratia autem ſanctificans; eſt ſimpliciter ſupernaturalis ergo & opus prædeſtinati diſponens ad illam debet eſſe ordinis ſupernaturalis ideſt procedens ex ſpeciali auxilio diuino. Quarta condicio eſt diſpoſitionem illa non debere interrumpi,ſed continuati vſque ad infuſionem gratiæ ſanctificantis excluſiue,ſi enim interrumperetur nihil fieret. Quinta condicio quod Deus acceptet talem actum,vel tale opus in ordine ad talem effectum; quia ſi opus factum in gratia ad hoc vt ſit meritum de cōdigno requirit quod à Deo acceptetur in ordine ad pręmium quanto magis erit neceſſarium, quod Deus acceptet meritum de congruo?

59 Satis hucuſque de neceſſitate diuinæ gratiæ ad opera ſupernaturalia; Licet Scotus interdum ſpeciale præuenientis gratiæ auxilium, in quo initium iuſtificationis prædeſtinati conſtitutum eſt; ſilentio prætermiſerit, expreſſe tamen illud non ſuo modo vnquam negauit; ſed potius tanquam fidei dogma ſuppoſuit; Hoc ſit dictum contra recentiores aliquos ſatis immodeſte illum cauillantes; Euidenter probatur ex ipſius Doctoris ſubtilis doctrina. Ex 1. diſt. 17. q. 2. vbi docet actum emeritorium tribus modis conſiderari, primo, ut eſt à libero arbitrio nudo, ſecundo, vt eſt ab eodem gratia informato; tertio vltra hoc, vt eſt ab eodem ſpecialiter à Spiritu Sancto moto, primo modo inquit non eſt dignus præmio, ſed ſolum ſecundo, & tertio modo, ergo Scotus actualem Spiritus Sancti motionem, quam ibidem in ſecunda ratione appellat lucem ſpiritualem conſpicue agnouit; Rurſus in 1. diſt. 46. ad primum docet hominem ad vitam æternā promerendam egere communibus adiutorijs diuinæ gratiæ. Hæc autem adiutoria communia magis pertinent ad gratiam actualem, quam ad habitualē.

Item

Item in tertio aduerſus D. Thomam tenentem Chriſtum quantum ad efficaciam ſolum illis meruiſſe deletionem culpæ, & collationem gratiæ & gloriç, qui ſe diſponunt cognoſcendo, & diligendo Deum, docet Chriſtum meruiſſe omnibus primam gratiam, immo quamlibet, vt communiter docent omnes Theologi, & ait falſam eſse ſimpliciter D. Thomç ſententiam, cum ex ea ſequatur Chriſtum non meruiſſe omnibus primam gratiam.

60 Quibus verbis aperte Scotus innuit primam gratiam vocantem eſſe homini neceſſariam, vt diſponatur ad gratiam ſanctificantem; Inſuper in primo diſt. 44. aperte commemorat gratiam præuenientem inquiens, de potentia ordinaria poſse Deum quemlibet peccatorem in via ſaluare, quia regulariter poteſt eum prçuenire ſua gratia; & in 4. diſt. 22. de facto id eueniſſe in quodam viro prius valde perfecto, & poſtea profundiſſimi lapſo; Hic cum propter facinora ſua morti eſset adiudicatus, miſericordioſiſſime viſitatus per fectiſſima pœnitentia ſubito ſibi inſpirata ſalutem Animæ conſecutus eſt, ergo manifeſte Scotus memorauit Spiritus Sancti motionem tanquam noſtrç iuſtificationis exordium; Obijciút Scotum in 4. diſt. 14. qu. 2. v. ad huius intellectum, vbi docet quod peccator in peccatis exiſtens poteſt ex naturalibus cum communi influentia ſe &c. tantum excludit gratiam habitualem, quia tantum agit an diſpoſitio præuia in firmis ſufficiat; ſic etiam explicatur D. Thomas in 2. diſt. 28. art. 4. dicens ex ſolo libero arbitrio hominem ſe poſſe præparare ad gratiam ſanctificantem; ſic etiam Vaſquez in 1; 2. diſput. 186. Cap. vltimo explicat Scotum dicentem voluntatem ſecundum naturalia mouere intellectum ad credendum, quod tantum excludat habitum gratiç, Scotus, ergo non voluit attritionem deletiuam peccati per vires naturæ haberi. Multa alia congerunt contra Scotum Thomiſtæ, in quo animum biloſum immodeſte ſatis oſtendunt; ſed facile eſt vellicare barbam Leoni mortuo.

61 Suppoſito auxilio excitantis, & auxiliantis gratiç, tanquam primario prçdeſtinationis effectu poteſt de congruo prçdeſtinatus in re ad ſanctificantem gratiam ſe ſufficienter diſponere, & per ipſam ſanctificãtem gratiam promereri de condigno munus perſeuerãtiæ in gratia, & etiam actualem gloriæ adeptionem, hoc dictum eſt notum ex terminis, & probatur Rom. 8. quos prçdeſtinauit, vocauit, quos vocauit, iuſtificauit, quos vero iuſtificauit, glorificauit; ex quo ſequitur prædeſtinationis effectus ordine quodam cauſalitatis ſic adinuicem ſubordinari, vt ſecundus tanquam ex cauſa ſaltem diſpoſitiua oriatur ex primo, & tertius ex ſecundo tanquam ex cauſa meritoria de condigno; Hæc autem aſſertio eſt contra Pelagianos, qui opinantes hominem poſſe ſolis naturç viribus vitam çternam obtinere viſi ſunt aſserere totum integrũ prædeſtinationis effectum tantum in actuali glorificatione eſse poſitum, & conſequenter non modo rationem congruitatis, ſed etiam cauſam de condigno meritoriam prçdeſtinationis ſecundum prædictum eius effectum integrũ dari firmiter affirmant; Eſt etiam contra ſemipelagianos, quorum caput fuit Caſſianus, vt legitur in Epiſtolis Proſperi, & Hilarij ab Auguſtino relatis ante librum de Prçdeſtinat. Sanctorum; Hi Semipelagiani opinati ſunt gratiam Chriſti, tum externæ prædicationis, tum etiam internæ illuminationis, & inſpirationis eſse profecto neceſſariam adiuſtificationem, & ad efficienda opera meritoria digna vita æterna; tamen ex nobis dari diſpoſitionem proximam ad illam,

illam, ſicuti eſt voluntas credendi, naturali noſtrę ſalutis deſiderium, vel oratio ad Deum fuſa inſtinctu naturę, nam communiter dicebant labori humano ſubiungi Dei gratiam, & conatus noſtros eſse poſtea irritos, niſi gratia Dei adiuuentur, & perficiantur.

62 In hanc ſententiam Semipelagianorum Catholicæ veritati ſimpliciter contrariam nonnulli ex recentioribus noſtrum Scotum trahere non ſunt veriti, primo quia in 4. diſt. 14. q. 2. v. ad huius intellectum loquens de Adultis peccatoribus inquit, Peccator in peccatis exiſtens poteſt ex naturalibus cum communi influentia conſiderare &c. quod eſt diſponere ſe ad gratiam ſanctificantem reſponſum eſt ſupra in præcedentibus huiuſmodi recentiores ex hoc Scoti loco maligne, & contra Chriſtianam modeſtiam eſſe locutos contra tam pium, & Catholicum Doctorem, qui (vt oſtenſum eſt) ſemper ſuppoſuit, & conceſſit neceſſitatem auxiliantis gratiæ vt peccator valeat ſe diſponere ad gratiam ſanctificantem; Ad id quod decantatur ex 4. loco citato contra eundem Doctorem ſubtilem reſpondetur vltra aliam reſponſionem ſuperius traditam, quod per communem influentiam potuit Scotus intelligere non generalem concurſum, qui eſt communis cum cauſis ſecundis in effectus earum, ſed influentiam formæ mouentis antecedenter cauſas liberas ad ſupernaturaliter operandum, ſicut inſtrumentum antecedenter ab Agente principali applicatur ad agendum, influentiam appellauit communem eo modo, quo in 1. diſt. 46. ad primum principale vocauit auxilia neceſſaria ad ſalutem conſequendam ſufficientia adiutoria communia, vel quia procedunt ex communi voluntate, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri, vel quia omnibus rationabilibus creaturis communia ſunt.

63 Ordine executionis Deus ſic procedit; vocationem ſeu primam gratiam excitantem, qua ad finem vel contritionem excitamur non dat ex pręcedentibus meritis de condigno, ſed omnino gratis vt rectè docuit D. Auguſtinus cōtra Pelagianos, & patet ex illo Rom. 9. 16. non eſt volentis neque currentis ſed Dei miſerentis, & ibidem Cap. 11. 6. ſi autem gratia; non ex operibus, alioquin gratia iam non ex gratia; & 2. ad Timoth. 1. 9. vocauit nos vocatione ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecūdum propoſitum ſuum, & gratiam, & ratio eſt, quia ante primam gratiam excitantem nihil eſt in homine niſi peccatum & naturales vires liberi arbitrij, at homo peccator per ſolas vires naturæ non poteſt mereri primam gratiam; quia inter meritum, & præmium debet eſſe proportio; at vires naturæ non habent proportionem ad gratiam, ſecundo meritum ſupponit gratiam ſāctificantem, debet enim procedere ab homine exiſtente in gratia, & Charitate iuxta illud Ioan. 5. 4. ſicut palmes non poteſt ferre fructum niſi manſerit in vite ſic nec vos niſi in me manſeritis; Secundo gratiam ſanctificantem dat ſine præcedentibus meritis de condigno contra Pelagianos, ſed omnino gratis iuxta illud Rom. 3. 24. iuſtificati gratis per gratiā ipſius, quod ſic explicat Concil. Trid. ſeſſ. 6. Cap. 8. gratia iuſtificari dicimur, quia nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera ipſam iuſtificationis gratiam promeretur; ratio patet ex dictis, quia opus non eſt meritorium de condigno niſi procedat ab homine exiſtente in gratia.

64 Tertio contra Caluiniſtas Deus dat nobis gloriam ſeu vitam æternam ex præcedentibus meritis de condigno, iuxta illud Matth. 5. 12. gaudete & exultate quoniam merces veſtra copio-

ſa eſt in Cœlis, & iuxta aliud eiuſdem Euangelij 25. venite benedicti Patris mei percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi, eſuriui enim & dediſtis mihi manducare, ſitiui & dediſtis mihi bibere &c. & 2. ad Timoth. 4. 7. bonum certamen certaui &c. ideo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus &c. ex quibus, & alijs ſacrarum ſcripturarum ſimilibus teſtimonijs, ubi vita æterna dicitur præmium, merces, brauium, retributio, corona iuſtitiæ euidenter concluditur Deum efficaciter, & abſolute velle nobis dare vitam æternam ex præcedentibus meritis; Ex his colligũtur hæ tres propoſitiones prima, ſicut Deus in tempore confert primam gratiam excitantem ſine vllo noſtro merito, ſic ab æterno decreuit illam conferre ſine vllo noſtro merito, ſecunda ſicut in tempore confert gratiam iuſtificantem ſine meritis, ſic ab æterno decreuit eam conferre ſine meritis. Tertia ſicut in tempore confert gloriam, ſeu vitam æternam propter merita, ſic ab æterno decreuit eam conferre propter merita; hæ propoſitiones certe ſunt apud Catholicos. Quod dictum eſt de decreto dandi gloriam ob merita præcedentia non eſt extendendum ad decretum prædeſtinationis, ſeu electionis ad gloriam, quod eſſe à diuina voluntate ſine præuiſione meritorum pluribus rationibus ſupra concluſum eſt, quamuis oppoſita ſententia, tanquam plauſibilis pluribus placeat, & mihi non diſpliceat.

65 Viſis cauſis prædeſtinationis in præſentiarum videndi ſunt effectus, quos vere, & proprie prædeſtinatio infallibiliter futuros in prædeſtinatis ponit in tempore; nam prædeſtinatio eſt abſoluta voluntas Dei, quæ neceſſario ſemper impletur ex Scoto in 1. diſt. 46. quia eſt omnipotens, & infinita, quod quidem non poſſet eſſe verum, ſi cauſaliter nihil poneret in prædeſtinato, ergo neceſſario aliquos expoſcit effectus à Deo per ſuam omnipotentiam in prędeſtinatis cauſandos, quibus infallibiliter, & certiſſime vitam conſequuntur æternam, qui effectus vere, & proprie à prædeſtinatione pendent proxime in genere cauſæ finalis, nam quicquid in tempore Deus agit circa prædeſtinatos, proxime propter gloriam illis infallibiliter communicandum operatur, ergo gloria eis communicanda recte dicitur finis proximus omnium operum Dei in tempore circa electos; eiuſmodi effectus, communis Theologorum ſententia tres agnoſcit, nempe vocationem, iuſtificationem, & glorificationem, ad quos omnes alij reducuntur; probatur ex D. Paulo ad Rom. 8. vbi numerat tres prædictos generales effectus dicẽs, quos prædeſtinauit, hos vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, & quos iuſtificauit, illos, & glorificauit.

66 Gloria, qua iuſti in Cœlo ſunt beati quoad omnia bona, quæ inuoluit, tum eſſentialiter, tum etiam accidentaliter eſt prædeſtinationis effectus, & ratio eſt quia in omni proceſſu Agentis ordinate volentis conſecutio finis eſt vltimatus effectus, & maxime in toto proceſſu finaliter intentus; ſed in toto proceſſu, quo intellectualis creatura perducitur ad ſuum vltimatum finem Beatitudo perfecta eſt finalis eius perfectio illi vltimate volita, ergo Beatitudo perfecta eſt effectus vltimatus prędeſtinationis, & primus in intentione; Perſeuerantiæ donum, quod inuoluit finalem gratiam eſt proximus effectus prædeſtinationis poſt gloriam vltimatam ſecundum ordinem intẽtionis immediate diſponens ad vltimatum, & conſumatum illius effectum, nempe ad gloriam, eſt de fide nam munus perſeuerantiæ à Paulo loco citato ſub voca-

 bulo

bulo iuſtificationis comprehenditur cũ de iuſtificatione finali loquatur proxime, & infallibiliter diſponente ad glorificationem.

67 Idcirco ex omnibus medijs ad ipſam ordinatis hoc eſt propinquius, & prius à Deo volitum in ordine intentionis ex Scoto in 1. d. 41, & probatur huiuſmodi donum eſt tantum prædeſtinatis commune eiſque ex intentione dandi gloriam efficaciter præparatum, ergo in executione eſt effectus prædeſtinationis in genere cauſæ finalis proxime diſponens ad vltimatum eius effectum; Pro dictorum, & dicendorum perfecta notitia aduertendum eſt duplicem eſſe in prędeſtinato iuſtificationem, altera dicitur ſtabilis, & firma, quæ ſemel adepta nunquam amplius amittitur, ſed vltimato prædeſtinationis effectui reipſa iungitur, de qua in 3. diſt. 19. vbi Scotus appellat eam gratiam finalem, quæ idem eſt, quod perſeuerantia, eſt enim donum vſque ad exitum; Altera vero eſt temporalis, quę ſolum pro aliquo tempore durat in anima; & deinde per culpam lethalem amittitur, prior eſt prædeſtinato neceſſaria, cum nullus non exiſtens in gratia poſſit reipſa vitam æternam adipiſci, poſterior quoque in eo admittitur licet non ita neceſſaria vt prior; quoniam fide conſtat prædeſtinatos gratiam ſemel comparatam poſſe perdere, & de facto illā perdidiſſe multos eſt dogma fidei.

68 Secundo aduertendum duplicē eſſe ordinem ſpecialis prouidentiæ; quam Deus habet de prædeſtinatis, primus appellatur primarius, eſtque ordo beneficiorum diuinæ gratiæ per ſe primo emanantium ex intentione efficaciter communicandi gloriam electis, quibus prædeſtinati libere præcepta ſeruando, & peccata omnia vitando ab omni culpa liberi innocentia prorſus ſeruata vitam promereretur æternam; ſecundus vero ordo dicitur ſecundarius fitque poſt præſcientiam lapſus totius generis humani in primis parentibus, quatenus manens in Deo abſoluta intentio dandi gloriam: reſpicienſque ipſe Deus obicem per liberum arbitrium humanum opponendum ad media ſupernaturalia ex illa primaria intentione exibenda, tanquam independenter à culpa præparata, & ex parte ſui in re exhibita ex eadem intentione cum finem vltimum per illa media non valeant prædeſtinati amplius adipiſci, inſtituit ordinem ſecundarium, ſiue ſecundario intentum, in quo vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ Rom. 9. longe maiora decreuit prædeſtinatis conferre auxilia, ſtatuens mittere filium ſuum in carne paſſibili, vt per exuberantia eius merita, & ſuperabundantem ſatisfactionem prolapſũ prædicto non modo promereretur pro omnibus prędeſtinatis remiſſionem culpę originalis, ſed etiam afferret efficax remedium pro alijs actualibus peccatis, quæ pro ſua libertate prædeſtinati commiſſuri erāt, qualia remedia ſunt ſeptem nouæ legis ſacramenta, de quare videndus eſt Scotus in 3. diſt. 7. q. 3.

69 Omnis gratia iuſtificans prædeſtinatis in hac vita exhibita incipiendo à prima iuſtificatione, quæ exinde per mortalem culpam amittitur vſque ad finalem, quæ immediate vitæ æternæ iungitur, ſimpliciter dicitur prædeſtinationis effectus, probatur, nam vt aliqua gratia ſanctificans ſit prædeſtinationis effectus neceſſum non eſt, vt eadem numero in ſe ipſa manens conducat ad vitam eternam, ſed ſatis eſt, quod quantum eſt de ſe fuerit principium de condigno promerendi vitam æternam, vſque in effectu ſuo ius ad illam prædeſtinato conferat, quod ius ſemper maneat firmum, & ſtabile ſaltem in actu primo; ergo error eſſet abſolute

ſolute negare omnem iuſtificationem in prædeſtinato eſſe prædeſtinationis effectum; antecedens patet alioquin vnicus eſſet ſpecialis ordo diuinæ prouidentiæ circa electos immediate incipiens à vocatione & iuſtificatione quæ finaliter ducunt ad vitam æternam, quod eſt contra communem Theologorum ſententiam, & etiam ſequeretur opera meritoria per gratiam ammiſſam elicita, & per culpam mortificata nec dici prædeſtinationis effectū; quod eſt manifeſtus error, ipſa enim ſemper manent viua in acceptatione Dei ſecundum ius ad gloriam, & per peccatum ſolum mortificantur, quatenus illud ius impeditur quin ei in executione reſpondeat Scotus in 4. d.22.q.1. art.2.

70 Et ſi ſanctificans gratia per lethalem culpam ammiſſa cum prædeſtinatus per pœnitentiam à peccato ſurgit eadem numero ſecundum intenſionem amplius non recuperetur, & proinde in ſua entitate immediate nequeat ad vitam æternam conducere; nihilominus poſſe ſaltem mediate iuvare ad illam attingendam; Quod gratia ammiſſa ſit irrecuperabilis per pœnitentiam docet Scotus loco citato; cuius oppoſitum docet Suarez lib. 4. de præd. Cap. 4. n. 6; & in opuſc. de reuiciſc meritorum diſput. 2. ſect. 3 n.13. probatur tamen ſi per mortalem culpam ammittitur gratia eſt de fide, ergo per pęnitentiam prędeſtinatus tantum acquirit gratiam nouam commenſuratam actui, quo à peccato ſurgit ſecundum intenſionem, vel remiſſionem, quia ille actus eſt diſpoſitio ad gratiam ſuſcipiendam, ergo ſecundum quantitatem talis diſpoſitionis diſponitur Anima ad tantam gratiā recipiendam; ergo ſuſcipit tantam gratiam quanta eſt diſpoſitio, & non amplius: Confirmatur gratia prior fuit tātum donum Dei, quo ammiſſo non recuperatur, niſi per actum illi commenſuratum, ſed actus pœnitentię eſt commenſuratus tantum nouę gratię, ergo nulli alij gratię, ergo ammiſſa non recuperatur, talis tamen gratia ammiſſa propter peccatum mediate conducit ad vitam æternam, nam gratia illa extitit principium alicuius actus meritorij de condigno, ſed actus ille ſemper permanet in acceptatione diuina ſcilicet retinens in actu primo ius ad vitam æternā, igitur licet per peccatum in actu ſecundo mortificetur, virtute pęnitentiæ reuiuiſcit, ideoque virtute huius effectus gratia ammiſſa, quæ extitit eius principium optime dicitur ad vitam æternā ſaltem mediate conducere.

71 Non pugnat cum libertate creatę voluntatis ad eius expeditum vſum actum ſupernaturales eſſentialiter ab ea pendentes à Deo pręfiniri ex intentione efficaci dandi gloriam, ideo ex hoc Capite poſſunt effectus prędeſtinationis cenſeri, probatur nam huiuſmodi actus à Deo non præfiniuntur decreto abſoluto antecedente determinationē creatæ voluntatis ordine durationis, & cauſalitatis, ſed ſolum decreto concomitante, ergo optime cum eiuſmodi præfinitione Dei valet expeditus vſus libertatis creatę conſiſtere; conſequentia patet quoniam iuxta hanc prędeterminationem recte dicitur Deus actus illos efficaciter determinare, vt ſint abſolute futuri à prædeſtinatis in tali rerum ordine cum determinatis circumſtantijs & auxilijs diuinæ gratiæ, quia voluntas prædeſtinatorum in illo rerum ordine Deo comitante actus illos natura ſua editura eſt, quę concomitantia ſpectat ad infinitatem diuinę voluntatis, qua ſupereminenter continet noſtram voluntatem ſecundum eius virtutem, & agendi indifferentiam, ex qua continētia habet Deus, vnde valeat ab æterno cum voluntate creata in eandem determinationem coincidere; & in hoc

maxime reſplendet omnipotentia Dei in hoc altiſſimo prædeſtinationis miſterio, eo vel maxime, quia præfinitiones diuinæ licet ſint ab æterno, non tamen ſunt pro æterno; ſed pro tempore, quo ſimul cum voluntate creata abſolute cooperaturus eſt; Hinc apparet noſtrum principale intentum, nam eiuſmodi actus ſunt dona Dei ſpecialiter ab ipſo ordinata, exorta ex voluntate creata non tantum cum ſimultaneo diuinæ voluntatis concurſu, ſed etiam vt ſpecialiter mota antecedenter efficaci auxilio gratię adiuvantis, & cooperantis gratiæ, ergo neceſſario ſunt prædeſtinationis effectus.

72 Hęc dicta, & concluſa ſint contra Diſcipulos omnes D. Thomæ, quorum caput eſt Aluarez opinantes eſſe peculiarem prædestinationis effectum prædestinatum iuſtificari, & in gratia finali ſiſti ex vi abſoluti, & antecedentis decreti per prædeſtinationem importati, virtute cuius phyſice prædeterminatur in re ad bene agendum, & finaliter in gratia perſiſtendum per auxilium excitantis, & auxiliantis gratiæ per ſe efficax, & probant ex modo loquendi ſacræ ſcripturæ Matth. 25. vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi, dicit ſcriptura etiam electi ſi fieri poteſt, quia ſimpliciter fieri non poteſt, & 2 ad Timoth. 2. firmum fundamentum fidei ſtat, nouit Dominus qui ſunt eius, & ex D. Auguſtino de Correct. & gratia Cap 12. prouiſum eſt humanæ infirmitati vt indeclinabiliter ageretur, & ex D. Fulgentio de fide ad Petrum Cap. 35. firme tene nullum eorum, qui prædeſtinati ſunt poſſe perire; Reſpondetur relatas auctoritates ingenue non probare Thomiſtarum ſententiam, ſed tantum oſtendere certitudinem ſalutis in prædeſtinatis ſecundum neceſſitatem conſequentiæ. Auctoritates vero Auguſtini, & Fulgentij ſunt tantum moraliter explicandæ, quatenus Deus ſua omnipotentia in illo rerum ordine cum talibus circumſtantijs, & auxilijs prædeſtinatos collocat, ſicut eis congruum eſt, vt proinde cum ipſo Deo infallibiliter, & indeclinabiliter velint pro ſua libertate, & gratiam recipere, & in ea finaliter perſeuerare, ſicque æternam gloriam conſequi; Aliter non ſufficienter conſuleretur libertati humanæ.

73 Actus omnes ſupernaturales ordine cauſalitatis antecedentes iuſtificationem, quibus prædeſtinati ſe diſponunt ad ſanctificantem gratiam, tam quoad influxum ſpecialem ipſius gratiæ; quam etiam pręciſe quoad liberam createę voluntatis cooperationem ſunt prędeſtinationis effectus, nam ſunt ſimpliciter dona Dei ſecundum totum, quod in eis reperitur, ergo ex ſpeciali intentione ſaluandi præfiniuntur, vt ſint determinate futuri tanquam prædeſtinationis effectus, patet conſequētia, quia omne donum, quod fit in prædeſtinatis licet mediate ad vitam æternam eos diſponat ex efficaci intentione illos ſaluandi pręordinatur à Deo, vt futurum. Amplius actus omnes de condigno vitę ęternę meritorij, a prędeſtinatis pendentes, cum exiſtunt in gratia tanquam effectus adeptę iuſtitię, etiam ſi lethali culpa interrumpuntur, nec reipſa prędeſtinatum ad gloriam conducant, quatenus per ſe primo à Deo, vt futuri ſtatuuntur, ſunt etiam ſpecialis effectus prędeſtinationis, nam eiuſmodi actus immediate ad vitam ęternam conferunt, quatenus poſt peccatum per finalem iuſtitiam viuificantur, & non per ius novum per viuificationem receptū, ſed per ius prius in ſe ipſis aquiſitum, quatenus libere a voluntate eliciti fuerunt ex inclinatione charitatis, ergo ex primario decreto prędeſtinationis pręfiniuntur, tanquam prędeſti-

na-

nationis effectus.

74 Pro quorum clara notitia ſupponendum eſt ex Scoto in 4. diſt. 22. qu. vnica art. 2. bona meritoria vitę ęternę, quibus prędeſtinatus exiſtens in gratia ius ad prędictam vitam aperit, ſemper viuere in acceptatione diuina, illudque ius retinere, adeo vt per lethalem culpam licet mortificentur; ius eis correſpondens ad beatitudinem non ammittant; quoniam per peccatum non dicũtur mortua, ſed tantum mortificata, ideoque ſimpliciter in acceptatione diuina manent viua; appellantur autem mortificata tantum in actu ſecundo quo ad actionem moralem, vel phyſicam inſtrumentalem, quam reipſa in prędeſtinato exercent ſecundum illud ius ad vitam æternam adipiſcendã, quæ actio per peccatum penitus impeditur; quo fit (vt notat Scotus) cum per pœnitentiam deletur peccatum opera bona non ita reuiuiſcere, quaſi denuo ius ad vitam æternam ex noua ordinatione, vel ex noua diuinæ voluntatis acceptatione recipiant; ſed tantum aufertur impedimentnm executionem illius iuris prohibens, quin bona meritoria actualiter ad vitam æternam moraliter, vel phyſicè diſponant. Hinc confutatur Vviclef dicens eſſe peculiarem prædeſtinationis effectum, vt prædeſtinatus in hac vita ex neceſſitate ſit ſemper in gratia, quia ſemper diligitur à Deo, & Caluinus ſequens Iouinianum aſſerens iuſtificatum ſemel poſt peccatum amplius de gratia non poſſe excidere, & hoc eſſe prædeſtinationis effectum, iuxta illud 1. Ioannis Cap. 2. & 3. qui natus eſt ex Deo non peccat, nec peccare poteſt, quia ſemen eius manet; iſti duo errores falſiſſimo nituntur fundamẽto, quia nec prædeſtinatus ſemper a Deo diligitur ſecundum præſentem iuſtitiam, ſed tantum ſecundum finalem ſententiam, nec cum iuſtificatus, eſt dicitur in ſenſu diuiſo peccare non poſſe, ſed tantum in ſenſu compoſito, quo ſenſu locutus eſt D. Ioannes loc. cit.

75 Omnis ſupernaturalis vocatio, qua efficaciter prædeſtinatus vocatur ad ſupernaturaliter operandum in ordine ad ſuſcipiendam gratiam dicitur prædeſtinationis effectus, iuxta illud Rom. 8. quos prędeſtinauit, hos & vocauit, & ratio eſt quia vocatio ex intentione efficaci ſaluandi prædeſtinatum procedit, & ad vitam æternam ſaltem in ſuo effectu, & mediate reipſa conducit, cum voluntas ſic vocandi electum, eius prædeſtinationem ad gloriam ſupponat, ergo vere, & proprie dicitur prædeſtinationis effectus, ſicuti etiam omnia auxilia præuenientis gratiæ internæ, & externæ etiam, quæ non ſunt efficacia, vt moueant voluntatem prædeſtinati ad liberum conſenſum ſunt prædeſtinationis effectus, iuxta illud Rom. 8. diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, nam hujuſmodi auxilia ſupponunt efficacem intentionem dandi gloriam, ergo eius intuitu communicantur; & quantum eſt ex parte Dei auxilia illa haberent immediate effectum, per libertatem tamen prædeſtinati ſtat quin illum habeant.

76 Item Incarnatio Verbi in carne paſſibili paſſio Chriſti, Sacramentorum inſtitutio, & alia opera Chriſti meritoria sũt prędeſtinationis effectus, ita Scotus in 3. diſt. 19. & 4. diſt. 16. vbi docet Scotus omnia ſacramenta habere efficaciam à Chriſti paſſione exhibita, vel exhibenda ipſam autem paſſionem eſſe efficaciter volitam propter prædeſtinatos; probatur euidenter; ſi prædeſtinati in Adam non cecidiſſent Verbum diuinum paſſibilem carnem carnem non aſſumpſiſſet, nec eius paſſio ſecuta eſſet, nec ſacramenta eſſent omnia ſaltem ex neceſſitate inſtituta, ergo

ergo omnia prædicta à Deo fuere volita tanquam remedia efficacia electis tantum ex intentione efficaci eos ſaluandi per ſe primo inſtituta, vt in eis habeant infallibiliter effectum; Item actus moraliter boni iuxta dictamen rectæ rationis eliciti licet ſint naturalis ordinis, quatenus à prædeſtinatis in eſſe dependunt in re cenſentur prædeſtinationis effectus ſumpto nimirum actu moraliter bono ſolis naturæ viribus cum concurſu generali diuino abſque ſpeciali motione diuinæ gratiæ, nam oblatis voluntati diuinæ prædeſtinatis; & non prædeſtinatis in puris naturalibus non eſt alia ratio vt prædeſtinet alterum in tali ordine conſtituere & in eo vſurum libero arbitrio, alterum non, niſi quia illum prædeſtinauerat, & hunc minime, Vlterius bonum ingenium, ſeu indoles, apta complexio, naturaliſque diſpoſitio non modo naturali conſtitutioni prędeſtinati coexacta, ſed ſpecialiter ordinata à Deo ſunt prædeſtinationis effectus, nam bona Indoles, aptaque ad virtutem complexio non ſequitur naturam indiuiduam prædeſtinati naturali neceſſitati abſoluta, ergo poteſt ex ſpeciali ordinatione diuinæ voluntatis prædeſtinantis proficiſci, nam naturalis conſecutio temperamenti ad virtutem aptioris ex circunſtantijs natiuitatis maxime pendet, vt quod proles tali tempore, & à talibus procreetur parentibus, & ab eis educetur educatione accomodata ad virtutem, at totum hoc recte in diuinam duntaxat refunditur voluntatem, cum ſit mere futurum contingẽs, & declaratur euidenter in Chriſti humanitate, quæ cum eſſet ad ſummam gloriam, & ſummam gratiam prædeſtinata non ſolum habuit bonam indolem, & temperamentum ad virtutem, ſed etiam ad hypoſtaticam vnionem cum Verbo.

77 Inſuper totum eſſe naturale prędeſtinati quoad actualem exiſtentiam, & conſequenter quoad eius generationem à determinatis parentibus, & conſeruationem pęnes tempus determinatum eſt ſimpliciter effectus prędeſtinationis, quia bonum naturalis exiſtentiæ eſt à Deo in prędeſtinatis ſpecialiter intentum propter bonum gratiæ ſaltem per modum ſubiecti; patet ex ſcriptura, ex qua aperte colligitur conceptiones multorum eſſe effectus prędeſtinationis præces enim Iſaac, Rebeccam ex ſterili fœcundam propter generationem Iacob reddiderunt. Rurſus Anna ſuis pręcibus fœcunditatem obtinuit ad generandum ſuum filium Samuelem. Ita Zacharias ſuis præcibus obtinuit generationem Ioannis Baptiſtæ; ſi ergo Sanctorum præces ſunt effectus prædeſtinationis, ſequitur manifeſte etiã naturalem generationẽ eſſe ex intentione prędeſtinationis ſpecialiter ordinatã; Quid plura? totus hic Mundus ſenſibilis quoad omnes eius partes dicitur effectus prædeſtinationis noſtræ, ex 3. diſt. 32. vbi Scotus docet in vltimo hunc ſenſibilem mundum eſſe volitum propter electos vt illis inſeruiat, etiam colligitur ex illo Pauli 1. Cor. 3. omnia veſtra ſunt, & ex illo Saluatoris propter electos abbreuiabuntur dies illi, ergo tota diſpoſitio vniuerſi accomodatur, vt in miniſterium electorum cedat, quoniam ablata voluntate abſoluta dandi gloriam electis etiam abſoluta voluntas creandi hunc mundum ſenſibilem aufertur.

78 Quod vt clarius pateat ad 6. Capita naturalia dona prædeſtinatorum reuocari poſſunt, primum eſt Creatio huius mundi ſenſibilis cum omnibus ſuis partibus integrantibus, ſecundum eſt realis exiſtentia actualis illius prædeſtinati, & conſequenter eius creatio, & conſeruatio; tertium eſt habere naturales facultates vitaliter operatrices

co-

comitantes neceſſario naturam prædeſtinati ſecundum gradum actiuitatis ſuæ naturali perfectioni commenſuratum in ordine ad operationes illi conuenientes; Quartum eſt in hominibus tale accipere corporis temperamentum cum debita compleſſione, & proportione, quæ magis, vel minus ad virtutem iuvet, circa quod donum (ut patet) fieri totaliter poteſt à Diuina voluntate variatio ſeruato tamen naturæ ordine reſpectu naturalis conſtitutionis talis indiuidui; nam licet quodlibet indiuiduum ſecundum philoſophica principia determinatum ſibi expoſtulet temperamentum ad maximum, & ad minimum, nihilominus naturalis determinatio non conſiſtit in indiuiſibili, cum potius habeat latitudinem ſuam, intra quam prædeſtinatus poteſt habere temperamentum magis, vel minus ad virtutem aptum; Quintum genus naturalium donorum continet varias huius vitę circumſtantias à principio creationis prædeſtinati vſque ad finem, ut naſci tali tempore, tali loco, à talibus parentibus educari, cum his, vel illis debitis motibus; tandem viuere, vel mori potius in vno tempore, quam in alio, iuxta oraculum ſapientiæ raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius. Sextum genus eſt ipſorum operum moralium honeſtorum, & naturalium, & cōſequenter occaſionum ad opera prædicta diſponentium, & inclinantium, quæ non debent transcurari.

79 Dices nullum naturale beneficium poteſt inter dona gratiæ computari cum fuerit error Pelagij ad ſuum occultandum errorem, dona naturalia inter dona gratiæ computari, ergo non recte inter prædeſtinationis effectus computatur, eo vel maxime quia nullam habent cum ſupernaturali fine connexionem. Dices ſecundò ſi naturalia bona eſſent prędeſtinationis effectus ex naturalibus ſuis tantum poſſet Prædeſtinatus conari, vt primam gratiam promereri valeret, quod eſt error in fide; probatur conſequentia, quia per vnum effectum prædeſtinationis poſſet alterum promereri, ergo ſi bona indoles, & aptum ingenium ad virtutem eſſet prędeſtinationis effectus per actum ex huiuſmodi donis tantum elicitum poſſet ſaltem de congruo primum donum gratiæ promereri. Reſpondetur ad primū negando conſequentiam, ſpectant enim dona naturalia ad ea, quæ ordinantur ad finem ſupernaturalem tanquam effectus remoti per modum ſubiecti, nec doctrina hæc fauet doctrinæ Pelagij, aut eius errori; quoniam non dicimus dona naturalia habere naturalem connexionem per modum actiuæ diſpoſitionis ad ſupernaturalia dona diuinæ gratiæ, ſed tantum affirmamus illa ex ſpeciali intentione diuina cum alijs ſpiritualibus medijs per ſe primo præparari ex vi prædeſtinationis; Reſpondetur ad ſecundum negando antecedentis ſequelam, & dicendo ad eius probationem aſſumptum eſſe verum de effectibus eiuſdem ordinis, quales ſunt qui eodem modo ex propria conſtitutione ad finem ſupernaturalem exigunt ordinari, ſicut ſunt omnia ſupernaturalia dona intellectuali naturæ ſuperaddita.

80 Pro pleniori notitia dictorum notandum eſt, quod quando finis eſt naturalis, naturaliterque attingibilis ab Agente creato per media eſſentialiter ordinata ad illum, tunc neceſſario entium ad talem finem neceſſaria exiſtit connexio, adeo vt ex natura finis valeat practice ſilogizari ad ea, quæ ſunt ad illum finem attingendum apta, tam ſecundum ſufficientiam, quam ſecundum efficaciam; ſicut patet de Medicina comparatione ſanitatis; ſed cum finis eſt tantum naturalis ſecundum inclinationem naturæ ad illum non vero natu-

raliter

taliter attingibilis, ſicut in caſu noſtro eſt gloria, adæquatus finis, & terminus prædeſtinationis noſtræ, & totius intellectualis creaturæ ſanè non eſt querenda aliqua connexio in medijs pro illius conſecutione inſeruientibus, ſed tantum recurrendum eſt ad acceptationem diuinæ voluntatis in illis conſtituentis genus cauſalitatis cuiuſdam inſtrumentalis, ſeu phyſice, ſiue moralis ad illum attingendum, adeo vt ſicut in executione tanquam media ad illum attingẽdum ordinantur, ita in intentione Dei cenſentur ſpeciales effectus illius voluntatis, qua ille finis dicitur efficaciter intentus, ita theologizandum eſt de prædictis medijs, quamuis ſe habeant ad finem ſupernaturalem tantum remote non propinque, ſicut ſupernaturalis vocatio, & iuſtificatio.

81 Mala omnia, tum naturæ, tum pœnę poſſunt inter prędeſtinationis effectus computari, & de facto numerari, cum vere, & proprie intuitu prædeſtinationis ordinentur, & cum effectu ad vitam æternam conſequendam conferant, iuxta illud ad Philip. 2. vobis datum eſt pro Chriſto non ſolum, vt in eum credatis, ſed etiam, vt pro ipſo patiamini, & ratio eſt, quia hæc mala ſunt ſimpliciter bona ſaltem in genere moris, cum ſint materia virtutis, meriti, & fructus gratię. Ergo eſſe poſſunt non ſolum permiſſa, ſed intenta, & à Deo ordinata, & proinde recte dicuntur prędeſtinationis effectus; Inſuper paſſio Martyrum, & mors vere, & proprie ſunt prædeſtinationis effectus, cum ſint ſingularia, & efficacia ſalutis remedia, ergo etiam quodcumque aliud malum pœnæ, per quod Deus præmouet electos ad ſalutem eſt prædeſtinationis effectus. Item remiſſio peccatorum regulariter non habetur in prædeſtinatis; ſine debita ſatisfactione penali, ergo nequeunt mala pœnę excludi à latitudine effectuum prædeſtinationis; Aliter dicendum eſt de peccatis, quæ prædeſtinati committunt, nullo enim modo ſunt prædeſtinationis effectus eſt de fide in Concil. Trid. ſeſſ. 6. Can. 7. definitum vbi ſtatuitur mala culpæ Deum non operari neque effectus Dei appellari, ſed quæ in genere cauſæ finalis à prædeſtinatione pendent vere, & proprie Deus operatur, dicunturque effectus ipſius Dei; Item peccatum formaliter opponitur prædeſtinationi, quantum ad euis executionem, tum per peccatum mortale ad pœnam ordinetur; per veniale vero ordinationi ad vitam opponatur æternam, ergo neutrum peccatum dicitur prædeſtinationis effectus, nam per effectum prędeſtinationis inclinatur, & dirigitur homo ad gloriæ conſecutionem; per peccatum vero ordinem illum egreditur, & extra illum conſtituitur.

82 Nec obſtat entitatem poſitiuam malitiæ ſubſtratam dici effectus Dei, nam effectus Dei dicitur non antecedenter, & primario intentus ea voluntate, qua prædeſtinat, ſed tantum concomitanter cum voluntate prædeſtinati; conceditur tamen reprobos actualem in re ſuſcipere exiſtentiam in ordine ad prædeſtinatos ex eo, quod Scotus in 2. diſt. 20. q. 2. probat ſi ſcilicet ſtatus innocentiæ duraſſet præſciti, & reprobi in rerum natura non eſſent orti; & ex auctoritate D. Auguſtini in Pſalmum 44. vbi ait, ne putetis gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum; omnis malus, aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur. Effectus ſupernaturales pęnitentiæ, quibus prædeſtinatus in ſe ipſo peccata punit, & generatim mala omnia, quæ prædeſtinato infliguntur tanquam peccatorum pœnæ dicuntur prædeſtinationis effectus ſecundario tantum intenti à Deo

pel-

Digitized by Google

ſpectantes proinde ad ſecundarium ordinem ſpecialis prouidẽtiæ quam Deus de prædeſtinatis habet; patet ex fidei principijs eiuſmodi actus, & pœnas eſſe prædeſtinationis effectus, quatenus illis remiſſio peccatorum obtinetur; gratia, & gloria promeretur; at peccatorum remiſſio nequit per ſe primo intendi, & præordinari, ſed ſecundario tantum ex occaſione peccati, nam ſi ſtatus Innocentiæ duraſſet, in quo erat primarius ordo ſpecialis prouidentiæ diuinæ de prædeſtinatis cõſtitutis in tali ſtatu profecto neque forent pœnæ, neque haberet locum actus attritionis, & contritionis, quibus prædeſtinati peccata deteſtantur, ergo ſpectant ad ſecundarium diuinæ prouidentiæ ſpecialis ordinem ex occaſione peccati à Deo inſtitutum, ideoque non per ſe primo, ſed tantum concomitanter, & ſecundario ſunt à Deo prædicti actus præfiniti, & prædeterminati.

83 Non defuerunt, nec deſunt hæreſum cultores, qui dixerunt Deum eſſe omnium malorum auctorem, & conſequenter mala omnia, tum pœnæ, tum culpæ eſſe in prædeſtinatis propriæ prædeſtinationis effectus, de pœnis ſatis probatum eſt, & conceſſum, & inde concludunt etiam de malis culpæ, cum à malis culpæ mala pœnæ ſoleant procedere, ſed non inde bene concluditur propoſitum, nam mala pœnæ ſecundario intenta non procedunt, nec dependent à malis culpæ, niſi occaſionaliter, ſic paſſio Chriſti, & martyria Sanctorum, cæteraque mala pœnæ prædeſtinatorum, non niſi mala voluntate perſequentium, & male agentium proceſſerunt; Non eſt tamen negandum permiſſionem peccati comparatione electorum vere, & proprie prædeſtinationis effectum appellari, iuxta illud Rom. 8. diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; quibus verbis gloſſa adiecit etiam peccata, quatenus ſunt materia exercendæ virtutis; Hoc intuitu dicitur 2. Regum 16. præcepit Dominus illi (ideſt ſemeio) vt maledicat ſi forte reſpiciat Deus humilitatem meam, vt ibi notant Sancti Patres Auguſtinus, & Ambroſius, ſicque permiſſio peccati eſt aliquo modo effectus Dei vtilis ad ſalutem ipſius prædeſtinati comparandã, computaturque inter dona gratiæ; & procedit ex intentione gloriæ, ergo ex neceſſitate cenſetur prædeſtinationis effectus ad ſecundarium ordinem ſpecialis prouidentiæ diuinæ; hoc ſenſu locutus eſt Damaſcenus lib. 2. fidei orthodoxæ Cap. 29. dum dixit permittitur quis quandoque in turpem incidere actionem ad emendationem deterioris defectus, vt confuſus erubeſcat.

84 Prædeſtinatus non poteſt eſſe certus certitudine abſoluta de ſua prędeſtinatione, nam nemo ſcit utrum odio an amore dignus ſit, ita Eccleſ. 9. 1. & Prou. 27. ne glorieris in craſtinum quid ſuperuentura pariat dies, & ratio eſt, quia ea, quæ pendent ex mera libertate, ſeu voluntate diuina non poſſunt à nobis certò, & infallibiliter cognoſci, ſed prędeſtinatio pendet ex gratuita Dei voluntate. Poteſt tamen eſſe certus de ſua prędeſtinatione certitudine conditionata, nam conueniens eſt, vt illi, cui præmium à Deo præparatur certitudo de pręmio detur, hoc eſt quod pro certo venit ad pręmium, niſi ex ipſo deficiat; & huiuſmodi certitudo vnicuique prędeſtinato per virtutem ſpei infunditur; ſicut enim miles in pugna non certificatur de pręmio, niſi ſub conditione, quia non coronabitur niſi qui legitime certauerit, ita qui aſcriptus eſt ad pręmium ipſum non conſequitur ſi ab ipſo defecerit, & quantum eſt in ſe ipſo ad conſequendum non fecerit.

85 Prædeſtinatus poteſt eſſe certus certitudine reuelata de ſua prędeſtina-

 tione,

Digitized by Google

tione, quia non inconuenit Deum reuelare alicui ſuam prædeſtinationem ex priuilegio ſpeciali, ſicut legitur reuelaſſe aliquibus Sanctis; Nam Gen. 15. & 22. dixit Dominus Abraham noli timere ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis; Item reuelatum eſt Moyſi Exodi 33. in illis verbis, ego oſtendã tibi omne bonum; Apoſtolis etiam reuelata eſt propria prædeſtinatio; & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnũ, vt edatis & bibatis ſuper mẽſam meã in regno meo; & Paulo Apoſtolo; ut patet ex illo 2. ad Timoth. 4. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illum diem iuſtus Iudex, & Latroni in Cruce cui dictum eſt, hodie mecum eris in Paradiſo; Denique de aliquibus viris ſanctiſſimis narrant Eccleſiæ Hiſtoriæ fuiſſe illis in præmium laborum ſuorum reuelatam prædeſtinationem propriam, & ſalutem; Hoc fit ex ſpeciali priuilegio, nam ſecundum legem communem non reuelatur prędeſtinatio ob duas cauſas; prima ne illi qui non ſunt prædeſtinati deſperent. Secunda ne prædeſtinati torperent, nam ſecuritas negligentiam parit, ſi enim prędeſtinati eſſent certi de eorum ſalute non tantam ſolicitudinem, & curam adhiberent, vel apponerent ad mala vitanda, & ad bona opera facienda. Vnde D. Petrus dicit ſatagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.

86 Prædeſtinatus poteſt eſſe certus certitudine conjecturali de ſua prædeſtinatione, quia viator prędeſtinatus poteſt cognoſcere ſe habere aliqua ſigna, & aliqua indicia, quibus conjecturare poteſt ſe eſſe prędeſtinatum, quod innuere videtur Apoſtolus, cum dicit ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.

Hęc ſigna reducuntur ad quinque; Primum eſt tribulationes, & aduerſitates in hoc ſęculo patienter ſufferre, ita D. Griſoſth. in illa verba Lucæ 16. fili recordare quia recepiſti bona in vita tua. Secundum eſt libenter audire verbum Dei, & quadam interiori dulcedine, & ſuauitate guſtare illud, ita D. Gregorius colligit ex illo Ioan. 8. qui ex Deo eſt verba Dei audit. Tertium eſt teſtimonium bonę conſcientię, iuxta illud Apoſtoli 2. Corint. 1. gloria noſtra hęc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, ita D. Bernardus ſerm. 1. & 2. in octaua Paſchæ. Quartum eſt miſericordia, qua ex corde miſerijs aliorum, vt proprijs condolentes eas affectu charitatis ſubleuare ſtudent, ita D. Auguſtinus tractatus in primam Epiſtolam Ioannis vbi ait dilectionem ſolam eſſe, quę diſcernit inter filios regni, & filios perditionis; hoc habetur etiam ex illo Ioannis 13. in hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis adinuicem; Quintum ſignũ eſt bonorum occupatio, quia vt inquit D. Gregorius, amor Dei nunquam eſt otioſus.

87 Prędeſtinatus etiam ſi certus eſſet ſuę prędeſtinationis adhuc non deberet ceſſare à bono opere, primo, quia Deus non neceſſario determinat vnumquemque hominum ad ſaluandum; ſecundo cum gratis eum ab æterno prædeſtinauerit tanto magis debet conari ad complacendum illi ex gratitudine; tertio quia talis prędeſtinatio eſt adhuc condicionata, quemadmodum omnes promiſſiones veteris teſtamenti ad Abraham; Dauid, & alios Patres fuerunt condicionatæ; quarto propter executionis ordinem, quo ſtatuit dare mercedem ex labore diurno; Item reprobus ſemper debet bene facere, & aſſidue bene operari; primo quia Deus diligendus eſt propter ſe ipſum amore amicitię, non amore concupiſcentię;

&

& debet peccata cauere etiam propter bonum virtutis; ſecundo quoniam, vt D. Auguſtinus ſuper Ioannem dicit nouit Deus mutare decretum ſi innoueris mutare delictum, nam in prędeſtinatione, & reprobatione non eſt neceſſitas conſequentis, ſed conſequentię ſecundum D. Bonauenturam, D. Thomam, & Scotum, quia nos neceſſario non ſumus prędeſtinati, vel pręſciti aut reprobati, ſed contingenter; tertio quoniam licet per talia opera non ſaluetur tamen finaliter minuetur eius pœna, nam ſi nihil boni ageret grauius puniretur, eo quod non fecit, quæ tenebatur de præcepto; & quia plura mala faceret. Inter alias obligationes reprobi vna eſt gratias agendi Deo quadrupliciter, primo propter creationem pro Dei beneuolentia, qua Animas qualcumque ex ſua bonitate creauit voluntate antecedente ad beatitudinem, & non ad damnationem, ſecundo debet laudare Deũ, eique gratias agere pro diuina iuſtitia; quia licet homo debeat ſibi velle, & optare ſalutem, tamẽ debet laudare, quod iuſtus eſt, & iuſte malos damnat, & ſic ordinem, & decorem vniuerſi ſeruat; tertio debet gratias agere pro diuina ſapientia, qua nouit ex malis elicere bona, nam ſi nullus malus & reprobus eſſet, tunc, nec Chriſtum aliquis occidiſſet, nec Martyres forent in Eccleſia; præterea de pœnis damnatorum augebitur lætitia Beatorum; quarto quia damnatus magis vult ſic eſſe, quam non eſſe, & ideo magna gratia fit ei, quod non annihiletur.

De reprobatione malorum. Art. VIII.

1 POſt ſermonem de Prędeſtinatione bonorum debitus ordo poſcit, vt agatur de reprobatione malorum; nam id quod eſt per accidens reducitur ad eſſe per ſe ſecundum philoſophum 2. phiſicorum, ergo ſemper prius eſt id, quod eſt per ſe, vel quaſi per ſe, quam per accidens, ſed voluntatis diuinę actus reſpicit per ſe primo in finem, & in eum tendit, ideſt in Deum, & beatitudinem per prędeſtinationem, & per accidens tendit in punitionem per reprobationem, ergo prędeſtinatio preintelligitur reprobationi; Hinc Doctores loquentes de numero prędeſtinatorum dicunt quod numerus prędeſtinatorum eſt à Deo per ſe primo pręfinitus, quia per ſe ordinatur in finem ſupernaturalem, ſed numerus reproborum eſt pręfinitus per ſe ſecundario, & per aliud ſcilicet propter gloriam prędeſtinatorum iuxta illud Rom. 9. ſuſtinuit in multa patientia vaſa irę apta in interitum, vt oſtendat diuitias gloriæ ſuę in vaſa miſericordiæ, quę pręparauit in gloriam; quod ſi queratur, quare numerus prędeſtinatorum ſit principaliter pręfinitus; Reſpondendum eſt, quia prędeſtinati per ſe pertinent ad perfectionem vniuerſi; reprobi vero ſecundario, & minus principaliter, ſicut ſpecies rerum per ſe primo pertinent ad perfectionem vniuerſi; Indiuidua vero per ſe ſecundario; ex quo infertur, quod reproborum numerus non eſt per ſe primo intentus, ſed per aliud tot nã qui reprobis vtitur Deus, quot conſpicit conferre ad bonum prędeſtinatorum, & hoc videtur velle D. Auguſtinus, quando ait, quod omnis malus ideo viuit, vt conuertatur, aut per illum bonus exerceatur; quibus verbis voluit inſinuare duplex malorum genus quidam ſunt mali ſecũdum prędentem ſtatum prædeſtinati tamen in vitam æternam, de his dicit Auguſtinus quod ideo viuunt vt conuertantur, alij vero ſunt mali, & à Deo reprobati; & de his inquit D. Auguſtinus,

quod idcirco viuunt vt per illos boni exerceantur; Prædeſtinatio igitur præintelligitur reprobationi.

2 Reprobationem malorum dari in Deo ſupponendum eſt de fide iuxta illud Eccl. 9. ſpeciem mulieris multi admirati reprobi fiunt, & iuxta illud 1. Cor. 9. caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim ipſe reprobus efficiar, & ratio eſt nam reprobatio in actu ipſo ſignificat formaliter expulſionem, ſiue excluſionem, finalemque eiectionem à Cœleſti regno beatitudinis, ſed de fide eſt Deum multos expellere, excludere, & finaliter reijcere è vita æterna, finaliter eos ea priuando iuxta illud Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum; Hæc reprobatio non eſt in Deo per metaphoram, ſed vere, & proprie, nam reprobatio proprie ſumpta non neceſſario inuoluit affectum aliquem diſplicentiæ, vel triſtitiæ, ſed ſolum actum, & vitalem operationem voluntatis, & intellectus, qua quis non approbatur ad conſecutionem alicuius dignitatis, ex quo actu in nobis frequenter ſolum materialiter cauſatur paſſio illa, ſeu dictus affectus, ergo nulla eſt repugnantia, quod detur reprobatio in Deo ſecundum propriam formalitatem; Immo eſt magna conuenientia, probatur primo ſicut decet iuſtos præmiari propter eorum merita, ſic decet malos a præmio excludi, & vlterius puniri propter eorum demerita, ergo ſicut Dei eſt illos approbare, ita eius eſt illos excludere, & vlterius punire, quos ſcit futuros malos, & quorum præuidet demeritum.

3 Probatur ſecundò, Ad bonum prouiſorē pertinet permittere in communitate quædam mala circa aliquas perſonas, ex quibus eliciuntur plura bona in illa communitate, vt ſcilicet nullum genus bonorum deſit illi communitati, cuius ratio eſt, quia bonum communitatis præferendum eſt bono ſingularis perſonæ, ſed Deus eſt totius vniuerſi prouiſor, & gubernator, ergo ad ipſum pertinet permittere aliqua mala quorundam reproborum, ex quibus eliciat plura bona ſcilicet iuſtitiæ punientis, & patientiæ bonorum tolerantium mala ab eis illata, ſed hoc eſt reprobare ergo; ſi arguatur, quod Deus neminem reprobat, quem ipſe diligit, ſed Deus omnes homines diligit ſecūdum illud ſapientiæ diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti; reſpondetur quod quamuis Deus diligat omnes homines in quantum vult omnibus aliquod bonum nempe bonū naturale non tamen quodcumque bonū vult omnibus ideo quoſdam homines, & Angelos odit, quia non vult illis hoc bonum quod eſt vita æterna, quinimo vult eis pœnam æternam propter finalem iniquitatem eorum.

4 Reprobatio hæc pertinet formaliter ad actum voluntatis diuinæ, & tantum præſuppoſitiuè, & concomitanter ad actum intellectus; prima pars probatur, nam prima determinatio in contingentibus eſſentialiter pendet à voluntate diuina, quæ eſt prima eorum regula, alioquin res non eſſent contingēter, ſed neceſſario futuræ, vt alibi probatum eſt, ergo eſſentialiter à voluntate diuina ſit reprobatio; Secunda pars probatur; ſpectat enim præſuppoſitiue reprobatio ad naturalem ſcientiam, qua Deus cognoſcit poſſibilia omnia, qua etiam cognoſcit poſſibile eſſe rationalem creaturam poſſe in mortali culpa vitam finire, & conſequenter reprobari iuxta illud nihil volitum quin præcognitum; Cæterum concomitanter pertinet ad ſcientiam liberam ſiue viſionis, qua Deus neceſſario cognoſcit quicquid ex poſſibilibus certo determinatur futurum a voluntate diuina, qua ſcien-

Digitized by Google

ſcientia libera alias dicta præſcientia reprobi dicuntur præſciti hac ratione, quia præſcientia quantum eſt de ſe non importat cauſam eorum, quæ pręſciuntur, nam Deus pręſcit bona, & mala, & tamen non eſt cauſa peccatorum; prędeſtinatio autem dicit cauſam, & effectum circa ea, quę prędeſtinantur; ad ſignificandum igitur, quod Deus eſt cauſa omnium bonorum, quę contingunt electis Theologi appellant eos prędeſtinatos, & non pręſcitos ad declarandum, quod Deus non eſt cauſa omnium malorum, quę contingunt reprobis; quoniam non eſt cauſa culpę ipſorum, idcirco Theologi vocant eos pręſcitos, & non prędeſtinatos cum tamen lato vocabulo prędeſtinatio ſe extendat, & comprehendat etiam reprobationem; & per ſupradicta diluitur fundamentum Thomiſtarum dicentiū reprobationem eſſe formaliter actum intellectus diuini D. Thomas 1. p. qu. 23. art. 2. & 3.

5 Reprobatio formaliter ſic definitur, quod ſit æternum propoſitum abſolutum per diuinam voluntatem intellectualem creaturam reijciendi a cęleſti regno, eamque ordinandi ad pœnam æternam propter finale peccatum pręuiſum, in quo vitam finitura eſt; Hęc definitio eſt optima cum detur per omnia cauſarum genera; genus enim cauſæ efficientis explicatur per illam particulam diuinæ voluntatis; Genus cauſæ materialis per illam intellectualem creaturam; genus cauſę finalis per eam ad ęternam pœnam tandem genus cauſę formalis poſitum eſt in particula illa poſita in recto in definitione, quod ſit ſcilicet propoſitum æternum, & abſolutum; Hac particula notificatur hic eſſe ſermonem de reprobatione poſitiua non negatiua; Pro horum, & totius illius materię de prędeſtinatione intelligentia ſupponendum eſt tanquā dogma Catholicum, & probandum contra Hæreticos, Deum ſcilicet condidiſſe totum humanum genus ad ęternam fęlicitatem, & omnes eò perducere quantum in ſe eſt ſi ipſi ſuo vitio non impedirent. Secundo non obligare hominem ad pœnam mortis, niſi mandatis diuinis fuiſſet inobediens. Tertio propoſuiſſe magis ſuam bonitatem, & miſericordiam, quam iuſtitiam, & ſeueritatem circa nos oſtendere.

6 Quantum ad primam partem; Ex ſcripturis oſtenditur creaſſe hominem eo fine non vt periret, ſed ſaluaretur, & ęternam vitam conſequeretur. Moyſes Geneſis 1. ſic ſcribit. Creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam; quod nihil aliud eſt quam in prima ſui conditione tum intellectu, voluntate, & libero arbitrio fuiſſe pręditum, tum etiam ornatum gratia, virtute, & ſanctitate, & nullo alio fine, & conſilio, niſi vt his præſidijs inſtructus vitam æternam, ſi vellet poſſet adipiſci, neque hoc de ſolo primo parente, ſed de eius poſteritate, quæ in ipſo tanquā capite, & radice totius generis humani continebatur accipiendum eſt; Tota ergo Adami poſteritas in prima ſui origine ab ortu ad ęternam fœlicitatem à Creatore fuit deſtinata; nullus igitur ad mortem ac interitum ante lapſum primi Parentis mancipatus eſt diuino decreto; Confirmatur ex Diuo Paulo ad Ephes. 4. vbi ait renouamini ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis; hic & alibi ſępe D. Paulus ſerio monet, vt per Chriſtum reformemur ad imaginē illius ſtatus, ex quo per peccatum primi Parentis excidimus, ſed reformamur per Chriſtum iuſtitia, & ſanctitate in vitam æternam, ergo talis fuit ſtatus hominis ante primam pręuaricationem; renouari autem nihil aliud eſt, quam

ad

Digitized by Google

ad priſtinam nouitatem redire; priſtina nouitas noſtra fuit in ſtatu innocentię; tunc enim in primo parente eramus noui, & corpore, & animo. Corpore quidem immortales, & incorruptibiles; Animo vero ſancti, innocentes, & diuinę participes amicitiæ; Hanc nouitatem amiſimus per peccatum primi Parentis, & cum illo in vetuſtatem delapſi ſumus; Hortatur ergo nos Apoſtolus, vt illam primeuam nouitatem recuperemus non quæ fuit in corpore, quia ſolum fiet in generali mortuorum reſurrectione cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc immortalitatem, ſed quæ in animo renouamini ſpiritu mentis veſtræ.

7 Quantum ad ſecundam partem Deum ſcilicet non obligare hominem ad pęnam mortis, niſi propter peccatum inobedientię; nunc audiamus Moyſem oſtendentem, qua occaſione mors irrepſerit; ſic enim ait Gen. 2; tulit Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſum voluptatis, pręcepitque ei dicens; ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientię boni, & mali ne comedas; In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris; Conſtat ex ſcriptura triplicem eſſe mortem vnam corporis, quę conſiſtit in amiſſione vitę temporalis, alteram Animę quæ infligitur per peccatum mortale. Tertiã, quæ poſita eſt in priuatione vitæ æternæ, & inflictione vitæ æternæ, D. Auguſtinus lib. 13. Ciuit. Cap. 12. intellexit citatam ſcripturam de triplici morte, nempe de morte Animę per amiſſionem gratię, de morte corporis per amiſſionem vitę, & de morte damnationis per amiſſionem glorię, ſenſus ergo erit. Pręcipio tibi Adam, ne comedas de hoc ligno, ſi parueris manebis apud me in gratia, & amicitia cum tuis poſteris, nulli eris corruptioni obnoxius; ſin minus contra omnia euenient; amittes gratiam, reuerteris in puluerẽ, & à Cœleſtis Regni poſſeſſione excluderis; elige quod ius, vtrumque eſt in tua poteſtate vita, & mors, bonum, & malum. Relinquo te in manu conſilij tui; Ex hoc ſenſu verborum Moyſis, ita colligo. Adam in perſona totius poſteritatis potuit ſeruare præceptum Dei, & potuit tranſgredi, ergo ſicut libere tranſgrediendo traxit ſecum omnes poſteros in ſenttentiam mortis; ita libere obtemperando ſe, & poſteros à morte liberaſſet Deus, ergo non creauit hominem ad mortem pro ſuo libito, ſed mors ex peccato ſequuta eſt, & hoc paſſim inculcat ſcriptura Sap. 1. Deus mortem non fecit; & Rom. 5. per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & 1. Cor. 16. in Adamo omnes moriuntur.

8 Quantum ad tertiam partem Deus ſcilicet propoſuiſſe magis ſuam bonitatem & miſericordiam, quam iuſtitiam, & ſeueritatem circa nos oſtendere; Hortatur nos Chriſtus Lucæ 6. vt benigni, & miſericordes ſimus non tantũ erga eos, qui nos diligunt, ſed etiam circa inimicos; Ad hoc ſuadendum duplici vtitur argumento, Vno quia ſi noſtra benignitas, & miſericordia ad ſolos amicos ſe extendit nihil diſcrepamus à Gentilibus; Altero cum ſimus filij Dei debemus imitari Patrem noſtrũ, qui etiam ſuper ingratos, & malo benignus eſt; An eo benignus eſt, quia ad mortem, & damnationem eos creauit, nulla ipſorum offenſa prouocatus? non, ſed quia Deus toti humano generi dedit redemptorem, & cum iure poſſet omnes perdere, voluit potius omnes à Diaboli poteſtate vindicare, omnes ad ſe inuitare; hortari ad pœnitentiam, pulſare oſtium, patienter expectare, offerre gratiam, promittere gloriam, denique nihil non facere, quod filij ab indulgentiſſimo Patre expectare poſſũt;

Hæc

Hæc Dei miſericordia circa omnes eſt, quam teſtatur per Prophetas, & Apoſtolos, Hęc in nobis excitat fidem, ſpē, & fiduciam in Deum, hæc neminem quantumuis flagitijs occupatum patitur deuenia deſperare; Hoc paſſim ſacrę ſcripturæ teſtantur, Deum, quantum in ſe eſt, & ex parte ſuæ voluntatis neminem prorſus velle perire, potius velle omnes ſaluos fieri, ſi quis pereat non Dei voluntate, ſed propria culpa perire 1. Timoth. 2. Deus omnes homines vult ſaluos fieri; & ad agnitionem veritatis peruenire; & 2. Petri 3 patienter expectat propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti; & Ezechielis 18. nolo mortem morientis dicit Dominus Deus conuertimini, & viuite, & Oſeę 13. perditio tua ex te Iſrael ex me tantummodo (ſalus) auxilium tuum.

9 Ex his ſequitur ante præuiſū Adæ peccatum Deum non habuiſſe abſolutum decretum aliquem hominem excludēdi à cœleſti regno, iuxta illud Sapientiæ primo Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuētium, at ſi Deus ex ſe decretum abſolutum poſitivum habuiſſet excludendi aliquē ante præuiſionem demeriti, certe Deus feciſſet mortem ab æterno, & in perditione viuorum delectatus fuiſſet; probatur quoque ex D. Auguſtino lib. 2. ſuper Gen. cap. 24. non prius Deus eſt vltor, quam aliquis ſit peccator, nam ſi Deus ante præuiſionem culpæ poſitiue reprobaret, virtualiter vellet culpam, & ex intentione eam ordinaret ad pęnam, quod impium, & blaſphemū eſt aſſerere, ac in fide Caluini, & Bezæ eſt execrabilis error; probatur conſequentia, tum quia Deus non ſola poteſtate, ſed iuſtitia reprobat; ſed quomodo ex iuſtitia reprobaret, niſi reprobando ex intentione? etiam in intentione culpam ordinaret; tum etiam, quia ſicut intentio dandi gloriam, ita virtute includit merita, vt virtute illius Deus merita intendat, præparet, & procuret, ita efficax excludendi à regno etiam virtute includeret peccata tanquam demerita, ita vt eius virtute peccata Deus intenderet, præpararet, & procuraret.

10 Immo poſt præuiſum Adæ peccatum, & poſt etiam præſcientiam eius in re à ſuis poſteris contracti non ſtatim Deus abſoluto & poſitiuo decreto excluſit ab illo cœleſti regno beatitudinis, nam peccatum originale non in omnibus reprobis durat vſque ad mortem, ſed in multis deletum eſt per circumciſionem, vel per baptiſmum; ſecundo eſto peccatum orginis in aliquibus ſpectatum vſque ad mortem duraturum cauſa ſit damnationis; nihilominus ipſum abſolute ſpectatum non vt finale non eſt cauſa ipſius, ergo non pro quocumq; ſigno naturæ, in quo Deus peccatum originis in hominibus intuetur, eos poſitiue reprobat, ſed poſtea quando præuidet illud vſq; ad mortem duraturum; tertio in illo primo ſigno naturæ, in quo Deus totum genus humanum vidit culpæ originali ſubiectum, ſtatim quantum eſt ex ſe pro omnibus inſtituit medicinam, vt omnes redimerentur ex Scoto in 3. diſt. 19. at cum hac voluntate pugnat voluntas excludendi aliquos propter peccatum originale præciſe, ſimplex enim voluntas alicuius boni, & abſoluta ipſius boni nolitio aperte pugnant, quando vtraq; ſe tenet ex ſola liberalitate volentis ſine aliqua cauſa, vel condicione ex parte perſonæ; cui bonum ſimul dicitur volitum, & nolitum, id enim manifeſte oſtendit Animi inconſtantiam, & mobilitatem.

11 Pro illo ſigno naturæ, in quo intellectuales aliquas creaturas Deus ad gloriam abſolute prædeſtinat, alias ſolum negatiue reprobat; ideo datur reprobatio,

probatio, quæ ſolum actum negativum ſcilicet ſimplicem ſuſpenſionem actus prædeſtinandi importat, alias ex propria prouidentia diceretur Deus aliquos ordinare ad eſſentialem damnationem, quod Deum atrocem, & crudelem oſtendit; ſicut falſo eructauit Calumus, qui Deum arguit iniquitatis, & iniuſtitiæ, vt annotauit Stapletonius in Cap. 9. ad Rom. Huius reprobationis negatiuæ ex parte reproborum, cur ſcilicet non ſint prædeſtinati cum alijs pro illo ſigno naturæ, in quo illos prædeſtinat nõ eſt originale peccatum, nec aliquod actuale, nec carentia alicuius diſpoſitionis, nam in prædicto prædeſtinationis inſtanti, nihil adhuc certe futurum cognoſcitur, cum prædeſtinationis decretum ſit primum, & ante huiuſmodi decretum diuinæ voluntatis nihil ſit ex poſſibilibus futurum; Ceterum ſi effectus prædeſtinationis, & negatiuæ reprobationis inſpiciamus in mente diuina, in qua diſpoſuit illos congrue vocare, & iſtos non ſic congrue vocare, nulla poteſt aſſignari cauſa; Vnde licet cũ Apoſtolo dicere ò altitudo diuitiarum ſapientiæ &c.

12 Nec dari poteſt cauſa aliqua ex parte reprobi, propterquam Deus ei noluerit ei dare gratiam congruam finaliter, ſeu efficacia media, quibus infallibiliter vitam adipiſceretur æternam, ſed vtriuſque cauſa eſt prorſus referenda in diuinæ voluntatis libertatem, nam ſecundum Doctorem ſubtilem in 1. d. 41. Deus, tam in primo inſtanti, in quo vult Petro gloriam, quam etiam in ſecundo, in quo vult ei gratiam nihil vult Iudæ, ſed eſt ibi negatio volitionis gloriæ in primo inſtanti, & negatio volitionis gratiæ in ſecundo inſtanti ſe habet negatiue nulla præcedente cauſa extrinſeca, igitur ex parte reprobi in illo primo, & ſecundo inſtanti nulla poteſt aſſignari cauſa ſuæ reprobationis negatiuæ, ergo neceſſario refunditur in diuinam libertatem, in hoc enim Deus oſtendit ſe abſolutum eſſe dominum gratiæ, & gloriæ ſuæ abſque debito ſe ſupernaturaliter communicandi intellectualibus creaturis; Pro dictorum, & dicendorum intelligentia notanda eſt delineatio proceſſus prædeſtinationis, & reprobationis facta à Scoto in primo diſt. 41. vbi dicit Petrum, & Iudam æquales in naturalibus volitos à Deo in eſſe exiſtentiæ, ſic offerri voluntati diuinæ, cuius tendentia in Petrum, & Iudam diſtinguitur in quatuor inſtantia, ſeu ſigna; In primo inſtanti vult Petro beatitudinem, Iudæ vero nõ vult, & ſe habet pure negatiue nihil illi volendo; in ſecundo vero inſtanti vult dare Petro gratiam intellige efficaciter diſponentem ad beatitudinem, & gratiam finaliter iuſtificantem; & nihil vult dare Iudæ (intellige de eadem gratia efficaciter, & finaliter diſponente ad beatitudinem, & de gratia finaliter ſanctificante) negatiue pariter ſe habente; non negatione gratiæ ſufficientis, quæ omnibus datur ex Scoto in p. ſent. diſt. 46. ad argumentum principale.

13 In tertio inſtanti vult permittere Petrum de Maſſa perditionis, ſiue dignum perditione, & hoc, ſiue propter peccatum originale, ſiue actuale; & tunc ſimiliter vult permittere Iudam eſſe filium perditionis; & hic eſt primus actus poſitiuus vniformis quidem circa Petrum, & Iudam; ſed ex iſto actu eſt iſtud verum Iudas erit finaliter peccator poſitis illis negationibus, ſcilicet quod Deus non vult ſibi dare nec gloriam, nec gratiam; in quarto inſtanti offertur diuinæ voluntati Iudas, vt finaliter peccator, & tunc vult iuſte punire, & reprobare Iudam ita Scotus loco cit. diſt. 41. v. dici poteſt vbi pergit Doctor ſubtilis; nec mirũ, quod non ponatur ſimilis proceſſus prædeſtinatio-

nationis, & reprobationis, quia bona omnia attribuuntur principaliter Deo, mala autem nobis, & ita Deum prædeſtinare, ſine ratione congruit bonitati ſuæ, ſed ipſum velle damnationẽ non videtur ſibi immediate poſſe attribui reſpectu obiecti, vt cogniti in puris naturalibus ſuis, ſed tantum reſpectu obiecti in peccato finali mortali; Ex hac doctrina colligitur duplex reprobatio negatiua, & poſitiua; negatiua ſecundum Scotum ex parte Dei eſt conſtituta in illis duobus naturę inſtantibus, ſiue ſignis; in quibus Petro alijſque prædeſtinatis voluit gloriam, & gratiam, & circa alios non prædeſtinatos ſe habuit negatiue per ſimplicem negationem volitionis gloriæ, & gratiæ; Poſitiua vero in ipſomet Deo poſita in quarto ſigno ſeu inſtanti naturæ voluntati offeruntur tanquam finaliter peccatores.

14 Primæ reprobationis cauſa adæquatiſſime ponitur libertas ſumma diuinæ voluntatis; ſecundæ vero peccatum finale iuxta illud Oſeę 13. perditio tua ex te Iſrael, & illud Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum, eſuriui enim, & ſitiui &c. ergo propter demerita præcipue infert Deus reprobis pęnam æternam tanquam adæquatum reprobationis terminum, inde ſequitur huiuſmodi demerita cauſam importare, ob quam actus reprobandi in æternitate ad reprobos terminatur; etenim in reprobando ordo executionis non eſt diuerſus ab ordine intentionis; quare non valet arguere Deus in tempore propter merita elargitur vitam æternam, quia ab æterno propter merita prædeſtinauit, ſicut valet dicere Deus in tempore reprobos damnat ad pęnam æternam propter demerita, qui ab æterno illos ad talem pœnam propter demerita præordinauit, quia vt docet Scotus non eſt par ratio de prædeſtinatione, quæ eſt ſe tota bona, & de reprobatione, quæ ſecundum eius cauſam eſt per ſe mala, ideoque optime in prædeſtinatione ponitur ordo intentionis nempe dare gloriam ſine meritis ordini executionis inuerſus, nempe vt gloria meritis, & bonis operibus reipſa aquiratur.

15 Adæquata cauſa reprobationis reproborum non eſt peccatum originale ab eis reipſa cõtractum eſt certiſſimum in fide probatur primo, in Angelis; qui abſque originali peccato reprobi reipſa ſunt, ſecundo quia multis ex reprobis in hac vita per Baptiſmũ, vel aliud veteris legis Sacramentum baptiſmo in lege noua correſpondens originale peccatum remittitur, ergo in his, nec adæquata, inadæquata reprobationis cauſa poni poteſt peccatum originali, tertio quia adulti, in quibus non eſt originale remiſſum propter peccatum originale ſolum non damnantur, ſed etiam propter alia actualia propria voluntate commiſſa, ergo eſto in his peccatum originale ſit cauſa, non eſt tamen cauſa adæquata, ſed inadæquata. Conceditur tamen in infantibus, qui ante vſum rationis non ſuſcepto baptiſmate moriũtur originale peccatum eſſe adæquatam reprobationis cauſam non quatenus in re contractum, ſed quatenus finale vſque ad mortem perſeuerans, nam iſti infantes propter originale damnantur ad pœnam damni, ergo propter eandem pœnam reprobantur; quod enim eſt adæquata cauſa damnationis eſt, etiam adæquata cauſa reprobationis, eo vel maxime quia (vt dictum eſt) quia in proceſſu reprobationis, quod eſt primũ in executione, eſt etiam primum in intentione; Cæterum, quod ſit cauſa, quatenus finale eſt, patet, quia ſub hac ratione eſt cauſa æternę damnationis iuxta illud Saluatoris Ioan. 3. niſi quis

renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei; tertio, Deus non habuit abſolutam voluntatem excludendi aliquem paruulorum à regno ex vi ſolius originalis peccati, donec præuiderit futurum ex concurſu ſecundarum cauſarum, quod in illo peccato abſque remedij applicatione eſſent morituri, quia vt docet Doctor ſubtilis in 3. diſt. 19. q. vnica Deus præuiſo toto genere humano in primis parentibus lapſo tantum abeſt, vt aliquem reprobauerit, quod pro omnibus de remedio prouiderit, ergo quatenus finali præciſe eſt reprobationis cauſa.

16 In adultis adæquata reprobationis poſitiuæ cauſa eſt peccatum finale, ſiue unum, ſiue multiplex, ſiue originale, ſiue actuale, ſiue vtrumque ſimul, ita Scotus loco citato; Et probatur, quia in adultis adæquata eorum damnationis æternæ cauſa ex toto peccatorum cumulo conſurgit, in quibus in mortis articulo reperiuntur, de quibus viuentes pœnitentiam non egerunt, ſed adæquata damnationis cauſa, eſt etiam cauſa adæquata reprobationis. Hinc patet circa hanc cauſam impijſſimus error Lutheri & Caluini, qui aſſerentes Deũ propria intentione poſitiue quoſdam reprobaſſe abſque cauſa præuia ex parte eorum, quæ fuerit ab æterno præuiſa intendentem illos damnari principaliter ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ punitiuæ, conſequenter opinati ſunt ipſum Deum efficere in reprobis opera mala, eo modo, quo in prædeſtinatis efficit opera bona, vel voluntate creata mere ſe paſſiue habente, vel Deo ipſam neceſſitante ad peccandum, vt inde habeat, quod poſſit in ipſo homine punire, & vlciſci; & contra hanc impudentiſsimam, & horribiliſsimam hæreſim, quam non ſolum piæ aures perhorreſcunt audire lumine fidei, ſed ipſo naturæ impulſu omnes ad eam deteſtandam mouentur extat decretum Concilij Trident. ſeſs. 6. Can. 6. vbi anathematizantur prædicti Hæreſiarchæ homines malediciſsimi cum ſuis ſequacibus; nec hunc errorem deteſtari prætermiſit pijſsimus Doctor ſubtilis, cum apertiſſime in 1. diſt. 41. conſtanter docuerit non eſſe ſimilem proceſſum ponendum prædeſtinationis, & reprobationis, quia bona omnia principaliter attribuuntur Deo, qui eſt ſumme bonus, mala autem nobis. Vide Caluinum lib. 3 inſtit. Cap. 24, & alibi.

17 Adducunt pro ſe illud Iſaiæ 6. vbi ait excœca cor populi huius &c. & Exodi 4. ego indurabo cor Pharaonis, & ibidem 9. induratum eſt cor Pharaonis, & illud D. Pauli Roman. 9. quem vult indurat. Ex his, & alijs ſimilibus ſacris ſcripturis concludunt hominem ex eiuſmodi excœcatione, & induratione contraxiſſe impoſſibilitatem ad bene operandum, & neceſſitatem ad male operandum, ita quod mala opera hominis ipſi Deo attribuunt; quia ad hęc excœcat, & indurat, ſed toto Cœlo errant; vt patet ex D. Paulo Rom. 9. vbi dicit Deum ſuſtinere in multa patientia vaſa irę parata per reprobationem in interitum, nam ſi Deus reprobi peccata in multa patientia ſuſtinet, non itaque eſt eorum cauſa. Dicent, nemo reproborum ęterna pœna eſt puniendus, niſi habuerit peccata, ergo peccata erunt media quędam à Deo ordinata, & pręparata ad eum finem, ergo Deus vrget ad ea committenda. Reſpondetur hoc argumentum nihil aliud velle probare, niſi quod peccatum ſit cauſa reprobationis, quod eſt contra Caluinum, & ęternam illam punitionem non poſſunt antecedere, vt effectus alias effectus eſſet prior ſua cauſa; quod eſt contra philoſophiam, quę vult cauſam pręcedere debere ſuum effectum aliàs non eſſet cauſa ipſius.

18 Nec

Digitized by Google

18 Nec Caluino aut Luthero ſuffragantur ſcripturæ adductæ, vt patebit ex infra notandis; Primum notādum quod prædicti effectus diuinæ permiſſionis excœcare, aggrauare, & indurare hauriuntur ex Iſaia Cap. 6. excœca inquit cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis ſuis, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum. Diſtinguntur autem excœcatio mentis, aggrauatio aurium, & obduratio mentis ſecundum duos effectus gratiæ, vt tradit D. Thom. p. 2. qu. 79. art. 3. nam gratia perficit intellectum dono ſapientiæ; & emollit affectum igne charitatis; & quia ad cognitionem intellectus maxime deſeruiunt duo ſenſus ſcilicet viſus, & auditus, alius vero deſeruit inſtructioni, vel diſciplinæ; Ideo quantum ad viſum ponitur effectus reprobationis excœcatio, quantum ad auditum aurium ponitur aggrauatio, & quantum ad affectum ponitur obduratio; primus effectus notatur in allegatis verbis Iſaiæ cum dicitur, excœca cor populi huius; ſecundus cum dicitur, & aures eius aggraua, tertius cum dicitur, vt corde non intelligat, neque conuertatur, & ſanem eum; ſecundum notandum, quod excęcatio, aggrauatio, & induratio poſſunt dupliciter conſiderari. Vno modo in quantum dicunt habitum pravum peccandi ex multitudine peccatorum ex parte hominis aquiſitum; alio modo dicunt ſubtractionem diuini auxilij; primo modo non ſunt à Deo, ſed ſecundo modo.

19 Tertium notandum, quod obduratio in ſpiritibus dicitur tranſumptiue, vel tranſlatiue ad ſimilitudinem in corporibus; Vnde ſicut in corporibus durum tres habet proprietates, prima eſt, quod difficulter recipit propter carentiam humoris, propter quam non vnitur, ſecunda eſt, quod firmiter ſubſiſtit, dicit enim permanentiam, & quodamodo radicationem, tertia, quod fortiter reſiſtit propter repugnantiam ad flexibilitatem; ſic obduratio cordis ſpiritualiter eaſdem proprietates, & tria dicit, primò carentiam gratiæ, ſicut enim durus eſt, qui non extenditur ad alium per amorem, ita ſpiritualiter durus eſt, qui per amorem gratuitum non vnitur Deo, nec extenditur ad proximum, Vnde obduratio dicit carentiam gratiæ; Secundo obduratio cordis dicit permanentiam in peccato, quia ſibi placet peccatum ſuum, ideo habet propoſitum permanendi in ipſo, tertio dicit repugnantiam ad obediendum mandatis Dei, tales erant Iudæi, de quibus dicitur Act. 7. dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.

20 Quartum notandum quod indurati, & obſtinati in rigore non pro eodem vſurpantur apud Theologos, nam obdurati ſimiliter excœcati, & aggrauati dicuntur qui longam conſuetudinem traxerunt peccandi, per quam intellectus eorum contraxit cœcitatem, duritiem, & aggrauationem; obſtinati verò dicuntur proprie, & ſecundum rigorem vocis illi, quibus iam Deus decreuit, numquam dare gratiam, quique amplius non habent poſſibilitatem mutandi mentem in melius, & hi ſunt damnati in Inferno; Inter vero obduratos, & alios peccatores quadruplex differentia intercedit; prima, quod alij peccatores habent motus, ſanctaſque cogitationes, atque inſpirationes, quidam magis, alij vero minus pro qualitate, & grauitate peccatorum, concipiunt ſæpe aliquam diſplicentiam, quamuis imperfectam, atque timorem; at indurati carent huiuſmodi motibus, ſed torpeſcunt in peccatis ſuis ſecurè & ocioſe; ſecunda differentia eſt; quia indurati habeant prauiſſimum habitum

ad malum, quem contraxerunt peccando, cæteri vero peccato res non ita; Tertia differentia, quia indurati ſunt inclinati ad omne peccatū, adeo quod male operari ſit eis quaſi connaturale poſt indurationem; Cæteri autem peccatores non ſic ſunt affecti animo, & voluntate; Quarta differentia eſt, quoniam peccatores non indurati ſępe reſurgunt; Ideoque acceſſus habent ad Deum, receſſuſque ab illo crebros; indurati autem propter habitum peccandi firmiſſimam, quem habent ob ſuam culpam, non ſic.

29 Sed qua ratione dicatur Deus excœcare, & indurare; variæ ſunt reſpōſiones D. Bonau. in 1. diſt. 41. artic. 4. q. 1. ad primum ait Deum non ſe habere effectiue indurando, quoniam nihil efficit; ſed permiſſiue tantum non conferendo ſuam gratiam; Idem aſſerit D. Auguſtinus libro de prædeſtin. & gratia Cap. 4., vbi dicit, quod Deus non operatur in homine ipſam duritiem, ſed indurare dicitur, quam emollire noluerit, & excęcare, quem illuminare noluerit, & repellere, quem vocare noluerit; Origenes libr. 3. Periarchon ita exponit dicens, quod Deus non alio modo indurat peccatorem, quam patienter tolerando, quam indurationis cauſam ponit Apoſtolus dum ait Rom. 8 an ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? tu autem ſecundum duritiam tuam, & impęnitens cor tuum &c., quam rationem indurationis perſequitur D. Auguſtinus ſerm. de Induratione Pharaonis; D. Gregorius lib. 2. moral Cap. 5. ita interpretatur; obdurare quippe dicitur Deus per iuſtitiam, quando cor reprobatum per gratiam non emollit; Rabanus ſuper illud; indurabo cor Pharaonis, quærit hanc quæſtionem dicens, quomodo Deus indurauit cor eius, cum Deus ſit intentator malorum Iacob. 1. Reſpondit dicens, quicquid Deus facit, per effectum, vel per iudicium facit, & ſubdit; quicquid enim boni fit, vel contingit, Deo agente fit; quicquid autem mali, ſcilicet culpæ fit, non eo faciente, ſed iuſto Dei iudicio permittente contingit; ſic ergo cum dicitur, ego indurabo cor Pharaonis exponitur quattuor modis, primo ſic cor eius induratur Deo permittente. Secundo ſic cor eius induratur Deo gratiam, quæ cor emolit ſubtrahente. Tertio cor eius induratur, ſigna, & prodigia Deo oſtendente. Quarto cor eius induratur, Deo non miſerante.

22 Hæc tria finale peccatum, poſitiua reprobatio, & æterna pœna præſertim ſenſus ex illa ſequens, ita eſſentialiter ſecundum naturæ prioritatem ordinantur, tam in intentione diuina, quā etiam in executione, vt prius ſit peccatum finale, mox poſitiua reprobatio tanquam effectus eius, ſaltem vt ſe tenet ex parte obiecti, tandem pęna æterna tanquam reprobationis effectus; quare cum mors, quæ incipit per primum ſui non eſſe ſcilicet viuentis, in eodem inſtanti, in quo deſinit vita per primum ſui non eſſe conſtituat peccatum in ratione finalis, (numquam enim finale intelligitur, cum homo viuit) ſpectat ad cauſam reprobationis, & non ad effectum, quod non obſcurè Spiritus Sanctus in ſacra ſcriptura illis verbis reuelauit, vbicumque ceciderit lignum, ibi manebit, ideſt in quocumque ſtatu vita hominis deſinet, in illo iudicabitur; cum ergo mors antecedat Iudicium etiam antecedit pœnam, vel præmium; Mors autem duobus modis poteſt contingere in homine, vno modo naturaliter, hoc eſt ex naturalibus cauſis, quomodo ſolent fieri omnes huiuſmodi naturæ mortes interuentu cauſarum ſecundarum concurrente etiam Deo; altero modo euenire poteſt ſupernaturaliter

liter, & miraculoſe, vt factum legimus in Pſalmis de Dathan & Abirō, in prioribus morientibus per mortem peccatum fit præciſe finale, & proinde in re, & in præſcientia diuina adæquatam cōſtituit cauſam reprobationis; In poſterioribus peccatum fit finale ex ſpeciali Dei ordinatione, & non ex morte immo mors in eis eſt pœna debita talibus peccatis, proindeque optime dici poteſt reprobationis effectus. Hæc ſatis de cauſa reprobationis.

23 Reprobationis negatiuę effectus, ſiue in paruulis, ſiue in Adultis ſunt hi quattuor ſequentes ſcilicet peccati prima permiſſio; in illo obduratio reſpectu adultorum, excluſio à cœleſti regno, & pœnę damni inflictio quoad infantes, & adultos, vel pęnæ ſenſus quoad Adultos tantum; In paruulis vero eſt permiſſio contrahendi peccatum originale, & permiſſio moriendi in ipſo, & excluſio poſitiua à regno Cœleſti; nam ſicut Deus ex vi prædeſtinationis præcipue procurat, vt prædeſtinati cum mortaliter peccant per auxilium congruum ſtatim à peccato ſurgant, vt iterum iuſtificentur, Ita ex negatione prędeſtinationis Deus ſpecialiter non curat in reprobis efficere, quod efficit in prędeſtinatis, ſed potius (dictum eſt) non tantum permittit illos peccare, ſed & in peccato vitam finire, ergo ſicut prædeſtinatio eſt cauſa illius ſpecialis prouidentiæ in prædeſtinatis, ita eius negatio eſt cauſa negationis prædictę prouidentiæ ſpecialis in reprobis; Hic adnotare oportet ex Scoto in 1. diſt.47. permiſſioni, qua Deus dicitur peccatum permittere, nihil aliud correſpondere in voluntate diuina, niſi non velle prohibere peccatum fieri, quod directe nihil aliud dicit niſi negationem actus poſitiui, quo poſſet, ſi vellet impedire ne fiat, ac proinde tantum dicit negationem gratiæ congruentis; quæ ſi reprobo tempore, quo peccat daretur ſua libertate peccatum vitaret, & gratiam illam complete efficacem redderet.

24 Cæterum non recte aſſeritur huiuſmodi permiſſionem dicere etiam negationem ſufficientis auxilij, ſine quo homo nequit peccata vitare, & legis præcepta implere; nec recte etiam aſſeritur poſſe eam importare, ſeu connotare poſitiuam aliquam motionem antecedentem createę volūtatis ad peccatum, neque ſecundum formale, neque ſecundum materiale, id enim cum diuina bonitate manifeſtè pugnat; & propterea tanquam manifeſtiſſimus error in fide damnatur in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. Can. 6. ſi quis dixerit mala opera, ita vt bona Deum operari anathema ſit. Hinc ſequitur ex vi ſola permiſſionis peccati nō recte dici peccatū infallibiliter fore, tum quia Deus directe eiuſmodi ſuam permiſſionem præciſe ad peccatum non ordinat, ſed tantum, vt homo ſua libertate vtatur operando libere cum vera imputatione actus ad præmium, & ad laudem, ſiue ad damnationem, & pœnam, tum etiā quia vt dictum eſt importat tātum formaliter ſuſpenſionem actus efficacis, nō ſufficientis auxilij; Hinc doctiſſime eſt noſter Scotus theologizatus in 1. diſt. 41. opin. 5. & diſt. 47. ad primum principale, vbi dicit Deum non præuidere certò peccatum fore ex hoc ſolum, quod ſcit ſe permittere abſolute hominem finaliter peccaturum, ſed ex hoc, quod certo ſcit ſe illi cooperaturum ad actum peccandi, vel non cooperaturum ad alium actum, cuius omiſſio peccatum eſt.

25 Nec omnis peccati permiſſio eſt poſitiuæ reprobationis effectus, nam prima permiſſio peccati in homine nullam ſupponit culpam, vt patet, & proinde nec aliquod demeritum, ergo nec ſupponit poſitiuam reprobationem, &

con-

conſequenter, nec habere poteſt rationem pœnæ, neque proinde ſpectare ad iuſtitiam Dei punitiuam; confirmatur, prima peccati permiſſio communis fuit prædeſtinatis, & reprobis hominibus, ergo non eſt effectus reprobationis, quod perſpicuum eſt; Quælibet permiſſio peccati in reprobis optime dici poteſt effectus negatiuæ reprobationis eſt Scoti in 1. diſt. 41. vbi docet reprobos in 4. inſtanti offerri voluntati diuinæ tanquam finaliter peccatores, & in eo reprobari poſitiue ex permiſſione, qua in tertio inſtanti eos ſic peccare permiſit ſtantibus illis duabus negationibus prædeſtinationis ad gloriam in primo inſtanti; & præparationis gratiæ congruæ, & efficacis modo ſupra explicato in ſecundo inſtanti; nam negatiua reprobatio, tam à gratia, quam à gloria antecedit omnem permiſſionem omnis peccati in reprobis, quæ permiſſio eſt in tertio inſtanti, ergo optime refundi poteſt in illam, tanquam in cauſam; Accedit, quod ſicut permiſſio peccati in prędeſtinatis eſt effectus prędeſtinationis, vt ſupradictum eſt, ita permiſſio omnis peccati in reprobis optime dicitur effectus non prædeſtinationis, ſed reprobationis ipſorum, probatur conſequentia, ſicut Deus permiſit prædeſtinatos peccare, vt in eis peccantibus oſtendat vaſa ſuæ miſericordiæ eis parcendo, & procurando, vt ex peccatis comodum reportent, ita permiſit non prædeſtinatos peccare, vt in eis peccantibus oſtendat vaſa iræ, & iuſtitiam ſuam punitiuam, D. Thom. p. p. q. 23. art. 3 & 5. cum ſuis diſcipulis Caietano, Bannes, & alijs nullam agnoſcens reprobationem negatiuam autumantque Deum poſitiue reprobare quotquot non prædeſtinat cum alijs pro ſigno illo rationis, in quo in intentione diuina actus prædeſtinandi concipitur, conſequenter docet omnem peccati permiſſionem eſſe reprobationis effectum.

26 Mors regulariter ſequens in reprobis ex naturalibus cauſis nullo modo poteſt effectus poſitiuæ reprobationis iudicari; quia effectus ſequitur & non antecedit ſuam cauſam, at mors antecedit reprobationem poſitiuam, ergo antecedit etiam ſuum effectum; Item peccatum non eſt finale, niſi expleto termino intrinſeco viæ, ſed inſtans, in quo mors incipit, ſpectat ad terminum viæ, ergo peccatum non eſt finale in illo inſtanti. Mors vero inflicta aliquibus reprobis miraculoſe ex ſpeciali ordinatione poteſt optime reprobationis poſitiuæ cenſeri, nihil enim ei deſit, vt ſit effectus illius, quia peccata in his reprobis non contrahunt finalitatem per mortem cum mors potius ſit in eis pęna illorum, ergo independenter à morte ſunt finalia, & proinde ſicut independẽter ab ea ſunt cauſa reprobationis, ita eſſe poſſunt cauſa talis mortis. Regulariter igitur ſola pęna, & æterna damnatio ſunt effectus poſitiuæ reprobationis; Ideo in hac vita nullus datur eius effectus; quia poſitiua reprobatio habet cauſam ex parte reprobi ſcilicet finale peccatum, ſed peccatum non dicitur finale, niſi in illo inſtanti, in quo deſinit vita per primum ſui non eſſe, & incipit mors per vltimum ſui non eſſe, ergo ſola pęna æterna, quæ poſt hanc vitam reprobo infligitur eſt effectus reprobationis poſitiuæ.

De Potentia, ſeu Omnipotentia Dei. Art. IX.

1 DAri in Deo potentia, & omnipotentia niſi mẽte captus poteſt negare; vt autem perſpicuum fiat quænam ſit hæc potentia, & de qua re le-

ſequentes diuiſiones potentię ſunt valde notandæ; Primo igitur potentia diuiditur in potentiam logicam, & potentiam phiſicam, ſiue realem; Logica dicit modum quendam compoſitionis factę ab intellectu inter aliqua, quorum eſſe formaliter non inuoluit contradictionem; formaliter dicit modum illum compoſitionis formatæ ab intellectu, vt iſta homo eſt albus, connotat vero à parte rei non repugnantiam terminorum ſecundum eſſe, & non ſecundum eſſe idem; Hæc reperitur in Deo, tam ad extra, quam, ad intra, ad intra quidem, quia non repugnat Patrem generare Filium, nec Patrem, & Filium ſpirare Spiritum Sanctum; ad extra etiam, quia vere dicimus multa Deū poſſe facere, quæ non facit ob non repugnantiam à parte rei ad ea efficienda; Potentia phiſica, ſeu realis duplex eſt, vna obiectiua, cui opponitur actus exiſtentiæ, & ſe tenet ex parte eius, quod non eſt, ſed eſſe poteſt; Hæc non reperitur formaliter in Deo, quia nihil in diuinis dari poteſt, quod interdum à parte rei non ſit, cum quodlibet intrinſecum Deo ſit ipſe formaliter neceſſarium, vel ſaltem per identitatem cum diuina eſſentia, quæ formaliter, & radicaliter eſt eſſe neceſſaria, ergo potentia obiectiua formaliter non datur in Deo; Altera eſt potentia realis formalis, quæ in aliquo realiter exiſtente reperitur.

2 Hæc potentia realis formalis diuiditur in potentiam actiuam, & paſſiuam, potentia actiua eſt eſſentialiter ordinata ad agendum, ſeu ad communicandum eſſe, & hęc reperitur in Deo, tam ad intra, vbi eſt productio diuinarum perſonarum, qua ipſis communicatur diuina eſſentia cum ſuis attributis; quam ad extra, quia Deus eſt cauſa effectiua non modo eorum, quę ſunt, & erunt, ſed etiam eorum, quæ eſſe poſſunt, & non erunt. Poſſibile communiter appellatum & intrinſecus terminus adæquatus actiuæ potentiæ Dei eſt omne obiectiue poſſibile, non vero poſſibile tantum ſubiectiue; potentia paſſiua communiter appellata potentia ſubiectiua eſſentialiter ordinata ad recipiendum eſſe, cui directe opponitur actus purus; talis potentia reperitur in materia prima, & generaliter in omni eo, quod ad inſtar materiæ primæ ſe habet per modum perfectibilis ad ſuū perfectiuum, ſiue illud ſit ſubſtantiale, ſiue accidentale, ſiue materiale, ſiue ſpirituale, non tamen reperitur in Deo, quia non eſt compoſitus, nec componibilis, ſed eſt actus purus; Potentia actiua poteſt dupliciter cōſiderari vno modo late, ſeu communiter provt comprehendit omnem potentiam principiatiuam, vel ſimpliciter productiuam, vel potentiam proprie actiuam, ſiue totaliter cauſatiua ſit, ſiue partialiter tantum tranſmutatiua, ſecundo modo proprie pro potentia actiua, ſeu cauſatiua alterius eſſentialiter diſtincti.

3 Hęc adhuc diuiditur in potentiam actiuam præciſe, ſeu totaliter productiua, cuius terminus adæquatus, ſeu correlatiuum eſt poſſibile obiectiue, & in potentiam actiuam tranſmutatiuam, cuius terminus, ſeu correlatiuum eſt poſſibile ſubiectiue; Item potentia actiua poteſt dupliciter accipi vno modo pro ſignificato formali, & ita ſignificat relationem reale actualem, vel potentialem, vel relationem rationis potentialitatis, vel principiationis. Secundo modo pro connotato, ſeu pro ſignificato materiali, & abſoluto, quod eſt fundamentum ipſius relationis actiuæ potentialitatis, & principiationis, & hoc modo adhuc dupliciter vno modo pro illo abſoluto præciſe, quod habet rationem fundamenti comparatione explicatæ relationis; altero modo

Digitized by Google

ſto pro eodem abſoluto cum aliquibus neceſſario prærequiſitis, quæ id conſtituunt in proxima diſpoſitione ad ponendum poſſibile in eſſe; cuiuſmodi eſt præciſe (generatim loquendo) ordo quidam naturalis prioritatis ad ſuũ terminum, approximatio paſſi, & impedimenti remotio cauſa, ſeu potentia actiua iſtis modis accepta detractis imperfectionibus reperitur in Deo, cuius eſſentia virtualiter, vel eminenter omnem actiuitatem cuiuſcumque potentiæ creatæ continet.

4 Potentia actiua, qua Deus phyſice res producit in eſſe reali non eſt formaliter intellectus; aliter res ad extra neceſſario produceretur; quia intellectus eſt formaliter ſpeculatiuus & naturaliter productiuus; præſupponit tamen operationem intellectus, per quam prius naturaliter abſolute eſſe poſſibile ſortiuntur; Deus enim eſt agens ordinatiſſimum, omnia operans propter finem, ideo agit præuia cognitione, & præconcipit res, priuſquam producat, eaſque producere velit; Hæc eiuſmodi potentia poteſt formaliter conſiſtere in Ideis, ſeu in exemplaribus rerum ipſarum factibilium; tum quia Ideæ, ſeu exemplaria ſunt formaliter obiecta ſecundaria, ſecundumquæ extra fiunt, quæ non includunt determinatam notitiam dictatiuam, ſed tantum modo quodam ſpeculatiuo rappræſentatiuam operabilium; tum etiam, quia Ideæ non habent aliquod eſſe reale actuale diſtinctum ab actu intellectus diuini ex Scoto in 4. diſt. 1. q. 1. ſed ſunt mera obiecta ſecundaria habentia tantum eſſe cognitum, & ſecundum quid carentia quacumque actiuitate reali, abſit igitur aſſerere potentiam diuinam realiter actiuam formaliter conſiſtere in Ideis.

5 Potentia prædicta diuina non conſiſtit in aliqua facultate tertia aliquo modo à parte rei formaliter, vel virtualiter diſtincta ab intellectu, & voluntate, quæ communiter appellari ſolet potentia executiua, tum quia hic multiplicarentur entia, ſine neceſſitate, immo maxima imperfectionis nota infinitæ voluntatis diuinæ, cum eiuſmodi potentia increatis rebus ponatur propter limitationem voluntatis creatæ, quæ limitatio ſiue imperfectio conſiſtit in tribus, primo poſſe deficere à debita rectitudine apta ineſſe ſibi in actu ſuo ſecundo; ſecundo non poſſe producere ſubſtantiam; tertio nihil efficere poſſe in aliquo ſubiecto realiter à ſuppoſito ſuo diſtincto, vel immediate tantum vnito, ſeu coniuncto, ſine potentia executiua; Talis igitur potẽtia diuina cauſatiua phyſice rerum extra in Deo formaliſſime ſpectat ad voluntatem ſuam. Ita Leo Papa Serm. 2. de Natiuit. vbi inquit Deus, cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, & D. Auguſtinus lib. Meditationum cap. 29. vbi inquit de Deo, cuius voluntas opus, cuius velle poſſe eſt; Cum etiam huiuſmodi diuina voluntas ſit infinita, & infinitæ perfectionis ab ea remouentur prædictæ tres imperfectiones voluntatis creatæ, & in ſummo reperiuntur perfectiones oppoſitę; Cauſat igitur Deus phyſice res extra in eſſe reali per ſuam infinitam voluntatem tanquam ſuapte natura productiuam, ſicut per rationem proximam agendi, eſto actus volendi neceſſario prȩexigatur tanquam condicio, ſine qua non.

6 Hæc Dei potentia actiua cauſatiua rerum ad extra eſt infinita non tantum extenſiue ſecundum durationem, ſed etiam intenſiue ſecũdum virtutem, & vigorem, ita quolibeto 7. docet Scotus, quia potentia Dei actiua commenſuratur eſſentiæ diuinæ ſecundum eius virtutem, & perfectionem, ſed eſſentia diuina eſt ſimpliciter infinita in genere

nere

Digitized by Google

nere entis, ergo neceſſario realis eius potentia ad extra ſecundum virtutem cauſatiuam eſt infinita &c. & quamuis potentia Dei diſtinguatur ab eſſentia diuina diſtinctione formali ex natura rei, habet tamen propriam infinitatem formalem in genere potentiæ actiuæ, alterius rationis ab infinitate diuinæ eſſentiæ quolib. 5. & in 1. diſt. 13; quia potentia Dei dicitur formaliter infinita, quatenus præciſe habet totalitatem in genere virtutis actiuæ, eiuſque plenitudinem ſine limite, & termino; ergo eius infinitas non eſt ſimpliciter in genere entis, eo vel maxime quia non eſt prima ſimpliciter, cum non ſit omnino à ſe; Hæc infinitas actiuæ potentiæ Dei ſecundum virtutem, & vigorem eſt lumine naturali nota: quia tali lumine notum eſt Deum eſſe ens infinitum formaliter ſecundum perfectionem entitatiuam cum ſit ens per eſſentiam à ſe omnino independens, ergo etiam lumine naturali notum eſt à priori Deum habere infinitam, & illimitatam virtutem cauſatiuam, nam quod quis habet à ſe aliquid, habet illud in tota plenitudine, quæ ſibi poteſt conuenire; nihil enim habetur limitate in aliquo, niſi habeatur ab aliquo agente determinante illud ad certum gradum.

7 Immo Ariſtoteles ipſe 8. phyſicorum text. 78. & 12. Met. text. 41. docet mouens motu infinito, ſicut eſt reipſa primum mouens, & intelligens habere potentiam infinitam ſecundum vigorem, & virtutem, prout demonſtrat Scotus in 1. diſt. 2. q u. 1. & quolib. 7. Deus igitur habet in ſe potentiam, ita infinitam intenſiue, & extenſiue, vt vere à parte rei habeat formalitatem omnipotentiæ ſimpliciter comparatione omnis cauſabilis non modo mediante interuentu ſecundarum cauſarum, verum etiam immediate abſque concurſu earum; & ſecundum hanc particulam vltimam Deum eſſe omnipotentem nō poteſt proprie demonſtrari, quia ſimpliciter eſt articulus fidei; De qua re plenè, & docte diſſerit Doctor ſubtilis in 1. d. 42. & quolib. 7. Obiectum adæquatum huius omnipotentiæ diuinæ de rigore ſermonis nullo modo comprehendi poteſt, aſſignatur tamen eſſe omne ens cauſabile, cui ex ſe independenter ab illa omnipotentia verum eſſe realiter repugnat, quia cum potentia actiua in Deo ſit à ſe cum omnimoda totalitate, & plenitudine actiuæ virtutis neceſſario continet, vel formaliter, vel eminenter perfectam, & adæquatam virtutem omnis cauſabilis, ergo vere omne cauſabile adæquatum eius obiectum conſtituitur; Dixi cauſabile, vt excluderetur duplex fœcunditas ad intra diuinarum perſonarum, in Patre reſpectu filij, & in Patre, & Filio reſpectu Spiritus Sancti, aliter vna Perſona, vt Pater, & Filius eſſet omnipotens, & non alia, vt Spiritus Sanctus.

8 Dantur reuera non entia ſimpliciter appellata impoſſibilia, quæ quia ſunt ex ſe in effectibilia, abſolute dicuntur non poſſe fieri à Deo; ſalua ratione formali ſuæ omnipotentiæ, quia quod non eſt ex ſe factibile nullius potentiæ poteſt eſſe obiectum, quia quod non eſt ex ſe factibile non eſt poſſibile ad extra, ergo eſt impoſsibile ſimpliciter. Præterita poſſunt diuina omnipotentia reparari, ac ſi præterita non fuiſſent; nam res præterita accepta ſecundum abſolutum eſſe ſuum, quod connotatur per differentiam præteriti temporis non minus virtualiter continetur in Dei omnipotentia, quæ ſimpliciter ſe extendit ad omne poſſibile, cum deſtructa fuerit, quam prius antequam produceretur, & deſtrueretur, eadem enim virtus Dei eſt infinita per comparationem ad omne poſsibile ante, & poſt, ergo ſi ſimpliciter eam per ſe pri-

mo producere potuit ante eius deſitionem, cur eam poſt deſitionem reparare non poterit? Conceditur tamen non poſſe Deum ſua omnipotentia facere; vt res præteritæ non amplius denominentur præteritæ per huiuſmodi denominationem deſumptā à tempore præterito, cum quo vere ſecundum eſse præceſserunt, probatur auctoritate Ariſtotelis 6. Ethicorum comendantis illud Agathonis dictum. Hoc ſolo priuari Deum in genita facere, quę genita ſunt, vel quæ facta ſunt.

9 Omnipotentia Dei facere nequaquam poteſt ſpecies actu ſecundum numerum infinitas; Scotus hoc probat in 3. diſt. 13. qu. 1; accepta inquit determinate aliqua ſpecie infima, quæ ſit A, quero aſcendendo (quia in ſpeciebus eſt ordo eſſentialis) aut eſt ſtatus ad aliquam ſupremam, & ita habetur propoſitum, aut non, ſed vlterius in infinitum procedi poteſt, & tunc ſequitur, quod quanto aliqua magis excedit A, tanto perfectior eſt, atque adeo ea, quæ in infinitum excedit infinitè perfectior eſt, & ita in ſe erit infinita intenſiue, & eſſentialiter in genere entis, quod eſt impoſſibile; Non negatur tamen eadem omnipotentia in qualibet ſpecie rerum fieri poſſe multitudinem indiuiduorum actu infinitam, tūm quia inter indiuidua non eſt ordo eſſentialis, tum quia multitudo numeralis, ſicut compatitur ſecum finitatem, ita compatitur etiam infinitatem; tum quia eiuſmodi multitudo ſuapte natura nō eſt determinata, neque ad minus, neque ad maius, ſicut ab intrinſeco determinata eſt multitudo ſpecierum; Confirmatur, intelligibilia ſunt in ſe ipſis actu infinita, ſicut Scotus inſinuat in 1. diſt. 2. qu. 1. quia intellectus diuinus, ideo eſt formaliter infinitus, quia ſimul cognoſcit infinita vnica ſimplici cognitione, ſiue naturali, ſiue libera, & quot Deus ſimul cognoſcit, tot ſimul efficere poteſt, cum infinitas eius in cognoſcendo non excedat infinitatem ſuam in agendo, ergo Deus vere creare poteſt multitudinem indiuiduorum in qualibet ſpecie actu infinitam.

10 Datur in Deo de facto ea facultas, ſeu agendi virtus abſolutè accepta neceſſario requiſita ad efficiendum ea, quæ nec fecit, nec facturus eſt; ex 1. diſt. 43. nam potentia, qua fieri poteſt omne poſsibile ſpectata in ſe eſt perfectio ſimpliciter abſoluta, ſcilicet omnino à ſe conueniens Deo independenter non tantum à rebus ſecundum eſſe reale actuale, verum etiam ſecundum eſſe poſſibile, cum nulla in Deo ſit perfectio ſimpliciter à creaturis dependens, vel ad eas ordinem dicens, ergo ſemper ineſt, tam in inſtanti æternitatis pręciſe, quam in eo quatenus coexiſtit omnibus differentijs temporis, ſemper enim dicitur Deus infinitè perfectus, tum in genere entis, tum etiam in genere principij actiui continens à parte rei omnem perfectionem abſolutam virtutis productiuæ cuiuſcumque effectus. Eſto in inſtanti æternitatis pręciſe inſpecto, vt abſtrahit à coexiſtentia cum tempore noſtro vere Deus poſſit ſe determinare ad efficiendum in tempore ea, quæ efficere non determinauit, quia voluntas diuina nihil efficit neceſſario extra eſſentiam diuinam, igitur ad omne poſſibile contingenter ſe habet, ita vt poſſit eſſe omnium, & non omnium, iſtius, & oppoſiti ſecundum innatam eius liberatem; Id tamen ſimpliciter non conceditur, ſed omnīno falſum eſt ſupponendo in illo æternitatis inſtanti voluntatem diuinam eſſe determinatam ad omnia, quę in tempore dicuntur futura Scotus in 1. diſt. 39. & 40. quia diuina voluntas eſt immutabilis, igitur cum in inſtanti æternitatis accipitur determinata ad aliquā

pol-

poſſibilia, vt ſint futura nequit amplius ab illa determinatione recedere, alias eſſet mutabilis.

11 Non poteſt Deus ſua abſoluta potentia aliter res facere quas fecit neque ſecundum ordinem naturæ, neque ſecundum ordinem gratiæ, ſi illa particula (aliter) dicat modum faciendi ex parte Dei facientis colligitur ex Scoto 3. diſt. 13 q. 2. prima pars probatur, nam omnia opera, quę Deus fecit, & efficere poteſt in ordine naturæ ſpectando modum, quo ea facit, & finem propter quem eodem modo manifeſtant ſummam potentiam, & ſapientiam Dei, cum omnia ex nihilo producantur, ergo ex hac parte nequeunt res aliter fieri quam factæ ſunt; Secunda pars pariter probatur in ordine naturæ, Deus operatur, vt ſumme manifeſtet miſericordiam, & iuſtitiam ſuam, ſic in ordine gratiæ eadem ſufficienter manifeſtantur in ſumma gratia, & ſumma gloria, & alijs donis ſiue meritis Animæ Chriſti collatis, item in ſumma vnione hypoſtatica, ergo nequit Deus ſua abſoluta potentia aliter facere res, quam fecit ex parte ſua; ſimiliter ſi illa particula aliter præciſe referatur ad res iam factas nequit Deus ſua abſoluta potentia facere res meliores eſſentialiter aliquibus, quæ factæ ſunt in ordine gratiæ ex Scoto in 3. diſt. 13. nam nequit Deus ſua abſoluta potentia amplius facere, nec opus ſupernaturale ſpectãs ad eſſe primum intellectualis naturæ melius opere Incarnationis, quod factum eſt, cum in rebus per tempus ortis ſumma gratia ſit hominem fieri Deum D. Auguſtinus 13. de Trin. Cap. 19.

12. Nec etiam aliud opus gratię ſpectans ad eſſe ſecundum, ſcilicet ad operari eiuſdem intellectualis creaturæ; in qua reperitur ſumma gratia habitualis, ſummum lumen gloriæ, ſumma viſio, & fruitio beatifica vltimi finis; Dixi eſſentialiter; nam accidentaliter non negamus poſſe Deum facere meliora opera gratiæ, tam intenſiue infra opus ſummum (poteſt enim creare alias creaturas intellectuales habentes actus, & habitus ſupernaturales gratiæ, & gloriæ intenſiores, quam habent de facto Angeli, & homines puri, qui creati ſunt) quam etiam extenſiue, quia poteſt abſoluta ſua potentia alias quam plures vniones hypoſtaticas efficere in natura intellectuali, atque adeo communicare poteſt alios plures habitus ſupernaturales ſummos; & ſummos actus beatificos non habentes ordinem eſſentialem ad inuicem, ita Scotus in Reportatis lib. 1. diſt. 44. q. 2.

13. Poteſt Deus alios mundos iſto iam facto eſſentialiter meliores efficere, quia entia poſſibilia, quæ diuinus intellectus actu intelligit ex Scoto in 1. diſt. 2. q. 1. ſunt numero actu infinita, ſed non implicat in illo numero actu infinito poſſibilium rerum contineri plures mundos iſto iam facto eſſentialiter meliores ſpecie ab iſto differentes ſecundum partes eſſentiales, ergo verè poteſt Deus ſua abſoluta potentia alios orbes iſto iam facto eſſentialiter meliores cauſare, non tamen infinitos; alias ſpecies rerum in eis forent actualiter infinitę; ſed implicat manifeſtè in perfectione eſſentiali non dari ſtatum, vt Scotus docet in 3. diſt. 13. q. 2. cum omnes creaturæ tam factæ, quam futuræ ſint eſſentialiter limitatæ, & finitæ. Hinc optime monuit Scotus q. 3. Prol. ſcibilia ſpecifica non eſſe actu infinita. Conceditur tamen poſſe Deum creare infinitos mundos eſſentialiter eiuſdem rationis, & accidentaliter tantum in ſe differentes, nam poſſibilia, quæ Deus cognoſcit, ſimul ſunt actu infinita. Quare Deus certe ſimul cognoſcit mundos infinitos eiuſdem rationis accidentaliter tantum inter ſe,

& ab iſto iam facto differentes, ergo voluntas diuina poteſt infinitos mundos creare accidentaliter differentes; quia intellectus, & voluntas diuina ſunt æqualiter potentię infinitę in operando.

14 Ex hoc colligitur potuiſſe Deum hunc mundum meliorem facere non quidem ſecundus ſuas partes eſsentiales, & eſsentialiter ſecundum Doctorem ſubtilem in 1. diſt. 35. & 38. vbi docet cum D. Auguſtino lib. 83. quæſtionum q. 46. Ideas eſse formas, & rationes æternas operatrices, ſecundum quas Deus ad extra operatur, ergo de facto ita ſecũdum quidditates proprias res fecit, ſicut in ſe ipſis poſſibiles erant, & proinde eas non poterat facere meliores in eſſentia; quoniam rerum eſſentiæ poſitæ ſunt in indiuiſibili, vt nequeant eſsentialiter mutari, ſed tantum accidentaliter meliorari in Reportatis lib. 1. q 44. q. 2. vbi monet Scotus iſtis corporibus veriſimiliter Deum non dediſse tantam perfectionem intenſiue in ſuis accidentibus quantum potuit, nec in claritate, nec in limpiditate, nec in ſubtibilitate, nec etiam proinde tantam eis dediſse perfectionem extenſiue in ſuis actibus; quare & ſi cœleſtia corpora non recipiant peregrinas impreſſiones corruptiuas, ſicut poſuit Auerroes; poſsunt tamen recipere peregrinas perfectiones, ergo reuera potuit Deus accidentaliter ſaltem facere multa meliora.

15 Quandoquidem in ſuperioribus facta ſit frequens mentio duplicis potentiæ in Deo abſolutæ, & ordinatæ non erit inutile eam declarare, quæ declaratio quattuor modis fieri poteſt; Primus eſſe poteſt talis, vt potentia ordinata ea ſit, qua Deus in tempore tantum faciat, quæ ab æterno agere decreuit, abſoluta vero illa, qua in tempore efficiat, vel efficere poſſit, quæ ab æterno efficere non decreuit, quem dicendi morem amplecti poſſent, qui opinantur Deum valere in tempore prædeſtinare, quem ab æterno non prędeſtinauit, ac proinde generatim velle, quæ ab æterno noluit; ſecundus modus eſt, quo potentia ordinata ea dicitur, quæ exequitur ... voluntatis iuſtæ imperium, eoque determinatur, abſoluta vero, quæ ſecundum ſe naturaliter conuenit Deo, voluntatis imperio nunquam determinata, itavt abſoluta dicatur, quatenus à voluntatis determinatione ſoluta; iuxta quem dicendi modum ordinata potentia Deus dicitur poſſe facere, quæ ſuppoſito ſuæ voluntatis decreto tantum facere poteſt, abſoluta vero, quæ potentia ſua ſecundum ſe non obligata decreto etiam facere poſſet; quem modum ſequuntur Thomiſtæ omnes dicentes potentiam, qua Deus phyſice agit extra ſe immediate eſſe ſuam eſſentiam præciſe, quæ regulariter operatur per intellectum tanquam per actionem dirigentem, & per voluntatem tanquam per actionem applicantem, ſeu determinantem, quare cum de facto ita operetur, dicitur potentia ordinata, dum vero agit ſine tali directione, & determinatione vtitur potentia abſoluta.

16 Tertius modus, ſecundum quem comparatione rerum, circa quas Deus nullam legem hominibus promulgauit ita explicatur, vt ordinata potentia ſit, quę decreto voluntatis Dei determinata eſt; abſoluta quæ ex ſe conſideratur, nec alligata, nec directa definitione ſuæ voluntatis, ſed iſte modus videtur coincidere cum antecedenti; quartus modus aſſignat potentiam ordinatam, qua Deus in eſse reali per ſuam voluntatem producit etiam per actum volendi, ſeu operandi tanquam per effectum præuium, quo Deus ſuam voluntatem determinat ad ſic producendum, ſup-

po-

ponendo voluntatem eſse ex natura rei operatiuam,& productiuam ea lege, vt prius naturaliter ſit operatiua, quam productiua per actus alterius rationis ex natura rei diſtinctos, & neceſſario ſubordinatos; potentiam vero abſolutam eam vocat, qua Deus ſua voluntate omnino immediatè aliquid in eſſe reali producere poteſt, nulla preintellecta in eo volitione operatiua, qua prius producere velit, & qua eius voluntas ad producendum determinetur.

17 Hos omnes dicendi modos reiecit Scotus,& quidem primum recte improbauit in p. diſt. 45. q. vnica oſtendens voluntatem diuinam non poſſe eſſe principium volendi aliquid ex tempore, cum id ſine reali mutatione ſuæ voluntatis fieri nequeat; ſuæ voluntatis; ſecundum, & tertium reprobauit in 4. diſt. 1. queſt. 1. vbi probat perſonam diuinam nihil poſſe, neque ad intra, neque ad extra producere immediate eſſentia ſua, ſine actibus iſtarum potentiarum intellectus, & voluntatis, quod etiam repetit quolibet. 14. Vltimum etiam modum reprobauit ibidem, vbi ex neceſſitate rei ſimpliciter monet actum operatiuum diuinæ voluntatis comparatione rerum poſſibilium præcedere actum productiuum earum in eſſe reali, non tantum primitate naturæ, ſed etiam anteceſſionis æternitatis ad tempus; Hinc recte ipſe Scotus monuit in p. diſt. 2. q. 7. in diuinis actum operatiuũ naturaliter precedere actum productiuum comparatione vtriuſque obiecti primarij, & ſecundarij, & clarius in ſecundo diſt. 1. q. 1. & quolib. 14. Quare ſicut voluntas diuina naturali neceſſitate prius eſt volitiua alicuius poſſibilis, quam productiua eiuſdem in actuali exiſtentia; ita naturali neceſſitate actus volendi præcedit actum producendi quẽcumque effectum in tempore.

18 Abſoluta, & ordinata potentia vere reperitur in Deo, quatenus præciſe abſoluta ſua libertate agere poteſt præter, vel contra leges ab ipſamet voluntate in quocumque rerum ordine, ſiue naturæ, ſiue gratiæ poſitas, & conſequenter præter, vel contra iudicia particularia ex illis legibus educta; Et è contrario ſecundum conformitatem, tam ad leges illas, quam ſecundum Iudicia in quocumque caſu particulari ex illis legibus illata, quia leges generales recte dictantes de operabilibus præciſe à voluntate diuina præfixe ſunt, quia eſt infallibilis regula ſui in producendo, & non ab intellectu; vt ſæpe alibi viſum eſt, quatenus præcedit actũ voluntatis, tum quia ſi in his legibus omnis finalis peccator damnabitur, omniſque finaliter iuſtus ſaluabitur ante omnem diuinæ voluntatis deliberationem eſſet determinata rectitudo ſanè neceſſario ex terminis eſſent veræ, ita vt Deus ex eſſentiali ſua rectitudine neceſſario ſimpliciter illis ſe teneretur conformare, quod eſt error, quia non eſſet ſimpliciter Dominus gloriæ; tum etiam, quia periret omnis libertas diuinæ voluntatis.

19 Manifeſta eſt contradictio diuinam omnipotentiam creaturis communicari, vt nec proinde abſolute poſſit Deus eis illam vere tribuere, eſt Scoti in 3. diſt. 16. q. 1. ad principale, nam omnipotentia eſt prædicatum illimitatum ſimpliciter ponens non eſse creaturæ, ergo abſolute implicat contradictionem illi communicari, probatur antecedens omnipotentia eſſentialiter imbibit infinitatem ſaltem extenſiuam comparatione omnis entis poſſibilis, quod efficere poteſt, ſed infinitas extenſiua ad agendum neceſſario radicatur ſupra infinitatem intenſiuam, non enim poteſt ſe extẽdere ſimul ad infinitos effectus poſſibiles, niſi in ſe virtutẽ

ha-

Digitized by Google

habeat infinitatem qua virtualiter eos contineat, & infinitas eſſentialiter inuoluit, vel ſaltem connotat neceſſario negationem eſſendi ab alio, ergo implicat contradictionem agens eſſe creatum & habere à ſe virtutem infinitam agendi; prætere a omnipotentia quoad ſuam formalitatem infinitam, & quoad ſuum modum operandi, producendi nimirum res ex nihilo eſt attributum, & proprietas diuina, ergo creaturæ non poteſt conuenire, ſicut riſibilitas eſt proprietas hominis, quæ licet non ſit de eſſentia ipſius, eſt tamen ei eſſentialis ſecũdum Doctorem ſubtilem 7. Metaph. ideo Bruto conuenire nequit.

De Iuſtitia, & Miſericordia Dei. Art. X.

1 QValis iuſtitia reperiatur in Deo colligendum eſt ex ea, quæ reperitur in creaturis rationabilibus, notandum eſt igitur iuſtitiam in tota ſua generalitate multipliciter diuidi poſſe, primo in habitualem, & actualem, ex Scoto in 4. diſt. 14. q. 1. prior dici poteſt rectitudo habitualis, quæ inexiſtens voluntati eam inclinat ad recte agendum, vel ſecundum ſuam naturalitatem, ſeu inclinationem, & conformitatem propriam, quatenus ſuapte natura regulatur immediate à ſuo proprio obiecto naturali, a quo menſuratur, vel ab eius dictamine extrinſeco rectæ rationis dictante modum operandi cum omnibus debitis circumſtãtijs iuxta exigentiam obiecti operabilis, à quo principiatiue omnis rectitudo determinata in ipſa ratione originatur; Poſterior eſt rectitudo debita intelle-ctui elicito, aut formaliter ſecundum inclinationem intrinſecam ſui habitus inclinantis ad ſic recte agendum, vt ſupra, & vtraque prædicta iuſtitia eſt quadruplex naturalis, originalis, ſupernaturalis, & moralis, iuſtitia naturalis eſt naturalis rectitudo, vel libertas innata ipſi volũtati, hoc eſt naturalis eius propenſio ad ſummum bonum, in qua neceſſum eſt voluntatem Dei fieri, quæ propterea per peccatum corrumpi non poteſt.

2 Iuſtitia originalis eſt donum quoddam ſupernaturale infuſum voluntati, aptum habere hunc effectum, ſcilicet facere perfectam trãquillitatem in animum quantum ad omnes eius potentias; & conſiſtit in perfecta obedientia habituali, & actuali omnis appetitus ſenſitiui inferioris ex parte ſui, vt delectabiliter rationi obediat, & ipſa ratio etiam Deo delectabiliter obtemperet; Hinc patet vehementer decipi illos, qui ſuſpicati ſunt iuſtitiam originalem omnino reciprocari cum iuſtitia naturali, cum hæc nihil ſit à natura realiter diſtinctum, illa autem aliquid ipſi ſuperadditum, & ab ipſa prorſus ſeparabile; ſimiliter ſunt decepti opinantes originalem, & ſupernaturalem coincidere; Hæc ex Scoto in 2. diſt. 20. qu. vnica. Iuſtitia ſupernaturalis vocatur à Doctore ſubtili in 4. diſt. 14. q. 1. Charitas, & gratia, quæ idem ſunt, ſed functione diuerſæ, Charitas quatenus reddit iuſto Deum Carum, gratia vero quatenus eum iuſtificat, eumque reddit Deo gratum, diciturque ſupernaturalis non modo ex hac parte, quia ſuapte natura à Deo infunditur tanquam ab Auctore gratiæ agente omnino ſupra exigentiam naturæ, ſiquidem etiam iuſtitia originalis ex hac parte ſupernaturalis appellatur, ſed peculiariter dicitur ſupernaturalis ex 2. diſt. 26. ad quartum quatenus eſt principium merendi, & coniungit fini ſupernaturali tanquã ſummo bono in via per meritum, & in patria per præmium.

3 Iuſtitia moralis eſt virtus moralis vo-

voluntatem ſeu appetitum rationalem perficiens circa appetibilia in ordine ad aliud, vel ſimpliciter, vel ad ſe tanquam ad aliud; vel eſt habitus electiuus inclinans appetitum rationalem, vt ordinate ſe habeat circa alterum; vel circa ſe quaſi alterum ex Scoto in 4. diſt. 14. q. 2. Diuiditur iuſtitia moralis in vniuerſalem, ſiue legalem reſpicientem totam comunitatem, cui reddendum eſt, quod ei iuſte debetur ex legis neceſſitate, & dicitur quaſi vniuerſalis ad alterum etiã comparatione legiſlatoris, vel legis, & in particularem reſpicientem rectitudinem ad alterum in caſu particulari ſecundum iudicium determinatum, deductum practice ex lege vniuerſali per diſcurſum ſilogiſticum. Quod vt clarius percipiatur: notandum eſt ex Scoto in primo diſt. 44. duobus modis aliquid poſſe ordinate fieri ſecundum regulam iuſtitiæ, vno modo ordine vniuerſali pertinente ad legem communem, quemadmodum ordinatum eſt ſecundum communem legem omnẽ finaliter peccaturum eſſe damnandum, ſicut ſi Rex ſtatueret omnem homicidam moriturum. Secundo modo ordine particulari in caſu, etiam ſingulari ad quem non pertinet lex, cum lex ſit tantum de cauſis vniuerſalibus.

4 Quemadmodum in ſpeculabilibus de particularibus non datur ſcientia per ſe primo, ſed tantum ſecundario, quatenus particularia deducuntur ex terminis vniuerſalibus ſilogiſtice, ita de particularibus non datur lex in moralibus, ſed iudicium ſecundum legem, veluti eſt concluſio legis ſilogiſticè deducta ex lege vniuerſali ſingulariter dicta de caſibus ſingularibus, vt quod Iudas finaliter damnetur, vel hic homicida moriatur; & hæc iuſtitia particularis duplex eſt, ſcilicet commutatiua, & diſtributiua, commutatiua reſpicit per ſe in obiecto ſuo æqualitatem quantitatis ſecundum datum & acceptum; Diſtributiua etiam in ſuo obiecto per ſe poſtulat æqualitatem alterius rationis ſcilicet ſecundum proportionem; duplex eſt enim æqualitas altera arithmetica, quæ eſt ſecundum æqualitatem rei cum alia in ratione dati, & accepti; Altera dicitur geometrica, quæ fit non ſecundum æqualitatem rei cum re, ſed vnius proportionis inter duas res, hoc eſt perſonas cum proportione aliarum rerum; Iuſtitia diſtributiua, quæ eſt dictatiua ſecundum regulam ad alterum eſt duplex alia præmiatiua, & alia punitiua, & ambæ iſtæ dictant ſecundũ æqualitatem geometricam, illa dictando ſecundum proportionem meritorũ eſſe alteri diſtribuenda præmia, & alia ſecundum proportionem demeritorum infligendas pœnas, iuxta illud Apocalip. 18. quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tãtum date ei tormentum, & luctum, & in Deuter. 25. & pro menſura peccati erit, & plagarum modus.

5 Hæc iuſtitia diſtributiua, punitiua eſt duplex, alia eſt ad alterum, alia eſt ad ſe, quaſi ad alterum, prima reperitur in Principe, qui ſecundum iudicium legis applicat pęnas malefactoribus ſecundum proportionem criminum, & flagitiorum; ſecunda reperitur in aliquo, qui proprium demeritum punit, & vindicat æqualitate geometrica, ſicque reſpicit ſe ipſum, quaſi alterum à ſe diſtinctum; vt Scotus erudite docet in 4. diſt. 14. q. 2. actum pœnitendi, quo peccator in ſe punit commiſſam culpã eſſe actum virtutis iuſtitiæ diſtributiuæ punitiuæ; propterea quod eodem modo quilibet poteſt ſecundum rectam rationem prædictum actum ex iuſtitia punitiua exercere, ſicut in alterum ſimpliciter tanquam Iudex, vel Miniſter iuſtitiæ, ita eodem modo in ſe ipſum, non vt in ſe præciſe, ſed vt in alterum; Si quidem eum in ſe non exerceret, niſi

in quantum ſibi committitur à Legiſlatore in omnem reum ex iuſtitia vindicare commiſſam culpam; accidere autem poteſt, quod iſte, cui committitur vt Miniſtro Iudicis, & iuſtitiæ ſit etiam reus, ideo eodem modo exerceret ſecundum rectam rationem actum Miniſtri in Deum, ſi eſſet omnino alius in perſona, ſicut non erat alius; Ideoque actus prædictus, quo quis punit in ſe culpam commiſſam hac ratione præciſe dicitur actus iuſtitiæ punitiuæ, quia à Deo ſummo omnium legiſlatore cuilibet commiſſum eſt tanquam ſuo Miniſtro in ſe vindicare culpam, atque adeo recte dictum eſt iuſtitiam punitiuam eſſe virtutem ordinatiuam, & regulatiuam ad alterũ, vel ſimpliciter, vel quaſi ad alterum. Sed de hac iuſtitię morali diffuſus erit ſermo in quinto libro.

6 Iuſtitia moralis vere, & proprie, & ſecundum ſuam formalitatem reperitur in Deo ſecundum eius conceptum formalem conſiderata, quo eſſentialiter præſcindit ab omni imperfectione, quam contrahit in creatis rebus, quatenus in eis participata, finita, & limitata dicitur, ex Scoto 3. diſt. 33. & 4. diſt. 46. q. 1. & ratio eſt quia iuſtitia eſt perfectio ſimpliciter, cum melius ſit in quolibet ſuppoſito ſub ente non determinando naturam, eam eſſe quam non eſse, hoc eſt quam incompoſſibile contrarie oppoſitum illi; Iam vero in Deo, cum ſit ſimpliciter ſumme perfectus perfectiones omnes ſimpliciter formaliter dari neceſſum eſt, alioquin eiuſmodi perfectio ſimpliciter in nullo in rerum natura perfectè daretur ſi in Deo formaliter non inueniretur ex 1. diſt. 8. q. 4. non enim perfectio ſimpliciter in creaturis reperiri poteſt, cum in eis ſit finita, & limitata. Hæc tamen iuſtitia moralis non eſt in diuina voluntate vere, & propriè ponenda comparatione creaturarum ab ipſa voluntate formaliter diſtincta tanquam eius regula; ſed talis iuſtitia earum comparatione eſt ipſamet voluntas formaliſſime accepta ſub ratione primæ regulæ ſe ipſam determinantis ex Scoto in 4. diſt. 46. q. 1. nam iuſtitia eſt habitus inclinans potẽtiam per modum naturæ, ita determinatæ ad vnum, vt exinde repugnet potentiæ habituatæ per prædictum habitum tendere recte in oppoſitum; at ad nullum obiectum ſecundarium, ita determinate inclinatur diuina voluntas per aliquid in ipſa, quod ſibi repugnet iuſte inclinare in oppoſitum illius; ſicut enim abſque contradictione oppoſitum velle poteſt; ita poteſt iuſte velle, alioquin velle poſſet abſolute oppoſitum, ſed non iuſte, quod eſt inconueniens, ergo nulla eſt in diuina voluntate iuſtitia à parte rei tanquam eius regula comparatione creaturarum.

7 Confirmatur volũtas diuina comparatione rerum cõtingentium eſt ſuapte natura omnium regula ex Doctore ſubtili in 1. diſt. 38. & 39 cum ex illius libertate omnis pendeat determinata agibilium, & factibilium futuritio, ſed ſi in ea à parte rei poneretur iuſtitia reſpiciens debitum creatis rebus ſoluendum, vt ſeruetur vera æqualitas non foret diuina voluntas regula, ſed potius regulata, ergo iuſtitia in Deo ad extra eſt formaliſſime ipſamet voluntas ſub ratione, primæ regulæ ſe ipſam determinantis, regulantis & dirigentis; Vera, & propria ratio iuſtitiæ ſimpliciter accepta ſecũdum formalem eius rationem eſt ponenda in diuina voluntate tanquam perfectio ſimpliciter, formaliter ex natura rei ab ea diſtincta veluti principium iuſte operandi reſpiciens debitum diuinæ eſsentiæ, diuiniſque Perſonis tanquam alteri neceſsario ſimpliciter ſoluendum neceſſitate legis, vt in actibus ad intra, ſeruetur omnimoda æqualitas ex Scoto in 3. diſt. 33. & 4. diſt.

Digitized by Google

diſt. 46. q. 1. ad ſecundum principale, probatur prima pars iuſtitia cum ſit perfectio ſimpliciter ſecundum formalem eius rationem nullam inuoluit imperfectionem ratione ſui non accidentalitatem, vt ſit per modum partis, vel formæ informantis, nec ratione ſubiecti, vt dicat ordinem ad voluntatem regulabilem, nec reſpicit aliquem exceſsum in paſsione moderandum, ſed tantum formaliſsime includit rationem principii iuſte operandi ſecundum debitum alteri neceſſario ſoluendum, vt ſeruetur æqualitas, ergo nullo modo negari poteſt in Deo, qui eſt pelagus omnium perfectionum ſimpliciter.

6 Secunda pars patet 1. diſt. 8. q. 4. omnia enim attributa ſecundum eſſe formale reperiuntur in diuina eſſentia tanquam formalitates ab ea ex natura rei diſtinctæ, cum eiuſmodi diſtinctio nullam dicat compoſitionem, tum propter radicalem infinitatem eſsentiæ diuinæ; tum etiam propter propriam, & formalem infinitatem attributorum, ſed iuſtitia vere numeratur inter attributa diuina cum ſit perfectio ſimpliciter, ergo eſt perfectio aliqua realis ſimpliciter diſtincta à voluntate diuina. Tertia pars probatur ex Scoto in 4. diſt. 46. q. 1. nam ante omnem diuinæ voluntatis determinationem vere, & proprie in diuino intellectu reperiuntur aliqua principia practica ad praxim rectam ordinata neceſſario, & determinate vera per modum legis vltimatæ oſtendentia debitum neceſsario ſoluendum à diuina voluntate, vt omninoda ſeruetur æqualitas v. g. eſsentia diuina eſt ſummum bonum neceſsario ſuper omnia diligendum, & alteri idem numero communicandum per generationem, & ſpirationem; at in diuina voluntate formaliter ex propria eius natura formalis rectitudo reperitur, ſecundum quam neceſſario ſeipſam determinat ad operandum ad intra, iuxta prædicta principia cum perfectiſsima conformitate, ergo vera ratio iuſtitiæ ad intra in diuina voluntate reperitur tanquam recta ratio reſpiciens, debitum ſimpliciter eſsentiæ diuinæ, diuiniſque Perſonis neceſsario ex lege ſoluendum.

7 Vnica tantum reperitur in Deo iuſtitia re, & ratione, tum formaliter, tum obiectiuè; prima pars probatur; nequit formaliter iuſtitia multiplicari obiectiue non poteſt; Habitus namque ſiue ſpeculatiui, ſiue practici, ſiue intellectuales, ſiue appetitiui non multiplicantur, niſi multiplicatis eorum obiectis, ad quæ determinate inclinant, ſed obiectum diuinæ iuſtitiæ, quod eſt debitum ſoluendum diuinæ bonitati non multiplicatur, ergo eſt vnica iuſtitia; ſecunda pars etiam probatur; ſecundum rationem; ſiue obiectiue non multiplicatur habitus, niſi multiplicatis obiectis formalibus determinate veris, ſed vnicum tantum obiectum reſpicit iuſtitia in Deo, ſicuti eſt debitum ſimpliciter reddendum bonitati diuinæ, ergo vnica omni modo eſt iuſtitia in Deo; Qua unitate ſuppoſita conceditur huiuſmodi iuſtitiam recte appellari poſse multiplicem, atque vniuerſalem radicaliter ſeu virtualiter ex Scoto in 4. diſt. 46. q. 1; primo enim dicitur vniuerſalis iuſtitia Dei, quia reſpicit bonum publicum quod eſt bonum diuinum eminēter multiplex; Rurſus reſpicit multa iuſta ſecundaria creaturis ſaltem ſecundum quid debita; tandem ab eſse participant tanquam à iuſtitia per eſsentiam omnes iuſtitiæ particulares formaliter repertæ in creatis rebus, ergo negari nequit iuſtitiam Dei dici vniuerſalem, & multiplicem ſaltem radicaliter.

8 Iuſtitia in Deo ad ſe ipſum vere, & proprie reperta quaſi ad alterum recta ratione, tam ſpecialis quam legalis,

Digitized by Google

ſeu generalis appellari poteſt, nam iuſtitia ſecundum propriam, & peculiarem rationem eſsentialiter reſpicit æqualitatem in rebus omnibus ſeruandam; iam vero in Deo (vt probatum eſt) vere, & proprie reperitur iuſtitia, cum ſit perfectio ſimpliciter, cum ergo in Deo excogitari nequeat ſimpliciter æqualitas, niſi ad ſe ipſum quaſi ad alterum, conſequens eſt vere Deum exercere iuſtitiam cum ſeipſo præſertim vero legalem ſoluendo debitum bonitati ſuæ tanquam bono communi communitate eminentiæ plus ſe ipſum diligendo, quam omnia creata; ſicuti etiam vere exercet iuſtitiam ſpecialem diligendo ſe ipſum abſolutè tanquam bonum formaliter ſingulariſsimum, atque adeo vera iuſtitia in Deo ad ſe ipſum appellatur legalis, & ſpecialis, quatenus reſpicit debitum ſoluendum ſuæ bonitati tanquam communitati, & tanquam rei ſingulariſsimæ.

9 In Deo non reperitur vera, & propria iuſtitia ſimpliciter dicta comparatione creaturarum, quæ in actu primo, quaſi habitualiter inexiſtat diuinæ voluntati determinate inclinans ad reddẽdum debitum aliquod creaturis ſimpliciter ex earum exigentia ortum ex Doctore ſubtili in 4. diſt. 46. q. 1. nam iuſtitia proprie, & ſimpliciter accepta per modum naturæ reſpicit debitum alteri neceſsario ſoluendum ex neceſſitate legis, cui iuſtus neceſsario ſubijciatur, ſed in diuinis comparatione creaturarum nulla eſt lex, cui Deus neceſſario ſubijciatur dictans ſic determinate agendum ſecundum inclinationem iuſtitiæ per modum naturæ ad debitum ſoluendum ex naturali earum exigentia exortum; quia nihil eſt determinate iuſtum extra Deum, cum omnis determinatio in rebus pendeat ex libera voluntate diuina, ſecundo, quia Deus ex natura rei non eſt ſimpliciter debitor creaturæ, vt ſimpliciter teneatur illi aliquid ſoluere, quatenus ita exigit ſua natura, ergo in Deo iuſtitia ſimpliciter, & proprie dicta comparatione creaturarum reperiri nequit.

10 Conceditur tamen Deum veram, & propriam rationem iuſtitiæ exercere tantum cum creaturis, quatenus de facto operatur ſecundum exigentiam earum ſoluendo vnicuique debitum non quidem ſimpliciter ex naturis earum exortum, ſed ex legibus voluntarie præfixis à voluntate ſua, & ideo in eo comparatione illarum dicitur reperiri iuſtitiam ſecundum quid, ſiue modum quendam propriæ & veræ iuſtitiæ quæ inducit debitum alteri ſoluendum neceſsario ſecundum iuſtum, quod in illo habet ex neceſſitate legum prædictarum ex 4. diſt. 46. q. 1. Hoc ſenſu verum, eſt illud Pſ. 43 iuſtitia plena eſt dextera tua, & aliud Pauli Hæbr. 6. non eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri. Similiter comparatione earundem creaturarum in Deo non poteſt reperiri propria & formalis iuſtitia commutatiua quę ſimpliciter eum obliget ad ſeruandam æqualitatem ſecundum naturam dati, & accepti ex debito ex natura rei ſimpliciter exorto ex Scoto loco ſępe citato, nam Deus nihil vere à Creaturis recipit, ex cuius natura oriatur debitum ſimpliciter retribuendi æquale iuxta quantitatem ſecundum ius aquiſitum; Nec cum liberaliter retribuit iuxta id, quod moraliter recepit ſeruat omnimodam æqualitatem, immo nulla excogitari poteſt æqualitas, neque ſecundum quantitatem, neque ſecundum æquiualentiam fauoris inter honorem, quem moraliter recipit ex cultu illi debite exhibito, & bonum, quod ipſis retribuit, ergo nulla eſse poteſt vera iuſtitia commutatiua in Deo comparatione creaturarum; ſed tantum exercet

cum

Digitized by Google

cum eis aliqualem rationem illius ſecundum leges præfixas præciſe à libertate, & liberalitate eius; Immo nequit adhoc obligari, nec ſimpliciter ad ſeruandam æqualitatem, neque ſecundum quantitatem dati, & accepti in propria ſpecie, neque ſecundum valorem & eſtimationem, quia præmiando vere præmiat vltra, & puniendo vere punit citra condignum, quia ſicut inter Deum, & creaturam nulla datur proportio, ita nulla datur æqualitas.

11 Quod dictum eſt de iuſtitia commutatiua dicendum eſt etiam de diſtributiua; & aſserendum iuſtitiam, quæ eſt in Deo ſimpliciter à parte rei habitualiter inexiſtentem diuinæ voluntati non recte appellari veram, & propriam diſtributiuam comparatione creaturarum, quaſi per modum naturæ eam inclinet ad debitum ſeruandum cum eis, nec in communicando eis perfectiones naturales, quas naturaliter exigunt, nec perfectiones ſupernaturales, ad quas rationales creaturæ naturaliter propenſæ ſunt ex Scoto in 4. diſt. 46. q. 1. Prima pars probatur. Eſto quęlibet creatura naturaliter exigat perfectiones quaſdam ſecundarias ſuperadditas, vt ignis caliditatem, aqua frigiditatem; ſubſtantia materialis quantitatem, ac proinde modum eſsendi quātitatiuum in ordine ad locum conuenientem; iſta tamen exigentia nec ponit ius ſimpliciter in creaturis ad perfectiones illas ſibi communicandas, nec debitum ſimpliciter ex parte Dei totius naturæ Auctoris ad perfectiones illas retribuendas, cum per abſolutam potentiam eius poſſit etiam iuſte fieri oppoſitum; Hac etiam immo potiori ratione probatur ſecunda pars; licet enim naturalis inclinatio ad gratiam ad gloriam, & ad alias ſupernaturales perfectiones ius quoddam naturale conſtituat in rationabilibus creaturis ſecundum congruentiam, ſeu exigentiam naturę, vt à Deo recipiant perfectiones illas, tum quia illud ius eſt tantum ſecundum quid, hoc eſt, quantum eſse poteſt ex parte creaturę non vero ſimpliciter ſecundum determinationem in ordine ad condecentiā diuinę bonitatis. Ideoque non conſtituit in Deo naturaliter iuſtitiam diſtributiuam per modum naturę, vel ſecundum aliquam neceſſitatem inclinantem Deum ad perfectiones illas communicandas; cum etiam abſolute potuiſset ab ęterno rationales creaturas in tempore velle creare, eaſque non ordinare efficaciter ad finem ſupernaturalem; eſt enim dominus ſuę glorię, ſicut docet ſcriptura, ergo non eſt, cur Deo tribuamus à parte rei ſimpliciter iuſtitiam diſtributiuam ſecundum propriam, & formalem eius rationem comparatione creaturarum.

12 Relinquitur ergo dicendum eam iuſtitiam, quę eſt in Deo ſimpliciter ex natura rei ex liberalitate tātum ſuę voluntatis ſecundum leges ab eo pręfixas eum inclinare ad exercendam de facto veram, & propriam rationem iuſtitię diſtributiuę cum omnibus creaturis, ut Auctor naturę totius, communicando eis naturales perfectiones ſuperadditas naturis earum eiſque commenſuratas; & ideo modo prędicto vere, & proprie reperiri in ipſo Deo eiuſmodi iuſtitiam comparatione omnium creaturarum in quantum ſpectāt ad totum vniuerſum, ſcilicet ex parte obiecti quantum ad ęqualitatem proportionis; Statuit enim Deus ita creare creaturas, vt ſuo diuino concurſu, & communicatione talium ſecundarum perfectionum, conſeruari, & ſuas naturales actiones exercere poſſint; Pari modo vere exercere dicitur Deus ſimpliciter rationem formalem iuſtitię diſtributiuę, vt Auctor gratię communicando rationabilibus creaturis ſecundum exigentiam, vniuſ-

cuiuſcumque ſtatus illam iuſtitiam ſecundum diuerſitatem meritorum, nam perfectiſſima iuſtitia diſtributiua eſt, quæ conſtituit perfectam æqualitatem ſecundum proportionem ad perſonas ſecundum earum dignitates, & condiciones in diſtributione communis boni eis debiti, quatenus ſunt partes alicuius reipublicæ, ad quam ſpectat illud bonum; ſed Deus iuxta leges à ſua voluntate præfixas gloriam, quæ eſt quoddam bonum ſupernaturale commune omnibus prædeſtinatis tanquam partibus triumphantis Eccleſiæ diſtribuit ſecundum diuerſitatem graduum prædeſtinatorum ex diuerſa meritorum diſpoſitione prouenientium ex Scoto in 4. diſt. 50. Promeritorum enim diuerſitate conſtituuntur prædeſtinati in illa ſancta Ciuitate in diuerſis gradibus dignitatis, iuxta illud Saluatoris apud Io. 14. in domo Patris mei manſiones multæ ſunt, iſta vero diuerſitas manſionum fundat æqualitatem proportionis inter Beatos, iuxta illud D. Pauli Roman. 2. reddet vnicuique iuxta opera ſua.

13 In punitione malorum Deus obiectiue tantum exercet aliqualem iuſtitiam commutatiuam, nam in actu vindicandi, ſeu puniendi malorum delicta vere, & proprie ſeruatur rectitudo ad alterum ſecundum æqualitatem quantitatis rei ad rem, ſcilicet pœnæ per modum ſatisfactionis ad culpam per modum offenſæ; quantum ſeruari poteſt; ſed hoc eſt præcipuum munus iuſtitiæ commutatiuæ, ergo actus puniendi delicta ex parte Dei vere, & proprie habet totam rectitudinem iuſtitiæ commutatiuæ ſaltem ſecundum æqualitatem quantitatis eo modo quo a creaturis exigi poteſt per Deum ſatisfactio iniuriæ ad æqualitatem; Hoc enim modo ſe tenet Deus ſatisfactus ex ſua liberalitate maiora non petendo; clara eſt conſequentia, quia cum Deus puniat citra condignum manifeſte modum punitionis non excedit quantitatem delicti cum iniuria delinquentis. Item in punitione malorum exercet Deus propriam, & formalem iuſtitiam diſtributiuam; nam iuſtitia diſtributiua eſt, quę reſpicit præmiationes, & punitiones iuſtas ſine aliqua perſonarum acceptione in ordine ad merita, & demerita earum in quantum ſunt partes vnius *Reipublicæ* per aggregationem, ſeruata proportione ad ſtatū, & dignitatem vniuſcuiuſque ex meritis, vel demeritis; at Deus in punitione malorum eiuſmodi ſeruat protionum, iuxta illud Apocalyp. 18. quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit tantum date illi tormentū, & luctum, ergo in eiuſmodi punitione veram, & formalem iuſtitiam diſtributiuam obiectiue exercet Deus; Confirmatur, Damnati vere ſpectant ad vnam Ciuitatem, & regnum *Diaboli*, ergo iuſta punitio ſuppliciorum vere, & proprie fit in partibus illius, iuxta delicta habita proportione ad gradum, & ſtatum vniuſcuiuſque ex demeritis exortum.

14 Tota pęna in damnatis formaliter ad quatuor triſtitias in genere reuocatur, duæ enim inſurgunt ex apprehenſione, & nolitione priuationis duplicis boni conuenietis, ſiue vtilis, ideſt æternæ fœlicitatis, ſiue Beatitudinis, & honeſti, quod eſt quicquid ſecundum rectum dictamen rectæ rationis propter ſe diligitur; Duæ aliæ ex illatione mali diſconuenientis ſcilicet ex perpetua detentione ignis tanquam definitiue locantis, & ex detentione ſimiliter intelligentiæ malorum in conſideratione ignis, vt obiecti perpetua, & intenſa; Has pęnas adæquate acceptas, tam ſecundum quatuor explicatas triſtitias, quam ſecundum earum cauſas vere Deus cauſat in malis & quidem conſtat de ipſis triſtitijs cum ſint effe-

ctus

Digitized by Google

ctus poſitiui; nihil enim obſtat quin à Deo effectiue eſſe poſſint; nam ab eo cauſantur poſitiue mediate mediatione cauſæ mediante ſcilicet apprehenſione obiecti noliti, ex cuius nolitione proxime oriuntur.

15 De duabus etiam earum cauſis ſcilicet de illis detentionibus ſecundum locum, & ſecundum intelligentiam per ignem non poteſt eſſe difficultas, quin ab eo ſint poſitiue, cum etiam ſint entia poſitiua, & conſequenter bona in genere entis, & etiam in genere moris; prima enim detentio localis eſt à Deo immediate ſaltem quatenus perpetua; Cum ignis eſto detineat malignos ſpiritus ſecundum locum quaſi formaliter non tamen locat eos effectiue, nec ſcilicet eos effectiue determinando ad tale vbi, nec prohibendo, quin moueātur ad aliud vbi, nec ſunt ipſi ſpiritus mali, qui ſic ſe locant effectiue ſaltem perpetuo, vt patet; Ideo neceſſarium eſt Deū eſſe cauſam immediatam detentionis illius definitiuæ, & perpetuæ; ſecundæ etiam detentionis ſcilicet intelligentiæ eorum in conſideratione intenſa, & perpetua ignis; Cauſa enim proxima partialis profecto eſt ignis, ſed Deus eſt reliqua cauſa immediata; quatenus contra eorumdem damnatorum voluntatem, ſic detinet eos in tali conſideratione vt ſupra.

16 Non eſt tamen aſſerendum eiuſmodi iuſtitiam, quam Deus exercet obiectiue in punitione malorum eſſe iuſtitiam punitiuam rigoroſe acceptam ex Doctore ſubtili in 4. diſt. 46. qu. 1, nam tam in præmiatione bonorum, quā in punitione malorum conſpicuum eſt Deum tantum ſeruare aliqualem ęqualitatem, qualis eſſe poſſit inter ſe, & creaturam ſecundum proportionem ſaltem inter Dominum, & ſervum repertam, ita vt ſicut decet hominem generoſum, & liberalem maius bonum reddere, & retribuere quam ſervus meteri poſſit; ita minus malum decet etiā ſuam liberalitatem infligere, quam ſervus etiam poſſit promereri, ergo punitio malorum nequaquam rigoroſa eſt ſecundum ſtrictam iuſtitiam punitiuā; ex dictis facile colligi poteſt comparatione creaturarum Deum obiectiue de facto exercere vtramq; iuſtitiam commutatiuam, & diſtributiuam non omnino ad æqualitatem meritorum, & demeritorum, ſed ad menſuram liberalitatis diuinæ.

17 Comparatione creaturarum in Deo vere, & proprie non reperitur aliqua iuſtitia legalis, quæ ex neceſſitate legis ipſum ſimpliciter obliget ad reddendum debitum alicui communitati creaturarum per aggregationem; nam nulla eſt Lex in Deo antecedens determinationem ſuæ voluntatis, quæ determinatè dictet aliquid eſſe reddendum creaturis in vniuerſitate ſua ſpectatis in quocumque ordine, tanquam iuſtum eis debitum ſecundum propriā vniuſcuiuſque exigentiam, cui Legi ac conſequenter eius Legislatori, quaſi alteri voluntas diuina ex ſua eſſentiali rectitudine ſimpliciter neceſſario concordaret, ergo legalis iuſtitia ſimpliciter accepta in ipſo Deo comparatione creaturarum conſtitui non poteſt; Verum eſt tamen ex liberalitate ſua tantum vere, & proprie eundem Deum exercere iuſtitiam legalem comparatione creaturarum, tam in ordine naturæ, quam gratiæ reddendo ex neceſſitate legis voluntatie præfixæ debitum communitati vtriuſque ordinis ex ipſis creaturis conſtitutæ per aggregationem. Nam ſicuti liberaliter Deus creauit res, ita liberaliter eas conſeruat miniſtrando illis debitum concurſum ex liberalitate ſua, & cooperando propter bonum publicum naturæ. Similiter in ordine gratiæ omnibus etiam rationabilibus

crea-

creaturis ſecundum leges à ſua ſapientia poſitas dicitur aſſiſtere omnes vocando ad fidem, omnes excitando, & præmouendo, omnes ad ſupernaturaliter operandum propter bonum publicum ſupernaturalis Regni, ergo ſatis clarum eſt Deum exercere veram iuſtitiam legalem comparatione creaturarum.

18 In Deo dari miſericordiam ſecundum propriam, & formalem rationem eius eſt pluſquam certum, ſicut clariſſime colligitur ex ſacra ſcriptura in qua ſępiſſime exaltatur miſericordia Dei ſuper omnia opera eius, cui etiam Scotus aſſentit in 4. d. 46. q. 2. pro clariori tamen huius rei notitia notandum eſt, Miſericordiam poſſe duobus modis accipi, vno modo quantum ad formale ſignificatum nominis, & ita iuxta Ethimologiam nominis, & vocabuli directe ſignificat quendam animi affectũ, ſeu paſſionem ſcilicet triſtitiam, ſeu diſplicentiam de alterius miſeria in quantum nolita, etenim nomen miſericordiæ à paſſione prædicta acceptum eſt principaliter; ſecundo modo accipitur pro voluntate, ſeu pro habitu eam inclinante ad nolendum alterius miſeriã, & conſequenter ad illam auferendam, vel ſubleuandam, vel ſaltem mitigandam, & hoc eſt vere, & proprie ſignificatum formale rei adæquatum; & hoc modo miſericordia reperitur in Deo; nam ratio formalis miſericordiæ quoad hoc ſignificatum nullam formaliter inuoluit imperfectionem; cum ita accepta prorſus præſcindat ab illa animi paſſione ſcilicet diſplicentia de alterius miſeria tantum impertans eſſentialiter rationem aliquam inclinantem voluntatem ad nolendam alterius miſeriam, vt ſcilicet totaliter auferat, vel partialiter mitiget, & ideo ſecundum ſe maximam dicit perfectionem, cum ſubuenire alterius indigentiæ communicando illi bona extrinſeca propria, non vt re habeat; nec vt prius beneficiatus opus ſit maxime condecens diuinam bonitatem, ergo neceſſario ratio formalis Miſericordiæ reperitur in Deo, iuxta proprium rei ſignificatum, conſequentia patet cum Deus ratione ſuæ infinitatis ſit pelagus omnium perfectionum ſimpliciter.

19 Miſericordia accepta ſecundum ſuam ſpecificam rationem eſt in Deo attributum formaliter ex natura rei diſtinctum à iuſtitia, quæ eſt in Deo ſimpliciter comparatione ſuæ bonitatis, nã illæ virtutes, ſeu perfectiones, quæ habent obiecta propria formaliter ex natura rei diſtincta etiam ex natura rei diſtinguntur, ſed iuſtitia reſpicit pro obiecto ſuo primario bonitatem diuinam; cui reddat debitum ſimpliciter inclinando voluntatem, vt ſumme eam diligat, & communicet; Miſericordia vero reſpicit determinatè, & proxime miſeriam creaturarum ſubleuandam, vel mitigandam præciſe ex benignitate miſerantis, ergo formaliter ex natura rei etiam diſtinguuntur tanquam duæ formalitates abſolutæ; ſi autem iuſtitia accipiatur etiam ſpecialiter, quatenus pręciſe ſecundum leges à diuina ſapientia præfixas inclinat ad reddendum debitum creaturis ex earum exigentia ortũ etiam miſericordia à parte rei diſtinguitur à iuſtitia; primo ex parte obiecti diſtinguuntur iuſtitia, & miſericordia, quia iuſtitia modo prædicto reſpicit iuſtum quod eſt in Creaturis, in exigentia naturali earum fundatum ſimpliciter per leges à diuina voluntate poſitas; miſericordia autem nude reſpicit miſeriã ſubleuandam ex mera benignitate miſerentis.

20 Rurſus diſtinguuntur etiam abſolute ſcilicet ſe ipſis intrinſece, quia Miſericordia ponit in Deo rationem aliquã formalem habitualiter inexiſtentem diui-

diuinæ voluntati ex natura rei, iuſtitia vero nihil præter leges à diuina voluntate præfixas. Si quis petat à Doctore ſubtili ſi eiuſmodi attributa miſericordia, & iuſtitia ſic à parte rei diſtinguntur, quem ordinem inter ſe ſeruabunt, quatenus voluntati diuinæ habitualiter inexiſtunt veluti duo principia recte operandi. Reſpondebit Scotus in 4. diſt. 46. q. 3. attributa hæc poſſe duobus modis ſpectari vno modo obiectiue quatenus reſpiciunt ſua propria obiecta formaliter, in quæ diuerſo modo tendunt, & ita iuſtitia eſt ſimpliciter prior miſericordia, ſicut obiectum illius, quod eſt condecentia diuinæ bonitatis, in quam tendit cum debito eam ſumme amandi, & ſumme communicandi eſt ſimpliciter prius obiecto ſpecifico miſericordiæ, quod eſt miſeria creaturarum ſubleuanda, vel mitiganda; Altero modo formaliter ſecundum ſuas rationes formales abſolutas quatenus intrinſece inexiſtunt ſimpliciſſimæ voluntati diuinæ, ſine aliqua compoſitione, & componibilitate; & ita nullum ſimpliciter habent inter ſe ordinem, niſi eo modo quo aliæ perfectiones ſimpliciter etiamſi identificatæ inter ſe formaliter ordinem habere in diuina eſſentia ponuntur ex hoc, quod vna prius realiter conciperetur in eſſe, ſi per impoſſibile eſſet inter ea diſtinctio realis eundem ordinem ſeruarent; iuſtitia autem eſt aliquo modo prior miſericordia ſecundum illud Anſelmi dicentis ex iuſtitia naſci miſericordia.

21 Vnica tantum miſericordia reperitur formaliter ſecundum rem, & ſecundũ realitatem ex natura rei in Deo accepta habitualiter in actu primo, quia realitas miſericordiæ, quæ voluntati diuinæ tanquam perfectio ſimpliciter ineſt, eſt in ſe omnino ſimpliciſſima vna non vnitate aggregationis, ſiue metaphiſicæ compoſitionis, ſicut in creaturis; ſed vna vnitate formaliſſime accepta, & cum ſit formaliter infinita ſecundum ſe per modum naturæ non modo determinate inclinat voluntatem diuinam ad ſubleuandam creaturam à quacumque miſeria in communi præſente, vel imminente, ſed etiam determinatè in particulari ab hac, vel illa cum determinatis circumſtantijs finis, temporis; loci & ſubiecti accepta; ergo ſecundum realitatem miſericordia habitualiter omnino vnica eſt: Sed actualiter accepta, quæ dicit actum ſecundum miſerendi realiter diſtinguitur à miſericordia habitualiter ſumpta, quæ in Deo duplex eſſe poteſt iuxta duplicem actum miſerendi conſideratum ſecundum diuerſam tendentiam diuinæ voluntatis in obiectum adæquatum miſericordiæ, quod eſt miſeriã creaturarum in communi ſubleuandam, iuxta condecentiam ſuæ bonitatis.

22 Prima pars probatur actualiter enim miſereri, ſeu miſeriam creaturarum ſubleuare dicit actum liberum diuinæ voluntatis non neceſſario illi conuenientem, ſicuti eo ineſt miſericordia habitualis, ergo cum abſolute poſſit actus miſerendi illi non ineſſe, certe à miſericordia habitualiter accepta, quæ ineſt ei neceſſario realiter diſtinguitur. Secunda pars etiam probatur diuerſa tendẽtia realis diuinæ voluntatis ex rectitudine miſericordiæ habitualis duobus modis tendit in miſeriam creaturarum ſubleuandam ſcilicet antecedenter, & conſequenter; ſicut enim per actum volendi duobus modis tendit in Beatitudinem omnibus communicandum ſcilicet voluntate antecedenti, ſecundum quam omnibus media ſufficientia ad illam obtinendam præparat; & voluntate conſequenti, ſeu efficaci, ſecundum quam prædeſtinatis illam infallibiliter exhibet; Ita pariter ſecundum

dum ſuam miſericordiam ex ſua ſumma libertate, & liberalitate duobus etiã modis tendit per actum miſerendi in creaturarum miſeriam antecedẽter ſcilicet, & conſequenter hoc eſt ſic antecedenter, vel conſequenter nolendo præſertim miſeriam, quę eſt priuatio illius beatitudinis in rationabilibus creaturis, ergo reuera datur duplex actus miſerandi in Deo ſecundum diuerſam tendentiam in adæquatum obiectum miſericordiæ.

23 Etiam ſi vnica ſit obiectiue, quaſi generice miſericordia actualiter accepta; in Deo tamen ſecundum rationem ſpecificam ſui obiecti vere, & proprie multiplex eſt; licet enim vnum ſit adęquatum miſericordiæ diuinę obiectum, ſcilicet miſeria creaturarum in communi conſiderata, & generaliter inſpecta; tamen alia eſt in ſpecie miſeria exiſtens, & præſens, & alia imminenter futura; etenim in communi accepta tanquam genus præſcindens à miſeria præſente, & imminente potentialiter ad eas ſe habet tanquam ad proprias ſpecies ergo obiectiue (ſaltem inadæquate loquendo) eſt multiplex miſericordia ſcilicet alia releuatiua mali, quod ineſt, alia præſeruatiua ne inſit; & cum poſſit Deus duobus modis releuare & pręſeruare, ſcilicet liberando totaliter, & parcendo, ſiue mitigando partialiter; Inde neceſſario fit, vt alia ſit obiectiue ſecundum rationem ſpecificam miſericordia liberans, alia parcens ſeu mitigans, omnes namque eiuſmodi ſunt modi diuerſi.

24 Vere & proprie ſecundum formale ſignificatum rigoroſum terminorum Deus in omnibus operibus naturæ à parte rei manifeſtat tantum potentiam, & ſapientiam; manifeſtatur enim ſumme in operibus naturæ potentia Dei non modo quia vniuerſum totum ex nihilo creauit, verum etiam quia ad omne opus extra in particulari immediate ſaltem immediatione virtutis ipſe phyſicè concurrit, ergo ſumme profecto in omnibus naturæ operibus potentia Dei elucet, eo vel maxime, quia cauſæ omnes ſecundæ non ſolum in operando eſſentialiter pendent à potentia Dei phyſicè cooperatiua, ſed etiam quatenus illarum conſeruatiua eſſentialiter pendent in eſſendo; Hanc diuinam omnipotentiam magnificant ſępe, quæ in rebus creatis reperiuntur. Primum tam varia, & multiplex rerum conditarum natura, & ſumma cuique in ſuo genere perfectio. Secundum tanta pulchritudo, & præſtantia proprietatum affectionum, & accidentium, eorumque tanta cum natura rerum quibus inhærent conuenientia. Tertium tanta vtilitas, & mirabilitas operationum, & effectum. Quartum tantus ordo, & proportio, & ſingulorum inter ſe, & cum ſumma vniuerſitate totius Mundi. Quintum tanta perſeuerantia in conſeruando ordine, quem ipſis ab initio Deus impoſuit; & tanta conſtantia in præſtando hominibus ſeruitio, quod Deus illis iniunxit. Sexto tanta obedientia, erga Deum in omnibus quæcumque Deus, vel in ipſis, vel per ipſas operari vult, etiam præter ipſarum naturam, vt cum ſolem motum ſuum, aut ſiſtere, aut retro agere, aut non lucere iuſſit, vel ignem deſcendere, aut non vrere &c. Inſuper etiam ſapientia ſumme manifeſtatur, iuxta illud ſapiẽtiæ 11. Omnia in numero pondere, & menſura operatus eſt Dominus. Confirmatur, nam Deus eſt ordinatiſſimum Agens, & ideo omnia vult propter debitum finem, ergo vere omnia Deus cum ſumma operatur ſapientia; atque adeo in omnibus operibus naturæ Potentia, & ſapientia Dei ex æquo ſumme manifeſtantur; Iuſtitia autem, & miſericordia, quatenus ſunt duo attributa

buta

Digitized by Google

buta, quæ Deo conueniunt ſimpliciter ex natura rei ſecundũ propriã, & formalẽ terminorum rationẽ in operibus naturæ non ſimul manifeſtantur, nam ſecundum propriam, & formalem rationem iuſtitiæ iuſtus tenetur conformari legibus dictantibus debitum ſimpliciter alteri reddendum ex iuſtitia, at nulla reperitur regula, nec Lex in Deo determinate dictans de operabilibus ad extra cum futuritio determinata omnibus circumſtantijs debitis finis, temporis, & loci pendeat in eis à diuina voluntate ſecundum eius libera decreta, ergo nullam poteſt Deus veram rationem iuſtitiæ, quatenus in ipſo eſt à parte rei, oſtendere in operibus naturæ.

25 Et demonſtratur clarius; quia munus iuſtitiæ eſt reddere debitum ex neceſſitate legis, at in opere præſertim creationis nullum poteſt excogitari debitum in Deo cum ex parte rei creatæ nihil boni, niſi à Deo reperiri poteſt; vnde inſurgat tale debitum, ergo vere, & proprie nulla reperitur iuſtitia in operibus naturæ, quatenus ſunt à Deo. De miſericordia ſic probatur; Non ſaluatur propria, & formalis ratio miſericordiæ cum extenditur ad aliquid extra proprium & adæquatum obiectum ſuũ; at formale, & adæquatum miſericordiæ obiectum eſt tantum miſeria rationalis creaturæ; cui proprie conuenit fœlicitas omnis miſeriæ excluſiua, ergo cum extenditur etiam ad excluſionem, ſeu ſubleuationem naturalis defectus in operibus naturæ; vera & formalis ratio miſericordiæ amplius non ſaluatur; In operibus tantum gratiæ, iuſtitia, & miſericordia ſe inuicem comitantur, accipiendo iuſtitiam eo modo, quo ſuperius dictum eſt conuenire Deo comparatione creaturarum tantum dependenter à decretis liberis ſuæ voluntatis non vero ſimpliciter a parte rei.

26 Nam non datur opus ſupernaturale mere gratuitum; hoc eſt excludens cauſam meritoriam de condigno ex parte ſaltem extrinſeca, ergo vere, & proprie in quolibet opere tali ſimul miſericordia, & iuſtitia ſe inuicem comitantur: probatur antecedens, quia teſtimonium illud D. Pauli Rom. 9. ſi enim eſt ex meritis iam non eſt gratia non omnino aufert locum iuſtitiæ; vt in exhibitione eius poſſit miſericordiam comitari; Intellectus enim Apoſtoli ex 4. diſt. 2. q. 1. eſt quod gratia non habeat cauſam meritoriam de condigno in illo, cui confertur, tamen habere poteſt cauſam meritoriam de congruo in eodem, & cauſam meritoriam de condigno extrinſecam, maxime ſi illa cauſa meritoria extrinſeca gratuitè ſit data ei, pro quo eſt cauſa meritoria, vt ſit ei talis cauſa, neque obſtat, quod ait D. Auguſtinus 13. de Trinit. Cap. 19. in rebus per tempus ortis ſumma gratia eſt hominem fieri Deum, quia ſicut recte dicit Scotus loco citato, & ſi ad illam Incarnationem nulla præceſſerint merita in ordinatione diuina, tamen in tempore conceptionis præceſſerunt aliqua merita Mariæ, quæ ſi non extiterunt abſolute cauſa reſpectu incarnationis, fuerunt forte cauſa accelerationis, ergo vere in quolibet opere gratiæ miſericordia, & iuſtitia ſe inuicem comitantur.

26 Confirmatur primo; eſto prima gratia ſanctificans homini infuſa ad ipſius iuſtificationem detur ei ex miſericordia quatenus illi tribuitur ſine proprijs meritis de condigno, tamen etiam ei ex iuſtitia elargitur non tantum, quia ſupponit ex parte eius diſpoſitionem aliquam, quæ ſaltem meritum de congruo illius comparatione appellatur; ſed etiam quia datur ex meritis de condigno Ieſu Chriſti Saluatoris præuiſus, vel exhibitus actu interiori, vel exteriori ex Scoto in 3. d. 9. q. vnica. Confir-

Nn matur

natur 2. gratia prima actualis præueniens; & efficax qua mouetur homo ad operandum ſupernaturaliter licet detur ei etiam abſque meritis proprijs tam de congruo, quam de condigno nõ tamen illi tribuitur abſq; meritis Christi Domini; quod ibidem docet Scotus, vbi ait Chriſtum promeruiſſe omnibus, qui primam gratiam accipiunt collatione ipſius, ita quod ibi non cooperatur voluntas noſtra, niſi in adultis baptizatis, in quibus requiritur aliqua diſpoſitio voluntatis; monetque id potiſſimum in merito Chriſti, quod ſcilicet meruerit non coniunctos coniungi, ergo vere in eiuſmodi prima gratia quatenus datur ſine meritis recipientis manifeſtatur miſericordia, quatenus vero non datur ſine meritis ſimpliciter manifeſtatur iuſtitia.

28 Confirmatur tertio in opere prædeſtinationis datur cauſa extrinſeca ipſius non tantum finalis, ſed etiam meritoria de condigno, etiam accepta ipſa prædeſtinatione præciſè ſecundum formalem electionem ad gloriam, quia merita Chriſti Domini, quæ præſcindunt omnino à paſſione, & morte, mox poſt ipſius prædeſtinationem, & præordinationem ſui eſſe in carne ſiue paſſibili, ſiue impaſſibili anteceſſerunt in mente diuina electionem omnium prędeſtinatorum, Item eſto in intentione diuina electio hominum, & Angelorum ad gloriam ſine præuiſis meritis perficiatur non tamen ſine meritis ſaltem concomitanter volitis ordinatur; cum prędeſtinatio fiat ad gloriam efficaciter non præciſè, ſed tanquam ad coronam iuſtitiæ quippe quæ ſine meritis ſaltem virtualiter intellectis minime intelligitur exequenda, ergo in omni opere ſupernaturali ſimul miſericordia, & iuſtitia conueniunt.

29 Miſericordia non poteſt ſumme manifeſtari in aliquo opere gratię ſi aliquo modo in eo concurrat iuſtitia, & è contrario ipſa iuſtitia non poteſt ſumme manifeſtari in opere tali, ſi aliquo modo cum ea concurrat miſericordia, quare ſumme manifeſtaretur ſi daretur aliquod opus ita gratuitum, vt neque in eius ordinatione æterna, ſiue præparatione ſua in mente diuina, neque in temporali executione in eo habeant locum merita, neque de congruo, neque de condigno, neque propria, & intrinſeca ei, cui illud opus gratiæ à Deo communicatur, neque extrinſeca. Et viceuerſa iuſtitia pariter ſummè manifeſtaretur; ſi in aliquo opere ſupernaturali nullo modo concurreret miſericordia, neque in ordinatione æterna, neque in temporali executione, ſed omnino ex meritis de condigno in mẽte diuina ordinaretur ab æterno, & in tempore executionis pariter in re præcedentibus illis meritis de condigno executio mandaretur; Impoſſibile igitur eſt ſummam miſericordiam comparatione eiuſdem operis gratiæ ſimul cum ſumma iuſtitia manifeſtari ob rationem dictam.

30 Vere, & proprie in punitione malorum miſericordia, & iuſtitia ſe inuicem comitantur, iuxta illud Pſal. 24. vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, & Pſalm. 10. iuſtus Dominus, & iuſtitiam dilexit æquitatem vidit vultus eius, & alibi ſępe & ratio eſt, quia miſericordia parcens, ſeu mitigans non totam, ſed partem miſeriæ, quæ debetur, excludit; ſed in malorum punitione tantum reperitur miſericordia mitigans, ſeu parcens non vero totaliter liberans, ergo in punitione malorum vere iuſtitia ſecum patitur miſericordiam, & è conuerſo, eo vel maxime ſi verum eſt opus Dei eſſe perfectius, quo plures virtutes ad id manifeſtandum concurrunt, certe negari nõ poteſt in punitione malorum miſeri-

cor-

Digitized by Google

cordiam, & iuſtitiam ſimul elucēſcere; probat euidentius illud Iacobi 2. Miſericordia exaltat iudiciū, ergo iudicium de punitione malorum non ſolum fit à iuſtitia, ſed etiam à miſericordia certe perfectius erit, ſi in eo ponatur ita miſericordiam iuſtitiam excedere, vt magis in prædicto opere miſericordia quā iuſtitia reſplendeat; ergo vere in punitione malorum aliquid mali taxati per iuſtitiam, remittitur per miſericordiam; Vti inde dicatur ipſam ſuper exaltare iudicium; Et hæc ſatis de Deo vt vno, hoc eſt de diuina eſsētia, & perfectionibus eius attributalibus, quæ ei conueniunt ſecundum ſuum eſſe abſolutum.

De Deo vt Trino hoc eſt de ineffabili ſanctiſſimæ Trinitatis Miſterio. Cap. III.

De Proceſsionibus, ſiue Productionibus diuinis. *Art. I.*

1 NOmē proceſſionis deſumptum eſſe videtur à motu progreſſiuo Animalium, quo à ſe ipſis mota procedunt ab vno loco in alium, deinde translatum eſt ad ſignificādum omnem motum localem, & mutationem, & poſtrema ad omnem emanationem, ſecundum quam aliquid eſt ab alio, vt à cauſa ſua, vel principio, & proprius transfertur ad diuina ſecluſis imperfectionibus, & quandoque accipitur, & applicatur vtrique productioni, & ſic in diuinis proceſſio, & productio idem ſignificant; & pro eodem vſurpantur, quandoque autem appropriatur productioni Spiritus Sancti, communiter enim ſpiratio paſſiua dicitur proceſſio, ſicut productio verbi dicitur generatio; in propoſito accipitur nomen proceſſionis, vt eſt quid commune vtrique productioni, quam dari, & eſſe in diuinis eſt de fide definitum in ſymbolis Niceno, D. Athanaſij, qui ex Patre, filioque procedit &c., & patet ex ſacra ſcriptura Ioan. 7. ego ex Deo proceſsi, & Ioan. 15. ſpiritus veritatis, qui à Patre procedit; Verum, & Hæretici maxime antiqui concedebant proceſsiones in diuinis cum mixtione tamen multorum errorum, à quibus vt liberi euadamus ſtatuendæ ſunt aliquot veritates.

2 Prima veritas. Proceſſio in diuinis non eſt accipienda ſecundum modum, quo effectus à cauſa procedit, vt Arius opinabatur; nam hic perditiſſimus vir aſserebat proceſſiones diuinas eſse quaſdam actiones ad extra, quibus effectus eſsentialiter, & ſubſtantialiter à ſuis cauſis diſtincti producerentur, ac proinde dicebat filium, neque conſubſtantialem, neq; coæternum Patri fuiſſe, ſed eſſe creaturam quandam ſpiritualem omnium nobiliſſimam, de nihilo ante omnia alia à Deo creatam, non tamen ex æternitate, & ob id præceſſiſſe infinitum tempus cognitione apprehenſum, in quo nondum erat; De Spiritu Sancto affirmabat eſſe de nihilo creatum à filio, in illo inferiorem, vt referant D. Auguſtinus de Hæreſibus Hæreſi 49. Socrates lib. 1. Cap. 2. & 3. Epiphanius lib. 2. aduerſus Hæreſes; Secunda Veritas; In diuinis non eſt ponenda proceſſio ſecundum quā cauſa procedit ad effectum, ſiue in effectum in quantum, vel mouet ipſum, vel ſimilitudinem ſuam ipſi imprimit, vt opinabatur Sabellius, qui proceſſiones diuinas ſecundum actionem Dei ad extra eſt interpretatus, affirmabat enim fi-

Digitized by Google

lium eſſe verum Deum Patri conſubſtantialem, & Spiritum Sanctum ſimiliter, nihilominus in Deo eſſe tantum vnum ſuppoſitum, ac perſonam, quæ vt ex tempore accepit naturam humanam diceretur Dei filius; in ſe vero, atque vt principium eſt rerum creaturarum diceretur Pater, vt autem ex tempore ſanctificat creaturas mente præditas diceretur Spiritus Sanctus. Quare concedebat, quod inde neceſſario ſequebatur, nempe Chriſtum eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, nec minus Patrem, & Spiritum Sanctum eſſe paſſos, & ſepultos, quam filium. Ideo Sabelliani ex hoc errore Patripaſſiani ſunt appellati, vt teſtantur D. Auguſt. Hereſi 2c. & D. Hilar. 4. de Trin.

3 Tertia veritas; Proceſſiones diuinarum Perſonarum non ſunt ſecundum operationes tranſeuntes; pro cuius & ſequentis veritatis intelligentia notandum eſt duplicem eſſe operationem (vt tradit Ariſt. 9. Metaph.) altera tranſiens ab operante in aliquid extrinſecum ſicut calefactio ab igne in lignum, & frigefactio in aquam, & hęc quidem operatio non eſt perfectio operantis, ſed operati, non enim aliquid aquiritur igni ex hoc, quod eſt calefaciens, ſed calefacto aquiritur calor; alia vero eſt operatio non tranſiens in aliquid extrinſecum, ſed immanens ideſt manens in ipſo operante, ſicut intelligere ſentire velle, & huiuſmodi. Hæ operationes ſunt perfectiones operantis. Intellectus enim non eſt perfectus, niſi quia eſt intelligens actu; ſimiliter ſenſus, niſi per hoc, quod actu ſentit; Primum operationis genus commune eſt viuentibus; & non viuentibus; ſed ſecundum genus eſt proprium viuētium; hoc ſuppoſito probatur veritas ex teſtimonijs ſacrę ſcripturę; nam filius à Patre procedens in ipſo manet, ſicut ipſe teſtatus eſt, ego in Patre, & Pater in me eſt; vt magis videbitur in ſequenti veritate; præterea actio tranſiens, tranſit in aliquid diſtinctum eſſentialiter ab operante, ſed operationes productiuæ in diuinis non tranſeunt in aliquod diſtinctum eſſentialiter ab operante, vt magis infra patebit.

4 Quarta veritas. Proceſſio in diuinis eſt ſumenda ſecundum operationem immanentem; nam proceſsiones diuinas neceſſe eſt eſſe ſecundum modum perfectiſsimum, ſed perfectiſsimus modus proceſsionis eſt ille, qui eſt ſecundum operationes immanentes nō autem ille, qui eſt ſecundum operationes tranſeuntes, quia proceſsio ſecundum operationem tranſeuntem inuenitur in creaturis imperfectis cuiuſmodi ſunt corporeæ, & quidem pluribus imperfectionibus permixtæ; Præterea ſi operatio, qua procedit diuina Perſona non haberet terminum ſuum immanentem in natura perſonæ producentis hoc eſt in ipſa eſſentia diuina, ſed exiſteret in alia re externa terminus eius proceſſionis, ideſt perſona procedens non eſſet conſubſtantialis principio ſuo, hoc eſt perſonæ producenti, cum nihil extra Deum ſit ſubſtantia, atque natura Deus. Confirmatur auctoritate D. Athanaſij, qui ſic ait Spiritus Sanctus progreſsio Patris ſemper eſt in manibus Patris, & in manibus filij, & alibī inquit, Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris ipſe narrauit, ex quibus teſtimonijs colligitur proceſsiones diuinarum perſonarum eſſe ſecundum actiones immanentes.

5 Quinta veritas; Proceſsiones diuinarum perſonarum ſunt per operationes immanentes intellectus, & voluntatis, ita ut per operationem intellectus procedat filius, & per operationem voluntatis procedat Spiritus Sanctus, Hęc ve-

Digitized by Google

veritas probatur in ſcriptura, quæ filium nominat, aut Verbum, aut ſapientiam, vt Prouerb. 8. Eccleſ. 24. Ioan. 1. Apoc. 19. Verbum autem, & ſapientia in natura intellectuali procedens, non niſi ab operatione intellectus procedit, quod ſi proceſsio filij ſit per operationem intellectus, proculdubio proceſsio Spiritus Sancti, quæ à proceſsione filij longe differt erit per operationem voluntatis; Huic veritati ſubſcribit D. Auguſt. lib. 9. de Trinit. Cap. 12. cuius Verba ſunt, ſicut Dei Verbum filium eſſe nullus Chriſtianus dubitat, ita Charitatem eſſe Spiritum Sanctum; Charitas autem, atque amor non aliunde profecto, niſi à voluntate procedit. Idem ſentiunt D. Cirillus lib. 1. in Ioan. Cap. 1. & D. Baſilius hom. in Cap. 1. Ioan. & Theodoretus lib. 2. ad Græcos, & Damaſc. lib. 1. fidei Cap. 6. qui Verbum diuinum procedere per intellectum affirmant; ſimiliter, & Spiritus Sanctus paſsim à Sanctis Patribus dilectio, & Charitas Patris appellatur.

6 Hæc veritas eſt in ore omnium Theologorum, ex cuius prima parte Doctor ſubtilis in 1. ſent. diſt. 2. q. 4. ſumit argumentum ad probandam generationem filij in diuinis tantæ efficacitatis, vt putauerint aliqui eum demonſtrare voluiſſe miſterium Trinitatis, cum tamen ſit articulus fidei reuelatus; Huiuſmodi argumentum ſic formatur. Quando aliquid de ſua ratione formali eſt principium productiuum, ſufficiens, in quocumq; reperitur (dummodo in eo ſit ſine imperfectione, & non ſit communicatum ab aliquo, ſed ſit in eo à ſe) in eo eſt principium productiuum, ſed intellectus habens obiectum actu intelligibile ſibi præſens ex ratione ſua formali eſt principium productiuum notitiæ genitæ, vel productæ, ergo in quocumque ente reperitur intellectus à ſe, & ſine imperfectione habens obiectum actu intelligibile ſibi præſens, in eo erit principium productiuum notitiæ genitę, & hoc ſecundum adæquatam proportionem ſuæ perfectionis: ſubſumit; at in Deo, ideſt in Patre (qui eſt perſona improducta) eſt intellectus infinitus habens obiectum ſibi præſens infinitum actu intelligibile à ſe, & ſine imperfectione, ergo in Deo Patre eſt principium productiuum notitiæ genitæ infinitæ, ergo in Deo Patre vere, & proprie eſt productio, ſiue proceſſio.

7 Subſumit adhuc; Iſta notitia genita infinita non eſt apta nata recipi in alio, quia non eſt accidens, ſed ſubſtantia, alias non eſſet adæquata ſuo principio, ergo eſt notitia ſubſiſtens per ſe, quia infinitum non poteſt exiſtere in alio; Vlterius hæc notitia non eſt extra naturam diuinam, quia extra naturam diuinam nihil eſt infinitum, ergo erit in natura diuina. Vlterius, at quod poteſt eſſe in diuinis ibi actu eſt, at poteſt in diuinis eſſe notitia genita infinita, ergo in diuinis actu eſt, quia in diuinis, idem eſt eſſe, & poſſe; Item totum prædictum principium eſt principium naturaliter agens, & ideo neceſſario agit, nec poteſt impediri, quia cum ſit omnino à ſe non poteſt ab alio dependere, ac proinde agit ſecundum ultimum ſuæ potentiæ, ſicque producit notitiam genitam per ſe ſubſiſtentem infinitam, quæ eſt Perſona filij, ergo in diuinis datur productio Perſonæ diuinæ. Hoc argumentum optime concludit ſuppoſitò principio fidei incluſum in minori propoſitione, vnde demonſtratio naturalis dici nequaquam poteſt.

8 Vt tamen clarius innoteſcat tanquam fundamentum ex principalibus huius materię miſterij ſanctiſſimæ Trinitatis non piget illud clarius erigere; ſic quicquid ex ratione ſua formali eſt

prin-

principium productivum ſufficiens, illud in quocumque ſit à ſe, & ſine imperfectione in eo eſt principium productivum, ſed intellectus habens obiectum actu intelligibile ſibi præsens ex ratione ſua formali est principium productivum notitiæ, quia proprium eſt intellectus intelligere, & notitiam parere, ergo in quocumque eſt intellectus habens obiectum actu intelligibile ſibi præsens ibi erit principium notitiæ genitæ, & hoc secundum proportionem suæ perfectionis, quia ubi eſt maior vis intellectus, & præsentius atque præſtantius obiectum, præstantior generatur notitia, & consequenter vbi præstantiſſimus intellectus, & præſtãtiſſimum obiectum debite applicatum, vere est ibi præstantisſima productio notitiæ genitæ, sed in Deo est præſtãtisſima vis intellectus, cum ſit actus purus, & præstantisſimum obiectum debite applicatum, nempe eſſentia diuina ipſi intellectui intime præſens, ergo vere eſt ibi præſtantiſſima productio notitiæ genitæ; ſi enim notitia debet eſſe ſecundum proportionem perfectionis producẽtis intellectus, & obiecti debite applicati, cum obiectum ſit infinitum nempe diuina eſſentia, & intellectus producens pariter infinitus vtpotè diuinus non poteſt eſſe (cum ſit ſimpliciſſimus, & conſequenter totus ponatur in actu vtpotè actus purus) quin puram, ſimpliciſſimam, & infinitam producat notitiam, & cum in Deo nullum ſit, nec eſſe poſſit accidens, quia Deus eſt puriſſima ſubſtantia, & quicquid eſt in Deo eſt ipſamet ſubſtantia diuina propter ſummam ſimplicitatem, quia in Deo nulla eſt compoſitio, aut componibilitas; cumque ab æterno nihil eſſet extra Deum, & ab æterno tamen intellectus diuinus ſuam notitiam gigneret, quia cum ſit actus purus, & obiectum diuinæ eſſentiæ, ſibi ſemper habuerit præſens, nunquam potuit eſſe, quin intelligeret, & notitiam gigneret, vnde neceſſe eſt ipſam notitiam genitam eiuſdem fuiſſe ſubſtantiæ diuinę; Immo cum eſſentia diuina ſit ſummè ſimplex, & conſequenter impartibilis non ſolum eiuſdem fuiſſe ſubſtantiæ, & eſſentiæ, ſed eandem prorſus fuiſſe eſſentiam diuinam neceſſe eſt fateri; non quod eſſentia ſit producta, ſed quod notitia producta, eſt eadem eſſentia, & ſubſtantia diuina, cum ab æterno nihil eſſet extra eſſentiam, & ſubſtantiam diuinam; Et cum ſemper ſit aliqua diſtinctio inter producens, & productum, quia relatiua ſunt oppoſita, neceſſe eſt aſſignare diſtinctionem inter intelligentem, ſeu producentem notitiam ex obiecto ſibi præſente, & notitiam productã, ſeu genitam, & cum non poſſit eſſe diſtinctio rationis, vbi productio eſt realis, & producens, & producta ſunt realiter diſtincta, nec diſtinctio ſecundum eſſentiam, aut ſubſtantiam, quia oſtendimus eandem penitus eſſe, cum non eſſet alia extra diuinam, neceſſario dicendum eſt ibi eſſe diſtinctionem perſonalem, cum nulla alia excogitari poſſit, & ſic iam habemus perſonas, intelligentis & notitiæ genitæ, quia non poteſt eſſe diſtinctio perſonalis niſi perſonæ ſint diſtinctæ.

9 Conſimiliter etiam probari poteſt productio Spiritus Sancti hoc modo per voluntatem; Voluntas habẽs obiectum actu cognitum ſibi debite præſentatum ex ratione ſua propria eſt productiua amoris, & non cuiuſcumque, ſed tanto nobilioris, & perfectioris, quanto nobilius, & perfectius eſt obiectum cognitum ſibi præſentatum, & perfectior potentia voluntatis; bonum eſt enim, quod omnia appetunt, & quo maius bonum, eo magis ſolet eſſe expetitum, ſi voluntas eſt recta, & ordina-

ea; nam voluntas recta non poteſt non diligere quodlibet diligibile quantum eſt diligibile in ſe, ſi non eſt impedita, & illud ſit perfecte congnitum, & perfecte voluntati præſentatum; ſed obiectum diuinum eſt perfecte ab intellectu diuino cognitum, & perfecte voluntati præſentatum per notitiam infinitam, & per intellectum intelligentem, ergo voluntas diuina cum ſit ſumme recta, & infinitæ potentiæ, & virtutis ipſum bonum cognitum non poteſt nõ diligere; quantum eſt diligibile, & quãtum ipſa poteſt diligere, ſed bonum illud eſt infinitum, & perfecte ab intellectu diuino etiam infinito cognitum, & voluntati diuinæ præſentatum; amor quo diligit non poteſt non eſſe, niſi infinitus, vtpotè proportionatus, & adæquatus ſuo principio productiuo; iam vero cum nullum ſit, nec eſſe poſſit accidens in Deo amor ille productus non erit accidens, ſed ſubſtantia; & cum ab æterno alia non ſit ſubſtantia, niſi diuina, vtique amor ille erit diuina ſubſtantia.

10 Sed cum impoſsibile ſit producens, & productum inter ſe non diſtingui, quia ſunt realiter oppoſita neceſſe eſt amorem productum eſſe diſtinctum à perſona producente, & cum in diuinis nulla ſit diſtinctio eſſentiæ, quia eſſentia diuina vna eſt ſimpliciſsima indiuiſibilis, & impartibilis, cum nulla ſit in Deo compoſitio, aut componibilitas neceſſe eſt etiam fateri diſtinctionem eſſe perſonalem non eſſentialem, & ſic tertiam dari perſonam; amorem nimirum productum, vocatum Spiritum Sanctum, ſicque inter ipſum, & producentem Perſonam eſſe talem diſtinctionem, quæ Perſona producens duplex eſt Pater nimirum, & filius, in quibus æque in æternitate eſt principium productiuum eiuſdẽ amoris producti, nempe voluntas diuina fœcunda cum ſuo obiecto infinite diligibili, ideo ſemper ipſum actu diligit, quia voluntas illa cum ſit actus puriſsimus non poteſt non diligere ſemper actu; cum actu ſemper habeat obiectum proportionatum ſibi debite præſens, & applicatum. Vnde ſemper ab æterno producitur amor voluntati, & obiecto proportionatus, & ideo cum obiectum ſit infinitum, nempe ſummum bonum, & voluntas etiam infinita, vtpote diuina, & tota ſimul actu, amor productus non poteſt alius eſſe quam infinitus, cum voluntas recta diligat vnumquodque quantum poteſt, & quantum diligibile eſt (vt dictum eſt), & bonum infinitum ſit infinite diligibile, & non ſucceſsiue, aut extenſiue, vt ſit à virtute finita Angelica, vel humana in Beatitudine, ſed etiam intenſiue, & ſimul (eodem inſtante quo cognoſcitur) à potentia infiuita qualis eſt voluntas diuina, cum agat ſecundum vltimum potentiæ, & ſit tota in actu circa obiectum cognitũ debite, & perfecte rappreſentatum, & ideo producitur perſona infinita, nempe Spiritus Sanctus per talem actum ſcilicet per modum voluntatis, & amoris, & ſic manet probata, & expoſita vtraque productio tanquam fundamentum huius ineffabilis miſterij ſuppoſito lumine fidei.

11 His duabus rationibus articulus Trinitatis euidentior eſt fideli licet non ſit certior, quia eſt certus ex reuelatione, quæ certitudo eſt maior omni certitudine ſcientifica: Inſuper hæ duæ rationes ſunt adeo efficaces, & ſuis partibus expoſitis, & declaratis conſtantes, vt nulla poſſit eſſe inſtantia, quæ ex aliqua particula earum non poſſit reſolui; ſi enim dicatur, quod neceſſaria ſit diſtinctio eſſentialis, qualis non eſt in diuinis; Reſponderi poteſt, quod talis diſtinctio eſt ex imperfectione, & limi-

limitatione, vbi eſt ergo principium productiuum perfectum, ibi eſt productio ſine eſſentiali diſtinctione; ſimiliter ſi quis inſtet, quod in Verbo eſt idem principium perfecte producendi ſicut, & in Patre ergo, ſicut Pater producit Verbum, ita & Verbum producit aliud Verbum. Reſpondetur, quod hoc non ſequitur, quia in primo argumento additum eſt, quod productum ideſt notitia ſit proportionatum principio productiuo ideſt illi adæquatum, & commenſuratum, & ideo licet in verbo ſit principium productiuum idē, quod in Patre, tamē Verbum non producit Verbum, quia in Patre illud principium habuit adæquatum productum.

12 Si obijciatur adhuc (hoc argumentum cum ſuis probationibus, & reſponſionibus continet pulcherrimam doctrinam ideo diſtincte eſt proponendum, & reſoluendum;) nullum productum eſt ex ſe neceſſarium, ſed quicquid ſubſiſtit in eſſentia diuina eſt ex ſe neceſſarium, ergo nullum ſubſiſtens in eſſentia diuina eſt productum; argumentum eſt in forma ſcilicet in ſecunda figura in Cæſare, minor propoſitio eſt euidens; quia quicquid eſt in Deo eſt ipſemet Deus, & quod ſubſiſtit in Deo eſt ſuppoſitum diuinum; Deus autem eſt ens ex ſe neceſſarium, ergo ſuppoſitum ſubſiſtens in Deo debet eſſe ex ſe neceſsarium; Maior propoſitio (in qua eſt vis argumenti) probatur quintupliciter; primo ſic nihil ſimul eſt neceſsarium ex ſe & ab alio, ſed productum (ſi eſt neceſsarium) eſt ab alio, ergo productum non eſt ex ſe neceſſarium, maior huius probationis probatur, quia quod eſt neceſſarium ex ſe neceſſe eſt eſſe circumſcripto quocumque alio à ſe, at quod eſt ab alio non eſt neceſſe eſſe circumſcripto quocumque ab illo, nam circumſcripto illo alio à quo producitur non erit &c.

13 Reſpondetur ſecundum Scotum in 1. d. 2. q. 6. v. ad argumenta negando maiorem primi argumenti, & ad maiorem probationis propoſitionem dicitur veram eſſe in eodem genere cauſæ non in diuerſis generibus cauſarum, nam non eſt inconueniens, quod in genere cauſæ formalis aliquid ſit neceſſe ex ſe, & quod ſit ab alio in genere cauſæ efficientis, nec eſt contradictio, quia non eſt reſpectu eiuſdem; ſic ſuppoſitum diuinum productum eſt neceſſe eſſe ex ſe, formaliter ratione eſſentiæ diuinæ formaliter infinitæ, & eſt etiam neceſse eſſe productiue ab alio; nec hic valet altera propoſitio, quæ dicit, quod eſt ex ſe neceſsarium habet eſſe circumſcripto quocumque alio à ſe, quæ ſolum eſt vera, quando producens, & productum ſunt diſtincta eſsentialiter, quorum vna natura, & eſsentia poteſt circumſcribi ſine circumſcriptione eſsentiæ alterius. In propoſito autem filius diuinus productus eſt eiuſdem ſingularisſimæ naturæ, & eſſentiæ cum Patre producente. Ideo Pater non poteſt circumſcribi, quin filius ſimul non circumſcribatur; & dato vno impoſſibili, ideſt circumſcriptione Patris producentis ſequitur aliud impoſsibile, nempe circumſcriptio filij producti. Hinc colligi poteſt latisſimam eſſe differentiam inter neceſſitatem filij ſecundum Theologos, & inter neceſſitatem creaturarum ſecundum Philoſophos qui aſſerunt creaturas neceſſario à Deo eſſe productas, quoniam creaturæ in via philoſophorum licet eſſent formaliter neceſſariæ ex propria entitate; tamen cum hoc dicere habent, quod creaturæ habent entitatem diuerſam a producente, & dependentiam ab entitate producentis; At filius diuinus ſecundum Theologos ne dum habet entitatem, qua formali-

ter

ter ex ſe eſt neceſſe eſse, ſed habet eandem entitatem cum producente; Vnde creaturæ circumſcripta quacumq; alia entitate à propria poſſent non eſſe (licet hoc eſſet impoſſibile ex ſuppoſitione) tamen per impoſſibile poſito hoc in eſſe, quod quæcumque entitas diſtincta à creaturis circumſcriberetur creaturæ poſſent non eſſe, quia Deus habet entitatem diuerſam à creaturis, At circumſcripta quacumque entitate diſtincta realiter à filio, nihilominus filius neceſſe eſſet, quia filius non dependet ab aliquo, quod ſit diuerſum ab eo in entitate; ſed Pater, & filius habent entitatem eandem; Eſt ergo maior neceſſitas ſecundum Theologos in filio diuino cũ producente, quam in creaturis ſecundum philoſophos cum producente.

14 Secundo probatur eadem maior primi argumenti ſupra num. 12. Omne productum eſt poſſibile, ſiue fuit poſſibile produci, ſed poſſibile non eſt ex ſe neceſſe eſſe; quia quod eſt poſſibile poteſt eſſe, & non eſſe, ergo productum non eſt ex ſe neceſſe eſſe; maior probatur, quia ſi productum non eſt poſſibile eſſe, ergo eſt impoſsibile eſſe, quia non poſsibile, & impoſsibile æquiualent, & tunc ulterius ſequitur, quod impoſsibile producitur in eſſe, quod implicat contradictionem; Reſpondetur, quod duplex eſt poſsibile nempe Logicum, & Phyſicum, poſsibile Logicum, quod contra impoſsibile diſtinguitur nihil aliud eſt quam non repugnantia terminorum, & modus compoſitionis formatæ ab intellectu; poſsibile Phyſicum, ut contradiſtinguitur contra ens in actu, vel etiam pro ipſa potentia actiua, vel paſsiua; omne ergo productum in diuinis eſt poſsibile poſsibilitate Logica, quia non eſt impoſsibile; non autem poſsibilitate phyſica; Tertio probatur eadem maior ſupra nu. 12. Vbicumque eſt productio ibi eſt prius, & poſterius, quia non poteſt intelligi aliquid eſſe productum, quin intelligatur aliquo modo poſterius producente; Tunc ſic in illo priori ſigno in quo producens intelligitur, productum non intelligitur, alias producens nõ eſſet prius producto; in ſecundo ſigno, autem intelligitur eſſe, ergo productum tranſit de non eſſe ad eſſe, ergo eſt mutatio in eo, ſed in Deo non eſt mutatio, ergo nec productio Reſpondetur, quod duplex eſt intelligere vnum ſine altero ſcilicet præciſiue, ſiue abſtractiue, & diuiſiue intelligere unum ſine altero primo modo eſt conſiderare unum ſine altero licet in re unum non ſit, neque poſsit eſſe ſine altero, ut intelligere intellectum ſine voluntate in Anima rationali; intelligere vero unum ſine alio ſecundo modo, ideſt diuiſiue eſt intelligere vnũ ſine altero eſſe ex parte rei; In propoſito cum dicitur, in illo priori intelligimus producens, & non intelligimus productum verum eſt præciſiue, ſiue abſtractiue, falſum eſt diuiſiue; In hac enim conſideratione diuiſiua eſt mendacium, & falſitas, & ſic non ſequitur, quod hic ſit tranſitus à non eſse ad eſſe, & quod ſit mutatio.

15 Quarto probatur eadem maior ſupra n. 12. Eſsentia diuina habet illud productum per productionem, ergo eſsentia diuina fit de non habente habens ergo eſt mutatio. Reſpondetur eſsentiam diuinam fieri de non habente habentem poteſt intelligi duobus modis, uno modo, quod de non habente habens ſignificet tranſitum de non eſse ad eſse quo ad aliquid, & ſic ſenſus eſt falſus, & ſic currit argumentum; ſecundo modo poteſt ſignificare carentiam rationis formalis, & tunc ſenſus eſt, quod eſsentia diuina ſecundum propriam rationem formalem non habet productum, ſed habet per productionem, & hic ſenſus eſt verus, & huic

nihil officit argumentum, quia non propter hoc, quod in eſsentia ſit mutatio. Quinto probatur eadem maior ſupra n. 12. generatio productio eſt ſpecies mutationis, adeo quod includat mutationem tanquam genus ex 5. Phyſicorum, ergo non poteſt poni in diuinis. Reſpondetur, quod generatio poteſt conſiderari dupliciter, vel ſecundum rationem formalem generationis, vel vt eſt in rebus creatis. Secundum formalem rationem generationis eſt idem, quod productio in identitate naturæ. Secundum autem, quod eſt in rebus creatis tunc habet duas condiciones, vnam, quod eſt mutatio; ſupponit enim mutationem ſubiecti de vna forma in aliam; ſecundam quod eſt productio; iſte tamen condiciones ita ſe habent, quod non ſolum (abſolute loquendo, ſed etiam in creatis rebus poſsunt ad inuicem ſeparari, & vna non eſt de ratione alterius, nam compoſitum v. gr. generatur, & tamen non mutatur.

16 Tantum ſunt duæ productiones in diuinis ad intra; vna, quæ dicitur generatio, altera dicitur ſpiractio actiua eſt veritas fidei quam Scotus in primo diſt. 2. q. 7. docet, & omnes communiter Theologi, quam veritatem exacte declarat dicens in Deo eſse tantum duas productiones, quia in Deo ſunt duo principia productiua habentia diuerſos modos principiandi ſcilicet intellectus, & voluntas; & ideo ſunt duæ productiones primo diſtinctę emanantes ad eiſdem duobus principijs, quæ dicuntur generatio, & ſpiratio, quibus producuntur in eſse Verbum, & Spiritus Sanctus, Verbum generatione, & Spiritus Sanctus ſpiratione. Quod autem intellectus, & voluntas ſint duo principia productiua diſtincta probat, quia intellectus producit naturaliter, & voluntas liberè, at iſta non poſsunt reduci ad aliquod vnum primum principium productiuũ diuerſum ab iſtis, nam iſta principia ſic ſe habent, quod natura eſt principium, quod inclinatur ex ſe ad agendum naturaliter; voluntas vero inclinatur ad agendum libere, & in poteſtate ſua habet producere, ita quod adhoc ex ſe non inclinatur naturaliter; ſi ergo reducãtur ad aliquod vnum principium diuerſum ab iſtis quæritur de illo, vel enim eſset productiuum ex ſe determinate, & tunc erit principium per modum naturæ, vel non ex ſe determinate, & tunc erit productiuum libere, & per modum voluntatis, non ergo poteſt dari aliquod tertium principium ab iſtis, quod habeat diuerſum modum principiandi.

17 Nec alterum horum reducitur ad alterum eorundem, quia alterum illorum ſecundum totum genus ſuum eſſet imperfectum; quod falſum eſt, quoniam nullum imperfectum ponitur in Deo; at vtrumque illorum principiorum ponitur in Deo eſſe principium operatiuum, & productiuum, non ergo alterum eſt imperfectum, ſed vtrũque eſt perfectiſſimum, & infinitum ergo vnum non reducitur ad alterum; Et ſic cum principia iſto non reducantur ad vnum tertium; nec vnum ad alterum, ſequitur quod ſint duo prima principia producendi vnum per modum naturæ, ſiue naturalis inclinationis, alterum per modum voluntatis, & liberè; Hæc autem duo principia ſecundum rationes ſuas debent poni in primo Agente, & producente, quia in ipſo eſt omnis ratio principij, quod non reducitur ad aliud principium prius; Quicquid enim non reducitur ad aliud prius eſt ſimpliciter primum, & conſequenter dicit formaliter, & ex ſe perfectionem, & quicquid ex ſe dicit perfectionem ſimpliciter ponitur in Deo, & eſt ipſemet Deus; Iſta duo princi-

Digitized by Google

pia ſunt productiua ad intra (vt ſupradictum eſt) infinitæ notitiæ per ſe ſubſiſtentis, & amoris infiniti per ſe ſubſiſtentis, ergo in Deo ſunt duæ productiones; quod autem vnicuique principio productiuo competat tantum vna productio probatur ex hoc, quod vtrumque principium habet productionem illam ſibi adæquatam, & coeternam ergo non poteſt habere aliam.

18 Eſt communis ſententia Theologorum recentiorum eſſe tãtum duas productiones non poſſe vllis rationibus neceſſarijs demonſtrari, ſed ſola fide inniti; D. enim Thomas prima p. q. 32. art. 1. dicit, quod qui probare nititur Trinitatem perſonarum fidei dupliciter derogat, primo quantum ad dignitatem ipſius fidei quæ eſt, vt ſit de rebus inuiſibilibus, quæ rationem excedunt; ſecundo quantum ad vtilitatem trahendi aliquos ad fidem, cum enim aliquis ad probãdam fidem inducit rationes, quæ non ſunt cogentes cedit in irriſionem infidelium. Credunt enim, quod huiuſmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus; Vnde concludit, quod quę fidei ſunt non ſunt tẽtanda probari, niſi per auctoritates ijs, qui auctoritates ſuſcipiunt; apud alios vero ſufficit oſtendere non eſſe impoſſibile, quod prædicat fides: Richardus vero de Sancto Victore lib. 1. cap. 4. Credo, inquit ſine dubio, quod ad quamcumque explanationem veritatis non modo probabilia, immo etiam neceſſaria argumenta non deſint; & ibi expreſſe de ſancta Trinitate loquitur. Ideo Doctor ſubtilis quolibeto 2. art. 2. in principio aſſerit hanc Concluſionem non ſola fide teneri, ſed etiam ratione neceſſaria oſtendi; Vbi tamen notandum eſt, quod Scotus non vult dicere hanc concluſionem poſſe rationibus naturalibus demonſtrari excluſo omni fundamento ex fide; hoc enim eſſet omnino vanum; nam debemus ſupponere ad minus in diuinis eſſe productionem per intellectum, & voluntatem quæ (vt dictum eſt) eſt propoſitio de fide; ſuppoſito autem hoc principio, ait Scotus rationibus neceſſarijs poſſe prædictam concluſionem demõſtrari; Adducit autem Scotus tres rationes, quarum prima ducit ad impoſſibile, ſecunda eſt oſtenſiua, tertia eſt perſuaſio ex principijs Ariſtotelis.

19 Prima ratio eſt talis, ſi in diuinis eſſent plures productiones eiuſdem rationis ſequeretur, quod eſſent infinitæ conſequens eſt impoſſibile, ergo & antecedens conſequentia patet, & probatur primo per D. Auguſtinum lib. 1. contra Maximinum, vbi dicit quod immoderata eſſet diuina generatio, ſi genitus filius nepotem gigneret Patri, quia niſi, & ipſe Nepos Auo ſuo pronepotem gigneret ſecundum mirabilem veſtram ſapientiam impotens diceretur. Similiter, & ille & ille; Ex hac auctoritate habetur clare, quod ſi vna perſona producta vna productione v. g. generatione non ſufficeret ad complendam totam illam vnam productionem; pari ratione, nec alia aliqua, nec quotcumque in infinitum, vel erit deueniendum ad aliquem filium inæqualem Patri in potentia, quod non eſt dicendum, vel eſſet proceſſus in infinitum in generationibus filiorum, & nepotum &c. quod pariter eſt abſurdum aſſerere; ne igitur aſſentiamus Hæreſi Maximini Ariani ponentis inęqualitatem filij ad Patrem dicamus neceſſe eſt Patrem genuiſſe filium ſibi æqualem, & ne concedamus abſurdum infinitarum productionum eiuſdem rationis omnino aſſerendum vnam tantum in diuinis reperiri generationem, & quidem adæquatam, & commenſuratam ſuo principio, ſicuti & vnicam ſpirationem pariter ſuo principio adæquate

Digitized by Google

commenſuratam.

20 Eadem ſequela probatur ratione ſic, quicquid eiuſdem rationis eſt plurificabile ex ſe non determinat ſe ad ad certam multitudinem illorum, imo quç eſt multiplicabile, & ita debet aliũde determinari ad certum numerum; ſi igitur ſecundum idem principium productiuum poſſunt eſſe plures productiones eiuſdem rationis illæ non habent, à quo determinentur ad certam multitudinem igitur poſſunt eſſe infinitæ, ſed quod in Deo ad intra eſt poſſibile neceſſario eſt, ergo neceſſario ſũt in Deo productiones infinitæ; minor iſtius probationis cõfirmatur; vel enim poteſt determinari ad certam multitudinem talis productio per aliquid poſterius illa productione, & hoc non, quia à posteriori prius, ſicut non habet ſuam entitatem, ita nec vnitatem, vel pluralitatem habet; Vel determinatur ab eo, quod est ſimul natura cum productione, & neque hoc dici potest, quia qua ratione vnum tale determinatiuum est poſſibile eadem ratione, & aliud, & ſic in infinitum; vel tertio determinatur per aliquid prius, & hoc non, quia talis productio nihil prius ſupponit, niſi principium productivum, quod videtur ita esse indeterminatum ad plures productiones, ſicut & ipſæ productiones videntur indeterminatæ ſi non determinentur ab aliquo. Neque dici potest, quod ſit determinatio à ſuppoſito; quia ſuppoſitum ad tot productiones est determinatum, vel indeterminatum ad quot ipſum principium producendi est determinatum, vel indeterminatum; ſi igitur principium productivum non habet rationem, à quo determinetur tantum ad vnam productionem eiusdem rationis, neque ſuppoſitum determinabitur ad talem productionem.

21 Secunda ratio est huiusmodi; Quicquid est in diuinis est de ſe hoc, & ſic vna essentia est de ſe hæc, & non potest multiplicari, nec plurificari, ſed in essentia diuina sunt duæ productiones diuersæ rationis, ergo vnaquaque est de se hæc, atque ad eo implurificabilis; Confirmatur, principium productivum alicuius actus adæquati, tam intenſiue, quam extenſiue non potest habere niſi vnicum actum, quia ſe haberet plures iam primus non eſſet adæquatus, immo nec quilibet illorum; ſed principium productivum in diuinis quodlibet, idest tam intellectus, quam voluntas habet actum ſibi adæquatum, idest propriam productionem ſibi commenſuratam; ergo non poſſunt habere alios actus, nec alias productiones; Prædicta concluſio potest faciliter perſuaderi ex principijs Aristotelis ſic quanto magis Agens elongatur à materia eo minus multiplicat ſuas operationes immanentes, ſed Deus ſimpliciter, & infinite elongatur à materia, ergo omnino non admittit pluralitatem actuum immanentium, ſeu productionum eiuſdem rationis minor patet ex dictis de ſimplicitate Dei, vbi probatum eſt in Deo non dari compoſitionem, nec componibilitatem, ſed eſſe ibi ſummam ſimplicitatem, maior probatur, nam materia prima cum naturaliter ſit imperfectiſsima, & careat omni forma, & ad quamlibet naturaliter inclinetur, nec vllam poſſit habere, niſi per generationem, & corruptionem ſicque eſt radix plurium actionum, quibus caret Agens non habens materiam.

22 Ex dictis colligi poteſt veritas Doctrinæ, quam tradit Scotus in primo diſt. 13. nimirum productionem, ſiue generationem Verbi non esse productionem, ſiue ſpirationem Spiritus Sancti, nec è contra; tum quia productio filij eſt a ſolo Patre, productio Spiritus Sancti eſt à Patre, & filio, & ſic differunt

runt per principium quod, tum etiam quia productio verbi est ab intellectu, & naturalis, productio vero Spiritus Sancti eſt à voluntate, & libera non quidem libertate accidentali, quæ ſtat cum contingentia, ſed eſsentiali, quæ ſtat cum neceſsitate; Ratio autem cur voluntas etiam ſi neceſsario operetur circa aliquod obiectum adhuc dici nequit naturaliter operari, aut eſse principium illius actionis naturale, ſeu per modum naturæ, ſed debet dici agens liberum aſsignatur à Doctore ſubtili quolib. 16. art. 2. cuius doctrina eſt circa hoc valde notabilis.

23 Ibidem igitur dicit eſſe quattuor operandi modos, nempe libere, naturaliter, contingenter, & neceſſario; ex quibus duo priores ita immediate diuidunt principium actiuum, & operatiuum, & ita ſunt oppoſiti, vt nullo modo eidem principio etiam reſpectu diuerſorum conuenire poſſunt, ſicut nec duæ differentiæ diuidentes eſsentialiter genus poſsunt eidem ſpeciei in eſse, nec duo modi intrinſeci entis; qua de cauſa ſupra ex Scoto in 1. diſt. 2. qu. 7. pluralitas principiorum agendi ad numerum binarium reducta eſt ad liberũ ſcilicet & naturale; Agere vero neceſſario, & agere contingenter non ſic opponuntur, quod eidem reſpectu diuerſorum conuenire nequeant, vnde agere neceſsario eſt ſic agere, quod non poſſit non ſubſequi actio, undecumq; proueniat huiuſmodi neceſſitas, agere vero contingenter per oppoſitum eſt ſic agere, quod actio poſſit non ſubſequi, ſiue id ſit ex impedimento extrinſeco, ſiue ex intrinſeca agentis libertate. Quare hi duo modi agendi contingentiam, & neceſſitatem actionis præciſe reſpiciunt, undecumque illæ proueniant; ideoque cum modo agendi libere, & naturaliter ſe compati poſſunt: Agens namque naturale poteſt agere contingenter ſi ab extrinſeco impediatur; & Agens liberum neceſsario ſi aliũde proueniat neceſsitas; ſed Agens naturale non poteſt agere libere, nec Agẽs libere poteſt agere naturaliter etiam reſpectu diuerſorum vt dictum eſt, quia hæc immediate diuidunt principium actiuum, vt differentiæ oppoſitæ. Vnde ſicut implicat idem animal reſpectu diuerſorum eſſe ſimul rationale, & irrationale, ita implicat idem principium actiuum eſſe liberum, & naturale etiam reſpectu diuerſorum.

24 Dices intellectus, & voluntas in Deo non diſtinguntur inter ſe realiter, ergo prædictę productiones non diſtinguntur realiter, quod videtur falſum, nam ſicut filius diſtinguitur realiter à Spiritu Sancto, ita productio vna ab altera productione debet diſtingui realiter; Reſponderent Thomiſtæ negando conſequentiam; licet enim non diſtinguantur realiter per ſua principia, diſtinguuntur tamen realiter per oppoſitionem, quia productio filij, & productio Spiritus Sancti opponuntur inter ſe ſaltem mediate, quia productio filij eſt coniuncta cum ſpiratione actiua; ſpiratio autem actiua, & paſsiua inter ſe immediate opponuntur ſicut Paternitas, & filiatio; ſed breuius ſecundum Scotum 1. diſt. 13. q. vnica poteſt dici, quod iſtæ duæ productiones ſe ipſis realiter formaliter diſtinguntur. Ita quod ideo Verbum eſt filius & non Spiritus Sanctus quia Verbum procedit per emanationem quæ ſe ipſa formaliter eſt generatio, Spiritus Sanctus vero per emanationem, quæ ſe ipſa formaliter eſt ſpiratio. Ideo Verbum ex vi proceſsionis, ideſt ex ratione formali reali & conditione ſuę emanationis habet ut ſit filius, ſpiritus vero ex vi emanationis, ideſt ex ratione formali natura & conditione ſuæ emanationis habet, vt non ſit filius ſed amor.

De

Digitized by Google

De principio termino & natura dictarum productionum. *Art. II.*

1 EX dictis in præterito articulo ſatis clare colligitur duplex eſse principium vtriuſque emanationis ſcilicet principiũ (quod), & principium (quo) principium quod eſt, à quo totaliter, & adæquate proceſsio ortum habet, tanquam ab vltimate denominato, & tale principium (quod) generationis filij eſt ſolus Pater, principium (quod) ſpirationis eſt Pater ſimul cum filio, de quibus infra erit ſermo. Principium (quo) eſt id, quo tanquam ratione formali, & quiditatiua aliquid producitur, ſic principium (quo) generationis diuinæ eſt memoria fœcunda, ideſt intellectus diuinus cum eſsentia diuina obiecto proprio, & primario ſibi præſente. Spirationis vero principiũ (quo) eſt pariter memoria fœcunda, ideſt diuina voluntas cum eadem diuina eſsentia cognita, & de hoc principio (quo) erit ſermo in præſenti articulo; principium (quo) ſiue, ratio formalis generationis eſt eſsentia cum intellectu, ſeu memoria fœcunda, vt in Patre, ita quod nec ſolus intellectus, diuinus nec ſola diuina eſsentia ſufficit; probatur quia principium (quo) ſufficiens ad hoc vt Pater poſsit producere eſt intellectus diuinus cum eſsentia diuina ſibi præſente in ratione obiecti prout eſsentia & intellectus ſunt in Patre, ergo eſsentia ſimul cum intellectu, vt in Patre eſt principium quo proximum generationis filij.

2 Notanter dicitur (prout in Patre) quia memoria in diuinis eſt nata habere vnum terminum adæquatum in vno ſuppoſito, & illud ſuppoſitum, eſt ſuppoſitum Patris, ideo habito illo termino adæquato, licet communicetur alijs ſuppoſitis non tamen communicatur illis, vt principium productiuum, quia iam habet ſuum terminum adæquatum, ſicque filius, quamuis habeat memoriã, non tamen eam habet tanquam principium productiuum, neque tanquam formam, qua generet, ſed ſolum tanquã formam, qua formaliter intelligat, illi enim duo actus generare, & intelligere proueniunt à memoria, & vterque eſt in Patre, ſed in filio, & Spiritu Sancto eſt ſolum actus intelligere. Confirmatur illud eſt principium (quo) productionis, quo poſito ponitur productio, & quo remoto non eſt productio, ſed poſito intellectu Patris cum eſsentia ſibi præſente in ratione obiecti ponitur generatio filij, & remoto remouetur ergo; Maior patet à paritate cuiuslibet cauſæ præciſe reſpectu ſui effectus adæquati, minor autẽ probatur, nam ſi ſecludamus intellectum, vel eſsentiam diuinam vel illam condicionem prout in Patre non ponitur generatio, ergo proximum principium quo generationis eſt ſi ſumatur, vt includit in ſe tria illa requiſita neceſsario nempe intellectum, eſsentiam in ratione obiecti, & condicionem prout in Patre; & quod dictum eſt de principio (quo) generationis dicendum, & ratiocinandum eſt de diuina voluntate cum eſsentia diuina cognita prout eſt in Patre, & filio, quod totum eſt proximum principium (quo) ſpirationis Spiritus Sancti.

3 Hic occurit decidenda illa famoſa difficultas an Verbum ex omnium cognitione, & Spiritus Sanctus pariter ex amore omnium procedant, ita vt huiuſmodi actus amborum productioni ſupponantur; Et quoniam ſatis conſtat in Schola Doctoris ſubtilis, nec filium, nec Spiritum Sanctum produci per cognitionem, & amorem alicuius ad extra, ſiue tanquam per principium produ-

du-

ductionum, ſiue tanquã per ipſam actio-nẽ producendi; ſed verbum produci per memoriam fœcundam Patris tanquam per principium (quo) ad quam nullius rei actualis cognitio ſpectat, ſed ſolum intellectus, & diuina eſſentia in ratione obiecti infinitè intelligibilis, & produci per actum dicendi tanquam per actionem productiuam; Spiritum Sanctum quoque per voluntatem fœcundam, tanquam per principium (quo) ipſius proceſſionis, & per actum ipſum ſpirandi, non autem amandi tanquam per actionem productiuam, ideo negatiue abſolute huic difficultati reſpõdendum; Verum ſi ly ex dicit ſimplicem præſuppoſitionem vnius ad aliud, vt v. g. cognitionis & amoris creaturarum ad proceſſiones diuinarum perſonarum; vt ſenſus ſit an cognitio eſſentiæ attributorum perſonarum, & omnium poſſibilium, ac futurorum præſupponatur ordine naturæ proceſſioni Verbi, & amor eorundem proceſſioni Spiritus Sancti; Ideo de vtraque proceſſione currit eadem negatiua reſponſio; quæ quia dependet fundamentaliter ex cognitione prioris, & poſterioris, ideo hic repetendus eſt ordo prioris, & poſterioris alibi expoſitus, & declaratus.

4 Notandum eſt ergo omnes Theologos, & præſertim celebriores in diuinis perſonis admittere ordinem originis, vt videre eſt apud D. Thomam p. p. q. 42. art. 3. D. Bonauenturam in 1. diſt. 2. art. 2. q. 1. & 2. & recentiores Thomiſtas, & alios. Hunc autem ordinem originis appellant etiam ordinem naturæ, quia D. Auguſtinus Orat. de quinque Hæreſibus a medio tom. 7. eum appellat ordinem naturæ non quo alterum ſit prius altero, ſed quo alterũ ſit ex altero; Et etiam, quia ille ordo originis eſt ſecundum naturam, ſiue ſecundum naturalem originem; ſic communiter Theologi ſubiungunt, deinde D. Thomas, & D. Bonau., & multi alij dicunt hunc ordinem originis eſſe abſq; prioritate, & poſterioritate originis, & in hoc eſt diſcrepantia inter eos, & Scotum; fundamentum eorum eſt, quia ſecundum D. Athanaſium in Symbolo in diuinis perſonis nihil eſt prius, & poſterius, ſed omnes ſunt ſibi coæternæ, & coæquales. Hæc veteres, & nihil amplius dicunt; Scotus vero rem hanc exactiſſime declarat, & ponit in diuinis duos ordines, alterum naturæ alterum originis, In ordine naturæ ponit tria ſigna, ſiue inſtantia, in primo ſigno, ſiue inſtanti naturæ occurrit eſſentia diuina, vt habet eſſe à ſe, & ex ſe, & per ſe, quod non conuenit alicui naturæ creatæ, quia nulla natura creata habet eſſe prius naturaliter, quam in ſuppoſito.

5 In ſecundo inſtanti naturæ pullulant in eſsentia diuina relationes diuinæ, & ſuppoſita diuina, in tertio ſigno, ſeu inſtanti naturæ perſonæ diuinæ ſimul producunt creaturas in eſſe Ideali; iſta tria ſigna, ſiue inſtantia naturæ ponuntur à Scoto in 1. diſt. 5. q. 2. v. tertia difficultas, & diſt. 7. q. 1. in 1. argumento contra opinionem adſcriptam D. Thomæ v. contra illud arguitur, ſed clariſſime, & ad extenſum in 2. diſt. 1. q. 1. v. quantum ad hoc. Notandum eſt autem hic Scotum diuerſimode hæc inſtantia naturæ aſſignare, quoniam diſtinc. 5. & diſt. 6. aſsignat tantum duo priora ſigna naturæ primum in quo eſſentia habet eſse per ſe ſine perſonis, & ſecundum in quo ſunt productiones, & perſonæ in diuinis de tertio inſtanti nullam facit mentionem; In ſecundo libro facit mentionem de duobus vltimis inſtantibus naturæ; ſecundum enim inſtans, in quo habetur productio diuinarum perſonarum in eſsentia diuina appellat primum ſignum naturæ; tertium vero in quo creaturæ in eſſe ideali

ſi producuntur in intellectu diuino appellat ſecundum ſignum naturæ; & ratio eſt quia in 2. libro accipit ordinem naturæ comparando obiecta ad intellectum, & voluntatem, & quia primum obiectum intellectus, & voluntatis diuinæ eſt diuina eſsentia, illud eſt primum ſignum naturæ; in quo intellectus, & voluntas diuina reſpiciunt eſſentiam diuinam, vt ſuum primarium obiectum; Quoniam autem ſecundarium obiectum intellectus, & voluntatis diuinæ ſunt creaturę in eſſe cognito. Ideo appellat ſecundum ſignum naturæ id, in quo intellectus, & voluntas conſiderantur in ordine ad obiectum ſecundarium; tamen connumerando primum ſignum naturæ in quo eſsentia habet eſse per ſe exiſtentiæ, ſiue ſubſiſtentiæ communicabile, cuius indiuiduum eſt Deum, dicendum ſecundum inſtans naturæ eſſe illud, in quo Perſonæ diuinæ, & operationes ad intra producuntur tertium vero, in quo operationes ad extra producuntur.

6 Ordo autem originis ſecundum Scotum in eodem 2. libro loco citato & in p. diſt. 12. q. 2. in corpore & diſt. 1. q. 2. & quolib 4. art 1. v. contra iſta arguitur & p. diſt. 28. q. 3. v. ad quæſtionem, & alibi ſæpe; & præſertim in 2. eſt duplex, alter eſt verus ordo originis, quia habet veram originationem, alter vero eſt ordo originis non verus, nec proprius, ſed per ſimilitudinem ad verum; primus ordo originis eſt in 2. ſigno naturæ, ſecundus ordo originis eſt in tertio ſigno naturæ; nam vt ait Scotus in 2. loco citato ordo originis ſic ſe habet ad ordinem naturę, quod omnia ſigna, & gradus vnius ordinis originis continentur in vnico inſtanti, & ſigno ordinis naturæ, adeo, quod totus primus ordo originis, & omnes gradus illius continentur in 2. inſtanti, ſiue 2. ſigno naturæ; & totus ſecundus ordo originis, & omnia eius ſigna, & gradus continentur in 3. ſigno naturæ; Iſti enim ordines naturæ, & originis in diuinis ſic ſe habent, quod vnicum inſtans temporis continet plura inſtantia naturæ, ergo non eſt mirum, quod in vnico inſtanti æternitatis ſint plura inſtantia naturę; ſicut ergo in vno inſtanti temporis, & æternitatis ſunt plura inſtantia naturæ, ita in diuinis in vnico inſtanti naturæ ſunt plura ſigna originis, atque adeo totus vnus ordo originis poteſt eſſe in vnico inſtanti naturæ.

7 In primo ergo ordine originis ſunt tria ſigna in primo Pater eſt à ſe, & eſt perfecte beatus & conſequenter per ſe beatus, & proinde habens memoriam perfectam ideſt intellectum, & eſſentiam ſibi præſentē in ratione obiecti, & voluntatem fœcundam, & proinde poteſt operari ſcilicet intelligere, & velle, atque etiam poteſt producere ideſt generare, & ſpirare, quia hæc omnia habet à ſe, & non ab vllo alio; in 2. ſigo originis Pater producit Filium; & communicat ei omnia eſsentialia ad intra, & voluntatem fœcundam, & in eodem inſtanti filius habet eſse à Patre, & 3. ſigno Pater, & filius producunt Spiritum Sanctum communicando ei omnia eſsentialia, & Spiritus Sanctus producitur ab vtroque, hoc tamen modo, quod Pater ſpirat à ſe, filius vero ſpirat à Patre, & hic eſt ordo originis primus qui eſt ad intra; Hæc prioritas, & poſterioritas originis in diuinis perſonis, probatur primo per D. Auguſtinum, qui libro de triplici habitaculo prope finem ſic ait; tunc manifeſtum erit (in beata viſione) iuſtis quid inter eſt, inter naſci, quod ad filium pertinet, & procedere, quod ad Spiritum Sanctum (& infra) & quomodo Pater non pręceſſit filium tempore, ſed origine; præcedere autem, & eſse prius idem

idem ſunt, ergo in diuinis Perſonis eſt prius, & poſterius; Secundo probatur ratione ſic; In diuinis admittitur prima, ſecunda, & tertia perſona, & hoc non ſolum ex parte noſtri intellectus, ſed ex parte rei nullo cogitante intellectu; Perſona ergo Patris eſt ita prima, quod non poteſt eſſe ſecunda, & tertia, & ſic de alijs; tunc ſic, at in omni ordine primum eſt prius ſecundo; & ſecundum tertio, ergo cum Prima perſona ſit prima erit prior ſecunda, & ſecunda erit prior tertia, ergo in diuinis eſt prius, & poſterius.

8 Secundò ſic probatur ratione; omne producens eſt prius producto, quia ſecundum D. Auguſtinum, & vt ex ſe patet, nihil gignit ſe ipſum, aliàs eſſet antequam eſſet, ergo de ratione producentis, & generantis eſt eſſe ante productum, & genitum, & Pater producit filium, & Pater, & filius producunt Spiritum Sanctum, ergo Pater eſt prior origine filio; & Pater, & filius ſunt priores Spiritu Sancto, ergo in diuinis eſt prioritas, & poſterioritas originis; Dices, dictum eſt Patrem ſpirare à ſe Spiritum Sanctum, antequam filius ſpiret, quod eſt abſurdum, quia tunc Spiritus Sanctus non procederet à filio, vel bis produceretur. Reſpondetur argumentum ſupponere eſſe ſimilem ordinem inter patrem ſpirantem, & filium ſpirantem, qui eſt inter Patrem generantem, & Patrem ſpirātem, quod tamen eſt falſum, nec nos aſſerimus. Dicimus ergo non eſſe eundem ordinem originis in Patrem ſpirantem, & filium ſpirantem, ſcilicet quod in vno ſigno ſpiret Pater, & in alio filius, ſicut in vno ſigno Pater generat, & in alio Pater ſpirat, ſed dicimus in eodem ſigno originis, tertio ſcilicet Patrem & filium ſimul ſpirare Spiritum Sanctum, hoc tamen diſcrimine, quod Pater à ſe, & filius à Patre, & hoc diſcrimen eſt aliquis ordo, & poteſt dici ordo ſecundum quid, ſicut eſt ordo originis ſecūdus, de quo in ſequenti numero.

9 Secundus ordo originis eſt in tertio inſtanti naturæ, in quo comparatur intellectus, & voluntas diuina ad obiectum ſecundarium ſcilicet ad eſſe ideale, ſeu cognitum creaturarum, & quia illud obiectum ſecundarium non eſt ex ſe intelligibile, vt eſſentia diuina, ſed ſit actu intelligibile per intellectum, ideo non habet eſſe in memoria diuina, vt memoria eſt, ſed producitur actu intelligentiæ in eſse obiecti, ſicut in nobis intentiones ſecundæ producuntur per intellectum; & non ſunt in memoria, vt memoria eſt; ſed dato etiam quod obiectum ſecundarium haberet eſse in memoria, ſaltem hoc eſt veriſſimum, quod antequam habeat eſse in memoria, vel in intelligentia, tam memoria quam intelligentia eſt in tribus perſonis, quo fit, vt memoria, & intelligentia, quatenus eſt in tribus perſonis ſit ratio producendi creaturas in eſse ideali, & cognito. In hac autem productione creaturarum, quo ad eſse cognitum poteſt aſſignari quidam ordo, & hic eſt ſecundus ordo originis, nam Pater quodammodo poteſt dici prius intelligere lapidem quam filius, & filius quam Spiritus Sanctus, nam Pater intelligit lapidem à ſe, quia non accipit intellectū ab alio; filius vero intelligit lapidem, ſed non à ſe, ſed ab alio, quia à Patre; Spiritus Sanctus autem ab vtroque. Ex quo patet iſtum ſecundum ordinem originis non eſse originationem ſimpliciter, quia ſcilicet Perſonæ diuinæ non producuntur in eſse diuinę naturę ſimpliciter, ſed eſt quaſi originatio ſecundum quid, ſiue conſequens perſonas iam productas.

10 Ex his omnibus colligitur, nec cognitionem, nec amorem creaturarū, tam actualium, quam poſſibilium diui-

Digitized by Google

nas præcedere proceſſiones, ita Scotus quolibeto 14. art. 2. vbi habet eſsentiam in diuinis eſse obiectum naturale motivum intellectus diuini ad intelligendum quodcumq; intelligibile ſimplex, ſed non niſi prius illa eſsentia ſit in omnibus ſuis ſuppoſitis. Non quod ſine hoc eſset defectus principij actiui, ſed ex parte termini requiritur ordo, quia ens infinitum, & neceſse eſse non poteſt ſecundum vllum eſse ſuum eſse poſterius natura ente finito, & contingente ſecundum quodcumque ſuum eſse; quod idem docuerat in 2. diſt. 1. q. 1. v. ad ſolutionem Quæſtionis, dum ordinem aſsignat inter obiectum primarium, & ſecundarium diuini intellectus, & voluntatis; & quidem quoad primam partem de cognitione, & amore creaturarum actualium, ſeu quoad eſse exiſtentiæ à Thomiſtis paſſim conceditur propter obiecti contingentiam, à qua pendere nequeunt diuinæ origines, & proceſsiones, quæ ſunt omnino neceſsariæ.

11 Quo vero ad ſecundam reſponſionis partem de cognitione creaturarum poſsibilium, & quoad eſse eſsentię conſtans eſt ſententia Thomiſtarum, quod præſupponatur productioni verbi, quæ fit ex comprehenſiua diuinæ eſsentiæ cognitione ad quam omnino ſpectare opinantur creaturas poſsibiles, & idem pariter aſserunt de amore earundem creaturarum reſpectu productionis Spiritus Sancti; noſtra tamen reſponſio difficultatis prædictæ deciſiua nedum conſtanter ab omnibus Scotiſtis defenditur, ſed etiam à Vaſquez diſp. 143. & ab alijs Thomiſtis eam tamen quo ad vtramque partem ſolide probabimus ſi demonſtrauerimus Verbum non ſupponere in ſui productione cognitionem creaturarum poſsibilium quoad eſse eſsentiæ; & eo magis, & à fortiori aſserendum erit de cognitione actualium creaturarum, & quoad eſsentiæ, quia vnum ex alio conſequitur, quod quidam non erit captu difficile, ſi bene perpendatur prędicta doctrina de inſtantibus, & ſignis vtriuſque ordinis naturæ, & originis.

12 Primum argumentum (de quo vide Scotum in primo diſt. 30. q. 2. v. ad ſecundam quæſtionem, & diſt. 36. & diſt. 43. ſumitur ex neceſsitate diuinarum perſonarum ſic ens infinitum, & neceſse eſse non poteſt ſecundum vllum eſse ſuum eſse natura poſterius ente finito, & contingente, ac de ſe poſsibili non eſse ſpectato ſecundum quodcumque eſse ſuum; ſed ſi cognitio, & amor creaturæ in Deo eſset natura prior proceſsionibus diuinis, tam ens infinitum, & neceſse eſse foret ſecundum esse relativum natura poſterius ente finito, & contingente ſpectato ſecundũ suum esse volitum, & cognitum, ergo; &c. maior probatur, quia ſublato priori natura ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam tollitur poſterius, at ſublato ente finito, & contingente ſecundum totum ſuum esse ſpectato non tollitur ens infinitum, & necessarium ſecundum vllum esse ſuum, alias hoc ab illo aliquo modo penderet in esse, & conſequenter esset contingens, vt illud, cum nequeat id, quod ab alio pendet esse perfectius, & magis necessarium illo; minor etiam probatur, quia diuinæ proceſsiones in Deo pertinent ad esse relativum, ergo ſi cognitio, & amor creaturæ in Deo eſt natura prior proceſsionibus diuinis, iam ens infinitum, & necesse esse erit ſecundum ſuũ esse relativum natura poſterius ente finito, & contingente ſpectato ſecundũ suum esse volitum, & cognitum.

13 Secundum argumentum ſumitur à Scoto in 2. diſt. 1. q. 1. ex ordine primarij, & ſecundarij obiecti; Prius eſt à parte rei, quod Pater æternus producat

ducat Verbum, quam cognoſcat creaturas poſſibiles, ergo Verbum non procedit ex cognitione creaturarum, nec iſta ſupponitur eius productioni, conſequentia patet, & probatur antecedens; Pater æternus prius natura cognoſcit eſſentiam diuinam cum omnibus, quæ in ea inueniuntur ex natura rei, & per identitatem, vt attributa, & relationes, quam creaturas poſſibiles, quæ in ea continentur eminenter tantum, & virtualiter; cum prius cognoſcatur obiectum primarium, quam ſecundarium; Sed in eo priori, in quo Patris cognitio intelligitur ſic terminata ad eſſentiam præciſe velut ad obiectum primarium illa cognitio eſt infinita ſimpliciter, ergo illa ſufficit, vt dicatur Verbum ex perfectiſſima cognitione produci diuinæ eſſentiæ; Immo ſi Verbum proprie dicatur produci per cognitionem tanquam per principium quo, vel tanquam per productionem, vel actionem productiuam, vt contendunt aduerſarij adhuc illa cognitio erit fœcunda, & productiua Verbi, quia eſt infinita & perfectiſſima. Ex quibus omnibus à fortiori concluditur, nec cognitionem, nec amorem creaturarum actualium, aut poſſibilium diuinas præcedere proceſſiones, ſiue productiones, quia proceſſio Verbi, & proceſſio Spiritus Sancti iuxta ſuperius dicta ſunt ambæ neceſſariæ, ergo non poſſunt oriri ex ſcientia, & amore creaturarum actualium, quia eſt contingens obiectiue, nec creaturarum poſſibilium, quia pariter obiectiue eſt imperfectiſſima; alias tales proceſſiones eſſent, & ipſę contingentes & non neceſſariæ, imperfectæ, & non infinitæ; quod eſt abſurdiſſimum.

14 Ex poſitis, & explicatis duobus principijs diuinarum proceſſionum explicandi ſunt termini earundem ſecundum doctrinam Scoti quam tradit de terminis actionum in creaturis; Vnde eſt aduertēdum, quod terminus actionis duplex eſt alter adæquatus, alter formalis, licet etiam aliquando terminus adæquatus dicatur formalis denominatione deſumpta à forma totius; Terminus adæquatus eſt compoſitum ex materia, & forma, quod primo & per ſe generatur; Terminus formalis eſt forma, qua mediante formaliter exiſtit terminus primus, & totalis; Materia autem eſt ſubiectum generationis vtriuſque termini, & cum hoc ſtat, quod materia ſit ingenerabilis, forma eſt generabilis formaliter; Compoſitum vero generabile totaliter, & adæquatæ. Hi termini aliter appellantur, forma terminus quo; compoſitum vero terminus quod, nam in rebus phyſicis, dum producitur compoſitum ſubſtantiale, terminus quod, ſeu qui producitur eſt totum compoſitum, quod enim generatur eſt totum compoſitum, illud vero, quo tanquam principio formali productum in eſse tali cōſtituitur, & in quo agenti aſsimilatur (ſi actio eſt vniuoca) eſt forma, ſeu terminus formalis quo, quo nimirum productum eſt formaliter ſimile producenti; ſimili modo poſsumus de diuinis philoſophari dicendo alium eſse terminum diuinæ productionis, quod ſiue qui, alium quo, terminus quod, ſeu qui producitur, eſt ipſa perſona producta, ſiue generatione, ſiue ſpiratione, terminus vero formalis ſeu terminus quo eſt illud, in quo productum eſt quiditatiue ſimile producenti, quod eſt ipſa natura diuina, in qua, tam filius aſsimilatur idētice Patri producenti, quam Spiritus Sanctus Patri, & Filio.

15 Aduertendum eſt ſecundo; quod termino formali, ſeu termino quo in creaturis competunt duo vnum eſt, quod accipiat eſse poſt non eſse per ge-

nerationem, alterum quod ſit vnus, & idem in generante & genito. Seu in producente, & in producto; Primum non eſt de ratione formali termini formalis, ſecundum autem licet ei competat formaliter non tamen eodem modo in creaturis & in diuinis; quod ſic declarat D. Bonauentura; Generatio de ſua ratione communi terminatur ad ſubſtantiam; Subſtantia autem dicitur dupliciter, nempe prima, quæ eſt ſuppoſitum, & hypoſtaſis, ſiue perſona, alia ſecunda, quæ eſt ſubſtantia communis; Rurſus terminus generationis, vel conſideratur in ratione productionis, qua nimirum productione producitur, & accipit eſſe, prout accipere eſſe ſignificat idem, quod habere eſſe productum ab alio abſque vllo præuio non eſſe talis producti, & tunc omnis generatio in ratione productionis (ſicut omnis actio eſt circa ſingularia) terminabitur ad ſubſtantiam primam ſeu ſuppoſitum; Vel ſecundo conſideratur terminus generationis in ratione intentionis; quem ſcilicet producens intendit communicare producto, & hic terminus in omnibus generationibus phyſicis eſt natura ſubſtantialis communis, quia hic homo producens hunc hominem intendit dare illi naturam communem; Sed quoniam in creaturis forma communis numeratur in ſuppoſitis, ſiquidem non eſt ex ſe ſingularis, ideo terminus generationis creatæ in ratione intentionis non erit eadem numero natura in producto, quę eſt in producente, ſed ſufficit quod ſit eadem ſpecie; Diuina autem natura, quæ eſt communis, ſola communitate communicabilitatis, & prædicationis de tribus ſuppoſitis, cum ſit ſingulariſsima ab intrinſeco, eamque intendit ſuppoſitum producens communicare per generationem ſuppoſito producto, ſequitur quod illa eadem numero, quæ eſt in producente eſt terminus formalis in producto ſecundum intentionem producentis non terminus quod, ſed terminus quo producti.

16 Quod etiam non ſit de ratione termini formalis accipere eſſe poſt non eſſe ſic declaratur; Nam hæc propoſitio terminus formalis debet accipere ſuam realitatem per productionem duplicem habet ſenſum, primum vt terminus ille formalis, quem dicimus eſſe naturam, vel formam dicatur præciſe habere eſſe à productione, abſque productione vero non intelligatur habere eſſe ſeu exiſtentiam ſuam; ſecundum ſenſum, vt terminus formalis licet eſſe ſuum ſimpliciter non accipiat productione, eſſe tamen in producto accipiat per productionem; Primus ſenſus eſt falſus non modo in diuinis, ſed etiã in creatis; nam in homine producto terminus formalis talis generationis eſt Anima rationalis, & hæc prius natura habet eſſe per creationem, quã in eſſe in ſuppoſito hominis prius etiam, vt tempore poſsit creari à Deo, quam infundi, ergo terminus formalis creatæ generationis non neceſſario habet primo eſſe productione ipſius producti totalis; Vnde bene annotauit Mayronus quod licet in compoſitis (vbi formale principium eſt corruptibile) totum compoſitũ accipiat eſſe per hoc, quod eius formale principium accipiat eſſe; tamen in illis, in quibus formale principium eſt incorruptibile, eſt oppoſitum; ſimiliter illi, qui ponunt reſuſcitationem mortuorum eſſe actionem, dicunt conſequenter talem actionem habere terminum totalem hominem reſuſcitatum eſſe; formalem vero Animam intellectiuam, & tamen hæc non accipit tunc ſuum primum eſſe.

17 In genito increato, ſicut & in ſpirato Deitas, quæ eſt quaſi forma non informans, nec actuans aliquid, ſed vt

infinita eſſentia dans eſſe Dei, & eſſe Deum ſuppoſitis per productionem, in quibus non accipit eſſe ſimpliciter, ſed ſolum eſſe communicatum eſt ſic terminus formalis diuinarum productionum generationis, & ſpirationis; Per hæc dicta facile reſpondetur huiuſmodi obiectioni. Terminus primus accipit eſſe per productionem, ergo & formalis; at diuina eſſentia non accipit eſſe per illam productionem, quia prius origine fuit in Patre, & vt prçintelligitur omnibus perſonis eſt per ſe exiſtens, & vna numero omne includens perfectiuum; ergo diuina eſſentia non eſt terminus formalis diuinarum productionum; Reſpondetur ergo primo, quod accipere eſſe ſtat dupliciter; vno modo in ſe ſimpliciter, & abſolute, & ſic diuina eſſentia poſt non eſſe in filio nō accipit eſſe; alio modo accipere eſſe poſt non eſſe non in ſe, ſed in alio, & ſic diuina eſſentia poſt non eſſe in filio accipit eſſe in ipſo. Reſpondetur ſecundo, quod illa maior eſt vera in creaturis; terminus enim formalis, vt eſt talis vnam tantum habet condicionem ſcilicet, quod per illum terminus primus, & adæquatus habeat eſſe ſimpliciter, & quiditatiue; & hoc modo eſſentia diuina eſt terminus formalis alias deinde duas, vel tres ſcilicet quod accipiat eſſe per productionem poſt non eſſe, & quod ſit pars producti per modum informantis, & actuantis habet in creaturis ob illarum imperfectionem.

18 Ex ſuperius dictis expoſitis, & explicatis in primo, & in hoc ſecundo articulo remanet concluſum, & ſatis probatum in diuinis, ſicuti ſunt tantum duæ productiones omnino, & formaliter diſtinctæ generatio ſcilicet, & ſpiratio ita eſſe tantum duo producta totalia, & adæquata nempe Verbum, ſiue filium, & Spiritum Sanctum; Quamuis enim Suarez lib. 1. de Miſterio Trinitatis Cap. 2. fuſe nimis dicat hoc contra Gentiles, & Paganos immediate probari, & conuinci non poſſe, miror tamen tantum Doctorem tam facile cauſa cedere; Ad quid tot labores, & vigiliæ antiquorum Patrum contra Paganos, & Hæreticos? fruſtra fuiſſent tot ſudores ſi ſufficienter eos non conuiciſſent: quid enim facit Diuus Athanaſius per omnes aduerſus Arianos conſcriptas orationes, niſi rationibus oſtendere Deum ſine verbo, & ratione non eſſe? & rationem, ſeu Verbum à natura diuina eſſe non poſſe alienum? Quid item D. Ambroſius aduerſus Arianorum inſultus toties in Epiſtolis, & ſermonibus ſuis oſtendit, niſi Deum non eſſe ſine verbo & Verbum diuinum eſſe non poſſe niſi Deum? quid Diu. Gregorius Nazianzenus in orationibus de Theologia probat, niſi perſonarum pluralitatem in diuinis? Quid D. Hilarius, & D. Auguſtinus in omnibus quæ conſcripſerunt de Sanctiſsima Trinitate libris? Quod denique omnes Patres, qui ſcripſerunt aduerſus Sabellium & eius ſequaces? Qui negabant pluralitatem perſonarum in diuinis, & ſolum dicebant eſſe pluralitatem nominum, niſi rationibus conuincere veram eſſe in diuinis pluralitatem perſonarum? Quid item omnes, qui ſcripſerunt aduerſus Arrium, & Arrianos, Eunomium, & Eunomianos, Macedonium, & Macedonianos, quorum quidam negabant diuinitatam filij, quidam Spiritus Sancti, niſi conuincere filium, & Spiritum Sanctum eſſe verum Deum non enim ſolum ſcripturis agebant aduerſus eos, qui ſcripturas eludebant, ſed etiam rationibus.

19 Temerarium ergo videri non poterit, ſi pietate erga Deum quem colimus ducti eius fidem etiam rationibus excolere conamur; veritas enim veri-

tati

tati non contradicit, nam qui elucidant me vitam æternam habebunt; Parati igitur vnicuique reddere rationem fidei noſtræ vt monet Apoſtolus dicimus duo tantum eſſe producta in diuinis, vnum per modum intellectus, & naturæ, aliud vero per modum voluntatis, & amoris; & probatur (ni fallor) efficaciter; nam Deus vel eſt intelligens, & volens, vel non? ſi non; qualis erit ille Deus, qui nec eſt intelligens, nec volens? Quomodo mundum condidit, & omnia gubernat? & intelligentiam, & voluntatem Angelis, & hominibus confert, ſi non eſt intelligens, & volens? Qui dedit Cæteris intellectum, & prudentiã, ipſe erit inſipiens? Quis in fidelium auſit aſſerere? ſi autem eſt intelligens & volens (vt alibi probatum eſt) ergo vult, & intelligit, & diſponit omnia in ordine ad ſuos fines, ſicut omnia ipſe tanquam primum efficiens ex nihilo creauit; Dicet quis Paganus & infidelis, quod ipſe quidem Deus vult ſed ſolum, quæ ſunt creata. Contra vel intelligebat ante creationem, vel non; ſi non ergo de nõ intelligente factus eſt intelligens, & de non volente volens, vel non habebat tunc intellectum, & voluntatem, per quid igitur, aut per quem illa eſt adeptus? etenim fuiſſet tunc imperfectus, & poſtea etiam mutatus; ſi vero intelligebat, & volebat ante Mundi conſtitutionem, ergo intellectionem, & volitionem producebat, nam non poteſt eſſe actu intelligens, & volens, quin actum intellectus, & voluntatis producat; Iam ergo talis actus productus vel eſt ſubſtantia, vel accidens, cum ſubſtantia, & accidens diuidunt totum ens; accidens autem eſſe non poteſt, quia cum Deus ſit actus puriſſimus, & ſimpliciſſima ſubſtantia accidens in eo eſſe non poteſt; ſi ſubſtantia, aut eadem cum producente, aut diſtincta, eadem omnino eſſe non poteſt, aliter producens & productum eſſent omnino idẽ, ſi diſtincta, vel diſtincta eſſentialiter, vel diſtincta perſonaliter, non eſſentialiter aliter eſſent plures Dij, quod eſt impoſſibile, ergo perſonaliter, ergo plures sũt perſonæ, & non niſi duæ productæ ob duos ſolos, ſed diſtinctos modos producendi, & ob duo tantum principia productiua, quorum ſunt termini totales & adæquati.

20 Stabilita veritate de duabus productionibus diuinis, de duobus earum principijs, & duobus terminis adæquatis productis, pro coronide iſtius articuli aliquid dicendum eſt de natura, & quiditate earundem productionum; De quare notanda ſunt ſequentia; intellectio eſſentialis non eſt de ratione formali actus dicendi, nam nulla ratio abſoluta eſt de ratione formali, & quiditatiua alicuius relatiui, ſed actus intelligendi eſſentialis, vt quocumque modo diſtinguitur ab actu dicẽdi, eſt quid abſolutum, dicere autem, vt quocumque modo diſtinguitur eſt quid relatiuum (vt etiam ipſi Thomiſtæ cõcedunt) ergo intellectio eſſentialis non erit de ratione formali actus dicendi relatiui; maior probatur impoſſibile eſt de eodem, & eodem actu ſecundum eandem rationem formalem verificari duo contradictoria, quia dato oppoſito deſtruitur primum principium metaphiſicum, ſed ſi de ratione actus productiui Verbi ſit intellectio actualis tunc de illo vno actu productiuo ſecundum eandem rationem formalem verificabuntur duo contradictoria nempe quod ille actus productiuus de ratione ſua formali erit ad ſe, quia eſt intellectio abſoluta, & ad ſe; & non erit ad ſe, quia eſt actus dicendi, ſeu producendi aliud.

21 Secundo probatur illud non eſt de ratione formali actus producendi, ſine quo actus producendi poteſt intelligi quod patet, ſed actus dicendi, qui

eſt

Digitized by Google

eſt ab intrinſeco productio, & relatio, poteſt intelligi ſine intellectione eſſentiali immo abſque omni abſoluto poteſt intelligi relatio ergo, intellectio eſſentialis non eſt de intrinſeca ratione formali actus productiui; tertio probatur. A ratione formali apta eſt res dici formaliter, & eſſentialiter talis; vt patet inductiue in omnibus; homo enim eſt animal, & rationale, quia iſta ſunt de ratione formali hominis. Albedo item eſt formaliter accidens, & ita de alijs, quæ ſunt de ratione formali aliquorum ſi ergo intellectio abſoluta, & eſſentialis eſt intrinſeca, & de formali ratione actus dicendi relatiui, & notionalis, iſte actus relatiuus, & notionalis dicendi erit formaliter abſolutus eſſentialis, & ad ſe, quod ſibi ex diametro repugnat & contradictorium eſt; Ex quo infertur falſam eſſe ſententiam Caietani aſſerētis intellectionem eſſe de ratione formali actus generandi.

22 Intellectio eſſētialis non eſt formaliter actus ille, quo Pater dicit Verbum, tum quia intellectio eſt vltima perfectio intelligentis, & non eſt actus productiuus, tum quia actus productiuus Verbi debet vni ſoli perſonæ Patris conuenire, quia ſolus Pater generat actu, vel dicit Verbum; non ſic intellectio eſſentialis, quæ conuenit tribus perſonis; tum quia dictio Verbi non eſt aliud, quam generatio Verbi, ſed generatio non eſt intellectio eſſentialis, vt de ſe manifeſtum eſt; Tum quia dicere Verbum abſtrahit à perfectione ſimpliciter, quia alias Verbum, quod non dicit aliud Verbum non haberet perfectionem ſimpliciter; intellectio autem eſſentialis dicit perfectionem ſimpliciter ſecundum omnes; Reſtat igitur pro indubitato Patrem producere Verbum actu dicendi diſtincto aliquo modo ab intellectione eſſentiali, tum quia illo actu Pater generat Verbum, qui ſoli Patri conuenit, & non alteri actus autē dicendi (vt dictum eſt) ſoli Patri conuenit, & non alteri ſuppoſito, ergo, tum etiā, quia Patrē dicere Verbū idem eſt, quod generare Verbum, & generatio idem eſt formaliter, quod dictio, ſed Pater formaliter generatione generat, ſicut ignis calefactione calefacit, igitur etiam Pater formaliter dicit, ſeu actu dicendi dicit Verbum; quia iſta ſunt formaliter idem id eſt generatio, & dictio.

23 Ad abundantiorem dictorum Doctrinam, & clariorem notitiam adhuc notandum eſt intellectionem eſſētialem concurrere ad productionem Verbi dupliciter poſſe intelligi, primo modo in ratione principij formalis, quo ſcilicet vt principio formali Pater producit Verbum, & ſic falſum eſt etiam ſecundum Thomiſtas p. p. q. 23. alio modo in ratione actus, vel actionis, quo actu dicitur Verbum & ſic dicūt Thomiſtæ intellectionem eſſentialem eſſe actionem intellectus, qua intellectus cum eſſentia producit Verbum; Scotus vero cum ſuis Scotiſtis dicit non actu intelligendi, ſed actu dicendi diſtincto ab intellectione eſſentiali produci Verbum, quod clarius intelligitur in dato à Doctore ſubtili exemplo. Ignis eſt calefaciens, principium formale quo calefacit eſt calor, quia ignis calore, vt principio formali calefacit, actus vero ſeu actio, qua formaliter calefacit, & à qua denominatur ignis calefaciens eſt calefactio, quia ignis calefactione calefacit, & à calefactione denominatur actu calefaciens; Ita dicimus, quod in diuinis Pater eſt generans Verbū, principium formale, quo generat, eſt memoria fœcunda, De actu vero generandi quo generat, & à quo formaliter denominatur generans eſt controuerſia. Nam Scotiſtæ dicunt quod Pater generatione formaliter generat ſeu dictione for-

formaliter dicit Verbum; generatio vero; ſeu dictio non eſt intellectio eſſentialis, vt ſatis probatum eſt; Thomiſtæ vero dicunt, quod actu intelligendi, ſeu intellectione eſsentiali, quamuis, & inter ipſos ſit aliqua differentia, de qua nihil ad nos.

24 Item notandum, quod intellectio eſſentialis in diuinis (ſecundum Scotum in pluribus locis) eſt operatio improducta communis tribus Perſonis, qua, vt actu noſcendi tres perſonæ noſcunt eſſentiam diuinam, & omnia in eſſentia, ita reſpectu actus iſtius nullum eſt dicere, ſeu nulla productio, cum ſit actus improductus, & improducibilis; ſed Verbum, cum ſit notitia producta, aliqua actione, ſeu productione debet produci, quæ actio, vel productio reſpectu Verbi non eſt tanquam primus effectus reſpectu ſecundi (loquor ſecundum noſtrum modum intelligendi) ſed eſt tanquam via ad terminum, eo modo, quo ſe habet calefactio ad calorem ſecluſis imperfectionibus. Iſta actio, qua producitur Verbum nominatur dictio, ſeu actus dicendi. Vnde idem eſt dicere, quod producere, & dictio Verbi idem, quod productio Verbi; Tandem notandum eſt actum dicendi diſtingui ab intellectione eſſentiali, quia intellectio eſt communis tribus, abſoluta, & eſſentialis, & perfectio ſimpliciter, improducta, & improducibilis, necnon vltima perfectio, qua intellectus intelligens intelligitur eſſe perfectus in actu ſecundo; actus autem dicendi, ſiue dictio ſoli Patri conuenit, eſt relatiua, & notionalis abſtrahens à perfectione ſimpliciter, eſt actio, ſeu productio, qua agens aliquid agit, ſeu productio, qua producens producit aliquod productum; Itaut productio non poteſt intelligi, quin per illam aliquis terminus producatur; atque ita, cum dicere ſicut agere, & producere ex ratione ſua formali, & intrinſeca in præſenti ſignificatione erit mere perſonale non eſſentiale, nec intellectio eſſentialis includetur per ſe in ratione formali dicendi, ſicut nec eſſentia eſt de conceptu formali relationis in diuinis, iuxta ſuperius dicta. Quæcumque dicta ſunt in præſenti articulo de intellectione eſſentiali, de notitia genita, de eius productione, principijs & terminis, proportionaliter applicari debent ad amorem eſſentialem, & amorem productũ, ſeu ſpiratum, qui eſt Spiritus Sanctus, ad eius productionem, ſeu ſpirationem ad eius principia, & terminos ſeruata inquam proportione, quæ ſeruari debet inter principium naturale, & liberũ.

De Relationibus Diuinis, & Notionibus diuinarum perſonarum. Art. III.

1 EST omnino certiſſimum, & de fide in diuinis dare relationes non ſolum rationis, ſed etiam reales, ſic definitur in Concilio Toletano 2. in confeſſione fidei vbi dicitur; Hæc ergo ſancta Trinitas; quæ vnus eſt Deus, neque recedit à numero, neque capitur numero; in relatione enim Perſonarum cernitur numerus &c. & in Cap. firmiter de ſumma Trinit. decernitur quod ſancta Trinitas ſecundum proprietates formales diſcreta eſt; quod ſi in Deo tantum eſſet relatio rationis perſonæ diuinæ diſtinguerentur tantum ratione, & non realiter, quod eſt Hereſis Sabellij; præterea Eccleſia nullas agnoſcit proprietates perſonales niſi relatiuas, vt alius ſit Pater, & alius ſit filius, & alius ſit Spiritus Sanctus; Item ſacra ſcriptura quoties commemorat miſterium Trinitatis, ſub nominibus relatiuis illud exprimit, vt in illo baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus

ritus Sancti, huic veritati aſſentit Boetius lib. de Trinit. vbi ait quod ſola relatio multiplicat Trinitatem. Hæc autem multiplicatio non eſt ſecundum rationem tantum; ſed ſecundum rem; quia vere, & à parte rei Pater eſt Pater, & filius eſt filius, ergo à parte rei eſt vera Paternitas, & vera filiatio.

2 Fulcitur rationibus; quarum prima eſt; ſecundum fidei veritatem conſtat, quod in diuinis eſt perſonarum realis originatio ad intra, ergo, & relatio realis; nam veriſſimè vna perſona originatur ab alia, ſcilicet filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & filio, & vna perſona vere diſtinguitur ab alia, & ad aliam refertur. Ergo ibi eſt relatio realis; Confirmatur, quia perfectior eſt generatio in diuinis, quam in creaturis; ſed ad generationem in creaturis ſequitur relatio realis ſcilicet Patris, & filij, ergo multo magis in diuinis ſunt relationes reales. Secunda ratio, omnia, quæ requiruntur ad relationem realem vendicat ſibi relatio in diuinis, ergo eſt realis; antecedens probatur primo, nam ibi ſunt extrema in actu reali, & ſic eſt fundamentum reale relationis ſcilicet eſſentia diuina, & eſt terminus relationis realis. Secundo ibi eſt diſtinctio realis perſonalis perſonarum. Tertio, quia ibi reſpectus innaſcitur ex natura rei fundatus ſuper originem inter talia extrema. Quarto vna Perſona habet habitudinem ad aliam, ergo eſt relatio realis.

3 Pro quo nota, quod quando principium, & id quod procedit, ſunt eiuſdem naturæ, & ordinis neceſſario habent relationes reales, quibus ad inuicem referuntur, vt Pater, & filius; & in diuinis vbi Pater Æternus eſt eiuſdem eſſentiæ, & ſubſtantiæ cum filio ſibi conſubſtantiali, quem vere generat neceſſario, relationes iſtæ ſunt reales; at quando principium, & id quod à principio procedit non ſunt eiuſdem naturæ, neque ordinis vt Deus, & creatura, ſcientia, & ſcibile non ſunt relationes reales; ſcientia enim procedit à ſcibili, & licet ipſa referatur, relatione reali ad ipſum ob id, quod eſt eius effectus realis, ſcibile tamen refertur relatione rationis ad ſcientiam; ſimiliter creatura procedit à Deo, & quamuis referatur ad eum relatione reali, cæterum Deus ſolum refertur ad creaturam relatione rationis. Cuius rei quamuis ſit difficile aſſignare totalem præciſam, & adæquatam cauſam, ac rationem; quare ſcilicet Deus relatione reali non referatur ex tempore ad creaturam, poſſunt tamen aliquæ rationes ſaltem à poſteriori aſſignari.

4 Prima poteſt ſumi ex parte fundamenti, nam ideo aliqua relatio eſt realis, quoniam habet tale fundamentum, quod ex ſui natura exigit habere alterũ terminum, at quando habet tale fundamentum, quod ex ſui natura non exigit habere alium terminum tunc non eſt realis, & quia Deus ſecundum ſui naturam nullo modo coexigit creaturam, idcirco omnino ſibi repugnat, quod ſit fundamentum talis relationis, ſecunda ſumitur ex infinitate; quia nullum infinitum poteſt eſſe pars vniuerſi, ſed quod non poteſt eſſe pars vniuerſi non poteſt realiter referri ad aliquid ipſius vniuerſi, ergo, minor patet, quia ſi non conſtitueret vniuerſum iam non haberet comparationem ad aliquod conſtitutivum vniuerſi; Tertia accipitur ex natura æternitatis Deus, & quicquid eſt in Deo eſt æternum, ſed relatio illa non poteſt eſſe æterna, quia terminus, eſt ex tempore, & per conſequens relatio non eſſet æterna, & ſic aliqua res adueniret Deo ex tempore. Quarta, deſumitur ex ſumma ſimplicitate ipſius Dei, nam Deus eſt ſumme ſimplex ſi autem adueniret ſibi relatio noua face-

Digitized by Google

ret compoſitionem cum eo.

5 Quinta ex ſumma actualitate, ens actualiſſimum non poteſt eſſe in potétia ad aliquid, ſed Deus eſt ens actualiſſimum, ergo non poteſt eſſe in potentia ad aliquid, ſi autem relatio realis aduenirer ex tempore fuiſſet Deus ab æterno in potentia ad ipſam relationem, quoniam illam ab ęterno non habuiſſet; Sexta ex ſumma neceſſitate; In ſummo neceſſe eſſe, idem eſt eſſe, & poſſe eſſe, ſed Deus eſt purum neceſſe eſſe, ergo ad nihil eſt in potentia, quod actu non habeat. Septima ex independentia, quicquid eſt in Deo eſt independens & improductum, relatio autem producitur, & etiam dependet à termino, ergo Dei ad creaturam non poteſt eſſe relatio realis; Octaua ex identitate; Quicquid eſt in Deo eſt idem, quod ipſe Deus, ſed illud, quod aduenit ei realiter ex tempore non poteſt eſſe idem, quod Deus ergo &c. Nona deſumitur ex immutabilitate; omne illud, quod ſe habet nunc aliter quam prius eſt mutatum; hoc patet per definitionem mutationis; ſed ſuſcipiens relationem realem nouam ſe habet aliter, nunc quam prius, ibi enim eſt alietas poſterioris ad prius; quoniam prius nó habebat, Deus autem eſt omnino immutabilis; ergo Deo de nouo ex tempore non poteſt aduenire relatio realis ad creaturam, ſed ſi quæ eſt, erit relatio rationis.

6 E contra veriſſimum eſt creaturam referri ad Deum relatione reali; Quare autem iſta relatio eſt realis Scotus in 1. diſt. 30. q. 2. dicit, quod tota ratio, quare hæc relatio eſt realis eſt, quia hoc extremum eſt tale ens, & aliud extremum eſt tale ens, vel quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud; ſicut ratio quare albedine, & albedine poſitis ſequitur relatio ſimilitudinis realis, & actualis non eſt niſi quod hæc, & hæc albedo ſunt talia entia, & talia accidentia; poſſet tamen inquit Scotus generalis ratio dari, quare in creatura ad creationem ſequitur relatio realis ad Deum creantem, quia creatura eſt perfectibilis, & potentialis, & dependens à Deo in eſſe, & in conſeruari; An vero reſpectus rationis Dei ad creaturam ſit prior reſpectu reali creaturæ ad Deum, vel è conuerſo. Reſpondetur relationem, ſiue reſpectum realem creaturæ ad Deum eſſe priorem reſpectu relationis Dei ad creaturam, ita Scotus qui in 2. diſt. 1. q. 2. dicit quod primo eſt abſolutum in cauſa, ſecundo abſolutum in effectu, tertio reſpectus effectûs ad cauſam, quarto reſpectus cauſæ ad effectum, ſi talis reſpectus in cauſa detur. Ex quibus Scoti verbis clarè colligitur reſpectum cauſæ ad effectum eſſe poſteriorem, reſpectum autem effectus ad cauſam eſſe priorem cui fauet D. Auguſtinus 5. de Trin. Cap. vltimo vbi ait, quod Deus dicitur temporaliter Dominus, quia creatura ſerua, ergo relatio ſeruitutis eſt prior, ſed hæc eſt realis, ergo relatio creaturæ ad Deum eſt prior.

7 Relationes igitur in diuinis non ſunt reales niſi ad intra; ubi ſunt duplices relationes reales communes ſcilic. & perſonales, ſiue originis. Relationes communes dicuntur, quæ conueniunt tribus perſonis, & sunt quattuor nempe diſtinctio, identitas, æqualitas, & ſimilitudo; Relationes originis, ſiue perſonales dicuntur, quia reſultant ex perſonis, & tales ſunt quattuor nempe Paternitas, filiatio, ſpiratio actiua, ſpiratio paſſiua; Paternitas conuenit Patri, filiatio filio, ſpiratio paſſiua Spiritui Sancto, & ſpiratio actiua Patri, & filio, ita quod dicuntur etiam perſonales, quia non omnes conueniunt omnibus perſonis, sed potius ſunt rationes diſtinguendi vnam ab altera perſona; Relationes diuinæ ſunt quidem reales ſicut, & creatæ, sed non uniformiter,

nam

nam relationes creatę, quatenus habent eſſe. In, dicuntur eſſe quid, quatenus autem habent eſſe; ad, dicuntur eſſe ad aliquid, & horum ratio eſt quia relationes creatæ ſunt accidentia, & ideo ſi comparentur ad ſubiectum, cui inhærent habent eſſe in, ideſt in ipſo ſubiecto, ſicut & alia accidentia ſi autem referantur ad terminum habent eſſe ad; Relationes autem diuinæ cum non ſint accidentia non habent eſſe in, ideſt per inhæſionem, ſed per incommunicabilem ſubſiſtentiam; habent tamen eſſe ad, ideſt relativum, quatenus reſpiciunt ſuum proprium terminum.

8 Vnde potius ſunt realitates dicendæ, vel modi, & circumſtantiæ eſſentiæ, quam res reales; licet etiam aliquo modo res dici poſſunt (vt dicit Scotus quolib. 3. Quod non ſint omnino, & abſolutæ res dicendæ inde patet ne quaternitas in diuinis videretur concedi ſcilicet generatio actiua, generatio paſſiua, ſpiratio actiua, & ſpiratio paſſiua, quod eſſet contra definitionem Concilij generalis Lateranenſis ſub Innocentio III. contra Abbatem Ioachim vt aduertit Scotus in p. diſt. 5. quæſ. 1. Quod vero huiuſmodi relationes perſonales, ſiue originis ſint dicendæ realitates reales, patet, quia cum non ſint nihil, nec etiam ſint entia rationis ergo; hac ratione poſſunt dici res in quantum ſunt reales non ſunt tamen ſubſtantiæ, vel accidentia non ſubſtantiæ, quia in Deo eſt tantum vna ſubſtantia, non etiam accidentia, quia nulli inherent, ſed ſunt modi eſsentiæ non inhęrentes, ſed ſubſiſtentes; Relationes comunes ſunt etiam ipſę reales quia non ſunt per intellectum productæ, quia fides docet filium eſse æqualem Patri, eundem in eſsentia, & ſimilem in attributis.

9 Inſuper eædem relationes communes habent tres condiciones requiſitas ad relationem realem, quarum prima quod fundamentum ſit reale, & terminus realis. Secũda quod extremorum ſit diſtinctio realis. Tertia quod ex natura extremorum ſcilicet fundamenti, & termini ſequatur ipſa relatio nimirũ ſine opere intellectus comparantis vnũ extremum alteri; ergo ſunt relationes reales, probatur antecedens, iſtæ relationes communes habent primam cõdicionem, nam fundamentum æqualitatis diuinarum Perſonarum eſt magnitudo ſiue quantitas virtutis, Identitatis eſt natura ſingularis, ſimilitudinis ſunt attributa, ſeu perfectiones, termini vero ſunt diuinæ Perſonę, ſed hæc fundamenta ſunt realia, & iſti termini ſunt reales, ergo ad eſt prima condicio; ſed eſt quoque ſecunda ſcilicet quod extrema ſint realiter diſtincta; quia perſonæ dicuntur æquales, & ſunt realiter & perſonaliter diſtinctæ, non ſic eſſentia diuina, & Perſona diuina ideo eſſentia diuina non eſt æqualis alicui Perſonæ diuinæ, nec è conuerſo.

10 Tertiam quoq; condicionem adeſſe probatur, quod nimirum relationes communes inſint extremis ex natura extremorum; nam nullo operante intellectu, aut comparante vnum extremum cum alio; immo dato per impoſſibile, quod nullus eſſet intellectus increatus, aut creatus ad huc tres perſonæ diuinæ eſſent eædem ſecundum eſſentiam, & naturam, diſtinctæ realiter ſecundum perſonalitates, ſimiles in attributis; & perfectionibus, & æquales ſecundum infinitam quantitatem virtutis; & hoc à parte rei, hoc probatur primo auctoritate D. Ioannis Cap. 5. vbi Chriſtus Patrem ſuum dicebat eſſe Deum, æqualem ſe faciendo Deo quam auctoritatẽ D. Griſoſthomus pertractando ait Iudæos qui erant cæci, etiam ex eo quod Chriſtus vocauit Deum Patrem ſuum cognouerunt ſequi eum eſſe æqualem Patri, immo clarius Apoſtolus ad Phi-

Digitized by Google

lip. 2. hoc teſtatur dicens non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualem Deo, Idem probatur ab oppoſito, nam ſi filius haberet aliam magnitudinem à Patre, quę eſſet minor, vt putabant Ariani filius eſſet minor Patre, & inæqualis illi, quę eſſet relatio realis, & non tantum rationis ergo magis, vel æque habens vere, & de facto eandem cum Patre magnitudinem, & quidem infinitam erit illi æqualis ęqualitate, quę ſit relatio realis. Dices ad relationem realem neceſſe eſt fundamentum eſſe diſtinctum realiter in vtroque extremo; ſed in diuinis non datur talis diſtinctio ergo; Reſpondetur negando abſolute maiorem, quæ accidentaliter verificatur ob earum imperfectionem.

11 Relationes diuinæ diſtinguntur ab eſſentia non ſolum ratione, ſed etiam ex natura rei; Inter ſe autem quædam diſtinguntur ratione, quædam ex natura rei & formaliter, quędam autem realiter poſitiue vel priuatiue. Prima pars probatur, Illa diſtinguntur ex natura rei, de quibus duo prædicata contradictoria verificantur, ſed ſic eſt quod in diuinis eſſentia, & relatio ſic ſe habent, quod de illis verificantur duo contradictoria, ergo eſſentia & relatio diſtingũtur ex natura rei; Maior propoſitio ſupponitur vera, quia quæ ſunt omnino idem ex parte rei, non habent aliquid, de quo vnum prædicatum prædicetur, & aliquid de quo non illud, ſed aliud verificetur; minor patet etiam, quia eſſentia eſt communicabilis ex parte rei, & ante omnem operationem intellectus cuiuſcumque; Relatio vero eſt incommunicabilis ſimiliter à parte rei, at communicabile, & incommunicabile ſunt prædicata contradictoria; ergo de eſſentia, & relationibus verificantur prædicata contradictoria.

12 Secunda pars, ſcilicet quod quædam relationes diuinę diſtinguantur ratione, quia generatio actiua, & paternitas ſola ratione diſtinguntur nam eſt eadem relatio ſolummodo aliter, & aliter præconcepta ab intellectu, paternitas enim eſt partim in eſſe quieto, & permanente, generatio vero percipitur quaſi in fieri. Tertia pars de diſtinctione reali poſitiua paternitatis filiationis, & ſpirationis paſſiuę eſt certa; ſed de diſtinctione reali poſitiua ſpirationis actiuæ à paternitate & filiatione eſt magna controuerſia, nam Thomiſtæ (vt ſolent) ſola ratione iſta diſtingunt præter Durandum, quem in eo erraſse conſtat, quod docent eſse diſtinctas realiter poſitiue; Hinc enim ſequitur quaternitas in diuinis, & licet Durandus dicat ſolam quaternitatem perſonalem non eſse ponendam in diuinis, quia eſſent quattuor perſonæ; Reuera tamen quarumlibet rerum quaternitas reijcitur à diuinis, nec tuto affirmari poteſt niſi in eo ſenſu, qui affertur à Scotiſtis vt ſupradictum eſt; qui etiam docent, quod ſpiratio actiua diſtinguatur à paternitate, & filiatione, & formaliter, & realiter; formaliter quidem poſitiue, quia verę ſunt formalitates reales; realiter etiam, ſed negatiue quia non ſunt res; vt ſupradictum eſt.

13 Contra id quod dictum eſt relationes diuinas diſtingui ab eſsentia ex natura rei arguunt communiter Thomiſtæ; ſi diuinæ relationes diſtinguerentur ex natura rei ab eſsentia diuina eſsent ei extrinſece, & accidentales, ſed hoc eſt impium aſserere ergo. Reſpondetur accidentale capi poſse dupliciter vno modo pro illo, quod conuenit rei poſt ſuum eſse completum, & perfectum; & tale accidentale eſt accidens per accidens, alio modo pro eo, quod eſt extra rationem formalem, & quidditatiuam rei, ſeu quod non ingreditur ipſam; Et pari ratione per oppoſitum eſsentiale capitur dupliciter vno modo

modo vt opponitur accidentali primo modo, & ſic omne illud dicitur eſſentiale, quod non eſt in aliquo nouem prædicamentorum accidentis, ſic inferiora generis ſubſtantiæ ſunt eſſentialia reſpectu ſuorum ſuperiorum, alio modo prout opponitur accidentali, ſecundo modo, & ſic illud eſt eſſentiale, quod ingreditur rationem formalem, ſeu definitionem ſi eſt definibile; Accipiendo itaque accidẽtale primo modo conceditur relationes diuinas non eſſe accidentales, ſed eſſentiales, vt eſſentiale opponitur tali accidentali, ſi accipiatur ſecundo modo conceditur eſſe accidentales; Sed non ob hoc non ſunt eſſentiales primo modo licet non ſecundo modo: ſtat enim aliquid non eſſe de ratione formali alterius, & tamen non eſſe accidens, vel ſubſtantia; homo enim eſt extra rationem formalem Animalis, & ſic accidentale ſecundo modo, & tamen eſt eſſentiale primo modo, quia eſt ſubſtantia. Si vero non vis vti hoc nomine accidentale in diuinis circumloquere illud per hoc quod eſt non eſſe de ratione formali alicuius, vel extra rationem formalem alicuius eſſe; ſi dixeris ergo relationes diuinę ſunt extra eſſentiam diuinam; Reſpondetur negando conſequentiam, quia eſt arguere à ſecundum quid ad ſimpliciter, ſunt extra rationem formalem eſſentiæ ergo extra eſſentiam; ſtat enim aliquid eſſe extra rationem formalem eſſentiæ, & tamen eſſe in entitate reali idem eſſentiæ ſicut ſtat riſibilitatem eſſe extra rationem hominis, & tamen eſſe idem humanitati.

14 Secundò contra idem arguunt. In Concilio generali Florentino ſeſſ. 18. dicitur, Diuina ſubſtantia, & perſonæ re quidem ſunt vnum, ſecundum autem modum intellectionis noſtrę videntur differre (loquitur autem de eſſentia & perſonis, & ſeſſ. 19. inquit) Haud quaquã putare debetis, quod re differant; quandoquidem ſola ratione, & intelligentia differre creduntur, ergo non diſtinguntur ex natura rei. Reſpondetur primo Concilium affirmare vnum non tamen negare aliud; Item ſecundo reſpondetur Concilium loqui diſputatiue non autem determinatiue, aut difinitiue, quod patet conſiderando verba Concilij; Concilium enim poſtquam præmiſit vnum ſcilicet quod non diſtinguantur re vt de fide tenendum eſt, aliud reliquid ſub diſputatione vt patet conſiderãti, dicitur ſecundo; In illis authoritatibus dicitur videtur, creditur; quæ verba inſinuant ipſum loqui opinatiue; iſta enim verba ſunt opinantis non definientis; Reſpondetur tertio, quod relationes diuinæ diſtinguntur ratione ſi accipiatur ratio non pro differentia præciſe formata à ratione; ſed pro quidditate prout eſt obiectum intellectus, ideſt pro quidditate conceptibili à ratione ideſt ab intellectu ex natura rei. Dices relationes ſecundum dicta diſtinguuntur ab hac eſſentia ratione ſumẽdo rationem pro quidditate conceptibili ab intellectu ex natura rei ergo diſtinguuntur ſecundum formalitates quod eſt inconueniens; cum formalitas dicatur à forma ſequeretur in diuinis dari plures formalitates & plures formæ, quod plus quam falſum eſt; Reſpondetur negando ſuppoſitum, quod eſt formalitatem dici à forma partis, quod eſt falſum, cum formalitas accipiatur à forma ſumpta pro quacumque ratione, ſub qua ex natura rei aliquid poteſt concipi.

15 Hic occurrit decidenda illa famoſa cõtrouerſia de relationibus diuinis maxime perſonalibus acceptis præciſe ſub ſuis formalitatibus an dicat perfectionem, reſolutio includit multa ſcitu digna, ideo ex ipſis bene intelle-

ctis

ctis eſt colligenda; Primo igitur notandum eſt prima diuidentia ens eſse quantum, & non quantum; Quantum inquam non quantitate moli, quæ eſt quantitas phyſica, & materialis, & extenſiua, ſecundum quamaliquid extenditur, & ponitur directe in prædicamento quantitatis; ſed quantitate virtutis, & perfectionali, de qua dicit D. Auguſtinus 6. de Trinit. Cap. 7. in his, quæ mole magna non ſunt idem eſt maius, quod melius. Et inuenitur etiam in ſpiritualibus; ſub ente quanto continetur tota diuiſio illius in ens infinitum & finitum; Ita Doctor ſubtilis q. 5. quolib. ſub ente non quanto continentur diuinæ relationes originis, paſſiones entis, modi intrinſeci, vltimæ differentiæ, præſertim indiuiduales, & hypoſtaticæ, quas vocant hæcheitates, omnes denique realitates aliquitates entis appellatæ. Sicut enim hæc directe, & quiditatiue rationem entis non includunt, ita neque includunt propriam, & formalem bonitatem, quæ eſt paſſio entis, nec conſequenter propriam quantitatis perfectionem.

16 Prius diuiditur ens, per quantum & non quantum, quam per vnum, & multa, nam vnumquodque ens acceptum ſecundum ſuam eſſentiam, & quiditatem, & non conſideratum, vt vnum aut vt multa eſt quantum, ergo quantitas virtutis competit quiditati, & eſſentiæ rei circumſcripta vnitate, vel multitudine, & ita prima entis realis diuiſio eſt quantum, & non quantum (loquendo de diuiſione, quæ fit per modos) probatur antecedens; quod competit rei in ſe, & in eſſe quiditatiuo eſt illi intimius eo, quòd non conuenit ei in tali eſſe, ſed ita eſt, quod quantitas virtutis competit quiditati, & naturæ entis in eſſe quiditatiuo, vnitas autem & multitudo ſicut, & veritas ſunt paſſiones entis ex Ariſt. 4. Metaph. ergo quodammodo adueniunt quiditati, & eſſentiæ entis; Ex his dictis, & probatis colligitur aperte ens de ſua ratione formali, ſeu in ſua communitate acceptum de ſe neque eſse quantum, neque non quantum, ſed ad ea omnino indifferens probatur, nam omne diuiſum ad ſua membra diuidentia eſt indeterminatum, & indifferens antequam actu per ea diuidatur, ſed ens in ſua communitate habet ſe ad quantum, & non quantum, tanquam diuiſum, ſeu diuiſibile ad ſua membra diuidentia; & ſic de ſe, nec eſt quantum, nec non quantum, ſed ad ea omnino indifferens: Eodem modo dicendum eſt de ente quanto in ſua communitate accepto in ordine ad infinitum, & finitum ipſius membra diuidentia; ſi ergo relationes ſunt entia non quanta non eſt, cur tempus amittatur in inueſtigatione an ſint finitæ, vel infinitæ cum finitum, & infinitum ſint membra diuidētia entis quanti, & non entis non quanti.

17 Confirmatur, quia quemadmodum Animal permiſſiue tantum habet vtrumque diuiſionis ſuæ membrum, nempe rationale, & irrationale, & permiſſiue vtrumque ei competit, ita & ens permiſſiue tantum eſt quantum & non quantum, ſicut & ens quantum permiſſiue tantum eſt finitum, & infinitum. Dices primo quod eſt contrahibile de ſe eſt finitum quia eſt potentiale; ens in ſua communitate eſt contrahibile, quia contrahitur per modos ſuos quantum & non quantum, infinitum, & finitum ergo ens in ſua communitate acceptum eſt finitum; Dices ſecundo, quod contrahitur eſt prius ex natura rei, contrahente, & eſt in potentia ad ipſum, & ſic finitum, ſed ens eſt tale, ergo eſt finitum. Ad primum reſpondetur cum Trombetta, quod contrahibile eſt duplex vnum, vt realitas per aliam diſtinctam realitatem, ſicut animal co-

trahitur per rationale, & illud eſt potentiale, & finitum quia vnum, ideſt contrahens perficit ſuum contrahibile; Aliud eſt contrahibile, vt conceptus realis per modos intrinſecos, & ſic non eſt potentiale neque finitum, quia illud cum ſit indifferens ad quantum, & non quantum ad infinitum, & finitum non poteſt eſſe potentiale, atque adeo, nec finitum, nec perfectibile. Ad ſecundum reſpondetur, quod ens eſt prius natura ſuo modo, & diſtinguitur ab illo ex natura rei, & cum dicis, ergo eſt in potentia, concedo in potentia Logica, quia non eſt repugnantia aliqua, vt ens ſit non quantum, vel quantum, finitum, vel infinitum, & in potentia etiam Metaphyſica, quia non includit in ſua ratione formali hoc, aut illud, ſed non eſt in potentia phiſica, ſic quod perficiatur.

18 Dices adhuc ſi ens, nec eſt finitũ, nec infinitum, ſed vtrumque permiſſiue igitur deſcendet in Deum, & creaturam; Tunc quęro an ſit totum in Deo, an ſecundum partem, ſi totum igitur extra Deum nihil eſt, quia totum illud eſt, extra quod nihil eſt; ſi ſecundum partem, ergo Deus non eſt ſimpliciter ens, ſed ſecundum partem tantum. Reſpondetur, quod deſcendit in Deum ſecundum totum eſſe, ad probationem in oppoſitum negatur conſequentia, & ad illud dictum. Totum eſt illud, quod nihil eſt extra; Reſpondetur, quod ſic exponitur, totum eſt illud cui nihil deeſt de eius perfectione, & ſic nihil eſt extra Deum reſpectu illius, quod requiritur ad eius eſſe; Vel ſecundo reſpondetur, quod totum eſt duplex eſſentiale, & vniuerſale, tunc dico, quod ens deſcendit in Deum ſecundum totum eſſe eſſentiale, quia ſic eſt totum in Deo non autem ſecundum ſuum totum vniuerſale, vt eſt ſcilicet indifferens ad finitum, & infinitum, quia hoc modo non deſcendit ſecundum ſuum totum eſſe immo ſecundum partem ſubiectiuam ſicuti deſcendunt ſuo modo omnia ſuperiora in ſuis inferioribus, vel in ſua inferiora in ſuis prædicamentis, ſicque vt eſt ens infinitum eſt in Deo.

19 Propius accedendo ad intentum propoſitum in primis notandum eſt, quod Thomiſtæ communiter tenent relationes dicere formaliter perfectionem infinitam, & hoc probant primo, quia ad Dei perfectionem non minus pertinent relationes originis, quam attributa, ſed attributa ſunt perfectiones formaliter, ergo & relationes ſunt perfectiones formaliter, ſecundo ſi non eſſent perfectiones formaliter, & ſimpliciter, ergo eſſent imperfectiones, quod eſt abſurdum, tertio relationes diuinæ ſunt perſonalitates, quibus perſonæ diuinæ ſubſiſtunt, & conſtituuntur, ſubſiſtere autem, & terminare naturam, ut ſit perſona eſt perfectio, ergo ipſa relatio, quæ eſt vltimus terminus eſt perfectio; quarto ſubſiſtentia non ſolum eſt perfectio, ſed maxima perfectio, nullum nanque eſſe diuinum eſſet perfectum, niſi ſubſiſteret, relatio perſonalis eſt ſubſiſtentia, ergo eſt perfectio formaliter; Quinto relatio diuina intrinſece, & eſſentialiter eſt diuina ſubſiſtentia ſubſiſtens, & diuina ſubſiſtentia eſt perfectio, immo maxima perfectio, ergo relatio diuina eſt perfectio formaliter; Sexto, relatio diuina non diſtinguitur ab eſſentia diuina formaliter niſi ſolum ratione, at eſſentia eſt perfectio immo radix omnium perfectionum, ergo relationes formaliter ſunt perfectiones ſummæ.

20 Septimo omnis relatio creata ſecundum propriam rationem ponitur in genere quodam entis realis ſed omne genus entis realis dicit ſimpliciter aliquam perfectionem, ergo multo magis relatio diuina, vt paternitas dicit perfectionem ſecundum propriam rationem.

Octa-

Octauo ens, & bonum conuertuntur ex Ariſt. in Metaph. ſed relatio, & maximè diuina eſt verum ens reale; ergo eſt bona, ergo dicit perfectionem tranſcẽdentalem, de qua eſt ſermo; Nona, Miſterium Trinitatis, vt tale in Deo dicit perfectionem, ſed tale miſterium eſt in Deo formaliter per relationes, ergo relationes diuinæ dicunt perfectionem; maior probatur; quia quicquid eſt in ente perfectiſſimo intrinſece neceſſe eſt, vt dicat perfectionem, minor eſt euidens, quia relatio multiplicat Trinitatem, 10. ſi Pater, vt Pater non dicit perfectionem profecto ſub eadem ratione non eſt amabilis, ſed hoc eſt abſurdum, quia relationes diuinæ ſecundum eam rationem habent maximam pulchritũ dinem, & conuenientiam, & in Chriſti humanitate fatemur Perſonam filij eſſe maximum bonũ illius humanitatis ea ratione, qua terminat illam humanitatem; per ſuam proprietatem autem terminat illam, ergo proprietas perſonalis dicit dignitatem, & perfectionem; 11. omnis actio adæquata principio, & termino infinito eſt formaliter infinita, generatio in diuinis, & ſimiliter ſpiratio Spiritus Sancti ſunt actiones adæquatæ principio formali infinito, & termino formali in infinito, ergo iſte relationes ſunt infinitæ; maior patet, & minor eſt iam probata in ſuperioribus articulis.

21 Quibus tamen non obſtantibus oppoſita ſententia docet relationes originis, vt ab eſſentia virtualiter, vel formaliter diſtinctas, & ſub ratione formali conſideratas, ſicut non ſunt formaliter infinitæ, ita neque eſſe formaliter finitas, nullamque perfectionem in ſua præciſa, & formali ratione includere, ita docet Scotus quolib. 5. art. 2. & omnes eius interpretes, & plures Thomiſtæ, & alij extra ſcholam ſubtilium; probatur ſic hæc ſententia, infinita realiter, & formaliter diſtincta plura eſſe non poſſunt, ſed ſi relationes diuinę eſſent infinitę formaliter, id ſequeretur cum diſtinguãtur adinuicem realiter; ergo, maior probatur; Infinito nihil deficit entitatis eo, quo poſſibile eſt illud haberi in uno, ſed omnem perfectionem ſimpliciter poſſibile eſt realiter, & per identitatem haberi in vno ſumme perfecto; Infinitũ ergo habet in ſe realiter, & per idẽtitatem illud quod eſt diſtinctũ formaliter ab eo, ergo ab infinito nulla perfectio ſimpliciter, ſiue nullum perfectum ſimpliciter poteſt eſſe realiter diſtinctũ, eſſet autem perfectio ſimpliciter diſtincta realiter ſi eſſet aliud infinitum realiter diſtinctum, ſecundo probatur ab inconuenienti ſic, ſi Paternitas, vt Paternitas diceret perfectionem, cum Paternitas non ſit formaliter in filio aliqua perfectio eſſet in Patre, quæ nõ eſſet in filio, atque adeo plus eſſet perfectionis in omnibus perſonis ſimul, quam in ſingulis contra D. Auguſtinum 7. de Trinit. Cap. 7. 8. & 10. vbi docet tantum eſſe Patrem ſolũ vel filium ſolum vel Spiritum Sanctum ſolum quantum Pater Filius, & Spiritus Sanctus ſimul dicens in ſumma Trinitate tantum eſt vna quantum tres ſimul ſunt, nec plus aliquid ſunt duæ, quam vna ſic D. Auguſtinus.

22 Tertio probatur ſi relationes diuinæ dicerent perfectionem ſequeretur illas eſſe compoſitas, vel componibiles, ſed hoc eſt falſum ergo, & antecedens, conſequentia probatur, quia in eadem perſona eſſent duæ relationes realiter diſtinctæ ſcilicet paternitas, & ſpiratio actiua, ergo vel facerent aggregationem, vel compoſitionem aliquo modo ex actu, vel potentia, falſitas conſequẽtis probatur, quia in diuinis nulla datur aggregatio aut compoſitio, nec aliquid habens rationem actus, vel potentiæ. Quarto probatur ex eodem quolib. 5. omnis

omnis perfectio ſimpliciter eſt communicabilis, omne infinitum intenſiue eſt perfectio ſimpliciter, ergo omne infinitum intenſiue eſt communicabile, ſubſumo; ſed nulla proprietas perſonalis, ſiue nulla relatio originis eſt communicabilis, ergo nulla proprietas perſonalis eſt infinita intenſiue; Maior probatur ex definitione perfectionis ſimpliciter. Anſelmi monologio 15. vbi eã ſic definit perfectio ſimpliciter eſt, quæ in quolibet eſt melior ipſa quam non ipſa.

23 Hæc definitio eſt ſcitu neceſſaria, & cum ſit obſcura indiget clara explicatione, ideo notandum eſt nomine perfectionis ſimpliciter non intelligi id, quod nullam dicit imperfectionem, tum quia non includere imperfectionem eſt negatio, perfectio autem ſimpliciter debet dicere aliquid poſitiuum, tum quia relationes originis in diuinis, & differentiæ indiuiduales in creaturis ſumptæ formaliter non dicunt perfectionem & tamen nullam imperfectionem includunt; ſed perfectio ſimpliciter, vt dicit Doctor ſubtilis loco citato quolibeto 5. eſt illa, quam in quolibet melius eſt eſſe ipſam quam non ipſam; vbi per ly in quolibet non intelligitur pro qualibet natura, nec pro quolibet ſuppoſito, vt eſt tale ſuppoſitum, & indiuiduum, quia ſapientia, intellectus, & voluntas ſunt perfectiones ſimpliciter ſecundum omnes, & tamen non eſt melius eſſe in lapide, vel in ligno quam non eſſe, ſi quidem in eſſe talium perfectionum in lapide deſtruit totaliter naturam lapidis; Sed ly in quolibet accipi debet pro quolibet indiuiduo immediate ſub ente accepto non deſcendendo ad indiuidua rerum, generum, vel ſpecierum, melius eſt enim alicui enti ineſſe ſapiẽtiam, quam non in eſſe, & perfectius eſt eſſe ens intellectiuum, quam non intellectiuum. Vnde aduertit Doctor ſubtilis ibidem quolib. 5. quod perfectio ſimpliciter quocumque ſibi incompoſſibili intelligendo in hoc, vel illo indiuiduo entis non conſiderando in hac, vel illa natura eſt melius ipſa quam non ipſa.

24 Itaque prædicta definitio indiget duplici expoſitione, prima eſt, quod non intelligitur melius ipſa, quam ſua negatio contradictorie oppoſita, quia ſic quodlibet poſitiuum eſſet perfectio ſimpliciter & melius ſua negatione contradictorie oppoſita, melior eſt enim muſca, quam non muſca; ſed intelligitur ibi non ipſum pro quocumq; ſibi incompoſſibili etiam poſitiue; vt ſit ſenſus. Perfectio ſimpliciter eſt in quolibet indiuiduo entis melior quocumque ſibi incompoſſibili; ſecundo intelligitur in quocumq; non pro quacumque natura, ſed vt dictum eſt pro quocumque ſuppoſito entis, ideſt non intelligendo, vt eſt naturæ talis, vel talis, ſed abſolute acceptum, vt tale ſuppoſitum præſcindendo rationem naturæ, cuius eſt ſuppoſitum; Hoc patet, quia auro conſiderato, vt habet naturam auri, vel ſuppoſito conſiderato, vt in natura auri eſt ſubſiſtens non eſt melius non aurum, quam aurum, quia incompoſſibile, vt incompoſſibile non eſt alicui melius, deſtruit enim entitatem ipſius, immo melius eſt aurum eſſe aurum, quam quodcumque incompoſſibile naturæ auri; Quare ſenſus definitionis eſt. Perfectio ſimpliciter eſt talis, quæ in quocumque ſuppoſito abſolute conſiderato ſecundum rationem ſuppoſiti non determinando naturam in qua, vel cuius ſit ſuppoſitum melius eſt ipſum, quam non ipſum ideſt quocumque impoſſibile ſibi; Hæc perfectio ſimpliciter eſt communicabilis, proprietas autem perſonalis, ſeu relatio originis eſt incommunicabilis, er-

Digitized by Google

go talis relatio non eſt perfectio ſimpliciter.

25 Ad argumenta opinionis oppoſitæ poſita ſupra n. 19. & 20. reſpondendo dicitur ad primum, maiorem eſse falſam, quia attributa emanant ab eſsentia cum ſua formali infinitate; Relationes vero in tãtum ſunt infinitę, in quantum cum eſsentia identificantur. Ad ſecundum negatur conſequentia, quia relationes ſunt entia nõ quanta; Ad tertium diſtinguitur minor, & conceditur ſubſiſtentiam communicabilem dicere perfectionem, & ſubſiſtentiam in communicabilem ſeorſum ſumptum non dicere perfectionem niſi ſumatur reduplicatiue, vt conſtituit perſonam, & ſimul identificatur eſsentiæ diuinæ, & tunc negatur conſequentia; Ad quartum dicitur verum eſse ſubſiſtẽtiam communicabilem eſſentiæ eſse maximam perfectionem, ſecus dicendum de ſubſiſtentia perſonali, & incõmunicabili, quatenus præſcindit ab eſsentia diuina, & per idem patet ad quintum, Ad ſextum negatur antecedens vt ſupradictum eſt; Ad ſeptimum conceditur antecedens (quamvis apud Scotum quolib. 5. ſit valde dubium) relationes enim creatę dicunt perfectionem, vt relatio dominij, amici, doctoris &c. & dicunt imperfectionem, vt relatio ſeruitutis diſcipuli &c. Ad octauum dicitur bonitatem eſsentialem competere enti ſecundum eſse reale completum, nõ autem enti, quod habet eſse diminutum, & incompletum in ſe, tale enim ens non habet aliam bonitatem, nec perfectionẽ niſi entis realis, cui eſt idem realiter; huiuſmodi ſunt relationes originis, quę veritatem completam entis continent ſolum quatenus identificantur cũ eſsentia diuina vel ſecundo; & melius reſpondetur verũ eſſe antecedẽs, quia relationes creatę ſunt entia quanta, & in determinato genere, ſed relationes diuinę ſunt entia nõ quãta, & non ſunt in genere aliquo. Ideo, nec finitæ, nec infinitæ.

26 Ad nonum reſpondetur, quod Miſterium Trinitatis inuoluit multa alia præter relationes inuoluit enim intellectum, & voluntatem diuinam, & eſsentiam ipſam cum omnibus attributis, & ideo miſterium illud provt inuoluit hæc cętera omnia abſoluta dicentia perfectionem ſimpliciter, à quibus pullulant relationes, dicit perfectionem, non autem propter illas ſolas relationes. Ad decimum conceditur perſonas diuinas, vt perſonæ ſunt non eſse amabiles, ſed ſolum quatenus includunt diuinam eſsentiam, propter quam ſunt vnus Deus. Ad rationem contra hoc dicitur, Perſonam filij eſse maximum donum humanitatis Chriſti non ratione relationis filiationis, ſed quia perſona terminans illam vnionem eſt Deus; Vnde licet terminet vnionem per relationem, non tamen relatio eſt cauſa dignitatis, & amabilitatis, ſed eſt eſsentia diuina ſibi communicata; Ad vndecimum reſpondetur adæquationem eſse duplicem ſcilicet ſecundum quantitatem, & ſecundum proportionem; In propoſito generatio & ſpiratio non ſunt adæquatæ ſuis principijs, & terminis primo modo, quia non ſunt illis æquales in quantitate; ſi quidem relationes illæ non conueniunt cum illis in quantitate virtutis, ſed ſunt adæquatæ ſecundum proportionem, itaque generatio eſt maxime proportionata memoriæ fecundæ, ſicut illuminatio, qua maior eſse non poſset non dicitur adæquata ſoli ſecundum quantitatem virtutis, quia eſt effectus æquiuocus, & diuerſæ rationis, ſiue diuerſi generis, generatio ergo eſt adæquata memoriæ ſecundum proportionem, ſed non ſecundum quantitatem virtutis, & intenſionis; Ita quod ſicut memoria eſt infi-

nita

nita intenſiue, ita generatio ſit infinita, ſed extenſiue quoniam vnica generatio, & vnica ſpiratio adæquantur perfectiſſime principijs, ſcilicet memoriæ fœcundæ, & voluntati fœcundæ.

27 Certiſſimum eſt nō ſolum apud Scotum in primo diſt. 28. quæſt. 1. Sed etiam apud omnes Theologos præter eſſentialia, & communia tribus perſonis diuinis dari in diuinis aliqua notionalia, ſeu propria, quibus eædem perſonæ dignoſcuntur, ideo illa propria, ſiue illæ proprietates dicuntur notiones, quia notificant, & diſcernunt perſonas ab inuicem, ſic communiter aſſignantur quinque nempe paternitas, innaſcibilitas; ſiue ingenitum in Patre ſolo; filiatio in ſolo filio, ſpiratio actiua in Patre, & Filio, & ſpiratio paſſiua in ſolo Spiritu Sancto, & quamuis de ſpiratione actiua ſit aliqua difficultas, quoniam non conuenit alicui determinatæ perſonæ, ſed pluribus ſcilicet Patri, & Filio; tamen omnes Theologi eam eſſe notionem aſſerunt, quia illa relatio, & ſi conueniat duabus perſonis, tamen non competit omnibus perſonis, & illas duas nobis notificat, & etiam tertiam, quatenus ab illis duabus mediante ſpiratione procedit, & patet eſſe proprietatem Patris, & Filij, & relationem realem, & proinde iure dicitur notio; ſimiliter licet de innaſcibilitate, ſiue de in genito an eſſet notio Patris antiquitus varia fuerit contentio, & an eſſet permittenda, tamen communi conſenſu poſtea à Sanctis Patribus, & Scholaſticis admittitur, & ratio eſt, quia antiquitus Ariani dicebant Patrem ingenitum, ſed per ingenitum intelligebant idem, quod increatum, & minime factum, ex quo poſtea deducebant filium eſse creatum, & factum, cum vere ille eſset genitus; at modo Doctores, & Sancti Patres accipiunt ingenitum pro negatione non ſolum generationis, ſed cuiuſcumque productionis, ita vt ſit ingenitum idem, quod omnino improductum, & ſui authorem, aut principium non habens, non autem ſignificat præciſe non eſse creatum, vel factum, vt Ariani volebant, & ideo nunc ſine vlla ſuſpicione eſt in vſu.

28 Vltra illas quinque notiones ſupradictas, quas communis Theologorum ſententia aſſignat; Scotus in primo diſt. 28. q. 1. in reſponſione ad tertium principale reiectis aliorum opinionibus concedit inſpirabilitatem eſſe notionem Patris, & Filij; argumentum enim illud tertium eſt iſtud, ſi innaſcibilitas eſset proprietas Patris, ergo inſpirabilitas eſset Patris, & Filij, & ita eſsent 6. notiones, quod negatur cōmuniter, probatur conſequentia, nam etiam inſpirabilitati competit definitio notionis; Notio enim eſt ratio innotexendi perſonam diuinam pertinens ad originem ſecundum propriam, & ſpecialem rationem poſitiue, vel negatiue; Quæ definitio ſic declaratur, debet enim notio eſse ratio innoteſcendi perſonam, & ideo quia attributa ſunt communia perſonis non ſunt notiones; deinde debet pertinere ad originem idest debet ſaltem connotare ſuppoſitū producens, vel productum, vel poſitiue ſicut Paternitas, filiatio, ſpiratio actiua, & ſpiratio paſſiua, vel negatiue vt innaſcibilitas, ſiue ingenitum; Dicitur enim ſecundum propriam, & ſpecialem rationem, propria enim ratio non eſt relatio, nec proprietas, nec origo in communi, ſed hæc relatio & hæc origo eſt notio.

29 Vnde iſta ſe habent per ordinem proprietas, relatio, & notio, nam omnis proprietas conſtitutiua eſt relatio, ſed non omnis relatio eſt proprietas cōſtitutiua, vt ſpiratio actiua, omnis item relatio originis eſt notio, ſed non omnis notio eſt relatio originis, quia inge-

genitum eſt notio, & tamen non eſt relatio, cum ſit negatio, licet connotet ſuppoſitum relatiuum, quia non eſt negatio extra genus, ſed negatio intra genus, & ſic eſt inſpirabilitas, ſine inſpiratum; Reſpondet igitur Scotus concedens conſequentiam argumenti prædicti, & negat falſitatem conſequentis, & declarat qualiter non ſit inconueniens ponere 6. notionem, & licet Scotus loquatur cum modeſtia non tamen ſequitur non eſſe huius opinionis, eam enim apertè ſuſtinet, et reſpondet ad ad obiectiones in contrarium, tamen quia eſt contra communem opinionem Doctorum ſic modeſte loquitur, vt ſolet; Qua in re vbique Scotus eſt valde diſſimilis recentioribus nonnullis, qui nullius fere auctoritatis audactet, & immodeſte Scotum & alios Scholaſticos immo & Sanctos Patres reprehendunt.

De perſona in communi & de numero diuinarum perſonarum. Art. IV.

1 A Relationibus originis in Deo poteſt abſtrahi aliquis conceptus obiectiuus communis communitate reali, probatur primo auctoritate D. Auguſtini dicentis, res, quibus fruendum eſt ſunt Pater, filius, & Spiritus Sanctus, relatio autē eſt commune quid tribus perſonis, & tribus relationibus originis, ergo pari modo poteſt abſtrahi communis conceptus relationis dicendo paternitas eſt relatio, filiatio eſt relatio, ſpiratio paſſiua eſt relatio &c. probatur ſecundo ratione ſic intellectus certus de vno ſignificato reali, & dubius de duobus habet alium conceptum illius, de quo eſt certus, & aliū de illis, de quibus eſt dubius, ſed poteſt eſſe certus intellectus de perſona diuina in communi, & de relatione in communi, & tamen dubius de hac relatione, & iſta &c. & de illa perſona, & de iſta ergo; Hoc dictum, ſeu aſſertio cum prædictis ſuis probationibus, ſupponit id quod docet Scotus in ſuis theorematibus Theorema 8. Quod nimirum dicitur æquiuoce conceptus de actu concipiendi, & de obiecto cognito; Prior conceptus vocatur formalis, qui non eſt aliud, quam actus intelligendi obiectū, qui elicitur principaliter ab intellectu ſecundario ab obiecto, ſimul tamen ab vtroque, diciturque formalis, quia eſt forma accidentalis inherens intellectui; obiectum vero, quod actum concipiendi terminat, dicitur conceptus obiectiuus, & non vt obiectum eſt intelligibile dicitur talis conceptus, ſed vt eſt actu intellectum; Eſſe vero obiectum in intellectu nihil aliud eſt quam habere relationem actualem ad intellectum cognoſcentem, & intellectum ad obiectum actu cognitum.

2 Supponit ſecundè abſtractionem eſſe duplicem præciſiuam, & diuiſiuam, abſtractio præciſiua vocatur illa, quando intellectus conſiderat vnum non conſiderando aliud, cum quo in re habet connexionem, ſic Mathematicus conſiderando quantitatem non conſiderat corpus, in quo eſt quantitas, immo nec conſiderat illam, vt eſt ſuperficies, vel terminus ſuperficiei in corpore, ſed ipſam præciſe ſecundum ſe quantitatem, de hac abſtractione verificatur illud dictum philoſophi, abſtrahentium non eſt mendacium, ſi quidem talis abſtractio pertinet ad primam intellectus operationem nempe ad apprehenſionem, in qua non eſt veritas, vel falſitas; Abſtractio vero diuiſiua ſiue diſiunctiua eſt illa, quando intellectus comparando vnum ad aliud, vnum ſua negatione diuidit ab alio, ſiue illa ſint in re realiter diſtinguibilia, ſiue aliquo alio modo ex natura rei, & huic

ab-

Digitized by Google

abſtractioni poteſt ſubeſſe falſum; Ratio relationis in communi accepta dicit conceptum formalem, & obiectivum; de formali patet, quia unum diſtinctum conceptibile aptum eſt intelligi vna diſtincta intellectione, ſed relatio in communi eſt unum diſtinctum intelligibile, ergo apta eſt intelligi una diſtincta intellectione, ſed talis intellectio eſt conceptus formalis relationum, & diſtinctus ab alijs conceptibus inferiorum; maior patet ex illo dicto philoſophi, actus ſpecificantur per obiecta, ergo de vno numero conceptu obiectiuo relationis erit una numero intellectio.

3 De conceptu obiectiuo probatur, quia relatio, ut ſic abſtracta eſt obiectum, quod actum concipiendi terminat, ergo relatio, ut ſic dicit conceptum obiectivum. Item eadem relatio in cõmuni accepta prædicatur in quid de paternitate, filiatione, & ſpiratione paſſiua, ratio eſt, ſi relatio diuina puta paternitas non tranſiret in ſubſtantiam per identitatem, talis paternitas eſſet ens creatum, & relatio in communi de ea prædicaretur in quid; paternitas enim Petri eſt quiditatiue relatio, ſed per hoc, quod paternitas increata eſt idem realiter eſſentiæ diuinæ non tollitur ratio quo minus de diuina paternitate prædicetur relatio in quid; Vt enim Pater æternus eſt ens ad filium, ita Paternitas eſt habitudo, qua formaliter aliquid ad aliud; Ex dictis patet, quod tranſcendentia communia Deo, & creaturæ non ſunt aliquæ naturæ, vt quidam falſo imponunt Doctori ſubtili, ſed ſunt conceptus obiectiui, qui dicuntur reales non à realitate naturç, & rei communis, ſed à realitate fundamentorum, à quorum realitatibus abſtrahuntur tales conceptus.

4 Vnde realitas obiectiua duplex eſt vel rerum, vel conceptuum; ita & perſona abſtracta, de qua eſt præſens ſermo; Non deſunt tamen aliqui Scotiſtæ (& maxime Herera in 1. diſt. 7. q. 1.) docentes quod licet nomen perſonæ dicatur de tribus perſonis diuinis, & de perſona creata, & increata iſti tamen conceptui formali, quo concipimus perſonas diuinas eſſe ſubſiſtentes in natura intellectuali incommunicabiliter, non correſpondet aliquis vnus conceptus obiectiuus communis communitate rei tribus perſonis:- ſicut v. gr. homo, & equus concipiuntur conceptu formali Animalis, nam homo concipitur Animal, & equus concipitur Animal. Iſti autem conceptui formali correſpondet in re vnus conceptus obiectiuus, ſcilicet natura Animalis, natura ſenſitiua, in qua homo, & equus realiter conueniũt; non tamen ſic contigit in eſſe perſonæ, ſed ſicut Deus, & creatura conueniunt in conceptu formali entis, non tamen in conceptu obiectiuo entis; quia iſte conceptus formalis non deſumitur ab aliqua natura reali communi Deo & creaturæ, ſed ab eodem modo eſſendi per ſe, vt eſſe per ſe diſtinguitur contra per accidens, & contra per eſſe in alio, his, & alijs pluribus thomizat iſte Scotiſta; ſed verius eſt, quod quemadmodum ens eſt vniuocum Deo, & creaturæ non ſolum quoad conceptum formalem, ſed etiam quoad conceptum obiectiuũ, qui dicitur in quid de Inferiorioribus; ita & talis conceptus eſt conceptus relationis, qui dicitur in quid de relationibus diuinis, & conceptus perſonæ, qui dicitur in quid de perſonis diuinis.

5 Si obijciatur, ſi perſona dicit conceptum præciſum a perſonis diuinis, ſequitur quod dicat relationem communem perſonis in particulari, ſed hoc videtur falſum, quia ſicut repugnat dari vnam naturam communem diſtinctam à particularibus, ita repugnat dari vna relationem communé diſtinctam à particularibus, Reſpondetur negando falſi-

ſita-

ſtratem conſequentis, & cum probatur dicitur magnam differentiam eſſe inter naturam communem, & conceptum obiectiuum communem, atque modum eſſendi, ſeu ſubſiſtendi, nec ſequitur poteſt abſtrahi conceptus, vel modus realis poſitiuus, ergo & natura communis; Dices ille conceptus abſtractus diceretur in quid de perſonis diuinis, ergo eſſet vniuerſale, ſed hoc eſt falſum; quia ſicut in diuinis non eſt indiuiduũ, ita nec vniuerſale, probatur conſequentia, quia quod de pluribus dicitur eſt vniuerſale. Reſpondetur negando cõſequentiam, & ad probationem eius dicitur, non ſufficere ad rationem vniuerſalis, vt prædicetur de pluribus in quid, ſed requiritur vt intrinſece illud prædicatum ſit limitatum, & potentiale contrahibile per differentiam, ſiue ſpecificam, ſiue numericam quale nullum prædicatum eſt in Deo ac proinde nullum vniuerſale.

6 Dices adhuc ab vltimis diſtinctiuis non poteſt abſtrahi aliquis conceptus communis poſitiuus, ſed Paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiua in diuinis ſunt vltima diſtinctiua perſonarũ diuinarum, ergo non poteſt abſtrahi ab illis vnus conceptus communis poſitiuus, ergo nec à perſonis diuinis, vel enim eſſet eſſentiæ diuinæ, quod eſt falſum, vel relationum, quod impugnatur. Reſpondetur diſtinguendo maiorem; A rationibus diſtinctiuis facientibus compoſitionem cum altero, ſicut differentiæ vltimæ, ſiue numericæ, ſiue ſpecificæ, quæ faciunt ſaltem Metaphyſicam cõpoſitionem cum illis gradibus, quos contrahunt non poteſt abſtrahi conceptus communis in quid, vt dicitur à Doctore ſubtili in primo diſt. 3. q. 2. bene tamen à rationibus non facientibus vllã compoſitionem, vt ſunt relationes diuinæ, & ratio diuerſitatis eſt, quia in rebus creatis ita eſt potentiale contrahibile ſicuti contractiuum eſt actuale, ſi ergo contractiuum habeat conuenientiam cum alio contractiuo erit ibi potẽtiale, & ita vel erit proceſſus in infinitum in illa conuenientia, vel erit aliquid ita diſtinctum actuans potentialitatem alterius; quod non includit conuenientiam, idque totum ſit ob finitatem creaturæ.

7 In Deo autem cum nulla etiam imaginaria detur contrahibilitas in eſſentia, quia illa eſt actualiſſima, immo actus puriſſimus, non poſſumus ibi aſſignare gradus ex natura rei actuãtes, & diſtinguentes potentiale; poſſumus tamen conceptum communem formare diſtinctiui puta relationis & huius & illius diſtinctiui, vt paternitatis, & filiationis, ſed ille conceptus communis nõ habet aliquam conuenientiam ex natura rei in perſonis diuinis potentialem, & determinabilem, ac proinde ſolus conceptus relationis ibi erit dictus in quid non autem realitas quiditatiua quod bene poteſt concedi, Idem dicatur de perſona; ſed in creatura ſi eſſet abſtractum, eſſet realitas communis, quam non eſt poſſibile abſtrahi ab vltimo diſtinctiuo. Reſpondetur ſecundò ad dictum argumentum; Ab vltimis diſtinctiuis ſicut, & ab vltimis differentijs non eſt abſtrahibilis conceptus in quid, ſed ab eiſdem vt non vltimis diſtinctiuis quatenus relationes ſunt idem eſsẽtiæ, poteſt abſtrahi communis conceptus, & talis abſtractio eſt in præſenti; reſpõdetur tertiò, & melius relatio in cõi abſtracta non eſt aliqua res, vel realitas præciſa eo modo quo genus à ſpecie præciſum eſt realitas; ſed eſt aliquis modus poſitiuus, vt eſt modus per ſe ſubſiſtendi licet, ergo ab vltimis diſtinctiuis non poſſit abſtrahi ratio entis, vel rei ſumptæ pro realitate quiditatiua, vel hypoſtatica poteſt tamen abſtrahi ratio modalis.

8 Per-

Digitized by Google

8 Perſona, vel eſt naturæ intellectualis incommunicabilis ſubſiſtentia ſecundum Richardum; vel eſt naturæ rationalis indiuidua ſubſtantia ſecundũ Boetium vtraque definitio eſt bona, ſed melior prima, quam ſecunda, quæ videtur deficiens, niſi aliquid addatur, tũ quia Anima ſeparata eſſet perſona, quia eſt naturę rationalis indiuidua ſubſtantia; tum quia Angelus non eſset perſona, cum nõ ſit rationalis naturæ, ſed intellectualis; debet, ergo addi incommunicabiliter exiſtens, naturæ intellectualis; Hinc ſequitur nomen perſona non ſignificare ſecundam intentionem, ſed primam, nam ſecunda intentio eſt relatio rationis, ſed perſona non eſt relatio rationis, quia perſona eſt intellectualis naturæ incommunicabilis ſubſiſtentia, ſiue exiſtentia; Item ſecunda intentio, cum ſit relatio rationis non conſurgit niſi ex comparatione intellectus; ſed perſona ſecluſo quocumq; opere intellectus cõpetit cuicumq; ſuppoſito in natura intellectuali exiſtente, ergo &c. Item nulla ſecunda intentio eſt terminus productionis realis, neque adoranda adoratione Latriæ, ſed perſona in diuinis eſt terminus productionis realis ſicut patet de filio, & Spiritu Sancto, & adoratur adoratione latriæ; Pro intelligentia iſtius dicti, ſupponitur duplicem eſse intentionem primam, & ſecundam, quarum prima intentio reiectis pluribus opinionibus eſt res cognita, vel cognoſcibilis, ſecunda vero intentio eſt relatio rationis reſultans ex comparatione, vel collatione, qua intellectus comparat vnam primam intentionem cum altera prima intentione, ideſt vnam rem cognitam cum altera re cognita.

9 Perſona in ſe conſiderata, & de ſuo formali ſignificato non importat aliquid poſitiuum, nec repugnantiam ad communicari, ſed tantum negationem duplicis communicabilitatis, ex quo dicto duo ſequuntur primum quod repugnãtia ad communicari non eſt de ratione perſonæ perfecte in ſe conſideratæ, & per perſonam perfectã intelligitur perſona, quæ habet omnes condiciones requiſitas neceſſario ad rationem perſonæ, vnde ſi repugnantia ad communicari eſt de ratione perſonæ, perſona in creaturis non eſſet perfecta ſeu non eſſet ſimpliciter perſona, ſecundum ſequitur perſonam in ſe conſideratam, & quãtum ad ſuum formale ſignificatum ſumptam eſse vniuocam perſonæ creatæ, & increatæ, quia ſecundum idem nomen, & ſecundum eandem rationem dicitur de perſona creata, & increata, quod intellige non ſolum de perſona in ſe conſiderata, & de ſuo formali ſignificato, ſed etiam de perſona in ſe conſiderata ſumpta pro connotato, ſic enim etiam eſt vniuoca perſonæ creatæ, & increatæ, & licet hoc non concedatur ab illis, qui dicunt nihil poſitiuum reale eſſe commune vniuocum Deo, & creaturæ debet tamen concedi ab oppoſitum tenentibus, quia perſona hoc modo ſumpta dicit naturam intellectualem, quæ vniuoce dicitur de natura diuina Angelica, & humana eo ſcilicet modo, quo ens in ſe dicitur de Deo, & creaturis.

10 Pro clariori dictorũ notitia valde notandum eſt, quod iſta ſe habent per ordinem ſubſiſtentia, natura, eſsentia, quiditas, & formalitas, ſubſiſtentia eſt incommunicabilis exiſtentia incommunicabilitate oppoſita duplici communicabilitati, vt quo, & vt quod, communicabilitas vt quod eſt, qua ſuperius communicatur inferiori, vt genus ſpeciei, Animal Leoni; communicabilitas, vt quo eſt, qua forma communicatur materiæ, & accidens ſubiecto, ſubſiſtentia in natura ſubſtantiali non intellectuali dicitur ſuppoſitum, ſubſiſtentia vero in natura ſubſtantiali in-

intellectuali dicitur perſona, ex quo ſequitur, quod omnis ſubſiſtentia eſt ſubſtantia, & non è contra, quia certum eſt formam ſubſtantialem eſſe ſubſtantiam, ſed non eſſe ſubſiſtentiam, aut ſubſiſtentem, quia non incommunicabiliter exiſtit, quia materiæ communicatur, vt quo, per modum ſcilicet informantis. Vnde ſi queratur, quo ignis eſt ignis conuenienter reſpondetur, quod ſua forma ſubſtantiali eſt ignis; ſimiliter omnis ſubſtantia eſt natura, & non è contra, primum apparet, quia natura ſecũdo phyſicorum eſt dicta, tam de forma, quam de materia, & compoſito, ſecundum etiam probatur, quia certum eſt, quod qualitas aliqua eſt natura, cum natura ſit vis in ſita rebus ex ſimilibus ſimilia pro creans; Vnde omnis forma actiua iſto modo eſt natura.

11 Similiter omnis natura eſt eſſentia & non è contra, primum patet, quia quod eſt principium, & cauſa alicuius entis eſt ens, & habet eſſentiam, tum etiam, quia certum eſt, quod omne, quod definitur importat aliquam eſſentiam, & quæcumque ſpecies exiſtens in prædicamento; ſed omnis natura eſt principiũ motus &c., & eſt definibilis, & ponitur determinate in prędicamento, ergo habet eſſentiam, ſecundum probatur relatio eſt ſpecies per ſe in prædicamento, ergo habet eſſentiam, non eſt tamen natura, quia non eſt forma actiua, nam ſi non poteſt terminare actionem realem propter minimam eius entitatẽ, multo minus poterit principiare actionem realem. Similiter omnis eſſentia eſt quiditas, & non è contra, tum quia quiditas eſt magis abſtracta, quam eſſentia; tum etiam, quia ſi eſſent idẽ cõuertibiliter multiplicato vno multiplicaretur & reliquum, & nõ poſſãt multiplicari quiditates in aliquo niſi multiplicarentur eſsentiæ cuius oppoſitũ ponitur in diuinis, quia in Deo ſunt multæ quiditates entis ſubſtantiæ ſpiritus, & omnium attributorum, & tamen ibi eſt tantum vna eſsentia; ſimiliter omnis quiditas eſt formalitas, & non è contra; & hoc capiendo illas proprie, & ſtricte, quia ſi large, & extenſiue ſecus eſt; primum probatur, quia omne illud eſt formalitas, quod eſt diſtincte, & ſeorſum conceptibile ab alio, omnis quiditas eſt huiuſmodi, quia eſt obiectum intellectus per ſe ex 3. de Anima tex. 9. Secunda pars probatur, quia certum eſt, quod differentia eſsentialis eſt quædam formalitas, & tamen non eſt quiditas quantum ad modum prædicandi, quia non prædicatur in quid, ſed in quale, non prædicatur per modum potentiæ, ſed per modus actus, quod eſt prædicare in quale.

12 Eſt poſſibile cum vnitate eſsentiæ ſtare Trinitatem perſonarum, hæc veritas plures habet cõtradictores tum infideles & extra Eccleſiam, tum etiam fruẽtes nomine Chriſtiano intra Eccleſiã; Iudęi ſiquidem & Maumethani omnes ita vnum Deum credunt, vt non tãtum in Deo nolint eſse pluralitatem perſonarum, ſed aſserunt Chriſtianos eſse Idolatras exiſtimantes eiuſmodi tres perſonas Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum adorari à Chriſtianis tanquam tres Deos diſtinctos in eſsentia. Ex hæreticis antiquis præter Noetum, Sabellium, Montanum fuerunt alij plures, qui diuerſis erroribus niſi ſunt labefactare hanc veritatem; Hiſce autem in fauſtis ſeculis, vbi mille Hereſum monſtra prodiere Michael Seruetus Hiſpanus lib. 1. ait contra Trinitatem, omnes qui Trinitatem ſtatuũt Tritheitas, & Atheos vocat, & hac de cauſa fuit exuſtus Geneuæ Hæreticus ab Hæreticis Valentinus Gentilis protheſi 33. Bernardinus Ochinus Dialogo 2. Ioannes ipſe Caluinus quamuis Seruetum dam-

damnaſset lib. 1. Inſtitut. cap. 13. v. 5. Vtinam inquit ſepulta eſsent nomina Trinitatis perſonæ, con ſubſtantialitatis; ſed aduerſus hos omnes veritatis inimicos ſufficiat vnanimis totius Eccleſiæ conſenſus, qui Sanctiſſimam Trinitaté perſonarum cum vnitate diuinæ eſsentiæ agnoſcit, & confitetur tanquam certiſsimum, & infallibilem fidei articulum.

13 Erubeſcimus tamen ſine ratione loqui, & oſtendere hanc veritatem eſſe bene fundatam, & nullam admittere repugnantiam; Vnde vltra rationes ſupra adductas ad probandam in diuinis duplicem productionem, & duo producta in præſentiarum adhuc probatur ſic; nulla eſt repugnantia ex terminis proprijs eãdem naturam creatam communicari per identitatem pluribus ſuppoſitis cum diuiſione numerali, ergo nulla eſt repugnantia ex terminis eſſentiam diuinam communicari per identitatem pluribus ſuppoſitis, ſed hoc non poteſt eſse cum diuiſione eſsentiæ diuinæ, quia eſt de ſe hæc, ergo poteſt communicari pluribus ſuppoſitis cum vnitate numerali; Confirmatur quia perfectio ſimpliciter eſt pluribus communicabilis, ſed natura, & eſsentia diuina dicit perfectionem ſimpliciter, ergo eſt communicabilis pluribus ſuppoſitis, maior patet per definitionem perfectionis ſimpliciter, quam tradit D. Anſelmus monol. 15. ſupra declaratam, minor probatur, quia ſi eſsentia diuina determinaret ſibi vnum tantum ſuppoſitum v. g. Patrem, tunc ſequeretur eſſentiam diuinam non eſse perfectionem ſimpliciter, ſed hoc eſt aperte falſum, ergo conſequentia patet, quia eſſentiæ diuinæ non poſset conuenire definitio perfectionis ſimpliciter; Confirmatur ſecundo à ſimili, quia natura creata aliqualiter illimitata, & indeterminata poteſt per modum formæ informantis ſine extenſione per ſe, vel per accidens informare partes vnius totius, ſicut patet de Anima rationali, quæ propter illimitationem, & independentiam à corpore in eſse poteſt ſine vlla extenſione informare plures partes corporis, ergo ablatis imperfectionibus, tam in forma, quam etiam ab eo, quod informat, à forma rationem dantis eſſe per informationem, ab eo autem, quod informat ablata iſta imperfectione, quod ſint partes vnius totius, tunc illa forma creata aliqualiter illimitata dabit eſse pluribus in ſe ſubſiſtentibus, ergo multo magis eſsentia increata, quæ eſt ſimpliciter infinita, & illimitata, & ſine omni imperfectione poterit dare eſse pluribus ſuppoſitis, ergo de facto eſt cõmunicabilis pluribus. Suppoſitis, quia in diuinis non differunt eſſe, & poſse.

14 Numerus prædicamentalis non eſt ponendus in diuinis, tum quia talis numerus eſt per ſe in prædicamento quantitatis ex Ariſt. & Doctore ſubtili 5. Metaph. ſed nihil in diuinis eſt in prædicamento ex eodem Scoto in 1. diſt. 8. q. 3; ergo numerus prædicamentalis non eſt ponendus in Deo, tum etiam, quia numerus iſte eſt accidentalis, potentialis, finitus, & limitatus, quælibet autem perſona diuina eſt ſubſtantialis, & actualis; eiſdem rationibus concluditur, etiam non dari in diuinis vnitatem prædicamentalem; ſupponitur hic, quod ſicut vnitas ita numerus duplex eſt, alter eſt tranſcendentalis, & alter prædicamentalis, numerus tranſcedentalis eſt, ille, qui oritur, vel ab vnitatibus numericis illis, quæ ſunt intrinſece in indiuiduis, vel ab vnitate eſſentiali; eſſentia enim quælibet eſt vna abſque indiuiduatione vnitate minori, quam ſit numerica; Numerus prædicamentalis eſt ille, qui oritur ex diuiſione continui ex 3. phyſicorum numerus tranſcedentalis ſicut, &

S 1 vni-

Digitized by Google

vnitas tranſcedentalis, & intrinſeca non diſtinguuntur à ſuo quaſi ſubiecto realiter, ſed tantum formaliter; Vnitas vero & numerus prędicamentalis vere diſtinguuntur realiter à ſubiecto.

15 Abſolute loquendo ſine aliquo addito numerus non eſt collocandus in diuinis tranſcedentaliter accipiendo numerum; tamen cum hoc addito numerus diuinarum perſonarum, vel trinitas diuinarum perſonarum; ibi ſic eſſe numerum probatur, quia ratio numeri primario eſt impoſita ad quãtitatem diſcretam exprimendam ſecundario vero ad tranſcendentia transfertur, ac proinde bene negatur abſolutè in diuinis perſonis numerus, quia nulla eſt ibi quantitas diſcreta, nulla etiam vnitas formalis reſpectu vnitatum materialium; Vnitas tranſcedentalis in diuinis non ſolum dicit entitatem poſitiuam, ſed etiam perfectionem ſimpliciter, quia perfectio ſimpliciter eſt, quam melius eſt in quolibet eſſe ipſam quam non ipſam, cum igitur melius ſit vnum, quam non vnum, vt patet de primo ſummo ente, ergo vnitas tranſcendentalis in diuinis dicit perfectionem ſimpliciter; recte numerus ternarius tribuitur perſonis diuinis in ratione principij, nam vt dicit D. Bonauentura eſt intelligere principium, quod nõ eſt principiatum, vt Pater, principium, quod eſt principiatũ ecce filius, & principiatum, quod non eſt principium (intellige ad intra) ecce Spiritus Sanctus.

16 Diuinæ perſonæ non conſtituuntur per negationem tantum; nam negatio nõ eſt primo incommunicabilis, quia negatio quantum eſt de ſe poſſet cuicumque competere; eſt igitur perſona incommunicabilis propter incommunicabilitatem alicuius poſitiui, ad quam ipſa incommunicabilitas perſonalis conſequitur. Confirmatur, quia negatio non eſt primo propria alicui enti, niſi per affirmationem aliquam propriam, ſed proprietas perſonalis eſt propria illi, cuius eſt, ergo non niſi per affirmationem; cõfirmatur ſecundo, quia non poteſt aliquid cuiquam repugnare niſi per entitatem poſitiuam ex 3. ſent. diſt. 1. quęſ. 1. Scoti, at naturæ diuinæ repugnat communicabilitas, & dependentia ad extrinſecam perſonam ibidem, ergo illud, per quod ita ſimpliciter incommunicabilis, ac independens contradictorie conſtituitur debet eſſe quid poſitivum; Item cõfirmatur ex Miſterio Incarnationis; Vnio naturæ humanæ ad perſonam Verbi eſt vnio realis, ſed negatio non poteſt eſſe terminus formalis vnionis realis, ergo perſona Verbi, quæ terminat illam vnionem Verbi non poeſt conſiſtere in negatione, ſed in aliquo reali; Confirmatur adhuc nam ex oppoſita opinione ſequitur Verbum ipſum, ſeu perſonam Verbi poſt vnionem non eſſe perſonam, ſed ſolum compoſitum ex natura, & Verbo, quod eſt Hæreticum; probatur conſequentia, quia in humana natura manet omnis res, & omnis modus realis, qui eſt in creata perſona, ergo ſi Verbum diuinum non addit aliquid poſitivum non erit vera perſona hãc opinionem tenent, communiter Thomiſtæ, & Scotus ipſe in 3. d. 1. q. 1. de perſona diuina; ſed de perſona creata videtur inclinare ad oppoſitam ſententiam, ideo Scotiſtæ non conueniunt in aſſignanda Scoti opinione videatur ibidem.

17 Supponendo tanquam verum, & de mente Scoti in 1. d. 26. q. vn. diuinas perſonas cõſtitui in eſſe perſonali per aliquid poſitivum eſt magna controuerſia inter Doctores in aſſignare illud poſitivum; nam aliqui dicunt illud eſſe quid abſolutum, & alij quid relativum; pro vtraque parte ſolide argumentatur, deinde ſoluit argumenta vtriuſque partis loco citato. Ideo videtur problematicus. Opinio autem communis, quam principaliter tenet D. Thomas p. p. qu.

Digitized by Google

40.art.2.& aſſerit, quod diuinę perſonæ conſtituuntur per relationes, probatur auctoritatibus & rationibus, & in primis auctoritate Chriſti in Euangelio Matth. vltimo nominantis diuinas perſonas nominibus relatiuis Patris videlicet, Filij, & Spiritus Sancti; deinde auctoritate D. Auguſtini lib. 5. de Trinit. Cap. 8. vbi ait quod omne abſolutum in diuinis dicatur ſubſtantialiter, ergo non per abſolutum conſtituuntur, ſed per relationes non communes omnibus perſonis, ſed originis, & 11. de Ciuit. Dei ait, quod Pater eſt quicquid habet excepto relatiuo, quod habet, & non eſt ipſum: pro intelligētia huius auctoritatis D. Auguſtini aduertendum eſt, quod in Patre (idem dic de filio, & vniuerſaliter de omni Perſona & ſuppoſito) eſt duplex quo, & duplex quod, & cuicumque quo, correſpondet proprium quod, vel quis; Per nomen quo, intelligitur ratio agendi, vel ratio eſſendi per nomen vero quod, vel quis, intelligitur agens, vel exiſtens, ita dicendum; in eodem ſuppoſito eſt duplex quo, & duplex quod, vel quis; Primum quo in perſona Patris eſt principium eſsendi quiditatiue ideſt deitas cui quo, ideſt deitati correſpondet proprium quod, vel quis, ideſt Deus, ſecundum quo, eſt principium eſsendi perſonaliter ideſt Paternitas, cui correſpondet proprium quod, vel quis, ideſt Pater. Dicit igitur D. Auguſtinus Pater (intellige in quantum Deus) eſt (realiter, vel formaliter) quicquid habet (abſoluti & communicabilis) excepto relatiuo, quod habet (realiter), & non eſt ipſum (formaliter), quia relatiuo Pater, vt Deus non formaliter paternitate Deus.

18 Eidem opinioni fauet Boetius dicens quod ſubſtantia continet vnitatem, relatio multiplicat Trinitatem ideſt omne abſolutum in diuinis eſt vnum numero in tribus perſonis, ſed ſola relatio eſt multiplex, cum ergo perſonæ diuinæ ſint multiplicatæ; ſequitur, quod relationibus conſtituantur, & non abſolutis; etiam D. Damaſcenus ſubſcribit, qui dicit perſonas eſse omnino, vnum præter generationem, & proceſsionem, ergo per iſtas diſtinguntur, & non per abſolutum; Richardus quoque 3. de Trin. dicit, quod perſonæ non diſtinguntur, niſi per alium modum habendi eandem naturam, ſed modi habendi non ſunt abſoluta; ergo non per abſoluta conſtituuntur; denique probatur per D. Anſelmum, qui dicit omnia eſse vnum in diuinis præter relationes, & relatiua ergo per relatiua conſtituuntur perſonæ; probatur etiam ratione, omne abſolutum additum abſoluto facit compoſitionem; ſed diuina perſona non eſt compoſita, nec componibilis, ergo abſoluto eſſentiæ non poteſt addi conſtitutiuum abſolutum; Quod ſi quis dicat; Idem inconueniens ideſt compoſitionis videtur ſequi ſi quis dicat diuinas perſonas conſtitui per relationes. Reſpondetur quod non, & hoc vel propterea quia relatio nihil addit ad fundamentum, ideo non facit compoſitionem cum eſſentia relatio, vt abſolutum, vel quia tranſit ſecundum eſſe in eſſentiam abſolutam, vel certe licet aliquid addat, quia tamen tranſit ſecundum eſſe in eſſentiam ideo non facit cum eſſentia compoſitionem.

19 In diuinis datur exiſtentia communis tribus perſonis qua eſſentia diuina dicitur exiſtere, exiſtentia enim eſt eſſe, quo aliquid eſt extra ſuas cauſas, ſiue extra obiectiuam potentiam, ſiue per ſe exiſtat, quod competit ſubſtantiæ, ſiue exiſtat in alio, quod competit accidenti probatur Exodi 3. vbi Deus ait de ſe Ego ſum qui ſum, impoſuit ergo ſibi hoc nomen ille, qui eſt;

ſed (qui eſt) ſignificat exiſtentiam, & Deus eſt nomen eſſentiale, & abſolutum, ergo exiſtentia, & eſſe eſt nomen abſolutum conueniés Deo vt eſt Deus, aut vt eſt abſolutum, ergo exiſtentia competit eſſentiæ diuinæ in ſe conſideratæ, vt diſtinguitur à perſonis; confirmatur, quia eſſentia in creaturis non diſtinguitur realiter ab exiſtentia, ergo multo minus in Deo; Deinde dicit D. Auguſtinus 7. de Trin. Cap. 6. quod eſſentia diuina eſt, qua Pater eſt, & filius eſt, licet non ſit qua Pater eſt Pater, & filius eſt filius; tunc ſic arguo; at ſi eſſentia non haberet propriam exiſtentiam, ſed exiſteret exiſtentia relatiua, eſſentia diuina non eſſet qua Pater, nec qua filius eſt, ſed è conuerſo Paternitas, & filiatio eſſent, quibus eſſentia eſt; conſequentia eſt euidens, quia eſſentia non haberet eſſe niſi à relationibus, ergo à relationibus haberet, vt ſit.

20 Præter exiſtentiam communem, & abſolutam dantur in diuinis tres exiſtentiæ relatiuæ, quibus Perſonæ diuinæ particulatiter dicuntur exiſtere, ita Scotus in 1. diſt. 11. q. 2. in ſolutione primi argumenti D. Thomæ: fundamentum Scoti eſt, quia eſſentia, & exiſtentia ſunt vnum, & idem à parte rei, proinde ſi eſſentia, & quiditas relationis diſtincta manet ab eſſentia, vt dicit Doctor ſubtilis neceſſario quoque eſſe, & exiſtere relationis ſecundum ſuum eſſe formale diſtinctum manet; Confirmatur quia relatio realis in creaturis ſecundum propriam quiditatem habet propriam exiſtentiam, ſiue proprium eſſe ergo multo magis relatio realis in diuinis antecedens probatur, quia relatio realis aduenıens fundamento, ſiue ſubiecto dat illi nouum eſſe actuale, quia eſt noua forma realis illi de nouo adueniens, eſt autem impoſſibile aliquam entitatem realem actualem in eſſe alicui, & non dare illi aliquam exiſtentiam actualem, alioquin eſſet negandum relationem eſſe ens reale, ſed omne ens eſſe abſolutum; Verum eſt tamen illa tria eſſe exiſtentiæ nihil perfectionis addere ſupra eſſe exiſtétiæ eſſentiæ diuinæ, quia (vt dictum eſt) eſſentia diuina habet proprium eſſe, & propriam exiſtentiam actualem, qua ſimpliciter per ſe exiſtit, & proinde etiã ſecluſis illis exiſtentijs relatiuis nihil perfectionis, & eſſe adimeretur illi eſſentiæ, immo ipſa eſt, quæ præbet exiſtentiam ſuam relationibus, perſonis diuinis, & attributis, & ſicut eſſentia eſt radix, & fundamentum omnium formalitatum, quæ in ipſa identificantur, ita exiſtentia eius eſt radix, & fundamentum exiſtentiarum relatiuarum.

21 Cõcluſis in diuinis quattuor exiexiſtentijs, modo dicendum eſt de ſubſiſtentia, quæ eſt per ſe exiſtentia, ita quod ſubſiſtere eſt per ſe exiſtere; eſt tamen ſubſiſtentia quid contractius, quam exiſtentia, ita quod omnis ſubſiſtentia eſt per ſe exiſtentia, non autem omnis exiſtentia eſt ſubſiſtentia; eſſe ſubſiſtentiæ eſt duplex, nam aliud eſt per ſe ſubſiſtens communicabile, vt eſſe ſubſtantiæ ſecundæ; & aliud eſſe ens per ſe ſubſiſtens incommunicabile, vt perſona, & Hypoſtaſis. Eſſentia diuina habet propriam ſubſiſtentiam, ſed cõmunicabilem, & in ſubſiſtendo non dependet à perſonis, ita quod eſſentia per ſe habet vltimum complementum, & vltimam actualitatem exiſtentiæ per ſe, & nullum eſſe recipit à perſona, ſed eſt prius naturaliter in ſe, & per ſe, quam ſit in perſona; & dat eſſe abſolutum perſonæ, & eſt de ſe hæc, & proinde per ſe ſubſiſtit quamuis communicabiliter, ita Scotus in 3. diſt. 1. q. 2. v. ad quæſtionem in fine, & idem ſupponit in 1. d. 1. q. 2. in reſponſione ad ſecundum

pro opinione Henrici, & in 1. diſt. 5. q. 2. v. tertio principaliter, & diſt. 7. q. 1. & alibi, ex cuius doctrina in tertio loco citato hęc ſua opinio ſic probari poteſt; quod eſt prius naturaliter altero nec ab eo capit aliquod eſſe immo dat illi poſteriori eſſe ſimpliciter exiſtentiã complete, & vltimate perfectam in ratione exiſtentiæ conſequenter habet ſubſiſtentiam, ſed ſic eſt, quod eſſentia diuina eſt prior naturaliter quam ſit in perſonis, & dat eſſe perſonis, & ab illis nullum eſſe recipit, ergo eſſentia diuina eſt per ſe ſubſiſtens, maior patet ex declaratione termini ſubſiſtentiæ ſupra dicta, quoniam ſi non recipit aliquod complementum ab alio, ſed eſt per ſe omnino exiſtens vltimate, habet propriam ſubſiſtentiam eo modo, quo ſubſiſtentia in propoſito accipitur; minor pariter patet ex ordine naturæ, & originis.

22 Vltra ſubſiſtentiam communicabilem ipſius eſſentiæ diuinæ dantur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, quibus formaliter ſubſiſtunt diuinæ Perſonæ incommunicabiliter, ita quod ſecundum Scotum relationes originis, quatenus diſtinguntur formaliter ab eſſentia habent proprium eſſe, ſiue propriam exiſtẽtiam formaliter quoque diſtinctam, realiter autem idem cum eſſentia, & exiſtentia eſsentiæ diuinæ, Exiſtentia autem illa relationis conſiderata ſecũdum ſuam formalitatem dat eſse incõmunicabile Perſonis, quia illas conſtituit in eſse perſonali, & hypoſtatico, quod eſt incommunicabile; Vnde ſicut eſsentia, & relationes formaliter, & ex natura rei diſtinguntur, ita eſsentia, & exiſtentiæ eſsentiæ, & relationum diſtinguntur formaliter; Vtraque autem exiſtentia dicitur ſubſiſtentia, ſed diuerſo modo, nam exiſtentia eſſentiæ diuinæ, eſt eſse abſolutum completũ, & vltimate per ſe ſubſiſtens dicitur ſubſiſtentia; Exiſtẽtia vero relationum, quia eſt incommunicabilis dicitur quoque eſse ſubſiſtentia, licet ex ſua ratione formali non ſit vltimate, & per ſe ſubſiſtens complete, ſed ſolum, quatenus eſt idem realiter cum eſsentia diuina, Tenet ergo Scotus in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, & ſubſiſtentias relatiuas, realiter idẽtice eſse omnino vnam ſubſiſtentiam, & illam eſse abſolutam, quia eſse eſsentiæ diuinæ eſt, Quo omnia, quę ſunt in diuinis vere, & realiter ſunt, & exiſtunt; & relationes ipſæ ab eadem eſsentia habent eſse exiſtere, at ſi conſiderentur ſecundum ſuam rationem formalem ſubſiſtentia abſoluta & ſubſiſtẽtiæ relatiuæ formaliter, & ex natura rei diſtinguntur, vt ſupra declaratum eſt.

De Perſona Patris. Art. V.

1 DIctum eſt ſuperius primo eſse in diuinis 5. notiones, quę ſũt Paternitas, innaſcibilitas, filiatio, ſpiratio actiua, & ſpiratio paſſiua; dictum eſt ſecundo perſonas conſtitui per relationes; Prima perſona, quæ eſt Pater conſtituitur in eſse perſonali per relationem paternitatis; Hinc ſequitur innaſcibilitatem, ſeu eſse ingenitum quãuis ſit notio, & proprietas Patris non eſt tamen conſtitutiua perſonæ Patris; Quod in genitum ſit proprietas (ſumpto ingenito, vel ut eſt priuatio, vel ut eſt negatio generationis, vel ut eſt negatio productionis, vel denique, ut eſt negatio communicationis) probatur quia Pater non eſt genitus, nec ſpiratus, nec productus, & deniq; non communicatus, ergo omnino eſt ingenitus, & conſequenter esse ingenitum eſt proprietas Patris, ſi obijciatur, primo Spiritus Sanctus eſt ingenitus, & ſimiliter essentia diuina non eſt genita, quæ nec generat, nec generatur, ergo esse ingenitum non est proprietas ſolius Patris,

ſe-

ſecundo ſi innaſcibilitas dicit negationem, ergo non dicit proprietatem, quia omnis proprietas perſonalis pertinet ad dignitatem. Reſpondetur ad primam obiectionem; Spiritus Sanctus non eſt omnino ingenitus ſicut Pater, quia Spiritus Sanctus non eſt improductus, ſicut Pater; ſimiliter licet eſſentia diuina non ſit genita, vel producta non eſt tamen incommunicata, vel incommunicabilis, atque adeo eſſentia non eſt omnino ingenita ſicut Pater; Reſpondetur ad ſecundum negando conſequentiam; licet enim, nec innaſcibilitas, nec id, quod ſupponit ſcilicet paternitas, pertineat ad dignitatem poſitiuè, pertinet tamen negatiue, quia rationalia, nec dicunt perfectionem, nec imperfectionem.

2 Abſolute negandum eſt Patrem habere rationem principij reſpectu deitatis, quia deitas non procedit à Patre tanquam principio producente, vel productiuo, vt patet ex concilio generali Lateranenſi ſub Innocentio 3. vbi dicitur, quod eſſentia diuina, nec generat, nec generatur; ita quod ſi aliquis ex Patribus dicat Patrē eſſe principium deitatis ſicut dicit D. Dionyſius Areopagita Cap. 1. de Cœleſti Hierarchia vbi ait Pater diuinitatis fons atque principium & D. Auguſtinus lib. 4. de Trinit. Cap. 20. & in Concilio Toletano 6. Cap. 1. & 12. in profeſſione fidei; fons ergo ipſe eſt & origo totius diuinitatis; Hæc explicanda ſunt vt dicatur Pater principium deitatis filij, & Spiritus Sancti pro quanto eſt principium Trinitatis, & ſic filij & Spiritus Sancti, in quibus eſt diuinitas.

3 Similiter negandum eſt patrem eſſe ſapientem ſapientia genita, quia aut ibi ſumitur ſapientia pro perſe ſignificato ſcilicet pro perfectione eſſētiali, & ſic eſt falſa illa propoſitio Pater eſt ſapiēs ſapiētia genita, quia nulla perfectio eſſentialis eſt genita, aut certe ſumitur pro perſona filij & ſic pari formiter eſt falſa, quia principium ſapientiæ non poteſt eſſe perſona filij, quia perſona filij non eſt forma, nec tanquam forma in intellectu Patris, nec concedendum Patrem dicere Verbo niſi dicere ſumatur pro declarare vt dicit D. Auguſtinus 7. de Trinit. Cap. 1. vbi ſic ait Verbo quod genuit dicens eſt pro quāto declarare ſe & alia appropriatur verbo, quia magis conuenit cum proprio eius, quod eſt eſſe notitiam ex vi productionis ſuæ; Pater generans filium, ipſum nō generat ſola eſſentia tanquam principio quo totali; nec ſolo intellectu; ſed intellectu cum eſſentia, in ratione obiecti, & intellectu in ratione potentiæ, eſſentia tamen principalius concurrit ad productionem verbi quam intellectus.

4 Probatur prima pars huius aſſertionis quia ſi eſſentia eſset totale principium quo vbicumque eſset, eſset principium productiuum vniformiter, & ſic in Patre eſset principium vniforme producendi filium atque Spiritum Sanctum; & ſic ſicut filius producitur naturaliter & non libere, ita produceretur & Spiritus Sanctus, ſecunda pars probatur, quia principiū totale alicuius producti continet formaliter, vel ſaltem virtualiter terminū formalem productionis; ſed intellectus non continet hoc modo terminum formalem, qui eſt eſsentia, quin potius eſsentia continet intellectum, & præſupponit eſsentiam tanquam id, à quo emanat ergo &c. tertia pars probatur, quia eſsentia eſt illimitatior cum etiam concurrat ad productionem Spiritus Sancti, & principalior in eſsendo ergo etiam eſt principalior in principiando, ſeu producendo. Immo ſicut intellectus emanat ſecundum ſuam formalitatem ab eſsentia ſecundum ſuum eſse, ita ſuo modo ema-

Digitized by Google

emanat ſecundum operari, ac proinde eſsentia diuina eſt aliquo modo habens prius virtutem producendi, quam intellectus, ſicque noſtro modo intelligendi intellectus ſuam vim producendi recipit ab eſſentia, cum hoc tamen ſtat, quod in actuali productione filij ſimul omnino concurrunt eſsentia in ratione obiecti intellectus vero in ratione potentiæ.

5 Hoc principium totale productivũ filij, vt quo, in Patre eſt potentia generandi præcedens relationem paternitatis, prius enim concipimus in Patre potentiam generandi, quam paternitatem, ut fundamentum eius proprium, & quamuis hoc totum intellectus, & eſſentia ſit etiam in filio, & Spiritu Sancto, tamen in illis non eſt potentia generandi, nec generatio actiua, nec generare, quia potentia generandi non ſolum dicit principium agendi abſolute, puta eſſentiam cum intellectu, ſed principium agendi in ſuppoſito, à quo poteſt exire huiuſmodi operatio, tale autem ſuppoſitum eſt Pater, non filius, nec Spiritus Sanctus. Similiter licet in Patre antequam generet filium vltra eſſentiam, & Intellectum ſit etiam voluntas, & ſit perfecte beatus, voluntas tamen nullo modo pertinet ad principium productivum filij, nec vere poteſt dici Patrem producere filium voluntate producente; conceditur tamen voluntatem, ut ſic in Patre in tali priori operari circa ſuum obiectum, quod eſt eſſentia; ita quod poteſt concedi Deum Patrem producere filium voluntate operante, vel complacente non ſolum concomitanter reſpectu productionis filij, ſed etiam antecedenter.

6 Sicque Pater (ſecundum hanc doctrinam Scoti in 1. diſt. 6. q. vnic. prius generare vult, quam generet, tum quia velle generare eſt quid abſolutum, & generare quid reſpectivum, ſiue notionale, prius autem in diuinis eſt abſolutum, quam reſpectivum, & notionale, ergo velle generare eſt prius quam generare ſecundum noſtrum modum intelligendi; tum ſecundo Pater præhabet omnem perfectionem ſimpliciter, ut prior origine filio, ſed volitio diuinę eſſentiæ eſt perfectio ſimpliciter, quia eſt beatitudo formalis eſſentialiter, ergo velle generare eſt prius quam generare, tum tertio voluntas ſpirandi Spiritum Sanctum eſt prior ſecundum noſtrum modum intelligendi ipſa ſpiratione, nam Pater, & filius volunt productionem Spiritus Sancti, ergo pari ratione voluntas generandi filium erit prior in Patre ipſa generatione; pro clariori intellectu huius ſententiæ, & rationum iam adductarum notandum, quod Pater in primo ſigno originis intelligit eſſentiam ſuam, vt communicabilem, & eam diligit, ac vult actu eam communicare; in ſecundo ſigno eam communicat per generationem; in tertio ſigno per ſpirationem; Cum igitur in primo ſigno originis velit Pater ſuam eſſentiam, vt communicandam, & in ſecundo per generationem eam communicet, ſequitur quod voluntate antecedente generat filium; nam Pater prius origine, quam generet filium eſt perfecte beatus per intelligere, & velle; accedit illa famoſa propoſitio Scotica; eſſentialia in diuinis ad intra priora eſse notionalibus, ſed velle Patris generare filium eſt eſsentiale, & generare eſt notionale, ergo &c.

7 Si arguatur, quod intellectio Patris præcedit velle Patris, ſed intellectio Patris eſt gignitio filij, ergo gignitio filij præcedit quodcumque velle Patris; Reſpondetur negando minorẽ, quoniam intelligere eſt perfectio ſimpliciter, generare autem non eſt perfectio ſimpliciter, alias ſequeretur, quod filius, & Spiritus Sanctus, cum non generent,

Digitized by Google

nerent non eſſent perfecti ſimpliciter; contra ſi intellectio non eſſet generatio filij tunc eiuſdem potentiæ eſſent duo actus; Reſpondetur quod eiuſdem potentiæ non ſunt plures actus eiuſdem rationis; ſunt duo alterius rationis huiuſmodi ſunt intelligere, & generare, quia intelligere eſt actus operatiuus, & eſſentialis, generare vero eſt actus productiuus notionalis, & perſonalis; Contra operari præſupponit eſſe; ſed generatio conſtituit Patrem in eſſe, & velle eſt operari, ergo generatio præcedit volitionem; Item actus ſecundus præſupponit actum primum, ergo volitio, quæ eſt actus ſecundus præſupponit generationem, quæ eſt actus primus. Ad primum dicitur, quod operari præſupponit eſſe principij operatiui, ſed non ſuppoſiti operantis, Vnde velle præſens præſupponit eſſentiam, & voluntatem, ſiue Deum, ſed non ſuppoſitum Patris; Ad aliud reſpondetur quod actus ſecundus præſupponit actum primum formæ elicitiuæ, ſed non ſuppoſiti elicientis.

8 Voluntas diuina non ſolum non concurrit ad productionem filij tanquam principium quo, ſed nec habet rationem principij copulantis, & applicantis in huiuſmodi productione, quod dupliciter probatur; primo ſi voluntas principiaret generationem, ut copulans, & applicans ſequeretur, quod ille actus eſſet contingens, quod eſt falſum, conſequentia probatur, nam ex voluntate copulantis in nobis infertur, quod copulatio præuenit gignitionem verbi diuini, ergo ſi ex iſta parte accipitur ſufficiens cauſa ſequitur, quod ſicut ille actus in nobis qui preuenitur, & cauſatur à cauſa copulante eſt liber, & contingens ita erit in Deo, quod non eſt dicendum; ſecundo, quod in nobis prouenit ex imperfectione, & defectu non eſt in Deo ponendum, ſed copulatio, & applicatio prouenit nobis ex imperfectione ergo; minor probatur; nam voluntas in nobis ideo præcedit applicando, & copulando, quia principia actuum generationis non ſunt ex natura rei copulata ſecundum actum, ſed ſolum ſecundum potentiam, nam ſi eſſent actu copulata fruſtra poneretur ibi aliquod copulans, propterea indigent voluntate copulante, & applicante, ſiue coniungente, ſed hoc in nobis dicit defectum, & imperfectionem, ergo non eſt ponendum in Deo.

9 Quod dictum eſt de diuina voluntate dicendum eſt de alijs attributis, & maxime de intellectione eſſentiali, quæ non ſolum non pertinet ad principium productiuum filij, quamuis ſit operatio, ſed nec vllo modo eſt de ratione actus dicendi, ſed talis intellectio, & dictio diſtinguntur, ita quod Pater producit filium dictione non intellectione; ſtabilito igitur totali principio productiuo filij quantum ad ſufficientiam ipſius, & remotionem eorum, quæ ad ipſum non pertinent, & ſunt extra rationem eius nunc probandum huiuſmodi principiū alias potentiam generandi dari in Patre; eſt facile hoc probare à productione ad ſuum principium nam omne generans, generat per aliquam potentiam, ſed in diuinis Pater generat filium, ergo in Patre eſt potentia generandi; Immo hoc pertinet ad perfectionem Patris, nam perfectum eſt vnumquodque, quādo poteſt generare ſibi ſimile in natura, ſed Pater in diuinis producit filium non ſolum in ſimilitudine naturæ ſpecificæ, ſed identitate naturæ numerali; Hinc D. Auguſtinus arguens contra Arianos ſic dicebat ſi Pater non potuit generare equalem filium ſibi impotens fuit, ergo potentia generandi filium erat in Patre; & quidem ſumma, quia non tantum potuit generare filium ſimilem in natura ſpecifica, ſed conſubſtantia-

lem

Digitized by Google

lem in eadem natura numerica.

10 Non defuerunt qui exiſtimarunt hanc potentiam generatiuam eſse duntaxat Logicam, quæ dicit modum compoſitionis factæ ab intellectu, & conſiſtit in ſola non repugnantia terminorũ, negant autem eam eſse realem, & veram quę ſententia ſe ipſa corruit; eſt enim contra illud Pſalmi 109 ex vtero ante Luciferum genui te, vbi per vterum Patris exponunt principium reale ipſius filij, quod eſt intellectus cum eſſentia, ſiue memoria fœcunda. Secundo repugnat concilijs Generalibus, & Eccleſiæ definitionibus, quæ actus notionales, ideſt generandi, & ſpirandi firmiter aſseruerunt eſse in diuinis, ergo, & potentiam reſpectu eorum veram, & realem poſuerunt, nam vbicumque ponitur actus, neceſse eſt ponere potentiã reſpectu illius actus, ſed actus generandi ponitur in Deo, ergo & potentia; repugnat Sanctis Patribus D. Auguſtino contra Maximinum lib. 3. & de Trin. lib. 15. D. Anſelmo lib. de Spiritu Sancto D. Damaſceno lib. 1. fidei, & D. Cirillo 1. Theſauri; tandem repugnat Magiſtro ſent. in 1. diſt. 7. D. Bonauenturæ ibidem; Scoto, & eius aſseclis ibidem D. Thomæ, & eius Diſcipulis p. p. q. 41. art. 4.

11 Potentia igitur generandi in Deo Patre eſt quid reale nimirum memoria fœcunda conſtans ex eſsentia diuina, & diuino intellectu, quatenus ſunt in Patre, vt in ſuperioribus ſæpe dictum eſt; Quæ potentia ſumpta præciſe, & reduplicatiue, ut principium, quatenus ex Ariſt. 5. Met. dicit ordinem, & habitudinem ad principiatum dicit relationem in Patre, ſumpta vero pro fundamento ipſius relationis principij, quod eſt principium quo productivum dicit quid abſolutum; patet quia eſsentia, & intellectus dicunt abſolutum; Potentia generandi ſumpta pro fundamento cũ omnibus neceſsario requiſitis ad actum dicit aliquid abſolutum, & aliquid reſpectivum, quod manifeſtum eſt, nam potentia ſic vſurpata dicit potentiam prout exiſtit in determinato, & conuenienti ſuppoſito ad agendum, ſuppoſitum autem conueniẽs dicit reſpectum, ergo potentia hoc modo accepta dicit abſolutum, & reſpectivum, eſsentialius tamen, & radicaliter ſumpta vere eſt quid abſolutum principaliter, quia tota illa memoria fœcunda vera est fęcunda, quia est principium quo producendi maximum, & realiſſimum productum ad differentiam reſpectus, vt reſpectus, ideſt formaliter ſumpti, qui eſt de genere ſterilium; & non poteſt præciſe habere rationem principij.

12 Et ſi apud Græcos videatur fuiſſe in vſu Patrem vocare cauſam filij; tamen apud latinos Patres fere omnes ab hoc cauent tanquam à ſcopulo dicere cauſam eſſe in diuinis in operibus ad intra, aut Patrem eſſe cauſam filij, aut Patrem, & filium eſſe cauſam Spiritus Sãcti; Nam, vt ait D. Thomas p. p. q. 33. art. 1. hoc nomen cauſa videtur importare diuerſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicuius ab altero; in omnibus enim cauſæ generibus ſemper inuenitur diſtantia inter cauſam, & ſuum effectũ ſecundum aliquam virtutem, aut perfectionem; Nomen igitur cauſæ non eſt admittendum propter duo. Primo quia omnis cauſa, vel eſt extra eſſentiam rei ſicut efficiens, & finis, vel pars eſſentiæ vt materia, & forma; Pater autem in diuiniş non eſt extra eſſentiam filij, quia eadem eſſentia, quæ eſt in Patre eſt etiam in filio, nec eſt pars eſſentiæ, ſicut materia, vel forma, quia tota eſsentia eſt in Patre, & tota in filio, & tota in Spiritu Sancto cum ſit vna indiuiſa, & indiuiſibilis tota in omnibus perſonis, & tota in ſingulis; Vnde Pater non poteſt dici cauſa filij; vel enim

Digitized by Google

eſset efficiens, & hoc non, quia filius non eſt effectus, cum omnis effectus ſit extra eſsentiam cauſæ, nulla enim cauſa producit effectum eundem ſecum in eſsentia, cum cauſa ſit, ad cuius eſſe ſequitur aliud, in Deo vero eſt idem eſſe; Vel finalis, & hoc etiam non, quia finis non cauſat niſi metaphorice; Pater vero vere, & realiter filium producit; & præterea intentio finis denotat inæqualitatem, quia finis melior eſt ijs, quę ſunt ad finem, in hac autem Trinitate nulla poteſt eſse inæqualitas, Vel eſset cauſa materialis, & hoc non, quia materia non eſt in Deo, cum ſit in eo ſumma ſimplicitas, & ſimpliciſſima ſpiritualitas ab omni materia abſtracta; Vel denique eſset formalis, & hoc etiam non, quia Pater non poteſt eſse forma filij, & conſequenter nullo modo poteſt dici cauſa filij.

13 Secundò, quia omnis cauſa habet ordinem anteriorẽ eſsendi ad eſse ſui effectus, ſeu cauſati, omnis enim cauſa prior eſt naturaliter ſuo effectu, quia non poteſt effectum in eſse producere, quin prius ipſa habeat eſse, quod enim non eſt, non poteſt cauſare; Pater autem non habet ordinem anteriorem eſsendi ad eſse filij, nec tempore, nec natura; non tempore, quia generat filium ab æterno, nec natura, quia idem eſt eſse eſsentiale, & eadem natura Patris, quæ filij, & ideo eſse, vel natura vnius non poteſt eſse prior natura alterius, quia eſset prior ſe ipſa, & ideo non poteſt eſſe cauſa; ſed obiciet forſitan aliquis; Id quod eſt primum in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum ex Ariſt. 5. phyſic. Cap. 9, & 11. Metaph. text. 4. ſed Pater eſt primus in genere producentium, ergo erit cauſa cæterorum, & conſequenter etiam filij, quia filius producit ad intra Reſpondetur. Axioma Ariſtotelis intelligi debere in eodem genere cauſæ, ſed in diuinis ad intra non ponitur, & ideo in diuinis ad intra non valet axioma Ariſtotelis, ſed ſolum ad extra reſpectu rerum conditarum. Pater enim reſpectu filij quãuis ſit principium, & primũ in ratione producendi, non eſt tamen in ratione cauſandi, quia cauſatum eſt ſemper extrinſecum cauſę, & eſsentialiter ab ea diſtinguitur.

14 Si obijciatur ſecundo omnes Patres Gręci, vt diximus ęque vtuntur nomine cauſæ ſicut nomine principij, nec tamen repręhendi ab Eccleſia Latina, quia in Concilio Florentino in decreto de proceſſione Spiritus Sancti ſic Legimus, filium quoq; eſse ſecundum Græcos quidem cauſam ſecundum Latinos vero principium Spiritus Sancti, ſicut & Patrem Ita Concilium; quinni mo & Patres Latini nomine cauſæ in diuinis quandoque vtuntur, vt D. Auguſtinus 7. de Trinit. Cap. 1. vbi de filio ſic ait, Quæ cauſa illi eſt, vt ſapiens ſit, ipſa illi cauſa eſt, vt ſit; & in lib. 83. qq. q. 15. Quod omnium rerum cauſa, eſt etiam ſapientiæ ſuæ cauſa eſt, Reſpondetur modum loquendi Græcorum tolerari à Latinis, eodem enim modo ſumunt nomẽ cauſę ſicut Latini nomẽ principij; D. autem Auguſtinus nõ loquitur de cauſa proprie. Sed vt vulgo ſolet dici cauſa, quicquid aliquo modo eſt cauſa, vel occaſio, vel ratio alteri, vt ſit; Quando enim dicit, quod eadem eſt cauſa, vt ſit, & vt ſapiens ſit intelligit eadem ratione eſse & ſapientem eſse, & ſimiliter cum ait, quod ſapientiæ cauſa eſt; vult innuere nõ eſse quærendã cauſam ſapientiæ ſuæ vltra Deum quia illam habet à ſe, & non ab alio.

De Perſona Filij in diuinis. Art. VI.

1 SIcuti Pater eſt omnino à ſe, & nõ ab alio quocumque modo, ita filius

lius eſt à Patre non quocumque modo, ſed per generationem tantum; qui terminus (generatio) cum ſit æquiuocus clare eſt declarandus, & explicandus; Generatio igitur duplex eſt, quędam eſt vniuoca, quædam æquiuoca, vniuoca, qua generans generat ſibi ſimile in natura, æquiuoca eſt, qua non ſimile, ſed diſſimile in natura producitur, vt cum homo generat pilos, aut vermes, & in hac generatione quicquid genitum ſit, nunquam proprie dicitur filius naturalis. Vniuoca generatio eſt iterum duplex, vna viuentium, altera non viuentium, vt cum ignis generat ignem, & in hac non dicitur, quod gignitur eſse filius; Viuentium autem triplex, eſt generatio, prout eſt viuentiũ triplex genus; alia eſt enim generatio vegetantiũ tantum, vt plantarum; alia ſentientium ſimul, & vegetantium, vt cum brutum generat brutum, alia vegetantium, ſentientium, & intelligentium; vt cum homo generat hominem: Hæc generatio ſic definiri poteſt generatio eſt naturalis propagatio intelligentis ab intelligente in ſimilitudinem ſui per communicationem propriæ ſubſtantiæ, & naturæ. Dicitur naturalis propagatio ad excludendam Creationem, quæ eſt productio de nihilo. Propagatio enim denotat eſse vnius in alium diffundi; Dicitur naturalis ad excludendam omnem productionem, que non eſt ex aliquo naturali principio ad generandum apto, ſiue ſit præter, ſiue contra, ſiue ſupra, aut extra naturam, vt productio Adami, productio Euæ, productio ranarum in Ægypto, & conuerſio Virgæ Moyſis in Serpentem.

2 Quod ſi obijciatur generationem Chriſti ſecundum carnem fuiſse præter, & ſupra naturam, quia nunquam alias viſum eſt, quod aliquis natus ſit ex Virgine, nec poterat ſola Virgo illum gignere, niſi ſupra naturam Deus in illa fuiſset ſpecialiter cooperatus, ſupra naturam enim Virgo concepit, ſupra naturam etiam corpus Chriſti coaluit, quia in inſtanti omnibus organis, & membris compactum fuit, & tamen fuit generatio naturalis. Reſpondetur quod quamuis ſupra naturam Corpus Chriſti coaluerit, & ſupra naturam Virgo conceperit, & Virgo pepererit, ex aliquo tamen principio naturali ad generandum aptum concepit, & peperit ex ſuo puriſſimo ſanguine, quod ſufficit, vt propagatio, ſeu productio dicatur naturalis; Additur in definitione intelligentis ab intelligente, quæ particula, excluditur omnis alia propagatio ſi enim diceretur cognoſcentis à cognoſcente includeretur, & non excluderetur propagatio brutorum; Additur quoque in ſimilitudinem ſui ad tollẽdam omnem generationem ęquiuocam, & omnem aliam, in qua genitum non aſſimilatur generanti, immo ad excludendam proceſſionem Spiritus Sancti à ratione generationis, non enim procedit per modum ſimilitudinis, & naturæ, ſed per modum voluntatis, & amoris. Dicitur denique per communicationem propriæ ſubſtantiæ, & naturæ, quia non eſt generatio, vbi non eſt talis communicatio, vnde Angeli generare non poſſunt.

3 Ex dicta, & declarata definitione naturalis generationis concluditur ſolam propagationem humanam eſse veram generationem naturalem, ſi fiat cõparatio inter propagationes, & generationes naturales creaturarum; nam ſi loquamur in diuinis firmiſſime aſserendum eſt in Deo propriiſſime dari generationẽ; Cum enim per generationẽ fiat generantis ad genitum aſſimilatio, & è contra, vt docet Ariſt 7. Metaph. Cap. 8. & primo de gen. Animalium Cap. 1. & 2. de Anima Cap. 4. vbi nam melius vnquam inueniri poteſt generatio, quã

Digitized by Google

vbi eſt totalis, & ſecundum totum generantis ad genitum aſſimilatio? & vbi nam maior eſt genito ad generantem aſſimilatio, quam in diuinis, vbi eſt totius ſubſtantiæ, & naturæ eiuſdem numero inter Patrem, & filium communicatio? iure igitur omnium potiſſimo dicitur in diuinis eſse generatio; Vbi enim eſt nulla propriæ ſubſtantiæ communicatio, ibi nulla eſt generatio; Vbi vero eſt aliqua ſubſtantiæ communicatio in ſimilitudinem naturæ, ibi iam dicitur eſse generatio, Vbi igitur eſt totius ſubſtantiæ communicatio non ſolum in ſimilitudinem, ſed etiam in idẽtitatem numeralem naturæ, nunquid non ibi erit proprijſſima generatio? Hæc veritas ſatis ex ſuperioribus articulis remanet abundantiſſime probata, ideo ab hoc ad alia ſcitu digna procedendum eſt.

4 Quinque maximæ differentiæ intercedunt inter generationem humanam, & diuinam, prima differentia eſt, quod homo generans communicat partem tantum naturæ humanæ ſuo genito; cum enim natura humana conſtet corpore, & Anima in generatione humana communicatur corpus tantum, quod eſt pars minus principalis, Anima autem rationalis, quæ eſt principalior pars talis naturæ creatur, & infunditur à Deo; ſed Pater in diuinis generans filium communicat illi totam naturam diuinam, quæ non eſt diuiſibilis in partes, inſuper cum ea communicat illi omnes perfectiones ſuas, & attributa omnia. Secunda differentia, quod homo generans per ſuam generationem genito non communicat propriam naturam indiuidualem, ſed tantum ſpecificam, quæ numeraliter diuiditur in indiuiduis genitis; Pater vero in diuinis generans filium per generationem communicat illi naturam, & eſsentiam diuinam eandem numero, quia eſt de ſe hæc, & omnino indiuiſibilis, Tertia differentia, quod generatio humana includit duo nempe mutationem, & productionem, mutatio reſpicit materiam, quæ per mutationem tranſit à termino à quo, & terminat ad terminum ad quem nempe ad formam, quæ per mutationem, ſiue motum acquiritur, iſte tranſitus, quem facit materia ab vno termino ad alium neceſſario fit in tempore, & ſucceſſiue, quæ omnia dicunt imperfectionem; Productio vero reſpicit productum ſuum ſcilicet terminum totalem, quod per productionem accipit eſſe, & ſic nullam dicit imperfectionem; generatio quatenus dicit mutationem non transfertur ad diuina, ideſt in diuinis non datur talis generatio, quæ includat mutationem, quia in diuinis nihil admittitur, quod dicat imperfectionem; transfertur igitur generatio ad diuina, quatenus dicit, productionem producti, vel geniti.

5 Quarta differentia eſt, quod in generatione humana terminus formalis generationis non præhabeat; ſed accipiat eſse per generationem, ſed in generatione filij in diuinis eſsentia diuina, quæ ibi eſt terminus generationis, præhabet eſse, & illud non recipit per generationem; eſsentia enim diuina habuit eſse in Patre, antequam filium generaret; licet enim eſsentia diuina, vt eſt terminus formalis, non accipiat eſſe productum, quia inter producens, & productum debet eſse diſtinctio realis, eſsentia autem non diſtinguitur realiter à Patre producente, ſed accipit eſſe non productum, ſed communicatum; nam eſsentia in Patre nõ eſt communicata, vt autem in filio terminat productiuam generationem accipit eſse communicatum; Hinc verum eſt illud dogma Theologicum, quod eſsentia diuina, nec generat, nec generatur, quia inter generans, & genitum diſtinctionem

ctionem realem eſſe neceſſe eſt, ſed in diuinis nihil eſt, à quo realiter eſsentia diſtinguatur, ergo ibi nec generat, nec generatur; maior nota alias idem poſſet ſe ipſum producere, minor etiam probatur, nam quicquid eſt in diuinis eſt idem realiter cum diuina eſsentia; Vlterius ſi eſsentia generaretur, ergo eadem realitas caperet eſſe, & non caperet eſſe, quod eſt expreſſa contradictio vt dicit D. Auguſtinus 1. de Trinitate, ſed eſsentia pro vt eſt in filio eſt eadem realitas cum eſsentia provt eſt in Patre, ergo impoſſibile eſt provt eſt in filio, quod generetur, & conſequenter accipiat eſſe.

6 Quinta differentia inter generationem humanam, & generationem filij in diuinis, quod illa neceſsario ſecundum propriam exigentiam præſupponit materiam tanquam ſubiectum manens ſub vtroque termino à quo, & ad quem; ſecus dicendum in generatione filij in diuinis; quamvis enim filius Dei non ſit de nihilo (vt contra hæreticos varios, tam antiquos, quam modernos conſtanter defendit vniuerſus orthodoxorum Patrum, & Theologorum cętus,) non eſt tamen de aliquo; vel ex aliquo tanquam de materia, ſed generatur de ſubſtantia Patris in quantum ly de denotat efficientiã, & cõſubſtantialitatem ſimul, ita Scotus in p. diſtinct. 5. q. 2. quod non generetur ex nihilo probatur, nam illud non producitur ex nihilo, quod producitur de aliquo præexiſtente, ſiue illud ſit materia, ſiue forma, ſed ſi produceretur de materia non eſſet de nihilo, ergo multo minus eſt de nihilo, cum producitur de præexiſtente in Patre eſſentia, quæ in infinitum ſuperat omnem materiam, & formam. Quod vero generetur de ſubſtantia Patris in quantum ly de denotat efficientiam, & conſubſtantialitatem ſimul, patet quia generatur de ſubſtantia Patris non effectiue tantum, ſic enim creaturæ eſsent de ſubſtantia Dei, quia ſunt effectiue à Deo, nec conſubſtantialiter tãtum quia tunc Pater eſset, & diceretur de ſubſtantia filij, ergo efficienter, ſeu potius originatiue, & conſubſtantialiter ſimul.

7 Generatio filij paſſiua nõ eſt communicata aut producta, ſi producta ſumatur pro termino totali & denominato totaliter à productione, poteſt tamen dici producta pro quanto eſt idem realiter producto, pri na pars huius dicti patet, quia illud dicitur communicatum, quod præexiſtit in Patre, vt diuina eſsentia generatio autem paſsiua non præexiſtit in Patre, ergo non eſt communicata; ſecunda pars probatur, quia licet generatio paſſiua accipiat eſſe in filio per productionem, ſeu generationem actiuam, qua eſsentia non accipit eſse, tamen non accipit eſſe per ſe, ſed ratione termini totalis, ſeu geniti; Hæc generatio eſt æterna quia generatio, ſeu productio paſſiua filij habet ſimpliciter eſſe; & non à ſe, quia nihil habet filius à ſe, ergo habet eſſe à Patre, & ſicut Pater, & generatio actiua eſt ab æterno, ita, & filius, & generatio paſſiua, eſt de fide, & tamen probatur, quia tria ſunt, quæ æternitatem impedire videntur primum quod effectus non ſit coęuus ſuæ cauſæ, ſecundum cum producitur per productionem impediri poſsit, tertium cum producitur contingenter; In generatione filij Dei primum non obſtat, quia tunc ſolum effectus non eſt coęuus ſuæ cauſæ; cum producitur permutationem, cuius termini ſunt eſſe poſt non eſſe, generatio autem diuina non eſt mutatio vt viſum eſt, ergo ex hac parte filius eſt coęuus Patri, atque ita æternus. Vnde dicit D. Auguſt.; quod ſi ignis eſſet æternus. Splendor eſſet ei coęuus, & ſic æternus; ſecundum item non obſtat

Digitized by Google

ſtat quia productio filij eſt independẽs, ergo à nullo impediri poteſt; à quocumque extra Patrem, nec denique tertium, quia filius diuinus non producitur contingenter, ſed neceſſario neceſsitate naturali.

8 Et ſi probatum ſit filium Dei eſſe de ſubſtantia Patris, & conſubſtantialem Patri, ſunt tamen adhuc Hæretici, qui quamuis hoc concedant, negant tamen eſſe Deum, vt manes Perſa vnde Manichei nomen, & Hęreſim ſunt ſortiti teſte Hilario 6 de Trin. Ita Ebion Cherintus, Carpocrates, Photinus Mahumetes, Iudæi, & alij negantes diuinitatem filij Dei, Michael Seruetus, Franciſcus, Dauid, & Georgius Blandrata, & Caluinus, contra hos omnes conſenſus omnium orthodoxorum Patrum, omniumque Theologorum, & totius Eccleſiæ ex aduerſo ſtat pro vera Deitate filij defendenda; & potiſſima ratio eſt; Quod ſi filius eſt conſubſtantialis Patri neceſse eſt eiuſdem eſse ſubſtantiæ; & ſi eiuſdem ſubſtantiæ conſequẽter, & eſſentiæ, ergo ſi Pater eſt Deus, & filius pariter erit Deus. Hæreticorum probationes ſuarum Hæreſum, & obiectiones contra Catholicam veritatem nullius ſunt momenti, vel quia ſunt fundatæ ſuper ſcripturas corruptè citatas; vel concludunt de Dei filio, quatenus homo eſt; & dicamus cum D. Ignatio Epiſt. ad Antiochenos, vbi ait, omnis qui annunciat verum, & ſolum Deum, vt tollat Chriſti diuinitatem, is eſt Diabolus, & hoſtis omnis iuſtitiæ.

9 Miſeri Arriani in luto ſemel infixi è luto ſe extrahere non poſſunt, ſed quo magis ſe expedire nituntur magis in Barathrum reuoluntur. Infixi ſunt in limo profundi, & non eſt ſubſtantia; Cum enim ſemel dixerint filium non eſſe æqualem Patri coguntur dicere conſequenter ipſum non eſſe Deum, & vlterius non eſſe Creatorem, nec factorem rerum, ſed factum, & creatum, ſic enim Arius contendebat filium Dei eſse meram creaturam ante omnes alias creaturas à Patre factam, teſte Alexand. contra Arium orat. 3, ita Athanaſium orat. 2. contra Arianos, & alij, quam hæreſim iam pene immo planè, & plenè ſopitam ex orco reuocarunt Miniſtri Tranſyluaniæ, vt videre eſt in diſputatione Albana per totam. Vnde omnia Hæreſum monſtra, & portenta ſunt in noſtrũ orbem per hos Nouatores reuecta; ſed in oppoſitum ſtat immobilis columna, & firmamentum veritatis in Eccleſia canens in ſymbolo Nicenę fidei, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo Lumen de Lumine Deum verum de Deo vero genitum non factum conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt; quibus quidem Verbis fere omnium Hæreſum capita contra hanc de filio Dei confeſſionem inſurgentium reſcindit; per hoc enim, quod vocat filium Dei vnigenitum oſtendit in hac ratione generationis non habere conſortem; Per hoc, quod addit, ex Patre natum oſtendit non eſse ex nihilo, ſed de ſubſtantia Patris; Per hoc, quod ſubdit, ante omnia ſæcula, oſtendit non in tempore, ſed ab æterno productũ fuiſse; Per hoc, quod adiungit Deum de Deo lumen de lumine oſtendit eſse eiuſdem naturę cum Patre; Per hoc quod ſubnectit Deum verum de Deo vero oſtendit verum eſſe Deum æque, ac Patrem; Per hoc, quod dicit genitum non factum oſtendit non eſse productum per modum effectus, ſed veræ generationis; Per hoc, quod dicit conſubſtantialem Patri oſtendit eſse cum Patre eiuſdem naturæ eſsentiæ, & ſubstantiæ; Per hoc denique, quod dicit per quem omnia facta ſunt oſtendit non tantum eſse verum, ſed etiam non eſſe factum, nec creatum

quia

Digitized by Google

quia impoſſibile eſt, quod ille ſit factus, per quem omnia creata ſunt.

10 Tribus nominibus appellatur ſecunda Perſona Sanctiſſimæ Trinitatis nempe filij, Verbi, & imaginis; De primo nomine ſatis dictum eſt: nunc ad ſecundum accedendum eſt, dicendumq; ſic appellari in Euangelio Ioannis in principio; vbi dicitur in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; & infra. Et Verbum caro factum eſt, Doctor ſubtilis in primo diſt. 27. q. 1. & alibi Verbum diuinum declarat per noſtrum Verbum creatum pro quanto eſt actus intelligendi, quia Verbum creatum eſt intellectio actualis genita, ſeu producta per memoriam expreſſiua eorum, de quibus producitur, ſed tale est verbum diuinum ſecluſis imperfectionibus; Ideo Verbum creatum ſic definiri poteſt; Verbum creatum eſt actus intelligentiç productus à memoria perfecta non habens eſse ſine actuali intellectione repræſentans diuinum Verbum; Ex hac definitione quattuor conditiones, ſeu proprietates Verbi creati colliguntur, prima eſt; quod Verbum eſt actus intelligentiæ, ideſt intellectus intelligentis ſic D. Auguſt. lib. 9. de Trin. Cap. vltimo. Secunda conditio est, quod Verbum est genitum à memoria, hanc conditionem non admittunt Thomistç, qui dicunt Verbum produci intellectione, ſeu intelligentia, & citant pro ſe D. Auguſtinum 18. de Trinit. Cap. 26. vbi ſic ait Verbum noſtrum de noſtra ſcientia est; ſed reuera D. August. se ipsum explicat de quali scientia loquatur, dicit enim de nostra inquam scientia memorabili, ac ſi diceret de nostra memoria accipit, ergo ibi scientiam pro actu primo, idest pro ipſa memoria non autem pro actu ſecundo, vt volunt Thomistæ.

11 Tertia condicio, ut Verbum non ſit ſine actuali intellectione, ita D. Augustinus 15. de Trinit. Cap. 15 vbi hoc expresse habetur, quarta condicio est, quod creatum Verbum est rappræsentativum Verbi diuini, quod patet ex D. Augustino qui lib. 9. de Trinit. vsque ad finem ex ſimilitudine Verbi creati inueſtigat naturam Verbi diuini, & originis ſuæ modum ſemotis imperfectionibus, nam Verbum nostrum non est ſine discursu, & gignitione per inquiſitionem procedendo à confuso ad diſtinctum; Verbum etiam nostrum non potest esse sempiternum, quia cogitatio creata non potest eſse ſempiterna; Vnde nec in intellectu quieſcente est Verbum, ſecus est in diuinis; In nobis Verbum reale distinguitur ab actione intellectus, per quam producitur ex Scoto in 1. dist. 2. qu. 7. quia dicere, & intelligere in nobis realiter distinguntur, sed intelligere, & Verbum sunt idem, ergo Verbum realiter distinguitur à dicere, ſeu ab actione intellectus, per quã producitur; Item actus intellectus distinguitur ab actu intelligendi, & è conuerso, sed Verbum est actus intelligendi, actio vero, qua producitur Verbum est solum actus intellectus, ergo hic duo supponuntur primum, quod in Verbo est dictio, & Verbum ipsum, quemadmodum in homine eſt locutio per quam producitur Verbum. Secundo ſupponitur, quod in intellectu creato aliud eſt actus intelligendi, & aliud actus intellectus, nam omnis actus intelligendi eſt actus intellectus, & non è contra.

12 Pro pleniori dictorum notitia aduertendum eſt, quod iſtud nomen intelligere licet præſeferat actionem tamen formaliter non ſignificat actionem, ſed intellectionem in concreto, nam intelligere, & intellectio tantum differunt ſicut concretum, & abſtractum. Vnde cum intellectio non ſit

actio

actio tranſiens, ſed ſolum immanens, ideſt qualitas de prima ſpecie, ita intelligere eſt qualitas, pariter de prima ſpecie ſignificata in concreto; probatur per Ariſt. 3. de Anima, vbi dicit, quod intelligere eſt quoddam pati; quod intelligitur, nedum quia intellectus patiatur ab obiecto, ſed formaliter, quia intelligere formaliter non eſt producere intellectionem, ſed illam recipere, quia qualitas denominat ſubiectum in quo eſt, & recipitur non agens, à quo prouenit, vt ſubiectum recipiens albedinem eſt album non autem producens albedinem. Intelligere igitur, & velle non ſunt actus productiui, neque actiones in nobis de prædicamento actionis, ſed ſunt actiones immanentes, ideſt qualitates de prima ſpecie, quibus perficimur accidentaliter, ſicut enim albedine paries eſt albus; & perficitur illa, ita intelligere, & velle, ſiue intellectione, & volitione intellectus, & voluntas perficiuntur, dicere vero in nobis, ſiue producere intellectionem, quod idem eſt, & ſpirare in nobis, ſiue elicere amorem ſunt actus productiui, ſiue actiones de prædicamento actionis.

13 Opinio ergo Scoti circa hoc propoſitum conſiſtit in hoc, quod in nobis eſt duplex actus alter eſt dicere, ſiue elicere, & producere intellectionem, & hic actus non eſt formaliter intelligere, neque formaliter intellectio, ſed cauſaliter tantum, quia producit intellectionem, & hic actus eſt de genere prędicamenti actionis propriæ, alter actus eſt ipſum intelligere, ſiue ipſa intellectio formalis, & hæc qualitas perficiens intellectum. Ita in Deo Patre eſt actus duplex, alter qui eſt dicere, & producere notitiam genitam, & hic eſt, quaſi actio; Alter eſt ipſa notitia genita, quæ eſt Verbum, & ſecunda perſona Trinitatis; Differt vero Deus Pater à nobis, quia in ipſo præter actum dicere, quo producit notitiã genitam, eſt alter actus præcedens ipſum dicere, qui dicitur intelligere proprie, & eſt actus operatiuus, & eſſentialis ipſius Patris non diſtinctus ab ipſo Patre, nec vere genitus, ſed quaſi genitus; Hic vero non eſt in nobis, quia in nobis omnis notitia eſt genita; Illi autem duo actus in Patre ſcilicet intelligere eſſentiam, & dicere ſe habent ordinate, quod vterque prouenit à memoria, ſed intelligere eſſentiale eſt prius natura, quam dicere.

14 Quarta condicio Verbi creati de mente Scoti ſupra numero 11 recenſita, nimirum quod creatum verbum debeat eſſe rappręſentatiuum Verbi diuini; vt magis pateat; notandum eſt de mente eiuſdem ſubtilis Doctoris, quod non quælibet notitia actualis eſt Verbum, ſed tantum notitia genita, & rurſus non omnis notitia genita in nobis, licet ſit Verbum, eſt Verbum perfectum, quod rappræſentat verbum diuinum, ſed tale ſolum eſt notitia genita perfecta de memoria perfecta; Quod non quælibet notitia actualis ſit Verbum, ſed tantum notitia genita probatur ex hoc, quod notitia eſſentialis, qua Pater eſt beatus, ſicut, & filius, & Spiritus Sanctus non eſt Verbum; hoc autem verificatur in Deo tantum non in nobis, quia de fide habemus, quod quælibet Perſona diuina eſt de ſe beata; & non vna per aliam ideo neceſſe eſt ponere in vnaquaque propriam notitiam eſſentialem, qua vnaqueque eſt per ſe beata, & deinde cogimur ponere notitiam genitam quæ eſt Verbum, & perſona diſtincta à Patre, qua Pater nõ intelligit, neque ſapit niſi appropriate; Illa tamen notitia eſsentialis Patris dicitur à Scoto quaſi genita non vere genita, ratio eſt, quia notitia vere genita eſt diſtincta à generante, & parente, at illa notitia eſsentialis non eſt diſtincta

rea-

realiter à Parente, ſed eſt idem realiter; Verbum vero eſt diſtinctum realiter perſonaliter à Parente; In creaturis autem omnis actualis eſt vere genita.

15 Quod vero omnis cognitio actualis genita ſit verbum; probatur; quia quælibet notitia actualis gignitur de memoria, imperfecta autem de memoria imperfecta, ſicut perfecta de perfecta, ergo quælibet notitia genita eſt proles, & expreſſiua parentis, & genita ad exprimendum parentem, & quælibet notitia beata eſt verbum, confirmatur ex D. Auguſtino 9. de Trinit. Cap. 10. vbi ait, omne quod notum eſt Verbum dicitur animo impreſſum quamdiu definiri de memoria, & proferri poſſit; Ex quo colligit Scotus, quod omnis notitia dummodo ſit genita dicitur verbũ, nec refert, an ſit genita ante inquiſitionem, vel poſt inquiſitionem longam, vel ſtatim ex memoria procedat; In nobis autem omnis notitia eſt genita, quia diſtincta eſt à generante, & parente, cum ipſa ſit accidens intentionale ſcilicet qualitas intellectiua, & memoria gignens partim ſit ſubſtantia, partim ſit accidens; ſubſtantia enim ſunt intellectus, & obiectum, quando aliquid eſt ſubſtantiale, quod intelligitur; Quando vero eſt accidens eſt aliquid tamen diſtinctum realiter ab ipſa notitia cognita, quia illud eſt cauſa, & aliud eſt cauſatum; & denique in hoc non eſt contendendum etiam ſi aliquis vellet, quod in nobis eſſet aliqua notitia actualis ingenita, quia ad negotium præſens non ſpectat.

16 Quod denique non quęlibet notitia genita ſit verbum perfectum, & per conſequens non quælibet notitia rappræſentet Verbum diuinum, ſed ſolum perfecta, quam qualis ſit declarat in hunc modum Scotus; Intellectus noſter procedit à confuſis ad diſtincta 1. Phyſic. ideo intellectus prius habet cognitionem confuſam de obiecto, deinde per variam inquiſitionem de illo obiecto via diuiſionis, & compoſitionis inueſtigat proprias differentias, & tandem peruenit (quantum poſſibile eſt pro ſtatu iſto) ad veram, & quiditatiuam eius definitionem, illiusque perfectam cognitionem; ergo iſta cognitio diſtincta, & perfecta de eo, quod eſt in memoria eſt verbum perfectum; Vnde Scotus ponit hunc ordinem in cognitione noſtra ad formandum verbum perfectum; primo quia eſt notitia habitualis confuſa; ſecundo actualis intellectio confuſa; tertio eſt inquiſitio, & in inquiſitione multa verba de multis notitijs habitualibus virtualibus, ſiue virtualiter contentis in memoria, quam inquiſitionem ſequitur diſtincta, & actualis cognitio primi obiecti, cuius notitia quæritur; Ex illa autem actuali notitia perfecta fit cognitio habitualis perfecta in memoria, & tunc poſtea memoria perfecta gignit notitiam habitualem perfectam; Certum eſt enim, quod intellectus in habitu ex multiplici intellectione actuali habita de aliquo obiecto prompte, & perfectiſſime gignit notitiam de illo obiecto; Hæc ergo actualis notitia genita ex perfectiſſima memoria, quæ iam formata eſt ex illa inquiſitione eſt verbum perfectum reppræſentans Verbum diuinum, & ſic habes Verbum diuinum quid ſit. Eſt enim notitia actualis genita ex perfectiſſima memoria Patris; tandem nota ex Scoto, quod illa inquiſitio non eſt neceſſaria ad generandum verbum ex intrinſeca ratione verbi, ſed ſolum ratione intellectus imperfecti cuiuſmodi eſt creatus, & prçſertim humanus; Ideo noſtrum verbum creatum perfectum requirit illam inquiſitionem, & diſcurſum non autem Verbum diuinum.

17 Verbum diuinum non producitur ex cognitione diuinarum perſonarum,

rum, nec etiam ex cognitione creaturarum; Hoc aſſertum quoad omnes particulas eſt contra Thomiſtas; poteſt autem hac vnica ratione Doctoris ſubtilis ſufficienter probari, quia non producitur ex cognitione, ſed ex memoria 1. diſt. 2. q. 7. ergo nec ex cognitione, nec diuinarum perſonarum, & multo minus ex cognitione creaturarum, conſequentia patet, quia talis cognitio non pertinet ad memoriam; Memoria enim eſt intellectus, & eſſentia, vt eſſentia eſt intelligibilis in actu primo, cognitio autem dicit actum ſecūdum, vt dictum eſt, & multo minus ex cognitione creaturarum, quia ad memoriam nihil pertinet, niſi quod ex natura rei conuenit Deo; creaturæ autem ſunt omnino extra memoriam diuinam, quia quando illa memoria fœcunda intelligitur in Patre nullum eſſe habent creaturæ. Ex quarum cognitione aliquid ad eandem memoriam poſſit pertinere; Ex quo patet, quod Verbum neque producitur ex cognitione creaturarum libera, ſeu viſionis, neque ex cognitione creaturarum naturali, ſeu ſimplicis intelligentiæ, quia ſicut productio, ita & cognitio creaturarum eſt poſterior productione Verbi; Verbum enim producitur in primo inſtanti naturæ, creaturæ autē in ſecundo, vt late ſuperius ex Doctore ſubtili probatum eſt, & oſtenſum.

18 Verbum eſt nomen proprium perſonæ genitæ, eſtque idem, quod filius licet aliquo modo differant ex 1. diſt. 27. qu. 2. prima pars iſtius aſſerti probatur, exprimi per intellectum eſt proprietas ſecundæ Perſonæ, ſed talem expreſſionem dicit ratio Verbi, & hoc ſignificat, ergo eſt mere perſonale; ſecunda pars probatur, quia filius connotat naturam viuentem intellectualem cum habitudine producti ad producēs, vt colligitur ex Scoto in 3. d. 8. q. vnica, Verbum autem connotat actualem notitiam, ergo quoad connotatum differunt licet idem ſignificent; Vlterius Verbum diuinum dicit reſpectum realem ſolum ad Patrem dicentem ex 1. d. 27. q. 3. Hoc clarum eſt, nam Verbum producitur realiter, & productione reali paſſiua à Patre tanquam à principio quod, ergo realiter refertur ad Patrem producentem; Conceditur tamen Verbum referri etiam ad creaturas non quidem relatione reali, ſed rationis; Pro cuius declaratione ſimul, & probatione ſupponitur hic Verbum diuinum denotare duplicem reſpectum, vnum expreſſiuum ad exprimentem, alterum declaratiui ad declarata; primus reſpectus realis filij ad Patrem. Secundus eſt rationis, ideſt reſpectus notitiæ ad ea, quę per illā cognoſcuntur; Et hinc eſt, quod communiter in Deo duplex Verbum diſtinguitur, vnum ſimpliciter alterum ſecundum quid; Verbum ſimpliciter eſt filius Dei, Verbum ſecundum quid eſt relatio rationis declaratiui ad declarata; ad notitiam enim pertinet declarare perfectiones diuinas, & creaturas; ſed tale Verbum eſt commune tribus perſonis, ſicut & eſſentia, quæ eſt principium principale declarativum appropriatur tamen Verbo diuino; quia eſt notitia, ad quam ſpeciali ratione pertinet declarare; & tale Verbum ſcilicet ſecundum quid procedit ex cognitione creaturarum, & eſſe formali earum; Ex his facile colligi poteſt definitio Verbi diuini completa; Verbum diuinum eſt notitia, ſeu actus intelligendi productus à memoria fœcunda declarativus, & expreſſivus eorum, de quibus producitur; Ex quo habetur quod actus intelligendi, ſeu intellectio eſſentialis non eſt Verbum, quia eſt improducta, & communis tribus, nec tali cognitione dicitur Verbum, ſed dictione, vt ſupra diffuſe dictum eſt.

19 Vltra prædicta duo nomina ſecundæ

cundæ Perſonæ Trinitatis filij, & Verbi eſt aliud nomen perſonale eidem ſoli competens nempe Imago contra omnes hæreticos, qui diuinitatem filij negantes, vt Cherintus, Ebion, Carpocrates, Ariani, & alij conſequenter cogebantur aſserere filium Dei non eſse veram, & naturalẽ Æterni Patris Imaginem; pro hac veritate tamen ſtat pariter vniformis conſenſus Patrum, & Theologorum Scholaſticorum, & totius Catholicę Eccleſię & ratio eſt quia ſolus filius eſt ſimilis Patri ex vi productionis ſuæ ad imitationem productus, alias eius productio non eſset generatio vniuoca, quæ eſt productio viuentis à viuente in ſimilitudinẽ naturæ. Cõceditur tamẽ Spiritum Sanctum eſse perfectè ſimilẽ Patri, & filio quia habet eandem naturam, & quiditatem. Item eaſdem perfectiones omnes ſimpliciter, & attributa, quia tamen hæc omnia non habet ex vi productionis ſuæ. Sed potius ex vi ſummæ identitatis naturæ diuinæ, & earundem perfectionum, & attributorum, quæ omnia cum ſint ſimpliciter indiuiſibilia eadem numero sũt in tribus Perſonis. Si obijcias Gen. 1. dicitur faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ergo ratio imaginis competit etiam homini, & non ſolum filio Dei. Reſpondetur quod ibi accipitur Imago pro exemplari & ſic improprie, nam imago proprie eſt ſimilitudo ad alterius imitationem producta; exemplar autem eſt ad cuius ſimilitudinem non propriam producitur aliquid, & quia homo producitur ad imperfectam, & impropriam imitationem Dei, & diuinarum perſonarum, ideo dicitur habere rationem imaginis improprie. Item ſimilitudo propria, & perfecta conſiſtit in identitate, ſicuti eſt filij in diuinis ad Patrem, imperfecta autem, vel conſiſtit in puris accidentibus; vel ſaltem in identitate ſolum ſpecifica diuerſarum numero naturarum.

De Perſona Spiritus Sancti. Art. VII.

1 QVemadmodum generatio Filij ineffabilis dicitur, & prædicatur, ita proceſsio Spiritus Sancti, quę etiam minus cognoſcitur à nobis, quam generatio Verbi, cum minus habeat ſimilitudinis in creaturis, à quibus omnis noſtra naturalis cognitio oritur. Vnde per hoc Magi Pharaonis defecerunt in tertio ſigno dicentes digitus Dei eſt hic Exodi 3. Inquit Gloſſa Auguſtini ſignificari, quod Philoſophi, qui cognouerunt Patrem, & filium defecerunt in cognitione Spiritus Sancti, qui Lucæ 11. digitus Dei appellatur; ſi in digito Dei &c. Hoc itaque negotium cum ſit, tam arduum, adeoque difficile decet illud tractare cum magno timore; Hinc D. Auguſtinus de Trinitate agens ſic ait, quia nec periculoſius alicubi erratur ex parte materiæ tam ſuper digniſſimę, nec laborioſius aliquid quæritur, quia eſt incomprehenſibile miſterium; ad cuius compræhenſionem nullo labore ſpiritali, aut corporali poteſt pertingi; nec fructuoſius aliquid inuenitur, dummodo ex Charitate inquiſitio oriatur, quo enim incompræhenſibilior eſt Trinitas adoranda, eo plus meritorium credere in eandem, & tanto ſalubrius eſt in ipſius formata cognitione proficere.

2 Cum omni igitur humilitate confiſi in Diuina Spiritus Sancti gratia repetamus id, quod ſuperius dictum eſt; dari nimirum in diuinis productionibus principium productiuum ſufficiẽtiſſimum ad producendam tertiam perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis nempe Spiritum Sanctum, & illud conſiſtere

in diuina voluntate ſimul cum eſſentia diuina ab intellectu diuino cognita; Hæc autem ratio principij competit voluntati diuinæ non ex ratione voluntatis in communi, nec ex ratione voluntatis creatæ, vel finitæ, ſed ex ratione voluntatis infinitæ, & eſsentiæ diuinæ in ratione obiecti infinitè diligibilis ſimul; Quod tale principium ſit ponendum in diuinis ratio ipſa ſuadet, quia dicit perfectionem ſimpliciter; voluntas etenim infinite operatiua, & infinite productiua hoc habet ex eo, quod eſt diuina, & perfectiſſima, tam poſitiue, quam negatiue; ſed hoc non ſufficit, ſed requiritur etiam eſſentia diuina infinita in ratione obiecti infinite diligibilis ad complẽdum huiuſmodi principium productiuum; quia voluntas diuina, vt comparatur ad extra ſeu ad amorem creaturæ eſt infinita, & tamen per hoc non communicat naturam ſuam; Deus quoque diligitur à Creatura, & tamen per talem dilectionem non communicatur natura diuina creaturæ, vel è conuerſo, ergo quod voluntas ſit principium productiuum, & communicet naturam procedit ex vtroque ſcilicet ex infinitate voluntatis, & infinitate obiecti, ſicque iſta duo integrãt completum principium (quo) Pater, & filius producunt Spiritum Sanctum.

3 Si conſideretur voluntas diuina ex parte ſua fœcunda eſt principium liberum, & non principium naturale Spiritus Sancti, quo liberè, neceſſario tamen producitur libertate ſimpliciter, & eſſentiali, non autem arbitrij libertate, & contingente; Hoc declaratur cũ duabus diſtinctionibus prima eſt de principio, nam principium producendi eſt duplex liberum, & naturale, quæ diuiſio (vt alibi non ſemel declarata eſt, & hic vtiliter repetenda) non eſt eadem cum alia diuiſione, qua diuiditur principium in liberum, & neceſſarium; nam liberum, & naturale diſtinguunt principium per modum differentiarum eſſentialium, & rationum formalium agendi incompoſſibilium; Vnde eſt impoſſibile, quod ignis liberè calefaciat, cum id ſibi naturaliter agere competat; Liberum autem, & neceſſarium non ſunt diſtinctæ rationes formales egendi, quaſi differentiæ, ſed quaſi modi intrinſeci, & ideo poſſunt competere eidem principio, quia modus intrinſecus non variat rationem formalem eius cuius eſt, ſecunda diſtinctio eſt de libertate, quæ duplex eſt quædam eſt libertas accidentalis, & contingens, quam etiam vocant libertatem arbitrij, quæ conſiſtit proprie in indifferentia ad diuerſos actus, vel ad diuerſa obiecta, vel ad diuerſos effectus; Altera eſt libertas eſſentialis, & ſimpliciter, & iſta conſiſtit non in indifferentia ad diuerſos actus contrarie, vel contradictorie, ſeu vt Thomiſtæ loquuntur, quoad exercitium, & ſpecificationem; ſed in electione, vt agat eligibiliter, & delectabiliter præſuppoſita cognitione; conſiſtit etiam in indeterminatione, vt ſcilicet ex natura ſua non ſit determinatam ad agendum, ſed liberè ſe determinet, Spiritus Sanctus ergo producitur à voluntate fœcunda, ſeu à Patre, & filio per voluntatem fœcundam eligibiliter complacendo ſe in tali productione libere que ſe determinando, ergo non producitur naturaliter, ſed libere, licet producatur neceſſario.

4 Hoc principium cũ ſit integratum ex voluntate infinita infinite fœcunda, & eſsẽtia infinita in ratione obiecti infinite amabilis eſt ita ſufficiens, quod ſi per impoſſibile eſſet in ſolo Patre, Pater poſſet producere Spiritum Sãctum; Ita quod ſpiratio per ſe, requirit quidem, quod ſit à duobus ſuppoſitis non

re-

reduplicatiue, ſed ſpecificatiue ex Scoto in p. diſt. 12. q. 1. contra Thomiſtas qui imponunt Doctori ſubtili ac ſi ipſe ſentiret pluralitatem ſuppoſitorum ad productionem Spiritus Sancti non requiri per ſe, cum tamen ille ſolum aſſerat non requiri tanquam rationem ſpirandi, quod etiam ipſi Thomiſtæ cócedunt, probatur igitur prima pars dictę aſſertionis, quia voluntas diuina cum eſſentia diuina de ſua ratione formali ita eſt, vel eſſet fœcunda, ſi eſſet in vna perſona tantum, ſicut in duabus, quia quod ſit in duabus non aquirit aliquam perfectionem intenſiuam, ergo ſi eſſet vna perſona poſſet producere, vel eſſet ratio producendi.

5 Probatur ſecunda pars quia ratio ſuppoſiti, ſeu pluralitas ſuppoſitorum non eſt ratio ſpirandi, ergo non requiritur reduplicatiue, ſed ſolum ſpecificatiue, quia voluntas diuina de facto in Patre non eſt fœcunda in potentia proxima, antequá filio communicetur, ergo requiritur pluralitas ſuppoſitorum ſpecificatiue; quod vero communicetur voluntas filio, priuſquam producatur Spiritus Sanctus non prouenit ex ratione voluntatis, nec ex ratione producentis, ſed ex ordine, quem intellectus, & voluntas diuina in producendo ſeruant; Hic enim ordo requirit, quod productio per intellectum voluntatis productioni præſupponatur; atque ita in illo priori vis ſpiratiua communicatur producto per intellectum à Patre, antequam aliquid producatur per voluntatem; & ſic voluntas non eſt fœcunda niſi, vt communicata filio per ordinem, quem intellectus, & voluntas diuina in producendo ſeruant; quod vero communicetur filio à Patre eadem omnino voluntas per productionem intellectus, prouenit ex infinitate, tum radicali, quá habet cum diuina eſſentia, à qua diuina voluntas emanat, tum formali, quam habet à propria formalitate, quæ non permittit voluntatem diuinam diuidi, & numerari in ſuppoſitis, ſicut contingit naturæ creatæ.

6 Spiritus Sanctus procedit à Patre, & filio ob ſupradictam rationem, ita Scotus in primo diſt. 11. cum tota Eccleſia Latina contra errorem Græcorú, cuius Auctor fuit Theodoretus circa annum Domini 430, qui tamen poſtea in Calcedonenſi Cócilio opera D. Leonis Papæ Eccleſiæ reconciliatus eſt, & in ſuam ſedem ex qua pulſus fuerat reſtitutus; eſt articulus fidei ſæpè diſputatus inter Eccleſiam Latinam, & Græcam, ſed ante, immo ante Theodoretum definitus in Concilio Generali Niceno primo ſub Silueſtro Papa, & ſub Conſtantino Magno anno Chriſti 325. in ſymbolo eiuſdem Concilij, vbi habentur hæc verba, & in Spiritum Sanctum Dominum qui à Patre; filioque procedit, quæ definitio in ſequentibus Generalibus Concilijs non fuit renouata, ſed ſuppoſita potiſſimum in ſequenti Conſtantinopolitano primo ſub Damaſo, vbi actum eſt de diuinitate Spiritus Sácti; ſed inualeſcente Græcorum peruicacia, & obſtinatione contra hanc ſanam Doctrinam Eccleſia Latina in varijs Concilijs eandem definitionem repetijt, & primo in generali Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. celebrato circa annum Domini 1215, cui interfuerunt Græci, & conſenſerunt definitioni, vt patet ex actibus eiuſdem Concilij, ſecundo in Concilio generali Lugdunenſi ſecundo ſub Gregorio Decimo, cui interfuerunt Græci cum ſuo Paleologo Imperatore; ſed in veritate non ſteterunt, ſed adhuc euanuerunt in cogitationibus ſuis, vnde dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt, & 14. vice Schiſma inter ſe, & Latinos renouarunt.

7 Tandem in Concilio Florentino ſub

ſub Eugenio IV. poſt longas diſputationes præſente pariter eorum Imperatore hæc veritas ſemper firmata eſt calculis vtriuſq; partis, ſemper enim Græci auctoritatibus Sanctorum Patrum, & rationibus Doctorum victi coacti ſunt abiurare errorem ſuum; qui tamen paulo poſt adhuc diſſentientes 15. vice irreparabile Schiſma Eccleſiæ Græcæ à Latina turpiter ſuſcitarũt, & paulo poſt anno ſcilicet Domi 1453 ipſis diebus Penthecoſtes aduẽtui Spiritus S. in forma viſibili dicatis capta Vrbs, & direpta eſt Conſtantinopolitana à Maomet Imperatore, & fides Græcorũ in ſpurcitiam Mahometi ludibrio ſpectaculo conuerſa eſt, vt tunc Græci ſubijcerentur miſerabiliter iugo Turcharum, & ſuis erroribus excœcarentur, quando Spiritus Sanctus per Apoſtolos Eccleſiam ſuam Latinam Romanem omnem veritatem edocuit, & maxime hanc, quod iidem Spiritus Sanctus procedat à Patre, & filio; & ratio ipſa conſentit; Nam Græci concedunt Spiritum Sanctum procedere à Patre, per filium, ipſis ſubinfertur; Vel hoc eſt per filium tanquam per rationem ſpirandi, vel per inſtrumentum, vel per cauſam aliquam; non procedit à Patre per filium tanquã per rationem ſpirandi, quia ſuppoſitum filij non eſt ratio ſpirandi Patri, ſed voluntas fœcunda, nec tanquam per inſtrumentum, quia inſtrumentum non agit virtute propria, ſed ſolum, vt motum ab alio, ſed Pater, & filius æqualiter, & vniformiter ſpirant, quia vnica, vel æquali virtute, nec vt per cauſam formalem, quia cauſa formalis eſt formaliter in producente, nec tanquam per cauſam materialem, vt patet; nec proprie per cauſam efficientem, quia talis non datur, quia in diuinis non datur talis cauſa propter præſumptam diſtinctionem eſſentialem inter cauſam, & cauſatum, remanet ergo, vt Pater producat Spiritum Sanctum per Filium; tanquam per principium quod comproducens, quod idem eſt, quod procedere à filio; atque ita eo ipſo, quod Græci concedunt Spiritum Sanctum procedere per filium, concedunt etiam procedere à filio, licet id non aduertãt.

8 Plures recentiores falsò imponũt Doctori ſubtili ipſum in 1. diſt. 12. qu. 1. v. iuxta quæſtionem &c. aſſerere inter Catholicos eſſe certum in Patre, & filio eſſe vnam virtutem ſpiratiuam, eſſe autem quæſtionem de nomine. Vtrum ſtante hoc ſuppoſito an Pater, & filius debeant dici vnum principium Spiritus Sancti, an potius duo; ſed immerito hæc imponunt Scoto; nã aperte in principio illius quæſtionis habet hęc verba. In hac quæſtione planum eſt quod Pater, & filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti; hoc declaratum eſt in Concilio Lugdunenſi Gregorio X, vt patet extra de ſumma Trinitate, & fide Catholica; fideli, ac deuota &c. & eſt hodie in 6. Decretalium; Ex quibus verbis recte conſpicitur non ſolum Scotum aſſerere eſſe vnam virtutem ſpiratiuam in Patre, & filio, ſed eos ambo eſſe vnum principium Spiritus Sancti; Nec dicit Quæſtionem hanc eſſe de nomine, & Leuem; hæc dicuntur ad denotandum ſæpè ſæpius Recentiores citare auctores, neque eos in fonte videre, ſed eos referre prout ab alijs referuntur.

9 Verum eſt tamen Spiritum Sanctum procedere à Patre, & filio in quãtum vnum non ſolum ſpecificatiue, ſed reduplicatiue etiam cum aliquo tamen ordine; prima pars huius dicti probatur, nam ad principium, vt principium duo requiruntur primum perfectio eius in ſe, & ſufficientia; ſecundum quod habeatur in perſona conueniente antequam intelligatur habere terminũ adæquatum, ſed voluntas fœcunda eſt in

Patre

Patre, & filio, vt vnum principium antequam intelligatur Spiritus Sanctus productus, ergo ſpirant voluntate fœcunda, vt vna, ſeu ſub ratione vnitatis; In illa tamen productione eſt aliquis ordo inter perſonas ſpirantes nam Pater ſpirat à ſe, filius vero à Patre, quatenus ſcilicet dum generatur à Patre recipit huiuſmodi voluntatem fœcundam ad producendum ſpiritum; Hinc verificatur illud Theologicum dictum, quod Spiritus Sanctus procedit à Patre, & filio vniformiter ſecundum ſe, ſed difformiter ſecundum modum; Vniformiter quidem ſecundum ſe, tum quia ſpiratio actiua eſt ab vno principio (quo) ſcilicet à voluntate fœcunda, tum quia habet vnum terminum adæquatum ſcilicet Spiritum Sanctum; tum quia Pater, & filius æqualiter ſpirant; Difformiter etiam ſecundum modum, vt dictum eſt, Pater ſpirat à ſe, filius vero à Patre, ergo difformiter quo ad modum, & ſic remanet probata etiam ſecunda pars.

10 Ex prædicta Doctrina ſequitur vnum corrolarium quod ſcilicet Pater, & filius non ſunt duo ſpiratores, ſed vnus ſpirator ita Scotus in 1. diſt. 12. q. 1, & probatur; nam nomen verbale, ſeu productum à verbo ſignificat formam, vel actum per modum quietis, ſeu principium agendi in concernentia, & determinatione ſuppoſiti, ſeu (quod idem eſt) denominat ſuppoſitum per modum quietis, ſed hoc nomen ſpirator eſt deductum a verbo ſpiro, ſignificat igitur formam, ſeu vim ſpiratiuam, vt eſt in ſuppoſito: ſi igitur illi addatur terminus numeralis determinabit formam in ſuppoſito, ſeu principium, & actum in eſſe quieto, & tunc daretur intelligi, quod in ſuppoſitis multiplicatur forma, ſeu principium ſpirandi, quod in diuinis dici non poteſt, vbi eſt vnica vis ſpirandi in Patre, & in filio; Dices Pater, & filius ſunt duo ſpirantes, ergo & duo ſpiratores conſequentia probatur, quia ſicut ſingulare infert ſingulare, ita plurale, & abſtractum concretum. Reſpondetur negando cōſequentiam, & ratio negationis eſt, quia nomen verbale vt dictum eſt ſignificat formam in ſuppoſito, ſeu actum in eſſ uqeieto; & ita ſi ſibi apponeretur terminus numeralis numeraretur, & diuideretur; participium autem ſignificat agens, ſeu actum in fieri ex conſignificatione temporis, & quia ibi ſunt duæ Perſonæ producentes Spiritum Sanctum Pater, & filius, ideo poteſt concedi, quod ſint duo ſpirantes, quia ſunt duæ perſonæ ſpirantes, ſicut etiam poteſt concedi, quod ſint duo creantes nō duo Creatores ob eandem rationem.

11 Si Spiritus Sanctus non procederet à filio adhuc realiter perſonaliter diſtingueretur ab eo, ad hoc comprobandum alij adducunt Concilia & Patres Scotus vero in p. diſt. 11. q. 2. validiſſimis rationibus ex metaphiſica deductis hanc ſententiam ſtabiliuit, & primam rationem ſumpſit ex ratione formali conſtitutiui ſic; Quocumque aliquid formaliter conſtituitur in eſſe, eodem diſtinguitur à quocumque talem entitatem non habente, ſed filius conſtituitur in eſſe filij per filiationem, non per ſpirationem actiuam, niſi quaſi ab extrinſeco, ergo filius diſtinguitur à Spiritu Sancto per filiationem, & non per ſpirationem actiuam, niſi quaſi ab extrinſeco, & concomitanter; & ideo ſi non ſpiraret Spiritum Sāctum, adhuc realiter perſonaliter ab ipſo diſtingueretur, quia manente eadem cauſa formali manet idem effectus formalis; major patet ex principijs metaphiſicis, quia eadem ſunt principia conſtitutiua, & diſtinctiua; probatur minor, quia ſicut Pater conſtituitur per paternitatem in eſſe perſonali non autem per ſpiratio-

nem

Digitized by Google

nem actiuam, ita eadem ratione filius conſtituitur in eſſe perſonali per filiationem non per ſpirationem actiuam; Alias rationes vide apud Doctorem loco citato; Ad illam obiectionem Thomiſtarum qui dicunt non diſtingui realiter perſonas diuinas, vel perſonarum proprietates niſi illas, quæ relatiue opponuntur; Reſpondent Scotiſtæ quod diſtinctio realis, vel eſt inter oppoſita relatiua, vel inter oppoſita diſparata; & ſic interpretantur dicta Patrum dicentium in diuinis non eſſe diſtinctionem, niſi vbi eſt relationum oppoſitio inquiunt Scotiſtæ, vel oppoſitio relatiua, vel oppoſitio diſparata prima eſt inter ſpirationem actiuam, & ſpirationem paſſiuam; altera inter generationem paſſiuam & taliter diſtingueretur Spiritus Sanctus à filio ſi ab eo nõ procederet, quia ſpiratio diſtingueretur à generatione, & conſequenter ſpiratum à genito.

12 Hæc propoſitio Pater, & filius diligunt ſe Spiritu Sancto eſt vera accipiendo diligere principiatiue, vt ſit ſenſus Pater & filius principiant Spiritum Sanctum producendo, qui Spiritus Sanctus eſt dilectio appropriate; Eadem propoſitio eſt falſa accipiendo diligere eſſentialiter, quia Spiritus Sãctus non eſt amor eſſentialis, ſed amor notionalis, & productus, & multo magis eſt talis accipiendo diligere notionaliter; & ſenſus eſſet quod Pater, & filius tanquam principium quo producendi producerent ſe Spiritu Sancto, quod ab omnibus reijciendum eſt ob duo maxima abſurda, primum quod Spiritus Sanctus eſſet in Patre, & filio tanquam principium quo Pater, & filius producerent ſe mutuo; ſecundum abſurdum, quod Pater produceretur à filio, atque adeo ingenitum & productum ſimpliciter non eſſet proprietas Patris ſimpliciter contra opinionem communem Theologorum; Poteſt tamen concedi eadem propoſitio Pater, & filius diligunt ſe Spiritu Sancto ſi diligere nec accipiatur mere eſſentialiter, nec mere, vel pure notionaliter, ſed mixto modo, primo enim, & per ſe ſignificat habitudinem, & relationem ad res creatas dilectas, connotatiue autem habitudinem ſpirantis ad ſpiratum, hoc ſecundum; ſeu hæc habitudo ſecunda eſt notionalis prima autem eſſentialis, ideſt communis omnibus tribus perſonis diuinis appropriatur autem perſonæ Spiritus Sancti.

13 Quemadmodum iſtæ duæ productiones generatio, & ſpiratio verè à parte rei diſtinguntur primo formaliter ſe ipſis quia formalitas vnius non eſt formalitas alterius; ſecundò principiatiue, & dupliciter, nempe per principium quo, & principium quod; principium quod generationis eſt ſolus Pater; principium quod ſpirationis eſt Pater, & filius; principium quo generationis eſt memoria fœcunda; principium quo ſpirationis eſt voluntas fœcunda; tertio terminatiue quia terminus adæquatus generationis eſt filius, terminus vero adæquatus ſpirationis, eſt Spiritus Sanctus; Ita iſtæ duæ perſonæ productę diuerſa ſortiuntur nomina; nam harum prima dicitur Filius, Verbum, Imago, & notitia genita, ſecunda perſona, Spiritus Sanctus, Spiritus deriuans à ſpiratione, amor ſpiratus, & donum; De primo, & ſecundo dictum eſt & ſatis patet nam ex vi ſuæ productionis ſuę & ſpirationis per voluntatẽ colligitur tertiam Perſonam eſſe ſpiratam, & verum amorem productum; Donum tandem eſt proprietas Spiritus Sãcti per connotationem, & non per principalem ſignificationem, probatur per D. Auguſtinum 4. de Trinit. cap. 20. & 5. de Trinit. cap. 15. vbi dicit, quod filius procedit vt natus & Spiritus S. Sanctus

Digitized by Google

ctus, vt dativs ſic Auguſtinus, quia tamen ratio doni de principali ſignificato dicit reſpectum donabilitatis ad creaturam, de connotato autem dicit proprietatem perſonalē, ideo dicitur, quod donum dicit proprietatem perſonalem de connotato, quæ tamen non eſt conſtitutiua Spiritus Sancti, quia Spiritus Sanctus cōſtituitur in eſſe perſonali per ſpirationem paſſiuam, ergo donum non eſt proprietas Spiritus Sancti conſtitutiua.

14 Ex dictis in iſto, & ſuperioribus articulis totius iſtius tertij capitis aperte colligitur Spiritum Sanctum tertiam perſonam Sanctiſſimæ Trinitatis eſſe verum Deum, & eundem omnino idētitate ſumme numerali cum Deo Patre, & Deo filio; nam cum ſit probatum eundem Spiritum Sanctum eſſe productum vſquequaque, & vndequaque infinitum, tum ex parte principij, quo, tum ex parte principij, quod, quæ ſunt principia infinita; principium quod ſūt Pater & filius perſonæ infinitæ producentes ipſum, & ſpirantes vniformi ſpiratione modo præexpoſito; Principium, quo, eſt infinita voluntas fœcunda, & infinita eſſentia ſub ratione obiecti infinite diligibilis; qui amor productus cum non ſit accidens, quia repugnat in diuinis dari accidens, cui repugnat infinitas, ergo debet eſſe ſubſtantia non quidem finita, & limitata, & conſequenter imperfecta, ſed infinita, illimitata & perfectiſſima ſimpliciter; Cui cum repugnet diuidi erit omnino vna, & eadem, quæ eſt in Patre, & filio, qua Pater eſt Deus, qua filius eſt Deus, & qua Spiritus Sanctus eſt Deus ſicque habemus Trinitatē in Perſonis, & vnitatem in ſubſtantia; ſic quoque concluſum eſſe Deum vnum & Trinum.

15 Diuinitas Spiritus Sancti habuit eoſdem aduerſarios, quos ſupra diximus habuiſſe diuinitatem filij Dei maxime Sabellium, & Arium; Sabellium quidem, qui dicebat non dari Trinitatem Perſonarum in diuinis, ſed vnam perſonam tantum, quæ ob effectus diuerſarum rationum Pater, filius, & Spiritus Sanctus nominaretur. Igitur Sabellius negans veram Trinitatem perſonarum diuinarum, negabat pariter Spiritum Sanctum eſſe veram perſonam, & conſequenter eſſe verum Deum; Arrius quoque dicens filium in diuinis non eſſe Deum, ſed creaturam de nihilo factam, & creatam, & conſequenter inæqualem Patri; inſuper non habere principium infinitum producendi productū infinitum, ideo de primo ad vltimum negauit quoque Spiritum Sanctum eſſe Deum vltra hos, & ſuos ſequaces nec non alios huius farinæ Hæreticos ſurrexit Macedonius Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui diuinitatem Spiritus Sancti aperte negabat tempore Damaſi Papæ, qui in dicto generali Concilio Conſtantinopolitanō primo eundem cum Eunomio, & alijs ſemiarianis condemnauit Theodoſio ſeniore Imperatē.

16 Spiritus Sanctus eo ipſo eſt Deus quo eſt donum identice eſt communis omnium ſententia, qui ſpiritus (loquendo identice) eo eſt Spiritus Sanctus quo eſt Deus, cum ratio conſtitutiua Spiritus Sancti ideſt ſpiratio paſſiua ſit identice Deus, ſicut cætera omnia, quæ ſunt in Deo; non tamen formaliter Spiritus Sanctus eo eſt Deus, quo eſt donum, nam ſic ſe habet ratio doni reſpectu Spiritus Sancti, ſicut ſe habet ratio Verbi reſpectu filij, ſed filius formaliter non eſt Verbum, nec Deus, ergo Spiritus Sanctus formaliter non eſt donū, nec Deus ſumpto ſcilicet filio, & Spiritu Sancto reduplicatiue; Spiritus Sanctus eſt donum, quo omnia gratuita donantur per concomitantiam, quia dum Spiritus Sanctus inhabitat corda fidelium; tribuit eis dona gratuita; & hoc, vt per

Digitized by Google

cauſam exemplarem, quia cum amor ſit cauſa exemplaris donorum, & Spiritui Sancto approprietur nomen amoris, ergo appropriate conuenit illi cauſam eſſe exemplaris donorum; Quæcumque dona proueniunt, proueniunt ex amore etiam in Angelis, & hominibus; cætera, quæ alio titulo dantur, non habent rationem doni, Vix enim imaginari poteſt donum habere aliam cauſam præter amorem, ſed quia amor in creatura eſt ſæpè imperfectus, & peccaminoſus, & conſequenter donum ex ipſo proueniés, ideo vtrumque regulari debet per ſuam cauſam exemplarem, amor imperfectus per amorem perfectiſſimum, donum irregulatum per donum regulatiſſimū, & Spiritus Sanctus appropriate vtrumque eſt, ergo eſt regula, & cauſa exemplaris donorum.

De Proprietatibus communibus tribus perſonis diuinis. Art. VIII.

1 DIctum eſt in ſuperioribus in vnaquaq; perſona reperiri eādem numerum eſſentiam eaſdem numero perfectiones, & attributa; nunc dicendum, & aſſerendum ex conſequenti inter eaſdem perſonas diuinas eſſe ſummam, & perfectam æqualitatem mutuam, & conuerſiuam ſecundum magnitudinem virtutis, nam in eiſdem perſonis eſt fundamentum remotum, & propinquum æqualitatis ſecundum magnitudinem, ergo in illis eſt æqualitas perfecta ſecundum magnitudinem, conſequentia patet; Antecedens probatur, in diuinis eſt infinitas intenſiua, ſeu magnitudo virtutis, & perfectionis diuinæ eſſentiæ, ſimiliter eſt vnitas numeralis infinitatis intenſiuæ, ſiue magnitudinis virtutis; ſed infinitas huiuſmodi intenſiua, ſiue magnitudo perfectionis &c. eſt fundamentum remotum æqualitatis, & vnitas numeralis eius infinitatis &c. eſt fundamentum proximum, ergo in diuinis concedendum eſt fundamentum remotum, & proximum æqualitatis ſecundum magnitudinem. Quod vero ſit in diuinis æqualitas ſumma, & perfecta, probatur quia in diuinis eſt fundamētum vtrumque ſumme perfectum æqualitatis, ſcilicet magnitudo infinitę virtutis, & vnitas eiuſdē magnitudinis ergo, et æqualitas ſumma, & perfecta. Pro iſtorum intelligentia notandum eſt, quod fundamentum proximum æqualitatis in creaturis eſt vnitas ſpecifica tantum, in diuinis autem eſt numerica tantum, & perfectiſſima, ſicuti vnitas ſpecifica eſt vnitas imperfecta, eſt etiam relatio conuerſiua, quia æquiparantiæ.

2 Si obijcias cum Scoto in primo d. 19. qu. 1. in argumentis principalibus; nihil videtur ponendum in Deo, quod dicat imperfectionem, ſed æqualitas videtur dicere imperfectionem, ſi enim omnia eſſent æqualia non eſſent omnia ex D. Auguſtino, ſi enim omnia eſſent æqualia, eſſent eiuſdem rationis lignum, vel lapis &c. & ſic deſtrueretur vniuerſum, quod ex diuerſitate, & inæqualitate conſtat. Reſpondetur, quod perfectio poteſt accipi tripliciter vno modo pro perfectione ſimpliciter, & hoc modo ſola abſoluta in Deo sūt perfecta, relationes autem originis, & communes non ſunt hoc modo perfectæ, quia non ſunt infinitæ, niſi identice, vt alias dictum eſt; Alio modo accipitur perfectio pro eo, quod eſt perfectius ſuo oppoſito, hoc modo relatio communis æqualitatis dicit perfectionem, quia eſt perfectior inæqualitate, cuius ratio eſt, quia inuoluere vnitatem naturæ numeralem importat perfectionem, ſicut eſt æqualitas in diuinis; tertio modo dicitur aliquid perfectum pro

quan-

Digitized by Google

quanto ſupplet imperfectionem, & hoc modo inæqualitas poteſt dici perfecta, quia arguit ſemper imperfectionem in altero extremo, & quia totum vniuerſum non eſt ſimpliciter perfectum, ideo etiam ipſum ex inæqualibus, conſtare neceſſe eſt; Hæc tamen eſt perfectio ſupplens imperfectionem.

3 Tres perſonæ diuinæ ſunt etiam æquales in omnipotentia, tam intenſiue, quam extenſiue ſumpta, & æqualem habent terminum, quia terminus omnipotentiæ, ſeu correlatiuum potentiæ actiuæ cauſatiuæ eſt omne poſſibile, non vt poſſibile diſtinguitur ab impoſſibile, cum etiam hoc modo, & ens ſumme neceſſarium, quod eſt Deus, ſit poſſibile: ſed vt eſt idem, quod contingens, & diſtinguitur contra neceſſarium ſimpliciter, ſed quælibet perſona diuina æque poteſt in omne tale poſſibile, ergo quælibet perſona eſt æque omnipotens; Maior patet; propter hoc enim, quia nihil ad intra eſt terminus omnipotentiæ, quia ſcilicet propter identitatem cum eſſentia, vel formaliter eſſet ſimpliciter neceſſarium; minor autem probatur, quia principium productionis neceſſariæ eſt prius principio productionis contingẽtis; productio autẽ perſonarũ diuinarum eſt neceſſaria, creaturarũ vero contingens, ergo prior eſt productio perſonarum, quam creaturarum in quocumque earum eſſe, ac per conſequens in illo priori communicatur tribus perſonis æqualis potentia, ac per conſequens ſunt æqualiter omnipotentes; Quod vero ſint etiam extenſiue æqualiter omnipotentes ſcilicet quo ad numerum producibilium ſcilicet poſſibilium infertur ex omnipotentia intenſiue accepta; quod etiam habeant eundem terminum facile eſt probata, quia habent æquale fundamentum remotum omnipotentiæ. Scilicet eſſentiam & voluntatem, & ſimiliter etiam habent æquale fundamentum proximum ſcilicet vnitatem eſſentiæ, & magnitudinis virtutis, & æqualem relationem ad quodcumque creabile.

4 Omnipotentia non eſt idem, quod potentia, nec potentia generandi (rigoroſe loquendo) continetur ſub omnipotentia quia omnipotentia, & potentia habẽt terminos diuerſos, quia terminus omnipotentię eſt poſſibile vt diſtinguitur contra neceſſariũ, terminus autẽ potentiæ eſt poſſibile vt diſtinguitur cõtra neceſſarium à ſe. Secundum quod filius in diuinis poteſt dici poſſibilis, quia non eſt productiue neceſſarius à ſe, ſed à Patre, vel certè eſt poſſibile accipiendo poſſibile pro principiato hoc modo enim potentiæ actiuæ in Deo ſeu principio agendi, & potentiæ producendi correſpondet poſſibile, ideſt principiatum, vel principiabile per productionem ſic filius, & Spiritus Sanctus ſunt poſſibiles; Omnes tres perſonæ diuinę ſunt æquales in potentia intenſiue, ſiue formaliter, quia ſicut tres perſonæ diuinæ habent eandem naturam, ita etiam habent eandem potentiam; Vnde ſicut in Patre eſt memoria, quia eſt potentia generandi, ita & in filio & Spiritu Sancto non tamen ſunt æquales in potẽtia extenſiue, ſeu terminatiue, quia non omnes tres perſonæ æque poſſunt producere ſecundum memoriam, ſed ſolus Pater, nec omnes tres perſonę habent terminum potentiæ ſpirandi, ſed ſolus Pater, & filius ergo nõ ſunt æquales in potentia extenſiue, ſeu terminatiue; Dices eſt idem abſolutum in omnibus tribus perſonis ſcilicet memoria ergo eſt eadem potentia. Reſpondetur eſt idem abſolutum ideſt memoria non tamen cum omnibus requiſitis, & ideo licet in omnibus ſit potentia non tamen in omnibus eſt potentia propinqua, ſcilicet memoria fœcunda.

Digitized by Google

5 Modus circumincedendi diuinarum perſonarum non eſt per modum formæ informantis, vel naturæ ſuppoſito inexiſtentis, ſed eſt ſubſiſtentis in ſubſiſtente non ſecundum partem, ſed ſecundum totum; prima pars iſtius aſſertionis patet, quia hic modus in exiſtendi in diuinis non eſt talis, qualis eſt in creaturis, nec eſt ſecundum exiſtentiam, ſed ſecundum ſubſiſtentiam; ſecunda pars etiam probatur. Illud cui primo, & per ſe conuenit per ſe ſubſiſtere, ſeu incommunicabiliter exiſtere, eſt id per quod ſubſiſtens ſubſiſtit in ſubſiſtente, ſed perſonæ ſecundum ſe totam conuenit primo ſubſiſtere, ſeu incommunicabiliter exiſtere, ergo vna perſona diuina ſubſiſtit in alia ſecundũ ſe totam ſcilicet ſecundum perſonam non autem ſecundum partem, ſiue illa ſit eſſentia, ſiue ſit relatio. Confirmatur; ſicut actio in creaturis comparatur ad totum, ſic circumince ſſio in diuinis; ſed in creaturis actio primo competit toti, & conuenit creaturæ ſecundum totum, ergo circumince ſſio in diuinis cõuenit perſonæ ſecundum totum; Confirmatur ſecundo circumince ſſio non eſt ſecundum exiſtentiam, ſed ſecundũ ſubſiſtentiam, ſed ſubſiſtentia in diuinis eſt ſecundum totum, ergo & circumince ſſio erit ſecundum totum.

6 Ratio inexiſtendi vnius perſonæ in alia, nec eſt ſola eſſentia, nec eſt ſola relatio, ſed eſſentia vna cum relatione, principalior tamen eſt eſſentia quam relatio prima pars huius dicti probatur, quia Pater poſſet eſſe in ſe ipſo cum in eo ſit eſſentia; ſecunda etiam pars probatur, quia Paternitas, & aliæ relationes non ſunt eiuſdem rationis, ſed perſonæ eodem modo ſibi inexiſtunt, ergo relationes nõ ſunt rationes ſubſiſtendi unius perſonæ in alia; tum quia ſi Deus generaret alium Deum diſtinctum à ſe non ſubſiſteret in illo alio Deo, & tamen eſſet vera paternitas, ergo paternitas non eſt ratio ſubſiſtendi in alio; tum etiam ſi eſſent duæ perſonæ improductæ in diuinis, & haberent eandem numero naturam, & eſſentiam tunc vna eſſet in alia illo modo quo dictum eſt, & tamen non eſſet in eis Paternitas, vel filiatio; tum quia in creaturis ſunt tales relationes originis, & tamen in eis non eſt circumince ſſio, ergo &c. Tertia etiam pars probatur quia in diuinis perſonis eſt eſſentia, ſed nec eſſentia ſola, nec relatio ſola eſt ratio in eis inexiſtendi, ergo erit totum hoc ſcilicet perſona; Confirmatur, circumince ſſio diuina requirit vnitatem eſſentiæ, & diſtinctionem perſonarum, ab eſſentia autem vnitas, & à relationibus diſtinctio perſonarum oriuntur, ergo; Quarta item pars probatur, quia ſicut in ſimili principalior ratio, & immediatior eſt vnitas fundamenti, quã diſtinctio extremorum, ita etiam in circumince ſſione immediatior, & principalior ratio inexiſtendi vnius perſonæ in alia eſt eſſentia, ſecundaria tamen, & quaſi condicio prærequiſita eſt relatio.

7 Hæc circumince ſſio, & modus in exiſtendi diuinarum perſonarum non poteſt perfecte declarari per aliquod exemplum creatum. Poteſt tamen aliqualiter declarari ſupponendo pro imperfectionibus perfectiones, prima pars probatur ex eo, quod circumince ſſio, & modus ſubſiſtendi non habet comparationem cum illis modis eſſendi (in quos refert Ariſt. 4. phyſic. ſed ſi poteſt declarari per aliquem modum in creaturis maxime poſſet per illos modos eſſendi declarari, ſecunda pars prædicti aſſerti probatur, poteſt enim in primis declarari per per illapſum Dei, & præſentiam immediatã omnibus rebus creatis; ſi enim ab hac præſentia præſcindatur manu tenentia, ſeu conſeruatio, & ſola relinquatur præſentia ſecundum

Digitized by Google

immenſitatem, ponatur vna numero natura Dei præſentis in eo, cui eſt præſens, tunc eſſet exemplum ad propoſitum; ſed ſupponitur impoſſibile, quod creatura ſit eiuſdem naturæ numero cum Deo; Hoc etiam declarari poteſt per exemplum de Anima præſente in inſtanti mortis, quia tunc non eſt præſens per informationem; ſed quia Anima nõ eſt quid ſubſiſtens complete, & perfecte, non poteſt eſſe exemplum aptum. Aptius exemplum eſſet de præſentia Angeli ad corpus, vel corporis glorioſi ad corpus non glorioſum, tun enim eſſet ſubſiſtens in ſubſiſtente, & eſſet vera circuminceſſio ſi eſſet eiuſdem naturæ, & eſſentiæ; Item poſſet exemplificari de potentijs Animæ. Cum enim potentiæ ſint conſubſtantiales ipſi Animæ, & ſint aliqualiter diſtinctæ ſi ponerẽtur per ſe ſubſiſtẽs, tunc eſſet exẽplum aptum, quia tunc ſubſiſtens ineſſet ſubſiſtenti cum vnitate naturæ, quia tamen nunquam poſſunt inueniri tria ſuppoſita perſonaliter diſtincta in aliqua natura vna numero conuenientia in creaturis, ideo in illis nullum exemplum circuminceſſionis inueniri poteſt.

8 Nomen miſſio translatum videtur à creaturis ad diuina. Vnde miſſio in creaturis poteſt comparari, vel ad mittentem, vel ad miſſum, vel ad locum, ſeu terminum quo mittitur, & in hoc quædam ſunt, quæ dicunt perfectionẽ, quædam etiam limitationem, & imperfectionem arguunt; nam ſi miſſio comparetur admittentem; ſic tripliciter ad illum comparari poteſt, vel prout dat eſſe ſic radius mittitur à ſole, vel prout dat virtutem, ſic ſagitta mittitur à proiectore, vel ut dat authoritatem ſic mittitur Cardinalis à Papa, hæc non dicunt imperfectionem, ideo transferuntur ad diuina, nam filius, & Spiritus Sanctus accipiunt eſſe, virtutem, & authoritatem à Patre, ideo mittuntur à Patre; Pater vero cum hæc à nullo accipiat nullo modo mittitur; Comparando autem miſſionem admiſſum ſic ſunt aliquæ imperfectiones, quæ non poſſunt transferri ad diuina, nam tales imperfectiones in miſſio ſunt, nempe quod miſſus ſit eſſentialiter diſtinctus à mittente; quod ſit inæqualis mittenti, & inferior ipſo, & quod talis miſſio poſſit eſſe ſine mutatione; Transferendo ergo nomen miſſionis à creaturis ad diuina, transferendum eſt ſecundum ea, quæ dicunt perfectionem; Difficultas eſſe poteſt de miſſione ſecundum ſe ſumpta, vtrum dicat pro formali emanationem, ſeu productionem pro connotato autem manifestationẽ vtrumq; videtur probabile, tutius erit dicere miſſionem ſecundum ſe ſumptam importare aliquam emanationem alicuius ab alio, deinde connotare manifeſtaionẽ ipſius.

9 Vt hæc materia miſſionis quatenus miſſio transfertur ad diuina bene intelligatur placuit Miſſionem definire, & eandem definitionem declarare. Miſſio eſt manifeſtatio perſonæ emanantis per effectum, ſiue per aliquod donum in creatura rationali productum appropriatum illi perſonæ, per quam habetur ſimpliciter, vel ſecundum quid, vel oſtenditur haberi; In qua definitione omnia tanguntur, quæ naturam, & quiditatem miſſionis exprimunt; Dicitur primo manifeſtatio, quia adhoc eſt miſſio, vt per ipſam aliquid manifeſtetur; hæc autem manifeſtatio, ſiue ex parte manifeſtantis actiue ſumpta, ſiue ex parte perſonæ manifeſtatæ accepta, quaſi paſſiue non dicit, niſi reſpectum rationis. Dicitur ſecundæ perſonæ emanantis, ideſt perſonæ miſſæ ad excludendũ Patrem, nulla enim perſona mittitur niſi emanans ab alia, & hoc eſt ſuum connotatum; Dicitur per effectum, ſiue per donum; & huiuſmodi effectus intelligitur in generali, ideſt non inuiſibilis tan-

Digitized by Google

tantum, nec ſenſibilis, ſed vterque ſibi competere poteſt. Dicitur quarto de nouo productum per, quod ſecluduntur viri perfecti qui iam habent Charitatem, & quibus iam miſſa ſunt dona, & ideo non dicuntur illis mitti. Ponitur quinto in creatura rationali; per quā particulam excluduntur bruta, in quibus quamuis reluceat veſtigium Trinitatis non tamen ſunt ſuſceptiua donorum.

10 Sexto dicitur appropriatum illi perſonæ, quia alias non manifeſtaretur vna perſona magis quam alia, & debet ſic appropriari ſuo modo procedendi ſi ſit notum illud ſibi ſic appropriari, ſicut notum eſt, quod ſapientia appropriatur verbo ex ſuo modo procedendi, & charitas appropriatur Spiritui Sancto ex ſuo modo procedendi; Hinc dona reſpicientia intellectum, vt ſapientia, ſcientia, intellectus, & fides appropriantur filio; Dona vero reſpicientia voluntatem, vt charitas, benignitas, & amor appropriantur Spiritui Sancto; Vnde per hanc particulam ſecluduntur effectus communes tribus, vt creatio &c. Septimo additur, per quem habetur ſimpliciter ſcilicet per perſonam miſſam hoc eſt, quando habetur gratia gratum faciens; vel ſecundum quid, & eſt quādo confertur gratia gratis data, quemadmodum collata fuit Caiphæ, & Balaam, illi, cum prophetauit ſuper mortem Chriſti, iſti, cum prophetauit ſuper caſtra Iſrael, gratia enim gratum faciens facit hominem ſimpliciter acceptum Deo, & perſonæ miſſæ, & mittenti; gratia vero gratis data nec facit hominem nec præſuponit Deo gratum; ſubiungitur, vel oſtenditur haberi, quia non ſemper per miſſionē datur perſona, ſed oſtenditur iam habita prius, vel quod perfectius habeatur quam prius, ſed tantum oſtenditur ſic haberi, ſicut fuit de miſſione viſibili Spiritus Sancti ſuper Chriſtum in ſpecie Columbæ, qui tamen perfectiſſime, & pleniſsime habebat ſpiritum ante illam miſsionem.

11 Ex prima particula dictæ, & declaratæ definitionis cum ſecunda particula colligitur mittere actiue non eſſe commune tribus, quia Spiritus Sanctus non mittit, ſicut enim mitti, ita & mittere vltra reſpectum manifeſtationis connotat relationem realem producentis, & producti, & ita ſolæ perſonæ producentes mittunt, & perſonæ productę mittuntur; & ob eaſdem rationes nulla perſona poteſt mittere ſeipſam; tum quia nulla perſona poteſt ſeipſam producere, tum etiam quia non poteſt ſibi communicare virtutem, & authoritatem; Dices cum Magiſtro ſententiarum mittere eſt idem, quod manifeſtare, ſed manifeſtare eſt communis tribus, ergo & mittere eſt communis tribus. Reſpondetur ad maiorem veram eſſe quātum ad ſignificationem, non tamen quātum ad connotationem, mittere enim ſignificat manifeſtare, & connotat producere, & propter connotatum negatur miſſionem actiuam cōuenire tribus, ſicut ob eandem rationem negatur miſſionem paſſiuam conuenire tribus, ſed ſolum filio, & Spiritui Sancto; quia vterque eſt productus; aliquo tamen ordine, vt prius conueniat filio, quam Spiritui Sancto propter ordinem connotati vtriuſque nempe productionis paſſiuæ, quia productio filij eſt prior origine productione Spiritus Sancti; ideo miſſio paſsiua tali ordine dicitur conuenire primum filio, deinde Spiritui Sancto; Hic ſupponitur, quod miſſio paſsiua tria dicit primum quod perſona miſſa ſit producta ſecundum, quod ſit nouo modo eſſendi in creatura quātum ad aliquem effectum, tertiū quod effectus ille à perſona miſſa productus rappræſentet, ſeu manifeſtet originem, & productionem perſonæ miſſę.

12 Ex.

Digitized by Google

12 Ex tertia particula prædictæ definitionis pariter colligitur duos eſſe effectus generales vnum inuiſibilem; alterum viſibilem, vnde etiam miſsio deſumit ſuam generalem diuiſionem in miſsionem in forma inuiſibili, & miſſionem in forma viſibili; Miſsio inuiſibilis eſt illa, quæ fit tantum ſecundum effectum inuiſibilem, ac ſpiritualem, vel eſt illa, quæ fit ad Animas interius ſanctificandas abſque aliquo ſenſibili ſigno talis aduentus, vt communiter in Eccleſia ſanctificari ſolent Animæ, qua de re ſcriptura quandocumque loquitur de hac miſsione, id quidem eſt in ordine ad ſanctificationem; & eodem modo loquuntur Sancti; D. Auguſtinus 4. de Trini. Cap. 20. ſic ait, tunc inuiſibiliter mittitur cuique filius, cum à quocumque cognoſcitur, ac percipitur nō ſecundum quamlibet cognitionem, ſed ſecundum illam, ſecundum quam prorumpitur in affectum amoris, vt habetur Pſal. 38. in meditatione exardeſcet ignis, & vt dicitur Ioan. 6. omnis qui audit à Patre, & didicit venit ad me; Nota quod miſsio inuiſibilis fit dupliciter vno modo proprie, & ſic filius, & Spiritus Sanctus mittuntur proprie in charitate, qua producuntur, & cum hac mittuntur; alio modo appropriate, & hæc eſt duplex quædam eſt filij, cum dantur dona filio appropriata, vt ſapiētia, ſcientia, & intellectus; alia eſt ſpiritus cum dantur dona Spiritui Sācto appropriata, vt ſunt charitas, concordia, bonitas. Secundo nota, quod mitti dicit perſonam productam per nouam exiſtentiam in creatura rationali ſecundum aliquem ſpecialem modum in ea manifeſtari; Manifeſtari autem eſt aliquid in creatura rationali operari, & illa operatio fit per quattuor. primo per peccatorum remiſsionem. ſecundo per charitatis infuſionem. tertio per acceptationem actus, & perſonæ ad vitam æternam. quarto per exauditionem rationabilis petitionis.

13 Perſonam diuinam mitti inuiſibiliter ſecundum donum gratiæ gratum facientis eſt communis Theologorum ſententia iuxta illud Sapientiæ 1. vbi dicitur de ſapientia in maleuolam Animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis, ſed intrare ſapientiam in Animam eſt filium mitti, & effectus huiuſmodi miſsionis eſt inhabitatio, ergo cum vtrumque repugnet Animæ maleuolæ, & ſubditæ peccatis, & nihil repugnet, niſi priuatio gratiæ gratum facientis, ergo ſi dicitur filius mitti in Animam, & inhabitare ipſam, hoc eſt ratione gratiæ gratum facientis, & non ſolum ratione gratiæ gratis datæ. Item Sapientiæ 7. dicitur de ſapientia; In Animas ſanctas ſe transfert Amicos Dei, & Prophetas conſtituit, quam auctoritatem S. Auguſtinus 4. de Trinit. exponit de miſsione filij, quæ eſt ſapientia increata; ſed Amicus Dei non poteſt conſtitui aliquis, niſi per gratiam gratum facientem; cum gratia gratis data communis ſit iuſtis, & peccatoribus, ergo perſona diuina mittitur, & datur ſecundum donum gratiæ gratum facientis; Idem dicit Magiſter ſententiarum in primo diſt. 15. nimirum quod duobus modis mittitur filius, ſcilicet cum viſibiliter Mundo apparuit carne indutus, vel cum in Animas pias ſe transfert, vt ab eis percipiatur, & cognoſcatur, ergo filius non mittitur inuiſibiliter niſi ad Animas pias, ſed Anima pia non dicitur, niſi per gratiam gratum facientem, ergo miſsio filij eſt ratione gratiæ gratum facientis.

14 Quod ſimiliter Spiritus Sanctus mittatur ſecundum donum gratiæ gratum facientis, probatur primo ex illo Sapientiæ 1. Spiritus Sanctus diſciplinę effugiet fictum, & auferet ſe; ergo Spiritus Sanctus non dicitur eſſe, ſiue habitare

tare in reprobis, ergo nec mitti ad eos, quia mittitur ad inhabitandum, ſed gratia gratis data eſt in bonis, & in malis, ergo mittitur ratione gratiæ gratum facientis; probatur ſecundo per D. Auguſtinum 15. de Trin. Cap. 27 vbi dicit, quod temporalis proceſsio Spiritus Sancti eſt ad ſanctificandã creaturã, ſed temporalis proceſsio eius eſt miſsio, ergo miſsio eſt ad ſanctificandum, ſed nõ ſanctificatur, niſi per gratiam gratum facientem ergo; Item D. Auguſtinus dicit in eodem libro cum datur Spiritus Sanctus accendit mentem in dilectione Dei, & proximi, ſed hoc non poteſt eſſe ſine gratia gratum faciente, ergo miſſio Spiritus Sancti non eſt ſine gratia gratum faciente. Rurſus Magiſter in 1. diſt. 18. dicit, quod Spiritus Sanctus in quantum datus dicitur noſter, ſed non eſt noſter, niſi per gratiam ſanctificantem, ergo Spiritus Sanctus mittitur ſecundum donum gratiæ gratum facientis; Comprobatur ratione de vtroque, Spiritus Sanctus, vel filius, tunc datur, aut mittitur, quando habitat in homine, ſed non dicitur inhabitare in homine ſine gratia gratum faciente, ergo &c. Item filius, aut Spiritus Sanctus nõ mittitur, vt ſit vbi prius non erat, ſed vt ſit in eo aliter, quam prius, ſed nouus modus eſſendi addens ſuper eſſe per naturam non eſt niſi per gratiam gratum facientem, ergo ſi filius, & Spiritus Sanctus mittantur inuiſibiliter non est niſi ſecundũ donum gratię gratum faciẽtis.

15 Miſſio filij, & miſſio Spiritus Sancti inuiſibiles ſunt inſeparabiles, & indiuiſę, probatur ſic, amor ſequitur notitiam; ſed notitia perfecta, ſecundum quam eſt miſsio filij ſemper inducit in amorem, ergo ſimul infunduntur, ergo miſsio filij, & miſsio Spiritus Sancti ſunt indiuiſæ; Confirmatur, quia non eſt cognitio Dei, vt eſt finale bonum, propter quod alia operamur ſecundum quam mittitur filius abſque dilectionẽ eius, ſecundum quam mittitur ſpiritus, ergo &c. Sed nota, quod quamuis aliqua cognitio ſpeculatiua de Deo haberi poſſit abſque amore, non tamen ſeparatur miſſio filij à miſsione Spiritus Sãcti, quia talis cognitio non eſt ſimpliciter ſpeculatiua, ſed ſaltem virtualiter practica, quæ ordinatur ad praxim voluntatis, quæ eſt amor, ſed dices vna perſona poteſt mitti viſibiliter ſine alia. Vnde per Incarnationem dicitur fuiſſe miſſus filius, non Spiritus Sanctus, & per flatum Spiritus Sanctus, non filius, ergo ſimiliter vnus poteſt mitti ſine alio inuiſibiliter. Reſpondetur, quod non eſt ſimile de miſsione viſibili, & inuiſibili, quia non eſt tanta connexio in effectibus exterioribus, ſicut in gratuitis habitibus, & formatis, qui connectuntur in charitate; in quibus fit miſsio inuiſibilis.

16 Miſsio viſibilis dicitur, quando fit in effectu, vel ſigno ſenſibili ex aliqua ſui proprietate, vel conditione rapræſentante proprium modum originis perſonę miſſæ, ſed nota hic, quod in hac materia viſibile accipitur pro ſenſibili propter excellentiam viſus ſuper alios ſenſus; hac miſsione miſſum eſſe filium probatur per D. Auguſtinum 2. de Trinit. Cap. 5. exire à Patre, & venire in hunc mundum, hoc eſt filium mitti, ſed ſic apparuit viſibiliter, ergo in diuinis eſt viſibilis miſsio; Item manifeſtatio Spiritus Sancti in effectu inuiſibili eſt eius miſsio inuiſibilis, ergo à ſimili manifeſtatio eius in ſigno viſibili eſt eius miſsio viſibilis, ſed ſpiritus pluries manifeſtatus eſt, quia aliquando in ſpecie ignis, vt habetur Actuum 2, aliquando in flatu, vt habetur Ioan. 20; aliquando ſub ſpecie Columbæ, vt habetur Math. 3. 16; Columba tamen illa non fuit verum Animal habens Animam ſenſitiuam, nec ignis ille fuit vere ignis ardens,

Digitized by Google

dens, perſuadetur primo ex ſacra ſcriptura. Nam Matth. 3. dicitur vidi ſpiritum Dei deſcendentem, ſicut Columbam. Item Eccleſia canit in officio Epiphaniæ deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut Columba; Amplius ait Spiritus Sanctus in Columbæ ſpecie viſus eſt; & de Igne Actuum 2. dicitur apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis. Ecce ſimilitudinarie dicit tantum ſpeciem non veram Columbam non verum ignem, nec veras linguas; Confirmatur ratione, quia illa ſimilitudo non oſtendebatur ad manifeſtandam aliquam veritatem in ipſa Columba, ſed ad manifeſtandas proprietates inuiſibiles miſſionis, & ideo ibi non fuit fictio, quia ibi non fuit falſitas ſigni; licet enim non haberet veritatem naturæ; habebat tamen veritatem figuræ. Vnde erat ad ſignificandum non ad operandum, ſimiliter dicendum de linguis igneis, nec eſt mirum ſi tam citò deſijt eſſe, quia non fiebat, niſi propter certum myſterium, vnde peracto officio in primam materiam eſt reuerſa.

17 Inter miſſionem viſibilem filij, ac viſibilem miſſionem Spiritus Sancti triplex interceſſit differẽtia prima, quia natura humana, in qua apparuit filius, fuit vera natura, quia illa fuit ordinata ad faciendum opus noſtræ redemptionis, quod congrue fieri non potuit, niſi per verum hominem; Natura autem viſibilis, in qua apparuit Spiritus Sanctus non eſt neceſſe affirmare, quod fuerit vera natura ſicut apparuit, quia erat ſolum ad ſignificandum, quæ ſignificatio poteſt haberi per ſolas ſpecies imaginarias; ſecunda differentia eſt, quia natura, in qua filius apparuit fuit vere rationalis, quia aſſumptio Carnis non ordinabatur ſolum ad oſtendendam pręſentiam filij in Carne, ſed ad ſatisfaciendũ pro humano genere, & ad reconciliandum Deo genus humanũ, & ideo oportuit, quod ille, qui ſatisfaceret eſſet Deus, & homo, ac proinde vnitus illi naturę, pro qua debebat ſatisfacere. Illa vero, in qua apparuit Spiritus Sanctus fuit irrationalis non enim ordinabatur niſi ad oſtendendam præſentiam Spiritus Sancti ad teſtimonium Chriſti, ſiue inhabitationis, qua inhabitabat Chriſtũ, vel Apoſtolos Chriſti. Vnde erat in illa natura, vt ſignatum in ſigno nõ in vnione perſonæ. Tertia differentia eſt, quia filius ſolum ſemel apparuit viſibilis in natura paſſibili Spiritus autem Sanctus pluribus vicibus apparuit viſibiliter, nam ſuper Chriſtum baptizatum apparuit in ſpecie columbæ, in ſpecie nubis lucidæ ſuper eundem in transfiguratione, ſuper Apoſtolos vero in linguis igneis, ratio huius differentiæ eſt, quia opus noſtræ redemptionis, ad quod fuit ordinata apparitio Chriſti in Carne ſufficienter fuit expleta per illam vnicam apparitionem, ſicut, & per vnicam ipſius paſſionem; ſanctificatio vero, ad quam fuit ordinata apparitio Spiritus S. non fuit vna tantum, propter quod nec etiam potuit ita ſufficienter fieri per vnam tantum apparitionem, & ideo decuit, quod appareret pluribus vicibus.

18 Quando quidem Miſterium Sanctiſſimæ Trinitatis ſit explicatu difficillimum, ſicut & intellectu caute de eo loquendum eſt & ad hoc ſubſeruiẽt infra notanda; & primo reſpicienda ſunt duo, vnum eſt diuerſitas generum prædicandi, aliud eſt diuerſitas terminorum excluſiuorum; Quantum ad primum omnis verificatio propoſitionum in Trinitate debet eſſe, vel ſecundum ſenſum formalem, ſeu prædicationem formalem eſſentialem, vel ſecundum ſenſum, & prædicationem accidentalem, ſecundo notandum eſt duplicem eſſe prædicationem, aliam eſſe formalem quiditatiuam, & aliam eſſe formalem denominatiuam, aliam identicam,

Digitized by Google

& aliam eſſentialem; Prædicatio formalis quiditatiua quattuor habet gradus qui communiter aſſignantur in primo modo dicendi per ſe; Prædicatio itẽ formalis denominatiua habet quattuor gradus, primũ quando differentia prædicatur de genere contrahibili, vt Animal eſt rationale vel quando prædicatur modus intrinſecus de eo, cuius eſt modus, vt cum dicitur ens eſt infinitum; Dices nonne modus intrinſecus prædicatur quiditatiue de eo, cuius eſt modus maxime ſi teneatur opinio docens infinitatem eſſe de quiditate Dei? Reſpondetur quod modus intrinſecus poteſt comparari, vel ad conſtitutum, vel ad contrahibile, primo modo eſt prædicatio quiditatiua dicendo Deus eſt infinitus; ſecundo modo eſt prædicatio denominatiua vt dicendo ens eſt infinitum quemadmodum iſta homo eſt rationalis eſt quiditatiua, iſta autem Animal eſt rationale eſt denominatiua.

19 Secundus gradus prædicationis denominatiuę eſt quando propria paſſio prædicatur de proprio ſubiecto, & iſte gradus eſt ſecundus modus dicendi per ſe; tertius gradus prædicationis denominatiuæ, & formalis eſt, quando effectus formalis denominatiuę prædicatur de aliquo mediante ſua cauſa formali vt homo ſapientia eſt ſapiẽs; quartus gradus prædicationis formalis denominatiuæ eſt, quando accidens prædicatur de proprio ſubiecto. Prædicatio identica eſt, quando vtrumque extremum eſt formaliter infinitum, vt ſapientia diuina eſt eſſentia diuina vel alterum tantum eſt formaliter infinitum vt eſſentia diuina eſt paternitas, vel permiſſiue infinitum vt Paternitas eſt ens. Prædicatio eſſentialis eſt illa, in qua denotatur conſubſtantialitas, & origo ipſius cum extremo, quæ conſubſtantialitas eſt identitas numeralis naturæ & eſſentiæ vt dicendo filius eſt de eſſentia, ſiue de ſubſtantia Patris, cuius ſenſus eſt filius originatur à Patre vt conſubſtantialis; Hæc prædicatio eſsentialis nullibi habet locum niſi in diuinis, quia vnitas numeralis naturæ & eſsentiæ in duobus ſuppoſitis, in qua fundatur iſta prędicatio nullibi eſt, niſi in Deo.

20 De eſſentia ſeu deitate vltima abſtractione abſtracta nihil prædicatur prędicatione formali, niſi prędicata primi modi dicendi per ſe, ita Scotus in p. diſt. 5. q. 1. nam iſta eſt falſa eſsentia generat, eſsentia generatur, vt determinatum eſt in generali Concilio Later. ſub Innocentio III. vt habetur extra de ſumma Trin. & fide Catholica Cap. damnamus contra Abbatem Ioachim, & patet quia generans diſtinguitur realiter à genito, quod autem diſtinguitur ab aliquo non prædicatur de illo in primo modo dicendi per ſe, & conſequenter nec formaliter; Dices, ergo ſaltem illa, quæ formaliter diſtinguntur ab eſsentia poterunt prædicari de eſsentia vltimate abſtracta vt ſi dicamus eſsentia eſt ſapiens, eſsentia intelligit, eſsentia vult gubernat, & ſimilia. Reſpondetur; concedendo dictas propoſitiones eſse veras ſecundum prędicationem identicam non formalem, iuxta dicta ſuperius, ſed iſta eſsentia eſt exiſtens eſt vera ſecundum prædicationem formalem quiditatiuam in primo modo dicendi per ſe; Vniuerſaliter loquendo. Quæcumque realiter identificantur eſſentiæ diuinæ prædicari verè poſſunt de eadem eſſentia diuina etiam vltimate abſtracta ſecundum prędicationem identicam, vt ſic dicendo, eſſentia diuina eſt paternitas, eſſentia diuina eſt filiatio &c.

21 Obicies ſi iſta vera eſt; Eſſentia eſt Pater, quare iſta non conceditur eſſentia generat, cum vtrumque ſit perſonale,

ſe, item quare iſta non eſt vera filius eſt de eſsentia, neque iſta filius eſt eſſentiæ cum iſta ſit vera eſsentia eſt filius. Reſpondetur quod iſta eſt vera identice eſsentia eſt filius, iſta tamen eſsentia generat non eſt vera etiam idẽtice; Ratio diſparitatis eſt quia iſti actus notionales generare, generari, ſpirare ſpirari &c. Sunt actus diſtinctiui realiter illius cuius ſunt, & ſic ſi eſsentia generaret, aut generaretur eſſet diſtincta realiter à generante, vel à genito; ſed eſſentia diuina ab his, quæ sũt ad intra, non admittit diſtinctionem realem; In iſta autem propoſitione eſſentia eſt Pater licet paternitas ſit diſtinctiua, non eſt tamen diſtinctiua eſſentiæ, ſed ſuppoſiti à ſuppoſito in vnitate naturæ; Illæ autem propoſitiones filius eſt de eſſentia, vel filius eſt eſſentiæ ſunt falſæ, quia in prima ly de duo dicit ſcilicet conſubſtantialitatem & originationem; ſed originatio non competit eſſentiæ cum diſtinctione reali; in ſecunda vero ly eſt denotat originationem ab eſſentia, cum tamen filius non originetur ab eſſentia, ſed à Patre; ſi tamen addatur aliquid v. g. filius eſt filius de ſubſtantia Patris ſic conceditur.

22 De cõcreto deitatis poſſunt prædicari prædicata notionalia & actiones notionales, quia non ſolum eſt vera Deus eſt Pater, ſed etiã iſta Deus generat, Deus generatur, Deus ſpirat, Deus ſpiratur, cum tamen hæc prædicata ſint actiones perſonales, ſeu notionales, quia concretum deitatis in ordine ad hæc prædicata poteſt accipi non modo in ſuppoſitione ſimplici verum etiam perſonali, atque ita poteſt ſupponere non ſolum pro per ſe ſignificato, ſeu pro indiuiduo deitatis, ſed etiam pro ſuppoſito perſonali, cum non ſit vltimate abſtractum vt deitas; ſimiliter de perſonis diuinis poſſunt prædicari eſſentialia prędicata ſubſtantiua ſingulariter vt Pater eſt Deus ſapiens &c. adiectiua pluraliter vt Pater filius & Spiritus Sãctus ſunt conſubſtantiales coęquales coęterni &c. Cum dicitur Pater eſt Deus, filius eſt Deus, Spiritus Sanctus eſt Deus, quæ ſunt vere Identice immo quaſi formaliter ly Deus ſupponit pro hoc Deo exiſtente in natura diuina ſiue pro indiuiduo deitatis non pro aliquo ſuppoſito, nec pro natura diuina in abſtracto.

23 Quantum ad ſecundum id eſt ad diuerſitatem terminorum excluſiuorũ; notandum quod dictio excluſiua v. g. ſolus poteſt apponi, vel ad ſubiectum eſsentiale in ordine ad prædicatum eſſentiale, vt dicendo ſolus Deus eſt infinitus æternus &c. & de hoc nulla eſt difficultas, quia eſt propoſitio de fide; vel poteſt apponi dictio excluſiua ſubiecto eſsentiali in ordine ad prædicatum notionale, neque in hoc eſt difficultas, quia iſta eſt vera ſolus Deus eſt Pater, vel filius loquendo de paternitate, & filiatione increata; neque item eſt difficultas de propoſitione, in qua dictio excluſiua apponitur ſubiecto notionali in ordine ad prædicatum notionale vt dicendo ſolus Pater generat ſolus filius generatur &c. ſed difficultas eſt an dictio excluſiua poſſit apponi ſubiecto notionali in ordine ad prædicatum eſſentiale, vt in hac propoſitione ſolus Pater eſt Deus, quæ ſecundum Scotum eſt falſa; Nam dictio excluſiua ſolus, vel accipitur Cathegorematice id eſt ſignificatiue, & ſignificat idem quod ſolitarius, negat enim aſſociationem abſolute, vel ſincathegorematice id eſt conſignificatiue, pro quanto negat aſſociationem in ordine, & habitudine ad prædicatum; quod igitur falſa ſit cathegorematice probatur filius & Spiritus Sanctus ſunt Deus, ergo falſum eſt quod ſolus Pater ſit Deus, nam aliæ perſonę aſsociantur Patri in ordine ad Dei-

Yy 2 tatem,

Digitized by Google

tatem, ergo non eſt ſolitarie Deus.

24 Dices Pater non eſt ſolitarie Deus, ergo erit alius Deus præter ipſum. Reſpondetur, quod non ſequitur niſi hoc, quod ſit alius, qui eſt Deus; quod item ſit falſa ſincathegorematice, ideſt conſignificatiue in rigore ſermonis probatur, quia dictio excluſiua hoc modo ſumpta negat aſſociationem cuiuſcumque extrinſeci, ſiue diſparati, ſiue correlatiui; atque ita cum filius ſit correlatiuum Patris excluderetur à Deitate, quod falſum eſt. Propoſitio, in qua apponitur terminus numeralis ſubſtantiuo eſt falſa; ſi autem apponitur nomini adiectiuo, vel ſubſtantiuo adiectiuato (vt inquit Scotus) propoſitio eſt vera; probatur quia nomina adiectiua concernunt ſuppoſita, nomina vero ſubſtantiua ſignificant formam, ſine concernentia, ſiue adiacentia ad ſuppoſita, & ideo cum termini numerales apponuntur adiectiuis, tunc ſignificantur numerari ſuppoſita, cum autem apponuntur ſubſtantiuis; vel adiectiuis ſubſtantiuatis, tūc ſignificatur multiplicari forma, quæ in diuinis non numeratur. Ex quo ſequitur, quod iſtæ ſunt falſæ Pater, & filius ſunt duo ſpiratores Pater filius, & ſpiritus ſunt tres Creatores, & iſtæ ſunt veræ Pater, & filius ſunt duo ſpirantes Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres Creantes; & talis eſt finis ſecundi Libri ad laudem, & gloriam Sanctiſſimæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti.

LIBER TERTIVS

DE ANGELORVM CREATIONE, Natura, Diſtinctione, Numero, Intellectu, Voluntate, Motu, Loco, Merito, Gloria, Malitia, Cuſtodia, & Impugnatione, &c.

DE CREATIONE IN COMMVNI. CAP. I.

De quiditate, & natura Creationis in communi; necnon de Cauſa efficiente Creationis. Art. I.

1 CVm in præterito libro actum ſit de Deo vno, & Trino; hoc eſt de Dei eſſentia natura, & perfectionibus, ſiue attributis, nec non de diuinis productionibus ad intra, & alijs pertinentibus ad miſterium Sanctiſsimæ Trinitatis, in hoc tertio libro ſecundum rectam, & ordinatam tractandi methodum erit ſermo de Deo, vt eſt Author creaturarum, non quidem omnium, ſed ſpiritualium, & incorporalium tantum, & de alijs in ſequentibus; De Creaturis ſpiritualibus, quæ aliàs naturæ Angelicæ nuncupantur, loquens D. Bernardus libro 5. de Conſideratione ad Eugenium docet tribus modis nos poſſe peruenire in cognitionem Angelorum, fide, ſcientia, & opinione;

Digitized by Google

nione; fides, & ſcientia certę ſunt, opinio incerta; quæ fide tenemus pauca ſunt, & ferè ſacris litteris conſignata; pauca itemque lumine, ac ſcientia naturali certo cognoſcimus, reliqua omnia ſub opinione cadunt; ſequentes igitur veſtigia ſacrorum Theologorum, & potiſſimum Doctoris ſubtilis inuocato diuino lumine, & auxilio aggredimur tractatum præponendo doctrinam neceſsariam de Creatione in communi.

2 Quo notitia creationis eſt difficilior, & pluribus inuoluta obſcuritatibus eo ſcitu dignior, vtilior, delectabilior, & iocundior; Philon ſi quidem vir vtique diſertiſsimus teſtatur propter traditam à Moyſe creationem præclariſsima, & omnia optima nos edoctos fuiſſe. Primum eſse, & ſubſiſtere in rerum naturam aliquod Numen aliquam Diuinitatem; ſecundum; Deum eſse vnum; tertium; Hunc Mūdum eſſe creatum, quartum, vnum eſse mundum iſtum, cum Creator eius ſit vnus, quintum, Deum regere, & gubernare hunc ipſum mundum, quem fecit; Cūque Mundus latè ſumptus inuiſibilia, ac viſibilia, ſpiritualia; & corporalia, omnia denique complectatur; quid igitur ſublimius, quam Angelorum naturas, proprietates, Hierarchias, ordines, miniſteria, munera, dona gratuita bonorum, eorum caſtum amorem, flagrantemque in Deum conuerſionem, nec non malorum caſum pertinaciam, atque deformitatem agnoſcere? Quid etiam inquiſitione dignius, quam elementorum origo, atque ipſorum diſtinctio, & genus hominum; Vnde pecudes, imber, & ignis, Sol, Luna, firmamentum, & omnia alia entia naturalia, quæ ob earum pulchritudinem in altiſſimæ diuinæ potentiæ; virtutiſque admirationem deducunt contemplantes; & omnium Animos, ea rerum creatarum contemplatio in amorem diuinæ bonitatis accendit, & inflammat.

3 Tandem hæc creaturarum cognitio, quantam vtilitatem afferat ad elidendos errores non difficile is intelliget, qui, & antiquorum philoſophorum ſententias, & ſacrarum ſcripturarum dicta perlegerit, qui enim rerum creatarum ignorauere naturas, quid Deo, quidue creaturis conueniat diſcernere minime valuerunt quinimo in tantam inſaniam deuenerunt, vt ſicut in libro ſapientiæ, aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut girum Stellarum, aut Solem, vel Lunam rectores orbis terrarum Deos eſse putauerint; immo (vt inquit Apuſtolus ad Rom. 1. mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium, nonnulli duo rerum principia dixerint; quidam cuncta caſu facta fuiſse aſseruerint; alij diuinam de rebus prouidentiam negauerint, in quos omnes inuehit Diuus Iob dicens, quaſi nihil poſsit facere omnipotens æſtimabant eum; Hæc inquit ſapiens cogitauerunt, & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum, & neſcierunt ſacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem Animarum ſanctarum; en igitur quanti momenti ſit creaturæ cognitio fidei lumine irradiata.

4 Verum ne in æquiuocum contingat procedere notandum eſt quod verbum creare, & nomen creatio vſurpari ſolent aliquando improprie, vt cum dicuntur Magiſtratus, & Cardinales creari, aliquando pro renouatione, & regeneratione ſpirituali, vt notauit D. Baſilius in Pſalm. 32. in illa verba ipſe mandauit, & creata ſunt; & in Hom. quod Deus non eſt Auctor malorum Columna 3. id tamen fit, quia renouatio interioris hominis, in eo genere eſt productio quædam de nihilo, hoc eſt ex Dei

mi-

miſericordia nullis proprijs operibus ex nobis præcedentibus, ideoque dicimur ab Apoſtolo ad Eph. 2. creari in Chriſto in operibus bonis, & 4. Cap. homo nouus ſecundum Deum dicitur creatus, & ad Gal. 5. neque circumciſio aliquid valet, ſed noua creatura. Hac de cauſa iuſtificatio poſset appellari creatio quædam moralis, de qua non eſt hic ſermo, ſed de phyſica, & naturali, quæ ſic definiri poteſt creatio eſt productio de nihilo ſimpliciter; Pro cuius definitionis intelligentia aduertendum eſt quadruplicem eſse rerum naturalium productionem, vnã ex materia, & forma, ſeu toto compoſito, vt productio corporis ex materia, & forma corporeitatis, & productio accidentium corporalium, veluti caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, ſaporis, odoris, coloris, &c. Secundam ex forma tantum, & hoc modo producuntur accidentia ſpiritualia Animæ, vt ab intellectu cognitiones, à voluntate volitiones; tertiam, ex materia tantum præuijs tamen diſpoſitionibus naturalibus, vt forma ſubſtantialis corporea, quæ educitur de potentia materiæ; Corporea dicitur ad diſtinctionem Animæ rationalis, quæ eſt forma corporis, non tamen producitur ex materia, nec educitur de potentia materiæ, ſed à Deo creata infunditur materiæ, vel in materiam debitis organis diſpoſitã, quartam demum, nec ex materia, nec ex forma, ſed ex nihilo, quæ productio proprie eſt creatio.

5 Creatio igitur eſt productio ex nihilo ſimpliciter, vt ly ex nihilo dicit ordinem ad non eſse præcedens ſimpliciter eſt certum, & commune omnium Theologorum. Dicitur notãter, vt nihil dicit ordinem ad non eſse præcedens, quia creatio non eſt de nihilo ſubiectiue, aut materialiter, quaſi ipſum nihil ſit materia, aut ſubiectum, ex quo aliquid creatur; eſt igitur creatio de nihilo ordinabiliter, ideſt poſt nihil, & nullo ente præſuppoſito, non eſt tamen productio de nihilo, vt neget eſse obiectiuum poſsibile, & ſecundum quid ſecundum Scotum in 2. diſt. 1. q. 2. quia eſse cognitum creaturarum eſt ab æterno, ex eodem Doctore in p. diſt. 36. q. 1. ergo eſse cognitum, ſeu eſse obiectiuum creaturarum præcedit creationẽ, atque ita creatio eſt ex eſse cognito, ideſt poſt eſse cognitum creaturarum. Hic Thomiſtarum aliqui nimis rigoroſe impugnant Scotum imponentes ei errorem impij Vvicleffi, alij vero excuſant eundem, quæ diuerſitas inter ipſos procedit ex non perſpecta à Cenſoribus illis mente Scoti, quæ toto Cœlo diſtat ab opinione Vviclef, qui docebat creaturas produci de eſsentia Dei; Immo potius Thomiſtis verendum eſt, ne aliquanto propinquiores appareant errori prædicto; Ipſi enim docent creaturas produci de Ideis, Ideas tandem contendunt eſse ipſam eſsentiam Dei. Scotus vero tenet Ideas, ex quibus producuntur creaturæ eſse creaturas in eſſe cognito, habentes eſse ſecundum quid, vt alibi dictum eſt.

6 Creatio ſic definita, & declarata ſic probatur, ſi agens particulare rem ſecundum partem producit, Agens etiã vniuerſale poterit rem ſecundum totũ producere, ſed ſingula agentia particularia poſsunt rem ſecũdum partem producere nempe ſecundum formam, ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem, ſiue artificialem. Deus igitur, qui eſt agens vniuerſale excedens omne agens particulare in infinitum ſecundum virtutem producẽdi debet rẽ ſecundum eſſe totũ nempe ſine materia, & ſine forma præſuppoſitis producere. Confirmatur quo nobilius, & præſtantius agens, & perfectius debet in effectum influere, ergo perfectiſsimum agens perfectiſsime influet.

fluet. Deus igitur, qui eſt perfectisſimus, & abſolutisſimus omnium agentium abſolutisſime, & perfectiſsime debet in effectum influere; hoc autem eſſe non poteſt niſi totum, & totaliter effectum producat, conſequenter materiam ab alio mendicare non debet; ſi obijciatur ex nihilo nihil fit ſecundum philoſophiam; ergo ex nihilo nihil poteſt creari. Reſpondetur verum eſse ſi ſermo ſit de agente naturali finito, & limitato, falſum vero de agente ſupernaturali infinito, & illimitato; Virtus enim infinita nullius ope indiget ad operandum; ſi ſecundo obijciatur ex Ariſtotele materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, ſed ingenerabile non producitur, nec creatur, ergo nunquam res ſecundum materiam producetur. Reſpondetur materiam quidem eſse ingenerabilem, & incorruptibilem, non autem increabilem, non enim dicimus illam generari, ſed creari.

7 Creatio actiua fundamentaliter, & & remote ſumpta eſt ipſe Deus, ſeu eſſentia diuina, quia eſsentia diuina eſt ratio terminandi dependentiam cauſati ad cauſam ex Scoto in 3. dist. 1. qu. 1. ſed talis ratio est radix, & fundamentum creationis, ſeu creatio radicaliter, & fundamentaliter, ergo eſsentia diuina eſt creatio actiua radicalis, & remota; creatio autem actiua fundamentaliter, ſed propinquius ſumpta est intellectus, & voluntas diuina. Intellectus ſcilicet præſuppoſitiue, voluntas vero executiue, quia eſsentia diuina eſt agẽs neceſsarium, & naturale. Creatio autem eſt actio Dei libera, ergo debet eſse per potentiam liberam tanquam per fundamentum, ſed huiuſmodi voluntas eſt talis potentia libera, ergo voluntas quæ determinat id, quod creandum eſt, & exequitur; eſt fundamentum propinquius creationis actiuæ, quam eſsentia. Voluntas autem non agit in incognitu, ergo præſupponit intellectum oſtenſiuum obiecti; Volitio tandem, & intellectio ſunt tanquam condiciones creationis ſine quibus non; nam creatio non eſt abſque attingentia obiecti creabilis, ſed iſta attingentia eſt per operationem, & actum ſecundum potentiæ creatricis, & iſta operatio eſt volitio executiuę, & intellectio oſtenſiue, ergo intellectio, & volitio ſunt condiciones ſine quibus non.

8 Creatio actiua pro formali ſumpta in Deo eſt relatio rationis non realis, alias Deus ſi refferretur realiter ad creaturam talis relatio identificaretur cum Deo (quicquid enim reale eſt in Deo identificatur realiter cum Deo), & ſic Deus non poſset eſse ſine creatura tanquam termino formali, & totali talis creationis actiuæ relatiuæ; Hæc creatio non eſt mutatio; quoniam creatio eſt productio totius creati de nihilo, ita quod nullum ſubiectũ ſupponit, quod ſit in potentia ad recipiendam formam aliquam; mutatio autem præſupponit potentiale ad recipiendam nouam formam, ita Scotus in 2. diſt. 1. qu. 4. reſponſ. ad quintum, & in 4. diſt. 11. q. 1. art. 2. & 3. ex cuius doctrina poteſt concedi aliquo modo, & ſatis impropriè creationem dici mutationem ſcilicet ſupponendo ad mutationem ſufficere, quod potentiale informetur aliqua forma, licet potentiale non præfuerit, & hoc modo creatio ignis poteſt dici mutatio, quia licet totum ſimul producatur de nihilo tamen in ipſo toto eſt pars potentialis, & pars formalis, licet potẽtialis non præcedat tempore formam, tamen præcedit ordine naturæ negatiue, & ita ſi hoc videtur ſufficere ad mutationem poterit talis creatio dici creatio mutatio, tamen creatio Angeli, & cuiuſcumque creaturæ phyſicè ſimplicis non poterit dici mutatio etiam hoc modo impropriè, quia phyſice non cõ-

ſtat

Digitized by Google

ſtat ex parte potentiali, & parte actuali; Neque creatio proprie dici poteſt actio, quia actio proprie dicta non competit Deo, neque ad intra, neque ad extra, tum quia actio proprie dicta eſt relatio agentis ad paſſum non quæcumque, ſed tranſmutantis ad tranſmutatum, ita quod actio reſpicit paſſum, quatenus eſt quoddam potentiale, ex quo, vel in quod inducitur aliqua forma; quando ergo eſt totalis productio nõ de aliquo paſſo, ſeu potentiali, ibi deficit vera ratio actionis, ſed Deus in creatione non reſpicit aliquod paſſum tranſmutabile, ergo ibi deficit ratio veræ actionis; tum etiam, quia actio proprie dicta eſt reſpectus realis extrinſecus adueniens, cui etiam correſpondet paſſio, quæ etiam eſt reſpectus realis extrinſecus adueniens, ſed tales reſpectus in diuinis non reperiuntur, ergo creatio actiua non eſt propria actio.

9 Creatio actiua formaliter, & fundamentaliter ſumpta eſt actio Dei immanens, quod antequam probetur indiget declaratione quamuis alibi dicta, ideo aduertendum eſt ex Scoto quolib. 13. diuiſionem actionis in immanentem & tranſeuntem eſſe generis in ſuas ſpecies, ſicque eſſe vniuoci in vniuocata, actio tranſiens eſt illa, quę habet terminum in paſſum diſtinctum ab agente, ſicut calor calefacti ligni eſt terminus actionis, ideſt calefactionis, & calefactio ibi eſt ab igne, & terminus eſt in ligno, & calefactio dicitur actio tranſiens, quia habet calorem in lignum diſtinctum ab igne. Actio immanens eſt, quæ eſt, ad terminum manentem in agente, ſicut reſpectu intellectionis, quæ eſt noua oportet aſſignare actionem nouam, quæ ſit ad intellectionem, & vocatur intelligificatio, & quia terminus eius ideſt intellectio eſt in intelligente intelligificatio dicitur actio immanens. Quo ſuppoſito probatur creationem actiuam formaliter eſſe actionem Dei immanentem, quia creatio actiua eſt diuinum velle, ſed velle eſt actio immanens, ergo creatio eſt actio immanens; probatur maior propoſitio; Id quo Deus producit creaturas eſt velle diuinum, quia Deus per Imperium ſuæ voluntatis omnia producit, ſed creatio actiua eſt, qua Deus omnia produxit ergo; tamen creatio actiua habet modum actionis tranſeuntis, quia actio tranſiens tranſit in rem exteriorem, ſed creatio actiua tranſit in rem exteriorem ideſt in creaturam; Nihilominus talis creatio actiua proprie, & ſtricte non eſt dicenda actio tranſiens, quia actio tranſiens eſt ſubiectiue in paſſo, ſed creatio actiua non ſubiectatur in creatura, ergo non eſt actio tranſiens, minor probatur, operatio tranſiens, quæ ſubiectiue recipitur in paſſo eſt medium inter agens, & patiens. Sed inter creatorem, & creaturam non datur medium; Cum Deus immediate produxerit, ergo creatio non eſt propria actio tranſiens.

10 Creatio paſſiua eſt ens reale in creatura, quia in omni redependente eſt aliqua entitas conueniens ei in quãtum eſt dependens. Sed creatura in quantum eſt creatura eſt dependens à Deo, ergo in creatura in quantum eſt creatura eſt aliqua realitas. Sed talis non eſt aliud, quam creatio paſſiua ergo, ergo creatio paſſiua eſt entitas realis; Creatio paſſiua fundamentaliter eſt creatura ipſa; quia ſicut creatio actiua eſt idem, quod eſſentia diuina, ita creatio paſſiua eſt idem, quod eſſe creati, ſiue creaturæ, nam ſicut ſe habent ad inuicem eſſe cauſæ, & eſſe cauſati, ſic ſe habent creatio actiue dicta, & paſſiue ſumpta; & permutatim ſicut ſe habet creatio actiue capta ad eſſe cauſæ ita ſe habet creatio paſſiue ſumpta ad eſſe creaturæ. Creatio paſſiua formaliter con-

Digitized by Google

connotat relationem, & habitudinem ad Deum creantem, quia omnis dependentia est relatio, ſed creatio paſſiua importat dependentiam nam ipſa creatura eſsentialiter, & totaliter dependet à Creatore.

11 Sed dices contra id, quod aſſerebatur creationem paſsiuam eſse ipſamet creaturam, nulla res est ſuum fieri, vt generatum non est ſuum generari, & corruptum non est ſuum corrumpi, & ita de alijs, ergo pari ratione creatum non est ſuum creari; & per conſequens creatio paſsiua non est ipſa creatura ſiue res creata; Item creari est prius ordine naturę, quam eſse creatū, quia est via in ipsū, ergo creari non est res creata, nec creatio paſsiua est creatura; Reſpondetur ad primum non eſse ſimile in alijs mutationibus, & in creatione, quoniam in alijs mutationibus fieri antecedit id, quod fit, tēpore, vel natura in creatione autem non ſic contingit, quia fieri, & factum eſse ſunt ſimul tempore, & natura; Ad ſecundum reſpondetur quod creari non est via ad creaturam immo est ipſum eſse creaturæ ſub ratione, qua nunc primo acceptum ab aliquo non est de aliquo, propterea nulla est realis via in eſse naturæ creatæ, niſi ipſa creatio actiua, à qua eſt eſse creatum; Quamuis relatio paſsiuę creationis creaturæ ad Deum ſit eadem fundamento id est creaturæ, quia creatura non potest eſse ſine Deo, qui est terminus eiusdem relationis; Illa enim relatio est eadem fundamento, cuius fundamento repugnat eſse ſine termino, tamen distinguitur formaliter à creatura; quia creatura est ens abſolutum, creatio vero relatiua, ſiue relatio, ergo distinguntur ſaltem formaliter, vel non ſunt idem formaliter; Deus terminat dependentiam creaturæ ſub ratione abſoluta non relatiua, & prior origine eſt relatio creaturæ ad Deum quam Dei ad creaturam ſecūdum Scotum in 2. d. 1. q. 2. vbi ad primum argumentum, & in primo diſt. 35. habet illud axioma ad abſolutum in cauſa ſequitur abſolutum in effectu; & ad relationem in effectu ſequitur relatio in cauſa, vel nulla, ergo relatio creationis paſſiuæ in creatura terminat ad abſolutum in creatore, & talis relatio creationis paſſiuæ eſt prior origine relatione Dei ad creaturam, vt patet ex dicto axiomate, eo vel maxime, quod talis relatio Creatoris ad creaturam nulla probabiliter aſſeritur.

12 Cum eſſentia diuina ſimul cum intellectu, & voluntate diuina non ſit magis propria vnius perſonæ, quam alterius, ſed æque communis tribus; Principium, & cauſa creationis rerum omnium conſequenter æque erit in tribus perſonis; Et cum eſſentia cuiuslibet rei ſit illi neceſſaria, & illa nunquam exui poſſit, niſi exeat ex ſuo eſſe, ſic non minus poteſt priuari, aut fraudari quælibet perſona creatione rerum ad extra, quam exui ſuo eſſe, pręcipuè cum Deus ſit ſua actio, non quod non potuerit mundum non create; ſed poſtquam mundus conditus eſt, nulla perſona poteſt eſſe excluſa à tali creatione, & ratio prima eſt, quia ex duobus principijs duarum productionum neceſſariæ ſcilicet, & contingentis prius neceſſario eſt principium neceſſariæ, quam contingētis, ſed aliquid in diuinis eſt principium productionis intrinſecæ, quę eſt neceſſaria, & aliquid principium productionis extrinſecæ quæ eſt contingēs. In illo autem priori communicatur perſonis productis per principium producens omnis fæcunditas, quæ eis, & ſimul perſonæ producenti non repugnat, & per conſequens communicatur eis principium productiuum rerum ad extra.

13 Secunda ratio ad idem; Habitu-

do naturæ ad ſuppoſitum prior eſt habitudine eius ad actum ſecundum, quia agere præſupponit eſſe; prius eſt enim eſſe, quam agere, & habitudo naturę ad ſuppoſitum pertinet ad eſſe, immo formaliter eſt eſſentialis non in ratione principij quo, ſed in ratione principij quod; habitudo vero naturæ ad agere non videtur eſſe eſſentialis, igitur natura diuina habet prius eſſe in perſonis, quam ſit principium productionis ad extra; tertia ratio ad idem; Perſonæ diuinæ plus conueniunt, & minus ſeparátur, quam ſubſtantia, & virtus in creatura, ſed iſta nullatenus ſeparari poſſunt in operatione, ergo nec illæ perſonę in creatione; quarta ratio; eſſentia vt in filio, & Spiritu Sancto non eſt minus perfecta quam ſit in Patre, igitur ſi vt in Patre cum intellectu, & voluntate eſt principium perfectum & completum productionis ad extra, ſequitur eſſe eodem modo, vt in filio, & Spiritu Sancto. Hinc conſequenter ſequitur ſi per impoſſibile non eſſet productio ad intra, & vna tantum eſſet perſona, illa nihilominus poſſet producere ad extra, & Creare; ſequitur ſecundo vnam perſonam non eſſe alteri rationem creãdi; Vna enim perſona non creat per aliam tanquam per rationem producẽdi, vel creandi; ſed tanquam per ſuppoſitum, cui eſt communicata virtus creandi, ſi etenim v. g. filius in diuinis eſset ratio creandi Patri ſequeretur Patrem, non creare formaliter, nam ſi Verbum, & Spiritus Sanctus ſunt proxima ratio agendi, cauſandi, & creandi; & nihil formaliter agit, quod non eſt in actu primo ſecundum rationem proximam agendi, ergo cum Pater non ſit formaliter in actu primo, & in proxima actione agendi non cauſaret proxime, & formaliter, niſi per filium, & Spiritum Sanctum.

14 Hoc dictum ſit contra Hẽricum de Gandauo qui quolib. 6. q. 2. prout refert Scotus in 2. diſt. 1. q. 2. voluit, quod productio extrinſeca creaturarum præſupponat intrinſecã, ſicut cauſam, per quam habet principium formale productiuum immediate; Nam ſine verbo, & amore productis actus eſsentiales notitiæ & amoris in diuinis non eſsent perfecti, & ſufficienter ad producendum; perficiuntur autem per verbum, & amorem productum; & ideo verbum, & amor perficientes actus eſsentiales intelligendi, & volendi in tribus perſonis ſunt immediate rationes producendi, & immediata principia producendi creaturas, quæ opinio ſic ab Henrico ſic explicatur; Licet tota notitia quæ eſt in filio ſit realiter in Patre cum nihil cognoſcat filius, quod non cognoſcat, & Pater; & licet amor, qui eſt in Spiritu Sancto. Sit in Patre & filio, cum Spiritus Sãctus nihil amet, quod Pater, & filius non ament; notitia tamen, quæ eſt in filio, vt in filio habet quãdam rationem ſpecialem quam non habet vt eſt in Patre; & ſimiliter amor, qui eſt in Spiritu Sancto, vt in Spiritu Sancto habet quandam rationem ſpecialem, quã non habet, vt eſt in Patre, & filio; notitia ſiquidẽ vt eſt in Patre habet tãtũ rationẽ notitię ſimplicis, in filio autem habet rationem notitiæ diſpoſitiuæ. Filius enim in diuinis nihil aliud eſt, quam ars, vel notitia declaratiua eorum, quæ Pater cognoſcit ſimplici intelligentia, & ratio diſpoſitiua, & ordinatiua eorum, quæ producenda ſunt, & modorum operandi; Amor etiam in Patre, & filio ſimplicis amoris rationem habet, atque adeo ſolum amoris complacentiæ; ſed in Spiritu Sancto habet rationem effectiui, & quaſi impulſiui ad opus.

15 Hanc diſtinctionem notitiæ, & amoris in diuinis Henricus dicit poſse percipi, & colligi ſecundum proportionem

Digitized by Google

nem duplicis notitiæ & amoris qui eſt in nobis; nam artifex primo intuetur ſimpliciter, & ſimplici intuitu formam operis, ſecundo ordinat, & diſponit de opere faciendo, & modo faciendi, & hæc eſt notitia diſpoſitiua, quæ concipitur ex priori. Similiter ex parte voluntatis qnando offertur artifici forma operis complacet ſibi, primo ſimpliciter in ea, ſecundo afficitur ex complacentia ad productionem eius, & ex tali complacẽtia, & affectione dicitur amor effectiuus, qui oritur ex primo. Sic imaginandum inquit in diuinis, quod in Patre eſt quaſi notitia ſimplex non diſpoſitiua productionis rei, nec modi producendi, ſimiliter in Patre & in filio eſt amor ſimplicis complacentiæ, ſed in Spiritu Sancto eſt amor habens rationem affectiui, & inclinati ad opus. Ad hoc autem quod producatur effectus non ſufficit inquit notitia ſimplex ex parte intellectus, ſed requiritur præterea notitia diſpoſitiua, nec ex parte voluntatis ſufficit volitio ſimplex, ſed requiritur amor, ſeu volitio affectiua. Ex quo ſequitur, quod productio extrinſeca creaturarum præſupponit in eſsentia diuina iſtas perſonas, vt quaſdam rationes formales eſsẽtiæ, per quas creaturæ immediate producuntur. Hęc eſt opinio Henrici ingenioſa quidem cum ſua probatione, & declaratione nõ tamen ſuſtinenda ob dicta ſuperius.

16 Stat ergo tanquam verum, & certum in ſingulis tribus perſonis de facto reperiri principium infinitum perfectiſſimum, & ſufficientiſſimum ad creationem creaturarum, nec vnam perſonam ab alia dependere quocumq; modo, ſed omnes, & ſingulæ æque concurrere ſine vlla differentia ad huiuſmodi creaturas de nihilo producendas; ſi objiciatur, actio eſt ſuppoſiti, ergo plurium ſuppoſitorum erunt plures actiones igitur trium perſonarum non poteſt eſſe vna actio. Reſpondetur plurium ſuppoſitorum plures eſſe actiones conſequenter, nec vnã potentiã actiuã reſpectu omnium rerum conditarum, quando ſuppoſita ſunt omnino ſeparata, & diſtincta ad inuicem non ſolum quoad hypoſtaſim, ſed etiam quoad eſſentiam, & virtutem operandi, ſic enim duo viri non poſſunt eundem producere filiũ, at vbi ſuppoſita eandem prorſus habent eſſentiam, eandemque virtutem operandi; effectus ab ipſa virtute operatiua, & eſſentia profluens (cum illa ſit vna) non poteſt eſſe diuerſus quamuis proprietates perſonales ſint realiter diſtinctæ; Quinimo idem effectus etiam in creaturis à diuerſis poteſt procedere ſuppoſitis quadrupliciter, primo quando ſuppoſita diuerſa per modum vnius cauſæ concurrunt coniuncta virtute, ut patet de pluribus eandem nauem trahentibus; ſecundo quãdo cauſæ, & ſuppoſita ſunt ſubordinata, vt ſol, & homo eundem generat hominem; tertio quãdo ſuppoſita ſunt partialia, vt Mas, & fœmina eundem generant filium; quarto quando ſuppoſita agunt ſecundum eſſentiam, & virtutem, quæ vna eſt indiuiſa, & indiuiſibilis, & iſtæ modus non reperitur in creaturis, ſed ſolum in diuinis vbi eadem eſt virtus, & eſſentia diuina; Ad hoc igitur, vt plurium ſuppoſitorum plures ſint actiones oportet, vt ſuppoſita ſint omnino ſeparata, & ſecundum eſſentiam, & ſecundum virtutem.

17 Plato in Timæo, & eius ſequaces cognouerunt Angelos (quos illos Deos ſecundos vocat) ex præcepto Dei creaturas omnes condidiſſe præter hominum Animas; Et Auicennas lib. 9. ſuæ Metaphyſicæ Cap. 4. opinatus eſt non ſolum creaturam creare poſſe, ſed facto creaſse; ponit enim Deum creaſse primam intelligentiam, quæ poſtea creauit ſecundum, & ſecundam tertiam; &

Digitized by Google

tertia quartam, & ſic deinceps. Cum enim Deus maxime vnus, & (ſi dici poſſet) vniſſimus, & ſimpliciſſimus propter ſummam vnitatem, & ſimplicitatem arbitratus eſt plures effectus producere non potuiſſe, quam vnum tantum nempe vnam intelligentiam, illa vero producta reflectens ſe ſupra ſe, & ſuper cauſam ſuam, ideſt conuertens ſe ſuper principium, à quo fuerat producta, & conſiderando ſe ipſam producit ſecundam intelligentiam, & ſic deinceps, ſed Plato, & Auicennas, ceterique Philoſophi in hac materia errantes ſunt in hoc excuſabiles, quod ſine lumine fidei, & ſolo lumine naturali ducti non attigerint veritatem, niſi multis erroribus inuolutam.

18 Sed plures, qui dederunt manus Eccleſię, in qua per baptiſmum cōſcripti ſunt, & diabolicis operibus renunciarunt, non ſunt excuſabiles, quia relinquentes fontem aquæ ſacrarum ſcripturarum, quæ potiſsime per Moyſen docent Deum creaſse mundum nimirum Cœlum, & terram; foderunt ſibi damnabilium opinionum Ciſternas, Ciſternas diſſipatas; Inter quos, quidam vt Gnoſtici, quos ſecutus eſt Apelles, de quo ſcribit Euſebius lib. 5. Hiſtoriarum Eccleſ. duo ponebant principia, vnum bonorum, aliud malorum; Aliqui quorum Caput fuit Cerdon teſte D. Auguſtino lib. 6. de Hæreſibus duo poſuerunt principia aduerſantia ſcilicet Deū Legis, & Prophetarum, quem aiebant non eſse Patrem Chriſti, nec eſse bonum, nec iuſtum; Aliud eſse bonum, & iuſtum, ac Patrem Chriſti; Alij de quorum numero fuit Valentinus, qui ſectā Platonis admittens Religionis figmenta multa docuit; Hic enim aſserebat duo omnium rerum principia tantum eſse, quæ appellauit profundum, & ſilentium; Profundum eſse Patrem, & ex coniugio profundi, & ſilentij proceſsiſſe intellectum, & ex intellectu emanaſſe Verbum, & ex Verbo hominem, quæ omnia ſunt figmenta, vt inquit Tertullianus; Alij vt Manichei, qui poſuerunt duo principia unum ſpiritualium, & incorporalium, ſeu inuiſibilium. Aliud corruptibilium corporalium, & viſibilium, primum appellabant Deum lucis, ſecundum Deum tenebrarum.

19 Primum Deum vocauerunt benignum, ſecundum dixerunt malignū; conformiter poſuerunt duo regna, videlicet regnum lucis, & regnum tenebrarum; duas quoque gentes, quas iuxta nominationes iam factas nominauerunt gentem lucis, & gentes tenebrarum, ſubſtantias quoque nobiles diuiſerunt iuxta hunc modum, & quas Græci vocant eudemones, Latini vero Angelos bonos dixerunt à Deo bono principe Lucis eſse creatos, & eſse ipſius Miniſtros; Quas autem Græci vocant cacodemones Latini Angelos malos poſuerunt eſse creatos à Principe tenebrarum Deo maligno, & eius eſse miniſtros ad omnia mala promtiſsimos; Addebant præterea Animas bonas, quo ad id, quod in eis bonum eſt, eſse de ſubſtantia Dei, hoc eſt de ſubſtantia illius boni principij; quo ad id vero, quod in eis malum eſt, eſse de ſubſtantia illius alterius mali principij bonaſq; Animas permixtas eſse cum malis in eodem homine, purgari vero Animas à permixtione mali in hominibus perfectis ſuæ Eccleſiæ pro qualitate alimentorum, quibus veſcerentur; Poſuerunt etiam iſti inſipientiſsimi Manichei inter hos duos Principes, non ſolum perpetuam, ſed æternam inimicitiam, & inter gentes, & inter regna eorum; Item aſseuerauerunt Chriſtum veniſse non vere in carne, ſed in ſimilitudine, & phantaſmate carnis ad reducendas Animas bonas ad luminis regionem; alia multa vana, ſtulta, & friuola immo ridicula finxe-

xeruut; immo, & turpia quædam ac prorſus ſacrilega in ſuis ſacris exercuerunt; Contra quæ omnia Doctores Catholici potiſsime D. Auguſtinus qui longo tempore fuit perfidia Manichei ſeductus ſcripſerunt.

20 Contra hos omnes, tam Philoſophos, quam Hæreticos certiſsimum eſt in primis eſse fidei dogma unum eſse principium ſimpliciter primum, & independens Creatorem omnium corporalium, & ſpiritualium, ſic ſacra ſcriptura Gen. 1. definit dicens. In principio creauit Deus Cœlum, & Terram, & multa alia corpora, quæ ibi recenſentur, adeo vt D. Hieronymus Epiſt. 139. quæ eſt ad Cyprianum cenſeat rerum tantummodo viſibilium productionem commemoratam ibi à Moyſe, & Pſal. 146. qui producit in montibus fœnum, & Apocalip. 10. Angelus iurat per viuentem in ſecula ſeculorum, qui creauit Cœlum, & ea quæ in eo ſunt. Confirmatur ex illo Actuum 17. Deus qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic Cœlo, & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat. Item ex illo ad Habr. 1. locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit Hæredem vniuerſorum, per quem fecit, & ſæcula, & Coloſs. 1. in ipſo condita ſunt vniuerſa in Cœlo, & in terra viſibilia, & inuiſibilia. Item ex illo Iſaiæ 45. Ego Dominus, & non eſt alter Deus formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum; ſcripturis ſacris accedit Eccleſiæ infallibilis auctoritas, nam in vtroque ſymbolo Deum confitetur Creatorem Cœli, & terræ, & maxime in Niceno, vbi canit viſibilium, & inuiſibilium; & in Concilio Later. ſub Innocentio III. dicitur extra de Sum. Trin. & fid. Catol. vnum vniuerſorum principium creator omnium viſibilium, & inuiſibilium ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corporalem, Angelicam, & Mūdanam, &c. quid clarius contra Manichæos?

21 Oſtendendum eſt, & confutandum hic aliud deliramentum Manichæorum, aſſerentium legem veterem fuiſse latam ore impijſsimo à Principe, & Deo tenebrarum teſte D. Auguſtino contra Fauſtum; rationes eorum motiuæ præcipuè fuerunt quattuor, Prima ab eodem mandante non procedunt mandata contraria, ſed vetus teſtamentum, & nouum ſunt huiuſmodi, ergo non ſunt ab eodem Latore; minor probatur multipliciter, primo Lex Moyſis dicit odio haberi inimicum; Lex Euangelica iubet contrarium ſcilicet diligi inimicos, ergo ſi hæc eſt à bono, illa eſt à malo principio. Secundo Moyſes cōceſsit libellum repudij, & iuſsit ipſum fieri, Lex autem Euangelica prohibet ipſum ergo. Tertio Lex Moyſis præcipit legem talionis, vt oculum pro oculo, & dentem pro dente, Lex autem Euangelica prohibet ergo. Quarto Lex lata ab optimo Deo dirigit ſpiritum, ſed obſeruantia legis excludit ipſum, ſicut habetur Gal. 5. ſcilicet ſi ſpiritu ducimini non eſtis ſub Lege. Secunda ratio eorum; A bono Deo non eſt miniſtratio damnationis, & mortis, ſed 2. Cor. 3. dicitur, quod littera occidit; & iterum. Vbi ſi miniſtratio ſpiritus fuit in gloria; appellat Apoſtolus Legem veterem miniſtrationem Mortis, ergo Lex Moyſis non eſt à bono Deo; tertia ratio deſumitur ex illo Galat. 3. Quæcumq; ſunt ex operibus Legis ſub maledicto ſunt, ſed opera maledicta non ſunt a bono Deo, ergo. quarta ratio ſumitur ex illo Rom. 7. Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum, ergo Lex eſt augumentatiua peccati, ergo.

22 His non obſtātibus ſtat firma veritas Catholica Legem veterem à bono

Deo datam eſse, tum quia novum teſtamentum, quod ipſi recipiunt accipit teſtimonium ex teſtamento veteri, iuxta illud Matth. 15. vbi dicitur quare vos trangredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras, & paulo ante præmittitur, honora Patrem tuum, & Matrem tuam, quod manifeſte in Lege veteri continetur; Item 18. Lucæ adoleſcenti quærenti quid faciendo vitam æternam poſsidebo, reſpondit Dominus mandata noſti, non occides, non mechaberis; Item 5. Matth. non veni ſoluere, ſed adimplere, ſed nihil impletur à Deo, niſi bonum ergo. Item Iacobi 4. vnus eſt Legiſlator, qui poteſt perdere, & viuificare, ergo Lex vetus data est à bono Deo. Item Rom. 7. Lex ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum, ergo est à bono, & ſancto. Item Matth. 8. dixit Dominus Leproſo vade, & offer minus, quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis, in quo Chriſtus approbauit Ceremonialia; tum etiam quia id approbarunt Concilia, nam in Concilio Toletano primo in aſſertione fidei. Hæc veritas definita eſt, & in Concilio Tridentino ſeſſ. 4. ſtatuitur, ſi quis dixerit alium eſſe authorem veteris teſtamenti, & alium noui anathema ſit.

23 Nec Manicheorum obſiſtunt rationes, ſed facile diluuntur; prima habet minorem propoſitionem falſam, ad eius primam probationem; reſpondet Alenſis 3. p. q. 28. duplicem aſsignans conceſſionem alteram, per approbationé, & ſic Lex non conceſſit iſta, alia per non coertionem, & hoc modo conceſſit, quia ſcilicet non coercebat, nec cogebat ad contrarium ſicut dicitur legé ciuilem concedere fornicationem, quia non punit fornicantes; Ad ſecundam probationem reſpondetur legem veterem cóceſſiſſe libellum repudij per ſimplicem permiſſionem, & hoc non propter quamcumq; cauſam, & hoc permiſſit Deus ad euitandum maius malum, proni enim erant Hæbrei ad occidendum vxores ſuas, cum illis diſplicebant; Ad tertiam probationem de Lege talionis dicitur, quod non eſt contraria Legi Euangelicæ, quia non facit hoc præcipiendo, ſed per conceſſionem aduitandum maius malum ne ſcilicet vnus occidat alium; Ad quartum dicitur, quod eſſe ſub lege dupliciter poteſt eſſe vno modo neceſſitatis timore, alio modo obedientiæ voluntate, qui ducitur ſub ſpiritu non eſt ſub lege primo modo, id eſt non implet ex timore, ſed ſecundo modo; Ad ſecundam rationem, quæ erat quod lex vetus appellatur miniſtratio mortis, & damnationis dicitur, quod ſic nuncupatur non per efficienté cauſam, ſed per occaſionem, nam lex in ſe bona eſt, tamen eſt occaſio mortis illi, qui non habet gratiam; quam non confert; ſicut ſcientia ſi eſt ſine charitate inflat, quia eſt occaſio ſuperbiæ p. Corint. Cap. 7.

24 Ad tertiam rationem, quæ erat; quæcumq; erant ſub operibus legis ſub maledicto ſunt. Reſpondetur quod duplex eſt maledictum, quoddam eſt maledictum pœnæ, & ſic erant ſub hoc maledicto propter obſeruantias grauantes; aliud erat maledictum culpæ, & ſic non erant ſub maledicto, qui erant ſub operibus legis in quantum erant opera legis, ſed quantum ad illos, qui de operibus præſumebant de ſe confidentes verum eſt, quod erant ſub maledicto propter præſumptionem, & ſuperbiam, quia in operibus confidebant, & hoc, non quia à lege. Ad quartam rationem quæ erat; Lex ſubintrauit &c. reſpondetur, quod auctoritas illa intelligitur per occaſionem non autem per cauſam, vnde Rom. 7. dicitur occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me; vel reſpondetur, quod ly vt.

tene-

Digitized by Google

tenetur conſecutiue non cauſaliter in quantum ſcilicet homines accipientes occaſionem à lege abundantius peccauerunt.

25 Si dicatur quod Apoſtolus Rom. 7. inquit paſsiones peccatorum, quę per Legem erant, &c. ergo, Lex Moſayca eſt cauſa illarum paſsionum; Reſpondetur, quod dupliciter loqui poſſumus de paſsionibus peccatorum, vno modo quantum ad earum notionem, & cognitionem, alio modo quantum ad earum augumentum, primo modo dictum Apoſtoli intelligitur cauſaliter, quia Lex ipſa fuit cauſa cognoſcendi peccatum, & paſsiones eius Vnde Rom. 7. dicitur peccatum non cognoui niſi per legem ſecundo modo dicitur per occaſionem, & non per cauſam; ſi arguatur quod Hæbr. 7. reprobatio ſit præcedētis mandati propter infirmitatem, & inutilitatem, ſed nihil infirmum, & inutile eſt à Deo ergo; Reſpondetur quod hoc dicitur per comparationem ad ſtatum Euangelij, reſpectu cuius erat infirmitas illa in ceremonialibus, quoniam inutile eſſet ea eſſe cum Euāgelio, ſicut figura eſt inutilis aduemente figurato. Contra Lex Euangelica iubet auertere amorem à temporalibus, & conuertere ad æterna, at Lex Moſayca è contra conuertit Animum ad temporalia, & auertit ab æternis, ergo contrariatur minor probatur Iſaiæ 1. ſi volueritis, & audieritis me bona terræ comedetis, vt Lac, mel &c. Reſpondetur conuerti ad temporalia cōtingit duobus modis vno modo propter temporalia, vt in illis fiat ſtatus, alio modo non propter ſe, ſed propter æterna; primo modo Lex Moſayca non conuertit ad temporalia, ſed ſecundo modo, vt ſcilicet per hoc homo alliciatur ad æterna, videlicet vt ex dono moueat, & alliciat hominem ad amorem dantis ſcilicet Dei; Hæc obiter dicta contra Manichæos.

26 Reuertendo igitur ad propoſitū addimus quod non tantum Vnum eſt principium principiandi, producendi ex nihilo; & creandi creaturas, ſed etiam eſt ita proprium vnius principij nempe Dei attributum, nempe omnipotentia quod creaturæ communicari nō poteſt, ſicut nec hoc, quod non ſit ab alio; nam ſi hoc eſſet communicabile maxime naturæ puræ intellectuali communicari poſſet quoniam excellit omnem aliam puram creaturam; ſed repugnat tali naturę intellectuali huiuſmodi omnipotētia ergo; probatur minor, talis natura ſi creare poſſet hoc maxime eſſet per intellectionem, & volitionem ſicut creat Deus; ſed intellectio, & volitio cum ſint pura accidentia non poſſunt eſſe principia producendi ſubſtantiam nec productione vniuoca, nec productione equiuoca, vt notum eſt ergo; non poteſt creare; à fortiori negandum eſt de qualibet creatura corporali; quæ in ſuis operationibus, & actionibus præſupponit materiam; nec vlla forma materialis poteſt eſſe principium creandi aliquid, quia ſicut in eſſendo præſupponit materiam in qua ſit, ita etiam in agendo prę-ſupponit materiam in qua, vel in quam agat, alioquin terminus actionis eius eſſet abſolutior à materia, quam ſit principium, ergo non poteſt eſse principium creandi aliquid; nec etiam accidens, quia accidens corporale nō poteſt produci per agens creatū niſi per eductionem eius de potentia materiæ; Item forma naturalis non poteſt eſse principium creandi materiam, quia materia naturaliter præcedit formam, & nihil poſterius poteſt eſse principium creandi ſuū prius.

27 Inſuper nulla creatura inſtrumētaliter poteſt attingere vltimatum creationis effectuin; quia non poteſt eſse inſtrumentum actiuum niſi vel ad diſpoſitionem præuiam, vel ad ipſum termi-

num,

ſum; non ad diſpoſitionem præuiam, quia in creatione nihil præcedit, quod diſponatur; nec ad terminum, quia non poteſt agere ad terminū, niſi habeat formā actiuam in ſuo ordine, quæ ſcilicet virtute alterius poſſit attingere totum effectum, & totaliter, talis autem eſse non poteſt virtus actiua vllius creaturæ, vt ſupra oſtenſum eſt, ergo non poteſt eſse inſtrumentū actiuum ad creationem; Pro clariori horum intelligentia notandum eſt ex Scoto in 4. diſt. 6. inſtrumentum ſumi quintupliciter, primo modo pro ſecunda cauſa, ſecundo modo pro cauſa diſpoſitiua ad formam ſubſtantialem introducendam, tertio modo pro cauſa mouēte, & mota, quarto modo pro parte reſpectu totius, quinto modo nomen inſtrumenti dicitur de inſtrumento artificum, à quo primo tractum eſt hoc nomen: Inſtrumentum primo ſumptum eſt cauſa proprie dicta ſicut ſol, & homo generant hominem, ſecundo etiam eſt cauſa actiua, quia qualitas alterans, vt calor diſpoſitiue agit ad generationem, & pariter etiam tertio modo, nam virtus motiua impreſsa medio Cœlo, facit vt tale Cœlum tanquam inſtrumentum moueat Cœlum inferius; quarto etiam modo pars reſpectu totius eſt operatiua, licet virtutem operandi non à ſe, ſed à toto mutuetur; ſed quinto modo non habet ordinem cauſalitatis propriæ dictæ inſtrumenta ſiquidem artificum non ſunt proprie actiua reſpectu effectus principalis, neque formæ diſponentes; hoc enim non habent à ſe, ſed agens per talia attingit effectum principalem, vel agit ad diſpoſitionem præuiam, ſicut per ſecurim agit ad diuiſionē ligni prçuiam formæ ſcamni; & de talibus poteſt dici, quod inſtrumentum non habet propriam actionem reſpectu effectus, quia nec habet aliquam virtutem propriam, neque in fieri, neque in eſse quieto.

De Termino communi Creationis & de eius cauſa finali. Art. II.

1 Dictum eſt in præcedenti articulo Auicennā lib. 9. ſuæ Metaphyſicæ Cap. 4. exiſtimaſse nō ſolum creaturam creare poſse, ſed de facto creaſse ponens Deum creaſse primam intelligentiam, quæ poſtea creauit ſecundam, & ſecunda tertiam, & tertia quartam &c., & ratio potiſſima ipſius erat, quod cum Deus ſit maxime vnus, & ſi dici poſset vniſſimus, & ſimpliciſſimus propter ſuam vnitatem, & ſimplicitatem arbitratus eſt plures effectus producere non potuiſse, quam vnum tantum, nempe vnam tantum intelligentiam &c. Sed D. Bonauentura in 2. diſt. 1. art. 2. q. 2. illum optime redarguit; tantum enim abeſt inquit, vt ens quo ſimplicius, & magis vnum eo pauciores effectus poſſit producere, aut Deus, quia maxime vnus vnicum tantum producere poſſit effectum; quinnimo virtus quo ſimplicior, & magis vna eo plures poteſt effectus producere; virtus enim vnita eſt fortior, & ideo que eſt maxime vna eſt fortisſima, & potentisſima. Vnde non minus ex ſimplicitate, & vnitate Dei colligitur eius omnipotentia, quam ex eius immenſitate, & infinitate; Præterea ipſe Auicenna vt idem D. Bonauentura ibidem refert vult primam intelligentiam à Deo creatam creaſse firmamentum, vbi eſt tota aſtrorum varietas; & diuerſitas ergo ſi vnum non poſset producere niſi vnum ſecundum ipſum Auicennam ipſa intelligentia quæ poſt Deum fuiſset maxime vna creare non potuiſset tantam ſiderum multitudinem, & diuerſitatem corruit igitur ex ſuiſmet principijs collabitur

hæc

Digitized by Google

hæc Auicennæ ſententia, cum ſua Catena, quam ſic vocauit, quia erat connexio intelligentiarum ad inſtar Catenæ, vocauit vero auream, quia eſt de nobilioribus ſubſtantijs.

2 Stat ergo veritas, quod omnium creabilium, & producibilium ad extra eſt vnum numero principium extrinſecum primum ſimpliciter, vniuerſaliſſimum, & vſquequaque perfectiſſimum, primo quia ſi non eſſet vnũ principium, tunc non eſſet multitudo ordinata, ſed hoc eſt falſum per Ariſtotilem 12. Metaph. vbi ait, quod entia nolunt male diſponi, tunc enim male diſponerentur, ſi eſſet pluralitas principatuum; Vnus ergo Princeps, conſequentia probatur, quia ſi non eſſet vnum principium numero omnium entium tunc entia non haberent ordinem ad vnum principium, & per conſequens eſsent inordinata, ſecundo comprobatur, quia Philoſophus, 2. metaph. ait eſſe ſtatum in quolibet genere cauſarum, ergo vnum eſt principium effectiuum omnium entium; conſequentia tenet, quia ſi non eſset vnum primum efficiẽs omnium entium non eſset dari primum in genere cauſæ efficientis, cum primum in vnoquoque genere ſit cauſa omnium aliorum, hoc primum efficiẽs, quia eſt infinitæ virtutis æqualiter, & perfecte intelligit vniuerſa, & ex ſe non determinatur, aut aliqua neceſſitate determinatur ad productionem vnius duntaxat, neque vnius magis, quam aliorum, ſed omnipotens ſua libertas, atque electio, à qua emanauerunt; & quæ voluit, & item vt voluit; præterea quanto virtus eſt minus limitata, tanto immediate poteſt attingere plura, ergo cum virtus diuina nullo modo ſit limitata immediate poteſt attingere plura operando quæcumque ſibi placuerit, ergo ab eo immediate poterunt plura procedere immediate, & poſsunt procedere res in quãtacumque multitudine voluerit.

3 Si obijciatur illud famoſum dictũ philoſophi 2. de gener. & corrupt. ab vno agente in quantum vnum non prouenit niſi vnum; plures, tum philoſophi, tum Theologi diuerſimode reſponderunt D. Bonauentura loco cit. ait ipſum intelligi in his agẽtibus, quorum virtus eſt limitata, & arctata, idcirco in Deo non habere locum Scotus in 4. d. 1. q. 1. inquit, quod ſi illud dictum, vel illa propoſitio ab vno in quantum vnũ &c. intelligatur de omnino vno in re, quod non poſsunt immediate plura prouenire falſa eſt, ſufficit enim agenti per intellectum, & voluntatem diſtinctio cognitorum ſiue diſtincta cognitio plurium ad hoc quod immediate plura proueniant; Alij diſtingunt (& quidem recte) triplex eſse agens; Vnum dicitur naturale, cuius actio tantum per ſe terminat ad vnum ſicut calor per ſe terminat ad calorem, ſiue frigiditas terminat ad frigiditatem &c. Alterum eſt agens, quod aliquando agit actionem quandam determinatam, & aliquando eius contrarium, & tale appellatur liberum, & voluntarium, quod ſcilicet cum deliberatione & meditatione operatur. Aliud vero eſt agens, quod non agit naturaliter, neq; voluntate noua, cuius actio eſt ſua ſubſtantia, quod ex ſe, à ſe, & per ſe independenter agit, Huiuſmodi eſt Deus benedictus, qui eſt primum principium ſimpliciter, & vnice vnum.

4 Hanc diſtinctionem ad propoſitum applicando, Primo dicitur ab agẽte naturali per ſe non poteſt prouenire niſi vnum, per accidens tamen poſsunt prouenire plura, nam calidum per ſe calefacit, & per accidens infrigidat; & frigidum per ſe infrigidat, & per accidens calefacit. Aduerte, quod in talibus agentibus naturalibus requiritur, primo, quod agens ſit eodem modo diſ-

poſitum; Hinc idem ſolum propter diuerſas diſpoſitiones acceſsus & elongationis operatur contraria, videlicet generationem, & corruptionem, ſecundo requiritur, quod ſit idem finis, & intentio agendi; Vnde idem aer in ſphera ignis exiſtens deſcendit, in ſphera autem aquæ aſcendit propter diuerſos fines, & intentiones naturæ, quoniam quod eſt graue reſpectu alicuius in ſimplicibus debet eſſe ſub illo, & quod eſt leue reſpectu alicuius debet eſſe ſupra illud, tertio requiritur, quod ſit modus agendi conſimilis, nam ab eodem agente naturaliter poſſunt prouenire diuerſi modi agendi, quorum vnus ſit realis, alter intentionalis, quarto requiritur, quod actio naturalis agentis ſit reſpectu eiuſdem paſſi, nam ab eodem agente ſecundum diuerſas menſuras poſſunt in idem paſſum plura produci, vt calor ignis per calorem excedentem, vel conuertit in ſalſum ſaporem; per ampliorem adhuc in amarum, ſed ultimate adhuc intenſus generat in ipſum acutum ſaporem; ſecundo dicitur ab Agente cum cognitione, & electione poſſunt prouenire plura probatur per Philoſophum 9. Metaph. vbi ſcribit, quod talia agentia ſunt oppoſitorum; Scotus etiam in 1. diſt. 39. qu. 1. inquit; Voluntas in quantum eſt actus primus libera eſt ad oppoſitos actus contrarie vt velle, & nolle, amare, & odiſſe, & ad oppoſitos actus contradictorie, vt velle, & non velle, & mediantibus illis actibus oppoſitis libera eſt ad oppoſita obiecta.

5 Tertio dicitur à ſimpliciter vno quo ad eſsentiam, & quoad virtutem non poteſt niſi vnum prouenire; ſed ab vno ſimpliciter quantum ad eſsentiam multiplici autem quoad potentiam, & virtutem poſsunt immediate plura prouenire; hinc dici poteſt, quod licet Deus in ſe conſideratus ſit maxime ſimplex, & maxime vnus tamen in virtute, & potentia eſt plures, quia plura poteſt producere. Dices oportet eſse conformitatem inter cauſam, & effectum, ſed Deus eſt omnino vnus, & ſimplex, ergo in creatura, quæ eſt eius effectus multitudo inueniri non poteſt; ſecundo unius ſimplicis non eſt niſi vna actio, ſed ab vna actione non eſt, niſi vnus effectus, ſed Deus eſt ſumme ſimplex, ergo ab ipſo non poteſt procedere, niſi una actio & vnus effectus; tertio ſicut à Deo eſt exitus per generationem, & ſpirationẽ, ita & per creationem, ſed per generationem non emanat, niſi vna perſona tantum, & ſimiliter per ſpirationem, ergo, & per creationem non poteſt emanare, niſi vna creatura; Ad primum reſpondetur, quod licet quædam ſimilitudo creaturę ad Deum inueniatur non tamen eſt adæquatio, vnde nõ oportet, quod ſi vnitas Dei caret omni multitudine, quod propter hoc oporteat talem eſse creaturæ vnitatem, pro cuius intelligentia aduerte ſecundum D. Bonauenturam lib. 2. d. 16. art. 1. q. 1, quod creaturæ ad Deum non eſt ſimilitudo per conuenientiam omnimodam in natura, neque per participationem naturæ, ſed ſecundum proportionabilitatẽ, & per conuenientiam ordinis. Ad ſecundum dicitur, quod quamuis actio Dei ſit vna, & ſimplex, quia eſt eius eſſentia non tamen oportet, quod ſit vnus effectus, ſed multi, quia ex actione diuina procedit effectus ſecundum ordinem ſapientiæ, & arbitrium voluntatis quod non ligatur ad vnum. Ad tertiam Reſpondetur parem non eſſe rationem quia genitus eſt ęqualis generãti, & terminus adæquatus generationis, ſicut & ſpiratus eſt æqualis Patri, & filio ſpirantibus, & terminus adæquatus ſpirationis; ſed nõ ſic creatura eſt æqualis Deo creanti, ſiue creatori, nec eſt terminus adæquatus creationi; etiam ſi in multitudine innumerali crearetur.

6 Sed

6 Sed dubium graue occurrit decidendum, an creationis terminus debeat eſſe ſubſtantia, vel poſſit eſſe aliquandò accidens breuiter reſoluitur, quod creatio nō terminat ad ſubſtātiā neceſſario, & ſemper, ſed aliquando ad accidens; pro cuius intelligentia notandum eſt eſſe antiquiſſimam ſententiam Theologorum omnium gratiam, & alia dona ſupernaturalia, vt fidem, ſpem, & charitatem, & alia huiuſmodi creari à Deo vt fatentur Suarez, & copioſius Vaſquez p. p. diſp. 174. qui citat multos Theologos excepto D. Thoma; attamē hi recentiores Suarez p. p. tractat. 3. diſput. 9. & Vaſquez loco citato, aperte ſuſtinent gratiam, & alia dona ſupernaturalia non creari immediate a Deo ex nihilo, ſed generari, & educi de potentia materiæ, ideſt ſuorum ſubiectorum; ſed hęc opinio eſt noua, & nō habet fūdamentum; & contra ipſam ſic efficaciter argumentatur, ſi gratia generaretur ex ſubiecta materia, non produceretur à ſolo Deo, ſed à creatura quoque conſequens eſt falſum ex D. Thoma p. 2. q. 12. art. 1. vbi ex profeſſo probat gratiam produci à ſolo Deo, & nullā creaturam habere poſſe cauſalitatem circa eam, iuxta illud Pſalmi 83 vbi dicitur gratiam, & gloriam dabit Dominus. Ex quibus verbis ſatis conſpicue patet gratiam eſſe donum ſolius Dei; ſpecialiter enim collatio eius tribuitur Deo, conſequentia patet, quia quod pendet in eſſe eſſentiali ab aliquo non poteſt pendere, niſi in aliquo genere cauſæ, at gratia per contra opinantes in eſſe ſuo eſſentiali pendet à ſubiecto, in quo eſt, ergo pendet in aliquo genere cauſæ: Præterea nihil agit, & producit perfectius ſe, quia ſemper cauſa, vel eſt perfecta æque, ſicut ſuus effectus, vel eſt perfectior illo, at donum gratiæ excedit omnem facultatem naturæ. Creatura nihil aliud eſt, niſi participatio quædam diuinæ naturæ, quæ excedit omnem aliam naturam, ergo eſt impoſſibile, quod aliqua creatura cauſet gratiam, & ſic concludit eſſe neceſſarium, quod ſolus Deus cauſet gratiā, ideſt deificet, ſicut neceſſe eſt, quod ſolus ignis igneat. Hæc D. Thomas; Præterea D. Thomas in citato articulo, loquitur de productione gratiæ, & tamen neque ibi, neque alibi (aduerſarij enim adduxiſſent locum) dicit gratiam generari, ſed produci à Deo ſolo, ergo neque ſecundum D. Thomam gratia generatur, neque ſecundum veritatem, ſed producitur, ſiue creatur ex nihilo; ita D. Bonau. in 4. d. 17; Scotus in 4. diſt. 1 q. 1. & in 2. diſt. 37.

7 Deus non tantum creat gratiam ſolus, & cetera dona ſupernaturalia independenter, ſed etiam ſi vellet poſſet creare albedinem, cæteraque accidentia corporalia abſoluta, quæ habēt proprium eſſe abſolutum, ſecundum quod non repugnat eis eſſe ſine ſubſtantia, cui inhæreant, & conſequenter eis non repugnat produci ſine ſubiecto, atq; adeo creari; Deus autem ſua omnipotentia poteſt in omne poſſibile, cui non repugnat produci, Dices, ſi Deus produceret in materiam formam ignis, & alias formas accidentales corporales tunc non crearet ignem, ergo potiori modo gratiam in Anima, vel aliud quodpiam accidens in ſubiecto; Reſpondetur in tali caſu vere crearet formam ignis, & alias formas accidentales corporales, quia tunc non educerentur de potentia materiæ, aut ſubiecti; Nam ad hoc, vt forma dicatur educi de potentia materiæ tres conditiones requiruntur; prima vt agens, ſeu producens formam dependeat omnino a materia in agendo, ita vt agere non poſſit, niſi in materia, ſecunda, vt in materia ſit potentia naturalis ad recipiendam talem formam, tertia, vt materia concurrat ad productio-

ctionem formæ, ita quod forma in fieri, & in facto eſſe, ſeu in conſeruari dependeat à materia; Defectu primi forma ignis, & quæcumque alia etiam accidentalis (quæ alioquin ſi produceretur ab Agente naturali dependeret à materia) cum à Deo producitur tam extra materiam, quam intra materiam; tam extra ſubiectum, quam in illo non educitur de potentia materiæ, ſed creatur, defectu ſecundę motus lapidis ſurſum non educitur de potentia materiæ. Defectu tertiæ Anima, & formæ, aliæ ſupernaturales, vt fides, ſpes, charitas non educuntur de potentia materiæ. Quod autem aliqui adducunt de potentia obedientiali ad creationem fictitium eſt, quia Deus cauſat gratiam ſine cauſa ſecunda; Anima etiam eam ſuſcipit naturaliter, quia quamcumque perfectionem naturaliter recipit ex qu. 1. Prologi primi ſent. Scoti, ad quid igitur requiritur talis potentia obedientialis, dum nec ad cauſalitatem, nec ad receptionem gratiæ requiratur.

8 De fide tenendum, & credendum eſt Mundum à Deo ex tempore creatũ eſſe, & ita quidem non ex Atomis, ſiue corpuſculis per aera volitantibus, neque ex materia, & forma præexiſtentibus, neque ex alio quoquam poſitiuo principio, ſeu conſtitutiuo, ſed ex nihilo prorſus creatum eſſe, iuxta illud Gen. 1. in principio creauit Deus Cœlum, & terram; qua quidem ſacræ ſcripturæ prima ſententia. Caput omnibus erroribus, circa productionem mundi obortis præciditur; Cum enim, vt diximus creatio ex nihilo ſit productio; Mundus ex nihilo vere fuit productus, iuxta illud Pſalmi 32. ipſe dixit, & facta ſunt ipſe mandauit, & creata ſunt, omnia ſcilicet, & 2. Machab. Cap. 7. peto nate, vt aſpicias ad Cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt, vt intelligas, quod ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus; Accedunt Concilia in ſuis ſymbolis Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & alia de hac re tractantia pręſertim Lateranenſe 4. ſub Innocentio III. Cap. firmiter extra de ſummâ Trinit. & fide Cathol. vbi inter alia dicunt Patres Concilij firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur vnum vniuerſorum principium Creator omnium viſibilium, & inuiſibilium, corporalium & ſpiritualium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corporalem, Angelicam ſcilicet, & mundanam; Hæc Cōcilium Lateranenſe.

9 Eadem veritas probatur etiam ratione, quia omnis multitudo ortum habet ab vnitate, ſicut numerus. In mundo autem eſt varia, & multiplex rerum ſuppellex, & multitudo, non igitur poteſt ortum habuiſſe, niſi ab aliqua vnitate; Iam ergo quæritur de illa vnitate vnde eſſe habeat, an à ſe, an vero ab alio, non à ſe, niſi ſolus Deus, ergo ab alio, & cōſequenter incepit; quod enim eſt ab alio nō ſēper habuit eſſe, & quod non ſemper habuit eſſe, & de facto eſt ergo de facto habuit principium ſui eſſe, & ſic incepit eſſe; ſecundo bonum, & ens conuertuntur, ergo quod eſt ſeipſo eſse, ſe ipſo quoque bonum eſt, ſed quod ſe ipſo eſt bonum non eſt propter aliud; omnia autem Mundi entia ſecundum ſe tota ſunt propter aliud; nam vt ait Ariſt. in Ethicis omnia bonum appetunt, ergo omnia rerum entia ſecundũ ſa tota ſunt ab alio. Tertio omnis motus præſupponit principium immobile 8. phyſicorum omnia autem rerum entia mobilia ſunt, aut ſecundum generationem, & corruptionem, aut ſecundum augmentationem, & diminutionem, aut demum ſecundum vbi, ſiue ſecundum loci mutationem conſequenter pręſupponunt principium immobile, à quo

mo-

moueantur, & producantur ad extra; hæ rationes adducuntur non ad comprobandam, & ſtabiliendam hanc veritatem cum excitatis ſacræ ſcripturæ, & Conciliorum auctoritatibus firmiſſima maneat, ſed potius ad eandem declarandam; & vt magis pateat.

10 Arguitur primo contra ipſam ſic omne, quod exit ineſſe exit per motum vel mutationem, ergo ſi mundus exiuit in eſſe exiuit per motum, vel per mutationem; ſed ante omnẽ motum, vel mutationem nõ eſt motus, vel ergo eſt abire in infinitum, vel ponere mundum nõ incepiſſe, nec creatum fuiſse, ſed ſemper extitiſse; ſecundo ſi tempus producitur, aut in tempore, aut in inſtanti nõ in inſtanti; quia tempus eſt menſura motus per prius, & poſterius, ergo non fit in inſtanti, ſed cum ſucceſſione; ſi in tempore, ergo ante omne tempus fuit tempus, quia in omni tempore eſt ponere prius, & poſterius præteritum, & futurum, ergo ante primum tempus, quod factum eſt iam erat tempus, & per conſequens motus, & mobile; tertio in illo primo inſtanti nondum eſt tempus, quia tempus eſt quantitas continua, & ideo non conſiſtit in indiuiſibili, ergo ſi mundus factus eſt in illo primo inſtanti non eſt factus in tempore, vel ſi eſt factus in tempore, non eſt dare aliquod inſtans, in quo cõditus ſit. Quarto nihil de nouo mouetur, niſi mobile ſe habeat aliter nunc quam prius, ergo ſi motus incepit mobile aliter tunc ſe habuit quam prius, ergo prius quam moueretur iam mobile præexiſtebat; nulla igitur ratione potuit incipere, quia quicquid incipit, incipit per motum, vel per mutationem vt dictum eſt, & ante omnem mutationem, vel motum erat iam mobile; quinto Deus aut eſt prior mundo natura, vel duratione; ſi natura tantum, ergo cum Deus ſit ab æterno, ab æterno quoque fuit Mundus, ſi autem prior eſt duratione, ergo & tempore, quia prius, & poſterius in duratione conſtituunt tempus, ergo ante mundum fuit tempus, & ſi tempus ſimiliter, & motus, & ſi motus pariter, & mobile.

11 Ad primum reſpondetur quod in motu & in mutatione iam inceptis, vel abſolutis ſemper eſt deprehendere motum anteriorem quia inſtans eſt terminus præteriti & principium futuri; ſed in incipientibus ante motum non erit motus, nec ante mutationem, ſed poſt mutationem ſtatim eſt motus, & ſic in creatione mundi vbi motus ſimul incepit habere eſſe cum ſuo mobili non præceſſit aliquis motus, ſed ſubſecutus eſt. Ad ſecundum reſpondetur quod in tempore eſt conſiderare duo, mutationem ſcilicet, & ſucceſſionem, ſeu inſtans, & quantitatem continuam; Dicimus itaque, quod tempus non fit in inſtanti, ſed bene in inſtanti incipit, & fit poſtea in ſucceſſione, & ſic mundus ſimul cum motu, & tempore incepit in inſtanti, ſed in ſucceſſione poſtea perſeuerat; Ad tertium reſpondetur conditum fuiſſe mũdum in principio temporis idest in primeuo temporis inſtanti; temporis inquam incipientis per illud primum inſtans & nondum ſuccedentis per partes poſt partes. Ad quartum reſpondetur motum, & mobile ſimul concreata fuiſſe, & ſimul incepiſſe, nec vnum aliud præceſſiſſe; argumentum autem procedit de ſucceſſione temporis & eius duratione non autem de incohatione; Ad quintum reſpondetur, quod alia eſt duratio temporis, & alia eſt duratio æternitatis. Deus igitur dicitur prior duratione ęternitatis non duratione temporis; Vel dicendum, quod prius, & poſterius in duratione temporis poſſunt eſſe temporis imaginarij, & non realiter exiſtentis ſicut cum dicitur ſupra cœlum nihil eſt,

illud

illud ſupra deſignat locum imaginarium tantum, & ſic patent reſponſiones ad argumenta, & veritas ſupradicta.

12 Si quæratur; An Deus potuerit creare mundum ab æterno D. Thomas p. p. q. 46. art. 2. & Caietanus ibidem & alij volunt mundum potuiſſe produci ab æterno quo ad res omnes, cum quarum duratione æterna non ſit coniunctum aliquid actu infinitum; qualis eſſet generatio humana, vt inquit ibidem Caietanus, quia ex illa eſſet conſequens infinita multitudo animarum actu, cum illæ ſint immortales, & inexterminabiles, nec detur pitagorica animarum circulatio; nec Deus (quamvis poſſit) eas annihilare velit; ſed admirabile eſt; vt his rationibus inducti tot & tanti Doctores (ſalua ſemper omniũ reuerentia) illimitatam Dei potentiam ita coarctent, quod velint mundum ab æterno produci non potuiſſe; prælertim cum (vt ait Scotus in 2. d. 1. q. 3.) non inueniatur contradictio in iſtis terminis aliud eſſe à Deo, & eſſe ſempiternum; Item rationes, quæ fiunt de præterito poſſent etiam fieri de futuro, nam hæc eſt ſola ratio D. Thomæ, & Thomiſtarum omnium, quod mundus non potuerit produci ab æterno, quia cum homo generet hominem eſſent iam præteritæ infinitæ generationes, & conſequenter infinitæ animæ; eadem ratio poſſet afferri de futuro, nam Deus poſſet in perpetuum permittere generationes humanas fieri, & ſic etiam infinitæ Animæ crearentur, & tamen nulli negant poſſibilitatem futuri ſine fine, quia ſatis aperta eſt, ergo nec debent negare poſſibilitatem præteriti; exceptionem autem, quam alij faciunt de entibus ſucceſſiuis ęque friuolam exiſtimamus, cum non maiorem Deus patiatur difficultatem in ſucceſſiuis procreandis, quam in permanentibus; licet enim ſucceſſiua non poſſint eſſe ſine motu, nec etiam permanentia ſine duratione quæ ipſi motui coexiſtit, & ad extenſionem eius coextenditur; & rurſus illa ſicut, & iſta æque bene in inſtanti poſſunt incipere, ſiue illud inſtans ſit in principio temporis, ſiue in imaginario principio æternitatis.

13 Suſtinenda eſt igitur ſententia docens Deum potuiſſe creare Mundum ab æterno cui, etiam Scotus plurimum fauet in 2. diſt. 1. quæſt. 3. licet hanc quæſtionem controuerſam relinquat, & poſſumus illam multis rationibus cõprobare; primo ſic, aut enim Deus habebat eandem potentiam ab omni inſtanti æternitatis ſuæ, quam habuit, quando mundum condidit; aut non; ſi non, ergo potentia eius creauit poſtea; quia potuit facere poſtea, quod nõ poterat facere prius, ergo ab æterno nõ erat infinita, & perfecta, quia potuit augeri conſequenter ab æterno non fuiſſet Deus; quia Deus eſt actus puriſſimus perfectus, & infinitus; ſi ſic ergo æque bene poterat tunc Mundum creare, ſicuti poſtea quando creauit ſecundo Deus eſt cauſa libera ſufficientiſſima ſine quacumque dependentia ad agendum, ergo potuit Mundum creaſſe antequam creauit; Et hoc in inſtanti æternitatis, neque tunc mundus æqualis Deo in æternitate, quia tantum fuiſſet æternus à Deo, Deus autem eſt ęternus à ſe; tertio, modus cauſandi non variat formaliter ipſum cauſatum ſecundum D. Athanaſium lib. de Incarnat. Verbi, ſed ſi Deus naturaliter cauſaret poſſet ab æterno cauſare effectum ſibi coæuum, ſiue coæternum; quamvis igitur voluntarie cauſet potuit tamen effectum cauſare ab æterno; quarto nulla condicio perfectionis reperitur in cauſa ſecunda quacumque poſitione facta, quæ perfectius in prima non ſit, ſed habere effectum ſibi coęuum eſt perfectionis in cauſa ſecunda naturaliter

ter agente, ergo talis perfectio non debet excludi à potentia primæ cauſæ, quin potuiſſet ſi voluiſſet coęternum, ſibi producere effectum, quinto motus eſt effectus coęuus, & coęternus actualiter mouentis, ſed Deus poterat eſſe ab æterno actualiter mouens, ergo ab æterno potuit eſſe mobile; Sexto poſito vno relatiuorum ponitur, vel poni poteſt aliud, ſed Creator, & creatura ſunt correlatiua; ergo cum ab æterno fuerit Creator, ab æterno pariter potuit eſſe creatura.

14 Sed obicies primo ex D. Auguſtino, qui vt refert Scotus in 2. diſt. 1. qu. 3. definiens creaturam dicit, quod creatura eſt ex eo, quod omnipotentis Dei volntate ex non eſse ad eſse producta eſt eius ſubſtantia, ſed de ratione creaturæ eſt produci ex non ente, ergo impoſſibile eſt eam produci ſine principio, & conſequenter ab æterno. Secundo ex D. Baſilio contra Eunomium lib. 2. vbi ait nos eiuſdem dementiæ eſse putamus, & creaturæ æternitatis teſtimonium præbere, & creaturæ Dominum hac confeſſione priuare. Tertio ex D. Ambroſio lib. 1. Examer. quo modo inquit coęternum mundum Deo aſseruerunt, & Creatori omnium ſociant, atque æqualem diſputantes eſse creaturam 4. ex D. Damaſc. lib. 1. fidei orthodoxæ Cap. 8. Natura inquit minime comparatum eſt, vt quod ex nihilo in ortum producitur eandem cum ſuo principio æternitatem habeat; Et rurſus creatio cum à voluntate proficiſcatur Deo profecto coæterna non eſt; quinto implicat contradictionem aliquid à Deo ſine principio fuiſse, quia de omni producto aliquando fuit verum dicere, producitur, ergo in illo inſtanti, in quo producitur primo cœpit eſse, & conſequenter incipit, & habet principium. Sexto omnis creatura habet eſse aquiſitum, & per conſequens eſse poſt non eſſe; ſed ſi mundus fuiſset ab æterno, per hoc non ſtaret, quin eſset creatura, ergo habuiſset eſse poſt non eſse, ſed omne, quod habet eſse poſt nō eſse, incipit, quia non eſse præcedit eſſe, ergo mundus incepiſset, & conſequenter non fuiſset ab æterno, cū æternum ſit, quod nunquam incepit.

15 Reſpondetur ad primum ex Scoto non eſse definitionem creaturæ, ſed deſcriptionem ab Ario conceſsam arguit Auguſtinus; Reſpondetur ad ſecundum; nos etiam dementiam putamus hoc de facto concedere creaturæ non autem de poſſibili, quia eſt potius diuinam omnipotentiam laudare, quam creaturæ Dominum hac confeſſione priuare; Reſpondetur ad tertium nos non aſſerere Deo Mundum fuiſſe coęternum nec creaturam illi coęqualem, ſed ſolum dicimus Deum potuiſſe illam ab æterno creare, quæ nec ſic tamen eſſet illi æqualis vt ſupra dictum eſt; Reſpondetur ad quartum hæc omomnia procedere de facto non de poſſibili, natura enim ita comparatum, ſed aliter comparatum fuiſſet; ſi Deo placuiſſet, & præterea non eſſet eadem æternitas creatoris, & creaturæ; nam creatura menſuraretur æuo, & tempore, Deus autem ſola æternitate. Ad quintum reſpondetur incipere, & habere principium non eſſe idem, ſed maxime differre, nam habere principium ſolum ſignificat habere eſſe ab alio etiam ſi nullum habuerit initium, ſeu inceptionem, vel inchoationem, & ſic filius Dei habet principium à Patre, & tamen numquam habuit initium, nec in coationem eſſendi, & ſic dicimus nihil à Deo eſſe ſine principio: At incipere ſignificat habere initium, & inceptionem, ſeu incoationem, & primum terminum ſui eſſe, & ſic dicimus ſi Mundus fuiſſet ab ęterno productus nullum prorſus habuiſſet initium inceptionem,

aut

Digitized by Google

aut incoationem, ſed ſemper fuiſſet, quia nunquam primum daretur inſtãs, in quo produceretur; & ideo falſum eſt de omni producto ab æterno verum fuiſſe aliquando dicere, producitur ita vt ante non produceretur, quia ſemper fuiſſet productus mundus, nec aliquãdo deſignat tempus determinatum; Vnde non eſt ponendum vllum inſtãs, in quo primo produceretur, quia ante quodcumque inſtans aſſignatum ſemper productio fuiſſet facta. Ad ſextum Reſpondetur verum eſſe, quod habuiſſet eſſe aquiſitum, quia eſſe illius non eſset à ſe, nec per ſe, nec ex ſe formaliter neceſsarium, ſed ab alio, & per alium nempe à Deo, & per Deum; conſequentia tamen eſt falſa, quod habuiſſet eſse poſt non eſse; filius enim Dei eſt à Patre ab æterno genitus, & tamen non habet eſse poſt non eſse, ſed ipſi Patri coęternus eſt, & ſemper fuit, idem dicẽdum eſt quantum ad hoc de Mundo ſi eſset ab æterno creatus non eſset tamen eiuſdem naturæ cum Deo, ſicut filius eſt eiuſdem naturæ, & ſubſtantiæ numero cum Patre.

16 Dices adhuc ſi mundus potuiſſet eſse ab æterno iam factę fuiſsent infinitæ reuolutiones ſolis, & pro vna reuolutione ſolis factæ fuiſsent 12. reuolutiones Lunæ, & pro qualibet reuolutione Lunæ 29. dies eſsent emenſi, & vltra; & pro quolibet die naturali 24. horæ, ergo ſi quodlibet horum eſset infinitum, aliud alio etiam à parte ante eſſet maius, & numerus horarum longe eſset maior numero dierum, & numerus dierum 365. maior numero annorum, ergo numerus annorum non eſsẽt infinitus, vel daretur infinito maius. Reſpondetur quod quamvis in anno completo, & perfecto tot dierum curricula deprehendantur tamen ſi mundus fuiſset ab æterno æque numerus annorum eſset infinitus, ſicut & dierum licet in quolibet euoluti fuiſsent dies 365. quia ſicut dierum non eſset deprehendere principium, ſic pariter nec annorum numquam enim eſset deuenire ad primum; numerus igitur vtrobique fuiſset immenſus. Quamvis autem numerus dierum videatur eſse maior, quam annorum, neuter tamen illorum à parte anteriori prius incepiſset, ſed æque ab æterno fuiſset, & ita ab hac parte non eſset alius alio maior; nec implicat in infinito plures mẽſuras particulares deprehendi reſpectu vnius, quam alterius, dummodo ex parte vtriuſque nũquam ſit pertingere ad finem; Nam in quantitate continua, quam omnes philoſophi fatentur eſse diuiſibilem in infinitum, ponantur duo circuli vnus altero maior, & circumferentia maioris ambiat periferiam minoris circa idem centrum; nullus poterit negare, quin Circulus maior plures habeat partes, & maiores, quam minor, tamen quia lineæ duæ à centro ad periferiam ductæ ſtatim à centro ſunt diſiunctæ ab inuicem, & non ſe tangunt, niſi in centro in tot ſemper habent diuidere partes circulum maiorem, & minorem; aſſignato enim quocumque puncto in tota circuli maioris circumferentia linea à centro ad illud punctum deducta habet ſemper ſeccare medium circulum, & nunquam in eodem puncto, ſicut alia linea, quia lineæ non ſe tangunt niſi in centro, ergo ſtatim à centro tot habent efficere partes in minori circulo, ſicut in maiori, & tamen partes maioris circuli erunt ſemper maiores, quam minoris, & conſequenter amplius diuiſibiles, ſi vllus diuidendi finis, aut diuiſionis poſset haberi. Idem dicendum eſt in propoſito, quo ad quantitatem ſucceſſiuam temporis, vbi in reuolutione vnius anni inueniuntur plures dierum circuli, ſi enim vnus finis deprehenderetur, ſine dubio plures eſsent die-

dierum reuolutiones quam annorum ſicut plures, & maiores eſsent partes circuli maioris, quam minoris, ſi finis in tali quantitate continua deprehenderetur, ſed qnia nunquam eſt ad finem pertingere æque in tempore ſicuti in quantitate continua permanente vnum eſset infinitum ſicut & aliud ſi mundus fuiſset ab æterno conditus.

17 Quod Deus agat propter finem eſt pluſquam certum ſicut oſtendi poteſt primo ex Symbolo Niceno, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, ſecundo ex ſacra ſcriptura Iſaiæ 43. Dominus loquens de homine, qui principalis eſt creatura, ait omnem, qui inuocat nomen meum in gloriam meã creaui eum; Itẽ Prou. 16. vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus; Item Ioan. 10. ego veni, vt vitam habeant; tertio ex Sancto Dionyſio Cap. 14. de diuinis nominib. omnia ad ſe ipſum bonitas conuertit &c. cui fauet ratio, nam Deus eſt primum agens, & ad ipſum ſpectat totam naturam dirigere in finem, ergo motus rerum in finem ipſi Deo tanquam motori primo, & agenti primo eſt tribuendus, ſed hic obſeruandum eſt, quod agere propter finem poteſt dupliciter intelligi, vno modo propter finem operis, alio modo propter finem operantis; finis operis eſt id, ad quod opus ab agente ordinatur, & dicitur ratio operis; finis autem operantis eſt, quem operans principaliter intendit. Domificator exempli gratia congregat lapides, vt eos componat, ſicque compoſitio illa, in qua forma Domus conſiſtit, finis eſt operis, vtilitas vero proueniens domificãti eſt finis agentis; Magiſter in 2. diſt. 1. in littera ait & D. Bonauentura ibidem in quæſtione affirmat, quod Deus fecit nos propter bonitatem, & gloriam ſuã & propter vtilitatem creaturæ; in quibus bene inſinuant vtrumque finem nam dum fatentur Deum nos feciſse propter bonitatem ſuam manifeſtãdam finem operantis, cum vero addit, propter vtilitatem noſtram indicat finem operis.

18 Iſdem Seraphicus Doctor diuerſis in locis diſſerens de cauſa finali operis, & operantis creationis dicit decuiſſe Deum varia producere, & diuerſa cõdere; vt multiplicitas faceret ad perfectionem vniuerſi, quæ in amplitudine ambitus in ſufficientia ordinis, & in influentia bonitatis conſiſtit; Ex quibus etiam diuina potentia, ſapientia, & bonitas innoteſcit; Hinc colliguntur in vniuerſali tres generales rationes creationis in communi; prima quidem, vt res ſic productæ, vel creatæ eſsent ad manifeſtationem ſuæ potentiæ, quæ quidem apparuit in productione creaturarum ſumme diſtantium, vt patet in natura humana, in qua corporeum, & incorporeum vniuntur; ſecunda, vt eſſent in manifeſtationem ſuæ ſapientię; quę maxime ex perfectione ordinis declaratur; qui quidem ordo tria requirit ſcilicet infimum, medium, & ſupremũ, infimum fuit natura corporalis ſupremum natura ſpiritualis medium natura compoſiti ex vtroque. tertia, vt eſsent in oſtenſionem ſuę bonitatis, & beneuolentię; quę maxime conſiſtit in diffuſione, & communicatione in alterum, ſi ergo diuina bonitas communicauit actum nobiliſſimum, qui eſt viuere, ſentire, & intelligere decuit, vt non tantum daret alij potentiam viuendi, ſentiendi, & intelligendi, ſed etiam potentiam communicandi alijs, quod factum eſt in homine, in quo ſpiritualis vita, & intellectiua perficit corporalẽ.

19 Et pro vberiori oſtenſione eiuſdem multiplicis cauſę finalis notandum eſt, quod ſex ſunt conſideranda circa res vniuerſas creatas ſcilicet earum ori-

Digitized by Google

go, magnitudo multitudo, pulchritudo, plenitudo, operatio & ordo; origo namque rerum ſecundum creationem, diſtinctionem, & ornamentum, quantum ad opera ſex dierum diuinam prędicat potentiam cuncta de nihilo producentem, ſapientiam cuncta lucide diſtinguentem, & bonitatem largiter adornantem; Magnitudo autem rerum ſecundum molem longitudinis, latitudinis, & profunditatis ſecundum excellentiam virtutis longe late, & profunde ſe extendentis, ſicut patet in diffuſione lucis ſecundum efficaciam operationis intimę continuę, & diffuſe, ſicut conſtat in operatione ignis; manifeſtè indicat immenſitatem potentię, ſapientię, & bonitatis Dei, qui in cunctis creaturis per potentiam, per pręſentiã, & eſſentiam incircumſcriptus exiſtit. Multitudo vero ſecundum diuerſitatem generalem ſpecialem, & indiuidualem in ſubſtantia, in forma, ſeu figura, & efficacia vltra omnem humanam ęſtimationem trium prędictarum conditionum in Deo immenſitatem inſinuat, & oſtendit.

20 Pulchritudo rerum ſecundum varietatem luminum figurarum, & colorum in corporibus ſimplicibus mixtis, ac etiam compoſitis, ſeu complexionatis, ſicut etiam in corporibus cęleſtibus & mineralibus, ſicut lapidibus, & metallis planctis, & animalibus tria prędicta euidenter proclamat; Plenitudo autem rerum ſecundũ quod materia eſt plena formis ſecundum rationes formales forma eſt plena virtute ſecũdum actiuam potentiam; Virtus eſt plena effectibus ſecundum efficientiam id ipſum manifeſte declarat; Operatio multiplex ſecundnm quod eſt naturalis, ſecundum quod eſt artificialis, & ſecundum quod eſt moralis ſua varietate oſtendit immenſitatem illius virtutis artis & bonitatis, quæ quidem omnibus eſt cauſa eſſendi ratio intelligendi, & ordo viuendi; Ordo autem ſecundum rationem durationis, ſituationis, & influentiæ, ſcilicet per prius, & poſterius, per ſuperius & inferius, nobilibus, & ignobilibus in libro creaturæ inſinuat primi principij primitatem quantum ad infinitatem potentiæ; Ordo quoque diuinarum legum, præceptorum, & iudiciorum in libro ſcripturæ immenſitatem ſapientiæ; Ordo autem diuinorum ſacramentorum, beneficiorum & retributionum in corpore Eccleſiæ immenſitatem bonitatis, ſicque patet varia ac diuerſa à Deo fuiſſe creata vt manifeſtaretur, eius potentia, ſapientia, & bonitas.

De Perfectionibus Naturalibus Angelorum. Cap. II.

De Creatione Angelorum; De eorum natura, diſtinctione, proprietatibus, & numero. Art. I.

1 IOcunda eſt de Angelis tractatio, quia eorum eſt inter omnes creaturas præſtantia ſingularis; Nam Angeli cæteris omnibus rebus creatis multo ſunt antiquiores iuxta placitum plurium antiquorum Patrum, tam Græcorum, quam Latinorum, aut ſi non ſunt originis antiquitate priores (quod ſanè verius eſt) ſunt certe naturæ, poteſtatis, aliarumque multarum rerum præſtantia ſuperiores; Etenim ſi ſpectes eorum vitæ, & durationis longitudinem; immortales, & incorruptibiles ſunt. Si naturæ gradum, & conditionem ſunt planè incorporei, nec mortis neceſſitati ſubiecti, nec frigoris, caloris, famis, ſitis,

Digitized by Google

ſitis, morborum, vllius laſſitudinis moleſtijs obnoxij, nec rei vllius corporalis indigentes; ſi agilitatem nulla eſt ceruorum, pardorum, tygrium, vel aquilarum pernicitas, vel orbium Cœleſtiũ velocitas, quæ Angelorum celeritatem poſſit adæquare; ſi dignitatem intellectus, & mentis perpetuo, & ſine ſucceſſione temporis intelligunt, & omnium, quæ naturaliter ſciri poſſunt, ex quo ſunt conditi, plenam, & conſumatam habent ſcientiam; ſi vim, & conſtantiam voluntatis, efficaciſſime volunt, quod volunt, & immobiliter eligunt; ſi firmitatem memoriæ nulla illis vnquam ſubrepit obliuio, ſed quod ſemel perceperunt omni æuo conſeruant; ſi potentiam, eſt incomparabilis, cuius vel vnum illud ſatis eſt argumentum manifeſtum; Quod vnus Angelus nullo labore, maxima facilitate primum Cœlum, cuius comparatione vniuerſa terræ, & aquæ moles vnius fermè puncti inſtar obtinet, tot annorum millia ſine vlla intermiſſione tanta vi, & celeritate mouet.

2 Si numerum ſunt propemodum innumerabiles, ſicut indicat Propheta Daniel Cap. 7. & D. Dionyſius Areopagita lib. de Cœleſti Hierarchia Cap. 14. maiorem eſſe affirmat numerum Angelorum, quam omnem rerum ſenſibilium, & caducarum multitudinem; ſicut enim cęleſtia corpora aliorum corporum magnitudinem exuperant; ſic numerus Angelorum multitudinem aliarum excedit; ſi diſpoſitionem, & ordinem ſunt ordinatiſſimi in tres Hierarchias, & nouem ordines diſtributi numquam ea diſtinctione, & ordine variato, aut variando; ſi ad munus, & exercitium eorum aduertas animum, in Cęlum quidem vnum hoc potiſſimum, & perpetuo agunt, omni vi, & contentione ſua laudare Deum, nec vnquam ab hoc ſuauiſsimo concentu vacant, de quo intelligi poteſt illud Iob concentum Cœli quis dormire faciet? Infra Cœlum autem multa ſunt, & varia miniſteria; ſunt enim diuinæ prouidentiæ in regendo, & conſeruando mũdo præcipui Adminiſtri. Quamobrem in ſcriptura vocantur Milites Dei, Exercitus Dei, Principes Prouinciarum, Præſides Populorum, ſingulorum hominum Cuſtodes, & Magiſtri, & apud Deum internuncij, & Interuentores. Denique orbium Cęleſtium Motores, & Rectores; Quapropter apud Iob dicũtur portare orbem, & eſſe columnæ Cœli.

3 Iam vero ſi conſideres Excellentiam ſuper naturalis gratiæ, quam illis Deus largitus eſt, comperies in illis omnibus eſſe gratiam Innocentiæ, quippe qui vlla vnquam, vel leuiſsima peccati labe non ſunt inquinati, numquam Dei gratia ſpoliati, numquam nudi fuerunt, in gratia ab initio creati, & in ea perpetuo conſeruati; Verum (quod omni miraculo mirabilius eſt) in tanta donorum naturalium, & Cœleſtium abundantia, & Excellentia eſt in illis profundiſsima humilitas, & incredibilis erga Deum pietas, & reuerentia; coram eo inquit Iob incuruantur, qui portant orbem, & columnę Cęli pauent in conſpectu eius. Eſt præterea in Angelis paratiſsima, & promptiſsima voluntas ad omnia Dei mandata ſumma diligentia, & efficacitate exequenda; Vnde Dauid Pſal. 102. Benedicite (inquit Domino omnes Angeli eius, potentes virtute, facientes Verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius, Miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius. Nec vero minima, & abiectiſsima miniſteria detrectant ſubire Angeli, quin ea cupidiſsime ſuſcipiunt, & diligentiſsime obeunt, vt Dei voluntati obſequantur, & hominũ ſaluti conſulãt; talis fuit luctari cum Iacob; famulari Iuniori Thobiæ, & Vatem Abachuc capillo ex Iudæa traducere

Digitized by Google

cete Babylonem, vt prandium ferret Danieli; Propter hanc obedientię promptitudinem, & efficaciam Angeli ventis comparantur, & igni; De illis enim cecinit Dauid Pſal. 103. Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & Miniſtros tuos ignē vrentem; De his omnibus ſingillatim in ſequentibus.

4 Nomen Angelus apud Græcos eſt nomen officij, non naturæ, neque dignitatis, idemque ſignificat, quod latine nuncius; ita D. Auguſt. in illud Pſal. 113. qui facit Angelos ſuos ſpiritus, ideſt nuncios, & D. Greg. hom. 34. in Euangelia inquit, Angelorum vocabulum nomen eſt officij naturæ, &c. Hinc fit vt hoc vocabulum quatenus eſt officij nomen metaphorice ad ſignificandum diuerſa in ſacra ſcriptura ſit tranſumptum, ſicut D. Bonauentura docet de Eccleſ. Hierarchia, quia, vt ait D. Greg., nomine Angeli nunc Chriſtus, nunc iuſtus, nunc gratia, ſeu virtus figuraliter nuncupatur, primo Chriſtus ratione humanitatis aſſumptæ dicitur Angelus propter miſsionem, Angelus enim mittit, & mittetur, ſic Chriſtus à Patre in mundum miſſus; Vnde Iſaiæ 6. dicitur; quem mittam, & quis ibit nobis, & Matth. 15. non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierũt domus Iſrael; ſecundo propter illuminationem. Angelus enim illuminat, & illuminatur, ſic Chriſtus Diuinitatis lumine illuſtratus ad illuminandum ſedentes in tenebris, & vmbra mortis mundo eſt datus, vt dicit Ioan. 1. Lux in tenebris lucet; & Iſaiæ dedi te in lucem gentium 49. tertio propter mediationem, nam Angelus eſt medius inter Deum, & homines, & hoc conuenit Chriſto, qui eſt mediator Dei, & hominum; Mundum ſcilicet Deo reconcilians, & ad Patris amicitiam nos reducens, & pro nobis continue intercedens 1. Ioan. 2. inquit D. Ioannes aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum, qui interpellat pro nobis; quarto propter miſticam refectionem, nam Angelus diuino repletus alimento nos reficit, & Chriſtus Patris complendo voluntatem reficitur. Hinc Ioan. 4. dicit meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, & ſic refectus ſpiritualiter, & ſacramentaliter nos reficere non deſiſtit iuxta illud Sap. 16. Angelorum eſca nutriuiſti populum tuum, quinto propter regimen, & gubernationem, Angelorum enim regimini hæc inferiora deputantur Eccleſ. 17. in vnamquamque gentem præpoſuit Rectores, & hoc Angelo magni Conſilij Ieſu Chriſto conuenit, qui omnium electorum mentes in ſua cuſtodia ſuſcipit, & tutela, iuxta illud Ioan. 17., quos dediſti mihi ego cuſtodiui, & nemo ex eis perijt, niſi filius perditionis.

5 Secundo nomine Angeli intelligitur iuſtus, & præcipue vir ſpiritualis, & Religioſus, & omnis Prælatus, ſic Ioannes Baptiſta propter prædicationis excellentiam, & ſpiritualis vitæ eminentiam Angelus à Domino nuncupatur Matth. 11. Ecce ego mitto Angelum meum; tertio Angeli nomine venit gratia Dei, ſiue virtus, nam animam ſua præſentia tuetur conſeruat & ornat, ſicut Angelus hominem cuſtodit & ſeruat, ſimiliter Animam illuminat, perficit; ſicque patet, quod hoc vocabulum Angelus, ſecundum quod eſt officij nomen translatum eſt ad ſignificandum Chriſtum homines iuſtos Prelatos, Sacerdotes, nec non gratiam, ſeu virtutem vt egregie declarat D. Bonauentura de Eccleſiaſtica Hierarchia; ſed vt attinet ad propoſitum noſtrum, Theologi nomine Angelorum dicunt ſignificari quaſdam ſubſtantias intellectuales, quæ cum videri non poſſint ſpirituales appellantur, quas ſubſtantias peripatetici tribus nominibus nuncupa-

inparunt primo ſubſtantias ſeparatas ſecundo intelligentias, tertio motores Cœlorum, Platonici vero eas, quæ bonæ ſunt Dæmones, ideſt ſapientes, illas vero, quæ malæ ſunt cacodemones appellarunt; Omnis vero Catholicorum ſchola circa Angelorum ſubſtantiam vnanimiter cõfitetur eoſdem Angelos eſſe veras ſubſtantias, poſt Deum obtinere primum locum, ſed circa eorum creationem non eſt vna ſententia; nam Doctores antiqui Catholici aſſeruerunt Angelos creatos ante omnem aliam creaturam corpoream, atq; adeo ante ipſum mũdi conditi primordium, ita Origenes hom. 4. in Iſaiam D. Gregorius Nazianzenus Serm. de Natali Domini D. Griſoſthomus hom. 22. in Gen. D. Baſilius hom. 1. & 2. in Exam. D. Hilarius lib. 12. de Trinit. non longe à fine D. Hieronymi in Cap. primum Epiſtolæ ad Titum; Recentiores autem penitus omnes aſſerunt ſimul cum Mundo corporeo Angelos fuiſſe concreatos, ſic Epiphanius hęreſi 65. Theodoretus q. 3. in Gen D. Auguſtinus lib. 11. de Ciuit. Dei Cap. 9. & lib. 12. Cap. 5. D. Greg. lib. 32. Moral. Cap. 2. Beda in cap. primum Gen. & omnes fermè Theologi Scholaſtici cum Magiſtro in 2. diſt. 2. Ablegata igitur opinione hæreticorum præſertim Angelicorum; qui negant Angelos fuiſse conditos, ſed ſemper extitiſſe, dicimus vnũ conſtare inter omnes orthodoxos, & de fide teneri Angelos ſcilicet fuiſſe Creatos; ſed aliud eſſe incertum, quando nempe conditi fuerint.

6 Quantum ad certitudinem primi quamvis non ſit opus probationibus non eſt tamen inconueniens illud oſtẽdere eſſe fundatum in ſacra ſcriptura; & primo apud Danielem 3. cum enim tres pueri in camino ignis ardentis canerent, benedicite omnia opera Domini Domino &c. ſtatim ſubdiderunt benedicite Angeli Domini Domino ex quo clare apparet, quod in Catalogo operum Dei Angeli referuntur; Deinde Ezechiel 28. de Cacodemone dicitur tu Cherub extenſus; & protegens, & poſui te in monte Sancto Dei in medio lapidum ignitorum, ambulaſti perfectus in vijs tuis à die condicionis tuæ donec inuenta eſt iniquitas in te; ex quibus verbis deducitur cacodemonem fuiſſe conditum; ſimilis autem eſt ratio de bonis Angelis, cum Dęmon dicatur initium viarum Dei, ergo ſi ille conditus fuit conditi fuerunt pariter iſti; Amplius ex D. Paulo colligitur primo ad Colloſ. vbi ait, in ipſo condita ſunt vniuerſa in Cœlis & in terra viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates omnia in ipſo, & per ipſum creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes; ex quibus verbis euidenter colligitur Angelos nõ ab æterno exſtitiſſe, ſed à Deo creatos, & conditos fuiſſe; Adde quod in ſimbolo Nicæno credimus Deũ Creatorem Cœli, & terræ viſibilium, & inuiſibilium, æque igitur credimus eum eſſe conditorem Angelorum, ſicut & hominum; Denique in Concilio Later. ſub Innocentio III. legitur definitum, quod Deus ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam corpoream, & ſpiritualem.

7 Quantum ad id quod dubium eſt circa hoc, & incertum, quando nempe conditi fuerint; adhuc ſub Iudice lis eſt; Quamvis enim Concilium Lateran. nuper à nobis citatum litem videatur diremiſſe D. tamen Thomas aſſerit contrarium non eſſe reputandum erroneum; nec Concilium damnare voluiſſe Patrum ſententiam, ſed ſolum reprobare Hęreticorum perfidiam dicentium Angelos nuſquam fuiſſe Creatos; Veriorem tamen exiſtimamus recentiorum Theologorum ſententiam Angelos

gelos ſcilicet conditos fuiſſe in principio temporis ſimul cum Cœlo empyreo, & materia omnium elementorum primigenia; Iſta enim quatuor dicuntur Coeua, Materia prima ſcilicet, Cœlum Empyreum, tempus, & Angelica natura; probatur primo ex auctoritate Chriſti dicentis videbam ſatanam tanquam fulgur cadentem de Cœlo, hoc autem accidit ſtatim poſt eius creationem, ergo iam Cœlum eſſe debebat ex quo ageretur in præceps, ſecundo ex illo Eccl. 18. qui viuit in æternum creauit omnia ſimul, ſed Angelus continetur intra omnia, ergo fuit creatus ſimul cum omnibus rerum generibus, Cœlo ſcilicet materia prima, & tempore; tertio in principio creauit Deus Cœlum, & terram; peto ergo aut ante hoc principium fuit creatus Angelus, aut poſt hoc principium, aut ſimul cũ hoc principio; non ante hoc principium; quia ſi prius fuiſſet creatus Angelus falſum eſſet, quod in principio creaſſet Deus Cœlum, & terram, quia ante hoc principium fuiſſet aliud principium creationis, ſi ſimul cum hoc principio, aut poſt hoc principium Angeli fuerunt creati habemus igitur euidenti ratione comprobatum, quod Angeli nõ fuerint ante Creationem Mundi creati; ſed ſiquæratur vbi Angeli creati ſunt. Reſpondetur ex D. Thoma p. p. q. 61. art. 4. Angelos fuiſſe creatos in Cœlo empyreo, quia decebat ſubſtantias nobiliſſimas æternaliter Deum contemplaturas in loco excellentiſſimo produci, ex cuius Doctrina clare colligitur inter Cœlum empyreum, & naturam Angelicam eſſe aliquem ordinem prioris, & poſterioris vt patet diſcurrenti.

8 Sic corporeis intellectus humanus eſt præpeditus, compedibus, & obſcuris mancipatus Carceribus, vt non niſi per cancellos ſenſuum pro ſtatu iſto perſpicere, & proſpicere valeat, & hinc euenit ei, quod ea, quæ ſenſum excedunt, & recedunt à ſenſu vix, ac ne vix quidem, niſi per relationem, aut cognitionem à ſenſibus deductam, rimari valeat; vnde magna oborta eſt lis inter Doctores Catholicos, licet grauiſſimos, vtrũ Angeli eſſent corporei, nec ne; plurimique non minoris notæ opinati ſunt corpore quamvis ſubtiliſſimo eſſe indutos. Sic Origenes in principio librorum Periarchon Tertullian. lib. 2. contra Marcionem Cap. 8. D. Hilarius Can. 5. in Matth. D. Auguſt. 3. de Geneſi ad litteram, & Epiſt. 111. & 115. et lib. 3. de Trin. Cap. 11. et in pſalm. 145. et lib. 2. de Ciuit. Dei Cap. 23. et lib. 15. Cap. 23. Caſſianus collat. 7. Cap. 15. D. Bernardus lib. 5. de Conſider. et ex Recentioribus, Caietanus in Cap. 2. Epiſt. ad Epheſ. moti tali, vel ſimili ratione, cauſa æquiuoca effectum ſibi ſimilem nõ producit, quia talis cauſa eſt ſemper diuerſæ rationis à ſuo effectu, ſed Deus eſt cauſa efficiens ęquiuoca reſpectu cuiuſcumque creaturæ, ergo Deus nuſquam produxit effectum ſubſimilem; conſtat autem, quod Deus in ſua natura eſt ſimplex, et incorporeus, ergo nullam creaturam condidit ſimplicem, et penitus incorpoream; alioquin talis effectus non eſſet ſibi æquiuocus, cum denominaretur incorporeus ſicut, et Deus, et illi aſſimilaretur in forma ſpirituali ſimplici.

9 Contrariam ſententiam docent D. Dionyſius Areopagita 4. de Diuinis nomin. in principio, D. Gregorius Nazianzenus Orat. 34. q. 2. de Theologia D. Athanaſius de communi eſſentia Patris, & circa finem in quæſtionibus ad Antiochum quæſt. 19. & quæſt. 98. D. Baſilius in Concione, quod Deus non eſt Author malorum circa finem D. Gregorius Niſſenus lib. de Creatione in illa verba fiat voluntas tua, Theodoretus in illud 1. Zachariæ, vidi nocte, & in quæ-

ſtio

Digitized by Google

ſtionibus ſuper Geneſim q. 43. D. Griſoſth. hom. 22. in Gen. & in illa verba, & viderunt filij Dei; Nicetas in orat. 38. D. Damaſcenus lib. 1. de fide Cap. 17. & lib. 2. Cap. 3. D. Gregorius Magnus lib. 4. Dialogorum Cap. 29. Richardus à S. Victore lib. 4. de Trin. Cap. 25. & 6. Sinodus generalis actione 11. Concilium Lateran. ſub Innocentio III. & refertur in Cap. ſæpe citatum. Firmiter de ſumma Trinit. & fide Catholica, vbi dicitur, quod Deus vtramque de nihilo condidit naturam ſpiritualem, & corporalem Ariſt. 12. Metaph. Cap. 6. & 7. qui expreſſe probat intelligentias eſſe ab omni materia ſeparatas, & eum ſequitur omnis fermè Theologorum ſchola, qui omnes negant Angelos eſſe corporeos, & aſſerunt eſſe omni corporis mole expertes, & certe ſi creaturæ purę corporeę deprehenduntur in vniuerſo; videtur quod puræ ſpirituales debeant pariter reperiri omnino incorporeæ; Hæc vera ſententia probatur primo auctoritate ſacræ ſcripturæ D. Pauli 1. ad Hæbreos omnes (inquit) ſunt adminiſtratorij ſpiritus. Secundo probatur ratione, corpora non poſſunt ſe mutuo penetrare, niſi alterum illorum fuerit glorioſum, alterum corruptibile, ſed Angeli etiam mali, & reprobi penetrare poſſunt quodcumque corpus obuium quantumuis denſum, & ſolidum, nec eſt dicere, quod habeant corpus glorioſum, nam Angeli damnati illud facere non poſſunt, ergo penitus ſunt incorporei.

10 Tertio probatur prædicta opinio, ſi Angeli eſſent corporei nō poſſet vna legio eorum eſſe ſimul in vno corpore obſeſſo, quæ continet 6666, ſed legio erat in corpore obſeſſo, vt narratur Lucæ 8. ergo non ſunt corporei; Quarto ſi corporeus eſſet Angelus fatigaretur in mouendo; Omnis enim virtus corporea in agendo repatitur, & ſic paulatim defatigatur; ſed ſi verū eſt, quod ait Ariſt. Intelligentiam, ſeu Angelum Cœlum mouere patet, quod non defatigatur in mouendo; mouit enim à primordio cōſtitutionis mundi; nec velocior tunc fuit curſus ſiderum, quam nunc, nec tardior nunc, quam tunc. Vnde apparet virtutem eius non remitti, nec defatigari, impigrè ſiquidem adeſt vbicumq; vult in momento ſine vlla difficultate, ſed ſi eſſet corporeus maximam pateretur difficultatem, quo enim ſubtilius eſſet corpus eius eo facilius repelleretur à medio, vt patet de atomis, & corpuſculis, quæ medium vix ſcindere poſſunt, ſed medium illis faciliimè reſiſtit, ergo Angelus non eſt corporeus: Ad rationem contrariæ ſententiæ n. 5. relatam in fine; reſpondetur non eſſe contra rationem cauſæ equiuocæ, quod producat effectum aliquo modo ſibi ſimilem dummodo effectus longa intercapedine à perfectione cauſæ ſit remotus, vt patet de ſole ſuam ſpeciem in aquis, & ſpeculis producente, quamuis enim aureus effulgere videatur ſol in ſpeculo eſt tamen effectus æquiuocus propter maximam à perfectione ſolis diſtantiā, ſic & Angelus quamuis ſit ad imaginē Dei à Deo conditus infinita tamen eſt inter ipſum, & Deum in natura, & perfectione diſtantia.

11 Angelus non eſt compoſitus ex materia, & forma phyſica, hoc eſt dictum contra Alenſem p. p. q. 20. Membr. 2. v. 1. D. Bonauentura in 2. diſt. 3. p. p. art. 1. per totum Richardum ibidem art. 1. q. 2. & alios plures qui opinantur Angelum, quamuis non ſit corporeus conſtitui tamen ex materia quadam, & forma non proprie phyſica, hoc eſt ex potentia, quam vocant materiā, & actu, quem vocant formam; quæ opinio, non eſt aliena à veritate ſi bene expendatur; Notandum eſt igitur materiam poſſe accipi proprie ſcilicet, & me-

metaphoricè; materia proprie dicta eſt ſuſceptiua formæ ſubſtantialis, ex ea enim ſimul cum forma reſultat totum aliquod ſubſtantiale compoſitum, vt homo, Leo, vnde quædam ſunt neceſsariæ conditiones, vt ſit materia proprie dicta, prima, quod non ſit accidens, ſed ſubſtantia, ideſt pars ſubſtantiæ. Secūda, quod non ſit immediate ſuſceptiua formæ accidentalis, ſed ſubſtantialis, tertia, quod naturaliter non poſſit eſse ſeparata ab omni forma, quarta quod non poſſit ſimul actuari pluribus formis ſubſtantialibus contrarijs, & non ſubordinatis, quinta quod limitate determinet formam ſuſceptam, & illam conſtituat indiuiduam; Hinc enim materia dicitur principium primum indiuiduationis.

12 Materia autem metaphorica, & improprie dicta non eſt aliud, quam potentia receptiua cuiuſcumque formæ, ſiue accidentalis, ſiue ſubſtantialis; Vnde habet oppoſitas condiciones materiæ proprie dictæ licet eaſdem quandoque poſſit habere; primo ſiquidem materia metaphorice dicta eſt accidentalis; ſecundo poteſt exiſtere abſque omni, actualitate ſibi per formam ſuper addita proueniente; tertio poteſt ſimul actuari pluribus formis, vt intellectus actuatur pluribus formis ideſt pluribus ſpeciebus, & intellectionibus; quarto poteſt eſse ſubiectum inhęſionis cuiuſcumque formæ accidentalis ſibi proportionatæ, vt intellectus omnium intellectionum, & cognitionum concluditur ergo quod ſi ſit loqui de materia proprie dicta Angelos prorſus eſse immateriales (eſt ſermo de Materia phyſica proprie dicta) ſi vero ſit loqui de materia metaphorice ſumpta aliquo modo dici materiales; probatur prima pars patet, quia materia proprie dicta indiget diſpoſitione ad recipiendam formam ſubſtantialem, ſed Angelus nō indiget tali diſpoſitione, ergo eſt proprie immaterialis, maior eſt nota ex philoſophia; minor probatur; illa diſpoſitio conſiſtit in qualitatibus alteratiuis, ſed Angelus eſt omnibus qualitatibus corporalibus alteratiuis omnino incapax, ergo eſt ſic proprie immaterialis; quod vero ſit improprie materialis facile eſt probatu, nam habet duplicem potentiam receptiuam ſuarum operationum puta intellectum intellectionū, & voluntatem volitionum hac interpretatione, & declaratione adhibita opinio Alenſis, & D. Bonauenturæ habet verum ſenſum.

13 Angelus non poteſt dici corporeus, aut materialis eo modo, quo Anima noſtra dici poteſt corporea, quia poteſt (licet ſit ſpiritus) vniri corpori per informationem; ſed Angelus, vt docet Scotus q. 9. quolib. non poteſt informare materiam, immo eſt ſimpliciter impoſſibile, quod Deus faciat Angelum informare materiam, aut vniri corpori per informationem, ſicut vnitur Anima; tum quia eſt ens ſimpliciter per ſe ſubſiſtens in vltima actualitate per ſe ſubſiſtendi; non ſic Anima rationalis, quæ quamuis ſit ſubſtantia ſpiritualis non eſt tamen de ſe in vltima actualitate per ſe exiſtendi, & ſubſiſtendi, ſed vlterius ordinatur ex natura ſua ad eſſe formam corporis; tum quia quicquid poteſt eſſe forma ſubſtantialis alicuius materiæ hoc ſibi competit immediate per eſsentiam ſuam, nec eſt alia vlterior ratio, niſi quia hoc eſt actus, illud vero potentia, ergo cui repugnat eſse hunc actum materiæ præciſè repugnat, vt ſit actus informans; poteſt tamen vniri corpori, vt motor mobili; Dices primo Dęmones alliciuntur, vel fugantur rebus corporeis, iuxta illud Tobiæ 6. accipe iecur piſcis, pone ſuper prunas, & ſic fugabis Dęmones, & ita factum eſt; cum ergo Dęmones

mul-

multoties alliciantur ſenſibilibus rebus, & fugantur rebus corporeis, corporei quoque, & ipſi videntur. Dices ſecundo Paulus Apoſtolus, inquit 1. Corint. cap. 13. ſi linguis hominum loquar, & Angelorum, ſi ergo habent organa corporea, ergo ſunt corporei; Ad primum reſpondetur Dęmones allici atque fugari rebus corporeis, non quia corporei ſunt, ſed quia ſponte ſe illis ligauerunt, vt varijs, & diuerſis modis decipiant homines, & arrogent ſibi cultum, qui Deo ſoli debetur, nam Deo quandoque tribuimus incenſum, & myrrham, & tamen non eſt corporeus; Reſpondetur ad ſecundum, quod D. Paulus enumerat illa organa non quia Angeli ſint corporei, ſed vt aliquid perfectionis illorum manifeſtet.

14 Iuxta dicta dicendũ pariter Angelicam eſſentiam, & naturam eſſe ſimplicem per remotionem quarundam compoſitionum phyſicarum, vt ex corpore, & Anima, ex materia, & forma phyſica, ex partibus etherogeneis, vel aliarum ſimilium compoſitionum; non eſt tamen actus purus ſumme ſimplex omnino incompoſitus, & incomponibilis, ſicut Deus. Pro cuius intelligentia notandum eſt ex D. Bonau. in 2. ſent. diſt. 3. art. 1. q. 1. quod Angelus poteſt ad plura comparari primo ad ſui principium, & cauſam, & ſic eſt compoſitus ex propria eſsentia, & dependentia ad Deum, qui eſt principium Angeli, & vniuerſæ creaturæ; ſecundo ad ſuum effectum, & ſic componitur ex eſse, ſubſtantia, virtute cauſandi, & ex relatione cauſalitatis; tertio ad ens in genere; & ſic metaphyſice componitur ex ente finito, & limitato; & ex partibus metaphyſicis actu, & potentia, genere ſcilicet, & differentia; quarto cõparatur ad ſuum eſſe perſonale, & ſic componitur ex quo eſt, & quod eſt, ſeu natura, quæ dicitur principium quo, & perſona, quæ dicitur principiũ quod; quinto ad ſuum eſse indiuiduale, & ſic componitur ex eo quod eſt, & quis eſt, ideſt ex propria eſſentia, & ex propria indiuiduatione ſecundum quam indiuiduum eſt indiuiſum à ſe, & diuiſum à quocumque alio, quod non eſt ipſum quam indiuiduationem Scotiſtæ expreſſiori vocabulo vocant hæceitatem; Sexto comparatur ad eſse ſuppoſitum ſingulare, & ſic componitur ex ſubiecto, & accidentibus ſingulariżantibus; Septimo ad ſuum eſſe incompletum, & ſic componitur ex poſitiuo, & priuatiuo; nam quia Angelus eſt ens finitum, & limitatum in genere entis, ideo dicitur priuatus gradu ſuperiori entis nempe illimitati, & infiniti; quamuis, vt eſt indiuiduum naturæ Angelicæ ſit perfectiſſimus Angelus, eo modo quo talpa quatenus eſt Animal vere dicitur priuata viſione quia videre competit Animali, vt Animal eſt, ſicque etiam Talpæ, vt Animal eſt; non tamen, vt talpa eſt, quæ vt ſic eſt naturaliter cęca, & negata viſione, non tamen priuata, quia vt talpa non eſt apta nata videre; octaua comparatur ad eſſe ſpiritum creatũ, & ſic componitur ex intellectu, & voluntate.

15 Angeli duplici diſtinctione diſtinguuntur, nempe extrinſeca, & intrinſeca; Diſtinctio extrinſeca eſt illa ſecundum quam Angeli diſtinguntur in Hierarchias, & ordines; diſtinctio intrinſeca eſt illa ſecundũ quã Angeli diſtingũtur inter ſe ſecundum ſpeciem, & ſecundum numerum; Quantum ad primum, & extrinſecam diſtinctionem dicendũ eſt naturam Angelicam, ſiue Angelicos ſpiritus in tres claſſes, ſeu Hierarchias diſtribui, ſeu diſtingui in ſupremam mediam, & infimam, & tres ordines in ſingulis Hierarchiæ reperiuntur in ſuprema Seraphini, Cherubini, et Throni, in media Dominationes, Virtutes,

Digitized by Google

et Poteſtates; in infima Principatus, Archangeli, et Angeli; Tres eſſe Hierarchias ex ſcripturis probari non poteſt; ſoli Patres hoc nobis tradiderunt, inter quos primus, & Anteſignanus fuit D. Dionyſius Areopagita libro de Cœleſti Hierarchia Cap. 6. D. Damaſcenus lib. 2. de fide Cap. 3. D. Anſelmus ad Cap. 12. poſterioris ad Corinthios. Vgo Victorinus in ſumma ſententiarum tractatu 2. Cap. 5; Magiſter in 2. diſt. 9. D. Thomas p. p. qu. 108, D. Bonau. in 2. diſt. 9. Hi omnes citant D. Dionyſium et ex illo docent tres eſſe Hierarchias Angelorum hanc Doctrinam magno conſenſu amplectuntur ſcholaſtici; quæ vt magis elucelcat notandum eſt ſecundum Ethymologiam nominis Hierarchia dicitur ab hieras, quod eſt ſacrum, & archos, quod eſt Princeps quaſi ſacer Principatus; quæ generice, & communiter ſumpta hic definitur, Hierarchia eſt rerum ſacrarum, et rationabilium ordinata poteſtas in ſubditis debitum retinens principatum; hæc generalis definitio competit Hierarchiæ Angelicæ, & humanæ non autem diuinæ, quia in ea nullus eſt principatus.

16 Hierarchia igitur triplex eſt nimirum diuina, ſiue ſupercęleſtis; Angelica, ſiue Cęleſtis, et humana, ſiue ſubcęleſtis; Hierarchia diuina ita definitur à B. Dionyſio prout refertur à D. Bonauentura, eſt diuina pulchritudo, vt pulchra, vt ſimpla, vt optima, vt conſumata, vel vt conſumatiua, in qua definitione tria exprimuntur primum diuinarum perſonarum pluralitas, quoniam dicitur Hierarchia eſt diuina pulchritudo; nam pulchritudo tria inſinuat ſcilicet æqualitatem, proportionem, & magnitudinem debitam, & proinde pluralitatem, cum nihil ſit ſibi æquale; ſecundo exprimitur diuinarum perſonarum vnitas, cum additur, vt ſimpla indiuiſibilis, nam ſic ibi eſt pluralitas, vt tamen non tollatur vnitatis ſimplicitas. Tertio exprimitur perfectionis infinitas ſcilicet vnitatis, & ſimplicitatis diuinæ cum trinitate perſonarum; dum dicitur, vt optima, & vt conſumata, nam ſic in Deo eſt vnitas, vt tamen ſit ſumma bonitas, & conſumata, ideſt perfectiſſime, & cumulatiſſime communicata; & quamuis in diuinis perſonis non ſit proprie principatus, ſecundum quem præſunt ſibi, eſt tamen ibi principatus per antonomaſiam, ſecundum quem præſunt alijs ad extra, vel poteſt dici, quod ad eſſe Hierarchię ſufficit quod in Patre ſit authoritas originis reſpectu filij, et Spiritus Sancti; et quamuis in diuinis vna perſona non illuminet, nec inflammet alteram, Pater tamen communicat alijs perſonis ſapientiam, potentiam, bonitatem, et omnes alias perfectiones eſſētiales, quibus tota Trinitas illuminat, et inflammat omnem intellectualem creaturam.

17 Hierarchia Angelica, et Eccleſiaſtica iam in ſuperiori numero vnica, et communi definitione definitæ ſunt, et dictum eſt, quod vtraque Hierarchia eſt rerum ſacrarum, et rationabilium ordinata poteſtas in ſubditis debitum retinens principatum; pro qua obſeruādum eſt, quod quemadmodum vniuerſa creatura dicitur eſſe quidam principatus; ſic, & inter ipſas creaturas oportet dare aliquas principari alijs; & ſicut neceſſe eſt inter creaturas eſſe quoſdā gradus, et quoſdam ordines, ita in hierarchia Angelica, et Eccleſiaſtica ſunt gradus, et ordines, quorum quidam dicuntur maiores, alij minores; ſecundo obſeruandum, quod Hierarchia tam Angelorum quam hominum eſt rerum ſacrarum, quia verſatur circa res ſacras, vel quia eſt ordinata ad communicationem rerum ſacrarum; Angelica quidem quæ ordinat miniſtros ſuperiores (de quibus infra) ad illuminandos inferio-

res

Digitized by Google

res reuelatione, et locutione de recondìtis miſterijs, et eos inflamandos, excitatione charitatis, et aliorum ſupernaturalium donorũ; Eccleſiaſtica quoque ordinat miniſtros ſuperiores, vt ſummum Pontificem, et alios ſuperiores Prælatos ad docendum inferiores doctrinam ſanam, & ſalutiferam, vt & ipſi valeant docere rudem populum, & illum excitare ad deteſtanda peccata, & ad diligendum Deum ſummum bonum ſacramentorum adminiſtratione.

18 Relictis pro nunc Hierarchijs diuina, et Eccleſiaſtica loquamur de Angelica, quam diximus diuidi in triplicem ſupremam, mediam, et infimam; quæ quomodo inter ſe diſtinguantur non eſt definitum; Antiqui Patres pauca habent de hac re; pluras Scholaſtici: Poteſt autem tota diſtinctio ad tria capita reuocari, nam primo quæri poteſt an diſtinguantur in naturalibus; ſecundo an in ſupernaturalibus; tertio an officijs, & dignitate; Ex doctrina Scholaſticorum poſſumus dicere omnibus illis modis diſtingui, quod ſic explicari poteſt; Tres ſunt diſtincti modi, quibus Angeli cognoſcunt per primam cauſã, alij per ſecundas cauſas vniuerſaliſſimas; alij per proprias et particulares; Primi pertinent ad primam Hierarchiã ſecundi ad mediam; tertij ad infimam; Rurſus tres ſunt diſtincti modi, quibus Angeli ſupernaturaliter cognoſcunt; ſupremi immediate recipiunt Diuinas à Deo reuelationes; medij à ſupremis, infimi à medijs; ſupremi pertinent ad primam Hierarchiam, medij ad mediã, et infimi ad infimam; Deniq; tres ſunt diſtincti modi, quibus Angeli Deo ſeruiunt ſupremi velut intimi cubicularij Deo ſemper aſſiſtunt; Medij habent generalem adminiſtrationẽ huius mundi. Infimis particularis cura demandata eſt; Hæc D. Thomas 1. p. q. 108. per varios articulos; Verum hæc omnia obſcura ſunt, & obſcurius ab interpretibus explicantur, & pluribus difficultatibus inuoluuntur, quarum deciſio pendat à doctrina infra late tradenda.

19 Aptius igitur poteſt dici diſtinctionem trium Hierarchiarum fundari in diuerſitate meritorum, non autem in diſtinctione naturæ, & eſſentiæ, maiora ſunt merita maioris, & ſupremæ hierarchiæ, quam mediæ, et maiora mediæ, quam infimæ. Illi ergo Angeli, qui in via cum accepta gratia magis cooperati ſunt, et maiora habuerunt merita in ſuprema Hierarchia relati ſunt, qui minus effecerunt in mediam coaptati, qui vero minimum in infima relicti; atque in hac proportione meritorum fundatur etiam proportio gloriæ, ſeu viſionis, et fruitionis Beatificæ, diuinarum reuelationum officiorum, et dignitatũ; Nam quo quiſque maiora habuit merita in via, eo nunc maiorem habet gloriam, perfectiores reuelationes digniora officia; res clara eſt, nec opus eſt alijs ambagibus; & fauet D. Hieronymus contra Iouianum lib. 2. Cap. 15. vbi loquens de Angelis ſic ait, ſine cauſa diuerſitas nominum, vbi non eſt diuerſitas meritorum; Dices gratia data eſt Angelis ſecundum proportionem naturalium, vt docet D. Thomas, ergo quo quiſq; fuit perfectior in natura eo ampliorem accepit gratiam, ergo maiora fuerunt ipſius merita, ergo ſi diſtinctio Hierarchiarum fundatur in diuerſitate meritorum debet etiam fundari in diuerſitate naturæ, et eſſentiæ; Reſpondetur incertum eſſe an data ſit gratia ſecundum proportionem naturalium; hoc enim probari non poteſt: ſed contraria habemus exempla, nam homines, qui in natura conueniunt, ſunt naturaliter inferiores Angelis, non ſic in gratia; nam maior fuit in Chriſto, & B. Virgine gratiarum copia, quam in vllo Angelorum, qui tamẽ natura ſuperio-

Digitized by Google

res ſunt; Hæc ſufficiant de Hierarchijs Angelorum.

20 Eſſe nouem Angelorum ordines probari ſolet ex ſcripturis, in quibus illorum fit mentio, nam Seraphim reperiuntur Iſaiæ 6. Cherubim Ezechielis 1. Throni Coloſs. 1, Dominationes, Virtutes, Poteſtates, & Principatus Epheſ. 1. Archangeli 1. Theſſalon. 4. & in Epiſt. Iudæ Angeli Hæbreorum 1. & alibi ſæpiſſime. Idem docent Patres maxime D. Dionyſius Areopagita Cap. 6. de Cœleſti Hierarchia; De horum ordinum diſpoſitione, & radice diſtinctionis eorundem nihil certi haberi poteſt; ſolum (quatenus competit) poſſumus dicere, quod dictum eſt de Hierarchijs eos nimirum inter ſe diſtingui diſpoſitione fundata in diuerſitate meritorum, & in ea fundari diuerſitatem gloriæ diuinarum reuelationum, officiorum, & dignitatum, idem nimirum de ordinibus; Qui in primo ſunt ordine maiora habent merita, clariorem Dei viſionem, & fruitionem, perfectiones, reuelationes, digniora miniſteria, quam qui in ſecundo, & hi rurſus maiora, quā in tertio, & ita deinceps; Quantus autem ſit exceſſus vnius ordinis ſuper aliū à nobis definiri non poteſt; Nihilominus aliqui Patres, & Scholaſtici præſertim, D. Gregorius, D. Bernardus, Vgo Victorinus, Magiſter, & D. Thomas ſumunt ordinum diſtinctionem ex eorum nominibus, vt Seraphini ſint, qui ardent charitate, Cherubini, qui pollent ſcientia, Throni, in quibus Deus habitat Dominationes, qui mandant, & præſcribunt, Virtutes, qui miracula faciunt; Poteſtates qui coercēt Dęmones, Principatus, qui præſunt Regnis, & Prouincijs, Archangeli, qui maiora nunciant Angeli, qui minora, ſed hæc dubia, & incerta.

21 At quare qui in primo ſunt ordine vocantur Seraphini, qui in ſecundo Cherubini, & ita conſequenter in alijs; Non ne omnibus commune eſt inflammari Charitate, & pollere ſcientia; Cur ergo paucis non omnibus id tribuitur? Hæc explicatur ſimili quæſtione; Cum tres ſint perſonæ diuinæ cur Patri tribuitur potentia, Filio ſapientia, & Spiritui Sancto Charitas, nōne attributa eſſentialia perſonis omnibus communia ſunt? ſunt vtique; Cæterum quod omnibus commune eſt vni accomodatur, cæteris non aufertur; Idem in Angelis fit Charitas, ſcientia, virtus miraculorum, & his ſimilia poſſunt omnibus competere; Cur ergo ſingula ſingulis ordinibus tribuuntur, hoc fit per accomodationem; ſed cur potius primo ordini tribuitur Charitas ex nomine Seraphinorum, quam ſecundo dicam paucis; Primus ordo ſuperat omnes reliquos in meritis, & præmijs, vt dictum eſt, ergo conſentaneum fuit, vt nomen amplioris perfectionis illis tribueretur; nomen autem Seraphim videtur ſignificare maiorem perfectionē, quam nomen Cherubim, quia hoc ſignificat ſapientiam, illud charitatem, ergo nomen Seraphim potius tribuendum fuit ſupremo ordini; De cæteris eodem modo, ac proportione ſtatuendum eſt; Fateor inter Scholaſticos eſſe controuerſiam alibi terminandam, an intellectus præſtet voluntati, conſequenter, an nobiliſſimus actus intellectus, qui eſt clara Dei viſio, ſeu ſcientia beatifica pręſtet nobiliſſimo actui voluntatis, qui eſt fruitio beatifica D. Thomas putat intellectum præſtare voluntati, ac proinde ſi ſuis vellet inſiſtere principijs dicendam ſibi eſſet Cherubinos præferri Seraphinis. Oppoſitum (& verius) tenet Scotus, de qua re alibi. Nobis hoc loco ſatis eſt ſcire, quo quiſque ordo, ſuperior eſt, & maiora habet merita, ac præmia, eo maioris perfectionis nomen illi tribuēdum eſſe.

22 Viſa

22 Viſa extrinſeca diſtinctione, & diſpoſitione Angelorũ in Hierarchias, & ordines nunc videndum eſt de eorũ intrinſeca diſpoſitione, ſeu diſtinctione adinuicem. Vtrum ſcilicet ſinguli à ſingulis differant ſpecie, & tot conſtituant ſpecies quot ſunt Angeli; De hac re duę ſunt præcipue opiniones; Prima eſt Diui Thomæ p. p. q. 5c. & omnium fermè eius Diſcipulorum dicentium tot eſſe ſpecies Angelicas, quot Angeli ſunt à Deo creati, & conſequenter ſingulos à ſingulis ſpecie differre, immo euuſque proruperunt nonnulli ex ipſis, vt auſi ſint dicere non ſolum de facto eſſe Angelos ſpecie differentes, ſed etiam per diuinam potentiam non poſſe plures in eadem ſpecie creari; Quod quam abſurdum ſit nemo eſt (vt opinor) qui non videat; cùm Dei infinita virtus non poſſit tam anguſtis limitibus circumcludi; Alia vero eſt opinio aliorum pene omnium oppoſitum ſentientium plures nimirum Angelos non ſolum poſſe eſſe per potentiam diuinam in eadem ſpecie, ſed de facto ita reperiri; hanc ſententiam defenderunt Alexander Alenſis 2. p. quæſtio. 20. membro 6. D. Bonauentura in 2 diſt. 3. p. 1. art. 1. q. 1; Scotus, & omnes eius diſcipuli in 2. diſt. 3. q. 7. & quolib. 2. Durandus in 2. diſt. 3. q. 3. Gabriel ibidem qu. 1. & alij plures; Hæc opinio, vt vera probatur efficaciſſimis rationibus, & primo de poſſibilitate ſic, quod non inuoluit contradictionem, & repugnantiam fieri poteſt per diuinam potentiam, ſed plures Angelos in eadem ſpecie non repugnat, nec implicat contradictionem, ergo fieri poteſt per diuinam potentiã, maior cum conſequentia eſt naturaliter nota; minor etiam faciliime probatur, nam nulla poteſt aſſignari ratio contradictionis, aut repugnantiæ, ergo.

23 Probatur ſecundo omnis quiditas quantum eſt de ſe eſt communicabilis pluribus ſuppoſitis, ſed ſpecie Angelicæ ſunt quiditates, ergo pluribus ſuppoſitis ſunt communicabiles, Confirmatur, quia ſi quiditas non eſſet communicabilis, vel eſſet propter perfectionem, vel propter imperfectionem. non primum quia eſſentia diuina, quamuis perfectiſſima eſt communicabilis, nec ſecundum, quia generabilibus, & corruptibilibus quamuis imperfectis quiditas communicatur, ergo nec propter perfectionem, nec propter imperfectionẽ ſtat, quin ſit quiditas communicabilis; Iam vero nulla quiditas eſt communicabilis in identitate numerali, niſi ſit infinita, ergo quælibet alia finita eſt communicabilis cum diſtinctione numerali, ſed quiditas Angelica eſt finita, ergo eſt communicabilis cum diſtinctione numerali; Probatur ſecundo Deus poteſt annihilare hunc Angelum; vel ergo poteſt illam ſpeciẽ de nouo producere in aliquo alio indiuiduo, vel non, ſecundum dici non poteſt; quia ſemel potuit illam ſpeciem producere, ergo adhuc poterit, aut virtus eius eſt abbreuiata; æque enim ſe habet ad productionem alterius Angeli in illa ſpecie, ſicut ſe habebat antequam produceret primum; ſi primum ergo plures Angeli poſſunt communicare in eadem ſpecie; tertio probatur ex D. Thoma contra D. Thomam; in 1. diſt. 20, ibi enim videtur illi inconueniens, quod aliqua ſpecies naturæ intellectualis ſit tota ſimul damnata, ſed ſi tot eſſent ſpecies, quot Angeli, cum multi Angeli ſint damnati multæ ſpecies naturæ intellectualis eſſent totæ damnatæ, ergo ſecundum ipſum, hoc eſt inconueniens. Quarto Animæ intellectiuæ diſtinguntur numero ſub eadem ſpecie, ſed eſt eadem ratio Angelorum, ſicut & Animarum à corpore ſeparatarum; ergo ſicut illæ ſic, nec iſti diſtinguntur ſpecie, ſed numero tantũ,

24 Quin-

24 5. probatur; natura, quæ non eſt purus actus poteſt determinari, & contrahi quantum eſt de ſe aliqua entitate poſitiua, ſed natura Angelica, ſpecifica non eſt purus actus, ergo ipſa poteſt contrahi, & determinari ad eſſe hanc aliqua entitate poſitiua, & per conſequens poteſt plurificari in plura indiuidua; ſexto ſicut impoſſibile eſt, quod genus arctetur, & determinetur ad vnā ſpeciem, ſic quod repugnet ſibi habere plures ſpecies, ita repugnat ſpeciei ſpecialiſſimæ arctari ad vnicum indiuiduum adeo, quod repugnet ſibi pluralitas indiuiduorum; ſed generi repugnat illud ſimpliciter, ergo, & ſpeciei cuicumque repugnat, ita quod eſt plana contradictio ponere aliquam naturam ſpecificam cui repugnet pluralitas indiuiduorum; Quod vero de facto dentur plures Angeli in eodem ſpecie probatur ex D. Damaſceno in Elementario Cap. 12. vbi ſic inquit de Deo; plures Angelos in eadem ſpecie produxit, vt communicantes ad inuicem naturam, gaudeant ad inuicem, & naturali beatitudine copulati ad inuicem ſecure, & amicabiliter diſponātur; ſed & quod magis hanc ſententiam confirmat eſt, quod nonnulli Patres innuere videntur omnes Angelos eſſe eiuſdem ſpeciei; D. enim Anſelmus lib. 2. Cur Deus homo Cap. 21. omnes inquit Angeli ſunt vnius naturæ, D. Athanaſius in quæſtionibus ad Antiochum, ſicut ait Angeli vnius ſpeciei ſunt, ita credimus de noſtra natura, & quęſt. 8. ſic loquitur ſubſtantia certe, vt hominum ſic, & Angelorum eſt vna, & D. Gregorius Nazianzenus in oratione in laudem Virginitatis, omnes inquit inter ſe miro iunxit concordia nexu; Idem quiſque ſibi natura eſt omnibus vna, vnaque mens ſimulque Dei rapiuntur amore.

25 Obijcies primo in ſeparatis à materia idem eſt quiditas, & illud cuius eſt quiditas, ſed Angeli ſunt ſeparati à materia, omnis autem differentia ſecundum quiditatem ſumpta eſt ſpecifica, ergo Angeli ſunt ſpecie diſtincti, ſecundo omnis forma ſeparata à materia habet in ſe perfectionem ſuæ ſpeciei, ſed Angelus eſt huiuſmodi, confirmatur quia multiplicatio indiuiduorum ſub eadem ſpecie fit per materiam ex 5. Met. ſed in Angelis non eſt materia ergo &c. Reſpondetur ad primum, quod ſeparata à materia ſunt duplicia quædam ſunt vniuerſalia, & de his debet intelligi veritas prędictę propoſitionis ex 7. Met. text. 20. & 21. quædam vero ſunt particularia, & in illis non eſt idem quiditas, & illud cuius, eſt quiditas, quia idem eſſet eſſentia, & eſſe quod eſt contra ipſum D. Thomam; huiuſmodi autem ſunt Angeli, qui componuntur ex quo eſt, & quod eſt, ideſt ex natura, & perſonalitate; Ad ſecundum; & ſuam confirmationem. Reſpondetur Angelum non eſſe prorſus ab omni materia ſeparatum, quamvis enim non habeat materiam phyſicam, metaphyſica tamen non caret, quæ dicit entitatem accidentium quoquo modo ſuſceptiuam, & ſic nihil probat argumentum, nec ſua confirmatio, immo nec præcedens argumentum; Sed argues adhuc ordo indiuiduorum in eadem ſpecie eſt imperfectus, ergo non eſt tribuendus Angelis, ſed ſolus ordo ſpecificus; quemadmodum etiam corpora cœleſtia ob ſuam perfectionem differunt omnia ſpecie quibus tamen Angeli ſunt perfectiores; Reſpondetur, quamvis ordo indiuiduorum ſit imperfectior, quam ordo ſpecierum non tamen eſt remouendus ab Angelis, quemadmodum licet gradus genericus ſit imperfectior quam ſpecificus non tamen negatur huiuſmodi gradus genericus in Angelis; Ad illud, quod adducitur de cor-

peri-

poribus Cœleſtibus, quod omnia ſint diuerſæ ſpeciei; dicendum quod ratio non eſt quia illis repugnet imperfectio ordinis indiuiduorum in eadem ſpecie, ſed quia non fuit neceſſarium, aut vtile, vt eſſent plures Cœli eiuſdem ſpeciei, nec expediebat ad perfectionem vniuerſi.

26 Dices iterum multiplicatio indiuiduorum in eadem ſpecie eſt propter conſeruationem ſpeciei, ergo in Angelis eſt ſuperuacanea, cum non corrumpantur. Ad ſecundum negandum eſt antecedens, quia alias ſequeretur, quod non eſſet neceſſarius filius in diuinis, cum in Patre conſeruaretur natura diuina; Item dato, quod Adam non peccaſſet fuiſſet multiplicatio hominum, qui tamen eſſent immortales; Non approbamus tamen opinionem Alberti Magni p. 2. tract. 2. q. 8. nec Diui Bonau. & aliorum affirmantium omnes Angelos cuiuſcumque Hierarchiæ, & ordinis ſint ſolo numero differre; Scotus enim in 2. diſt. 3. q. 4. & alij dicunt rem eſſe incertam, & litem adhuc ſub iudice; Altera ſiquidem ex parte credibile videtur tot eſſe ſaltem Angelorum ſpecies quot ſaltem ordines, vel Hierarchiæ cum quælibet Hierarchia ab alia diſtincta diuerſas habeat functiones, diuerſaſque perfectiones; idẽ dic de quolibet ordine diſtincto ab alijs ordinibus; Ex altera vero parte credibile eſſe apparet non plures eſſe Angelorum ſpecies quam hominum, ſed vnã tantũ illorum, ſicut & iſtorum, illos autem ſolo numero eſſe diſtinctos ſicut, & iſtos, cum hi ſint procreati ad inſtaurandam illorum ruinam; Item plures eſſe Angelorum ſpecies probabile cenſetur, cum quo plures ſunt ſpecies, eo maiorem Dei ſapientiam, & potentiam in rebus ſpiritualibus, ſicut etiam in corporeis condendis dignoſcamus. E contra non apparet vlla ratio cur debeat ex diuerſis ſpeciebus natura in genere creaturæ ſimpliciſſima coaugmẽtari; neque enim conſentaneum videtur, quod diuerſæ ſpecies Angelicæ vnica tantum ſpecie humana deberent inſtaurari. His, & alijs ſimilibus probabilitatibus pro vtraque parte deducibilibus quæſtio remanet ſub Iudice indeciſa.

27 Angelus, & Anima non differunt ſpecie tanquam duæ ſpecies, ſed tanquam ſpecies, & pars ſpeciei per ſe ſeu ſe ipſis formaliter Scotus in 2. d. 1. q. 6. quia Anima rationalis non eſt ſpecies, ſed pars ſpeciei, conſtituit enim hominem per modum partis ex ſe ipſa, & ratione ſui; diſtinguntur vero ſecundario per vnibilitatem ad materiam; Idem Scotus quolib. 9. quia vnibilitas vnius naturæ ad materiam, & non vnibilitas alterius naturæ arguunt à poſteriori diuerſitatem ſpecificam talium naturarum; Operationes naturales, & ſupernaturales, ſiue beatificæ Angelorum non diſtinguntur ſpecie per ſe, licet diſtinguantur principiatiue, ſiue potentiæ diſtinguantur ſiue non; tum quia omnes ſunt circa idem obiectum primarium ſcilicet eſſentiam diuinam, ergo ſunt eiuſdem ſpeciei, tum quia dilectio naturalis, & meritoria ex quolib. 17. non diſtinguntur ſpecie loquendo de diſtinctione ſpecifica per ſe ergo operatio Angelorum naturalis & ſupernaturalis non diſtinguntur ſpecie per ſe licet diſtinguantur principiatiue, quia operatio naturalis vt intellectio eſt ab intellectu intra limites ordinis naturalis conſtituto; operatio autem ſupernaturalis eſt ab intellectu eleuato lumine gloriæ. Immo neque operationes beatificæ, ſeu viſiones Angelorum, aut fruitiones diſtinguntur ſpecie ab operationibus beatificis hominum eſt Scoti loco citato in 2. quia ſi viſiones beatorum hominum, & Angelo-

Digitized by Google

rum diſtinguerentur ſpecie; nullus homo beatus poſſet habere viſionem eſſentiæ diuinæ (etiam perfectiſſimus in meritis) excellentiorem quam infimus Angelus, quod tamen de facto eſt falſum; nam viſio Animæ Chriſti, & Beatiſſimæ Virginis ſuperant viſiones omnium Angelorum non ſolum ſecundum perfectionem accidentalem, ſed etiam eſſentialem; conſequentia patet, quia vna ſpecies nunquam poteſt attingere perfectionem alterius ſpeciei; nec indiuiduum vnius ſpeciei poteſt attingere, vel ſuperare perfectionem indiuidui alterius ſpeciei, ſicut argentum non poteſt attingere perfectionem auri.

28 Angeli per comparationem ad agens creatum ſunt incorruptibiles ſecundum ſubſtantiam, quia quicquid currumpitur, à ſuo contrario corrumpitur inquit Ariſt. & non à quocumque ſed à determinato, ſed Angeli nullum habent contrarium creatum cum ſint ſimplices ſubſtantię, ſi quidem ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, & maxime ſpirituali, & ſimplici, cuius modi eſt natura Angelica in genere creaturæ; Per comparationem vero ad agens increatum non eſt incorruptibilis, quia virtus agentis increati cum ſit infinita nulli dubium eſt quamlibet creaturam eſſe in potentia obedientiali reſpectu ipſius æque ad non eſſe, ſicut fuit ad eſſe; æque enim Deus poteſt Angelos, & quamcumque creaturam annichilare, ſicut & creare eſt certiſſimum apud omnes D. D. Per comparationem vero ad naturam Angelicam, & quamlibet creaturam dicendum eſt Angelos non eſſe ſimpliciter incorruptibiles, cum omnis creatura mutabilis ſit ex ſe non tantum ſecundum accidentia, ſed etiá ſecundum ſubſtantiam deſinendo. Idque ſuapte natura conueniat cuilibet creaturæ; & certum eſt inquit D. Bonau. in p. diſt. 8. p. p. art. 2. q. 2. quod omnis creatura ſicut ex nihilo producta eſt, ſic in nihilum reduceretur, ſi ea manu non fulciretur Creatoris, quia enim creata eſt, & accepit eſſe ab alio, qui eam fecit eſſe, cum prius non eſſet, ex hoc non eſſet ſuum eſſe, & conſequenter non eſt purus actus, quia habet poſſibilitatem ad non eſſe; & ratione poſſibilitatis fluxibilitatem, & variabilitatem, & idcirco caret ſtabilitate, nec poteſt eſſe niſi per præſentiam, & cõſeruationem eius qui dedit ei eſſe.

29 Quantum ad numerum Angelorum vix certo definiri poteſt; Daniel propheta Cap. 7. verſu 10. dicit millia millium miniſtrabant ei, ideſt Deo; & decies centena millia aſſiſtebant ei; Syrus, & Arabicus miriades miriadum ſtant coram eo; & D. Hieronymus exponens dictum Danielis ſic ait; non quod iſte miniſtrorum Dei numerus definitus ſit, ſed quoniam maiorem multitudinem huiuſmodi ſermo explicare nequiuerit; & Cap. 14. Cœleſtis Hierarchiæ idem Sanctus, ita inquit multi ſunt beati Cœleſtium mentium exercitus, qui infimum, & contractum numerum corporeorum, quibus vtimur ſuperant, & tranſeunt, & D. Gregorius Magnus lib. 27. Moral. Cap. 7. ſic ait ſupernorum ciuium numerus infinitus eſt, & definitus exprimitur, vt qui Deo eſt numerabilis eſſe hominibus innumerabilis demonſtretur; Hinc D. Dionyſius, & Theologi docent numerum Angelorum proprie quidem non eſſe infinitum, ſed limitatum, & finitum, eundem tamen eſſe plurimum, & hominibus incomprehenſibilem; immo vt dicit Dionyſius 14. de Cœleſti Hierarchia aſſerit numerum Angelorum excedere multitudinem ſpecierum rerum materialium, ſeu corporearum; inquit enim ibi D. Dionyſius, multi ſunt exercitus ſupernarum mentium excedentes contrictam hanc, &

iuſi

inſimam comenſurationem materialiū; &c. numerus tamen Angelorum non excedit multitudinem omnium indiuiduorum ſubſtantiarum materialium, probatur primo, quia non videtur rationi conſonum, quod Angeli excedant ſecundum numerum grana Arenę milij tritici vuarum foliorum arborum, Cęteraque indiuidua aliarum rerum, quæ actu ſunt fuerunt, & erunt; Idem enim incredibile eſſet, probatur ſecundo quia indiuidua nō pertinent ad perfectionem vniuerſi, ſicut ſpecies.

De loco motu, & menſura Angelorum. Art. II.

1 DE loco Angelorum plures fuerunt opiniones, quidam enim exiſtimarunt ſubſtantias ſeparatas nullo modo eſſe in loco, eo quia nullam haberēt operationem tranſeuntem circa corpora, & ſi quis obijceret, quod mouebant Cœlos, & ideo habebant operationem tranſeuntem; Reſpondebant negantes corpora cœleſtia moueri à ſubſtantijs ſeparatis effectiue, ſed in ratione cauſæ finalis, ſicut amatum mouet amantem; Nonnulli aſſeruerunt Angelos nuſquam eſſe, ſic quod illis debeatur locus, vel ſitus definitiue, ſed eſſe præſentes cuilibet corpori præſentia ordinis nō pręſentia ſitus; Alij dixerūt Angelos nequaquā eſſe proprie in loco, ſed metaphorice, & abuſiue. Sed omnes hæ ſententiæ reijciuntur, & improbantur communi Theologorum Schola; Prima quidem provt negat Angelos habere operationem tranſeuntem erronea eſt, & eſt contra ſacram ſcripturam, in qua legitur Angelos exterius multa operatos fuiſſe, vt occidiſſe multa millia hominum, apparuiſſe multis; Dæmones multorum corpora intrant, inde que à Chriſto Domino, & Sanctis Apoſtolis expulſos fuiſſe; ſecunda itidem eſt falſa, quia ſequeretur, quod Angelus eſſet vbique, quod ſoli Deo conuenit; Inſuper ſi eſſentia Angeli eſſet ſimul præſens omni corpori, tunc eius virtus ſimul poſſet operari in omni corpore, quod eſt impoſſibile; Tertia quoque eſt temeraria, nam Theologi communiter aſſerunt Angelos fuiſſe creatos in Cœlo empyreo.

2 Cœlum Empyreum locus Creationis Angelorum, & ſedes fęliciſſima omnium Beatorum, quam ſperamus nobis a diuina Clementia elargiendam, humana ratione inueſtigari non poteſt cum ſenſui non ſubiaceat, & ſit immobile; ideo philoſophi illud omnino negant, & veritas Catholica concedit, & colligitur ex ſacris litteris, primo Moyſes dixit in principio creauit Deus Cœlum & terram; Vnde nomine Cœli intellexit Cœlum empyreum, nam alios Cœlos in alia creatione creauit, nempe ſecundæ diei, & quartæ, vt in ſequenti libro videbimus, cui veritati tota Eccleſia aſſentit, & omnes Theologi Scholaſtici vnanimiter conſentiunt Cœlum empyreum eſſe; nec deſunt rationes id probabiliter ſuadentes; Hoc Cœlum empyreum eſt corpus ſpirituale, & intellectuale, immobile, quietum, lucidiſſimum, inter omnia ſimplicia corpora nobiliſſimum, contemplationi glorię aptiſſimum, circumſtans immediate omnes Cœlos mobiles, ornatum varietatibus præmiorum, omniumq; amęnitatibus incogitabilis pulchritudinis, & indicibilis diſpoſitionis in gloria, vt decet Aulā Regis ſupremi; In qua deſcriptione dicitur primo quod Cœlū empyreū eſt corp⁹ ſpirituale, & intellectuale, nō quod nō habeat vel habeat intellectū materiam naturalem ſed quia nō ſubijcitur viſui noſtro & quia locus eſt Beatorum ſpirituum, & hominum glorificatorum; denique, quoniam à nobis

Digitized by Google

percipitur per fidem, qua intellectus noſter aſſentit ſacræ ſcripturæ, ſecundo dicitur immobile quietum, & lucidiſſimum, quia ſic conuenit ſtatui beatorum, propter quos creatum eſt; nam cum illi ſint in plena participatione quietis, æternitatis, & æternæ lucis, propterea tale corpus debet eſſe immobile, quietum, incorruptibile, & lucidiſſimum.

3 Dicitur tertio inter omnia corpora nobiliſſimum, quia ſcilicet ſupremum omnium locorum temporalium, quarto dicitur gloriæ contemplationi aptiſſimum; quoniam ſicut contemplatio Dei, in qua conſiſtit felicitas Angelorum, & omnium hominum beatorum ſuper omnia corpora eleuat intellectũ, ita Cœlum empyreum inter omnia corporalia eſt magis eleuatum, & per conſequens contemplationi magis aptum, quinto additur circumſtans immediate omnes Cœlos mobiles, ideſt Cœlum Cryſtallinum, quod etiam appellatur aqueum propter ſimilitudinem, quam habet cum aqua congelata in diaphaneitate, & ſoliditate, quod Cœlum appellant aſtrologi, decimã ſpheram, circundat etiam Cœlum mobile, & Cœlum ſidereum ideſt firmamentum, in quo ſunt ſtellæ fixæ, & ſeptem Cœlos 7. planetarum ſtellarum errantium, S. Saturni, Iouis, Martis, Solis, Mercurij, Veneris, & Lunæ, ſexto ſubiungitur ornatum varietate præmiorum, quia ibi ſunt nouem Chori Angelorum, & multæ manſiones Animarum, diſtinctorum meritorum, & præmiorũ ſeptimo dicitur omnibus amenitatibus plenum, in excogitabilis pulchritudinis, & indicibilis diſpoſitionis; nam appellatur Paradiſus ideſt hortus deliciarum.

4 Hoc Cœlum proprie conditum eſt propter Angelos, vt euidenter colligitur ex eorum creatione, quæ ſecundum communiter Theologos facta eſt in Cœlo empyreo; Item conditum eſt propter habitationem hominum beatorum; Hinc D. Thomas ait quod in futura remuneratione gloria duplex ſperatur videlicet ſpiritualis, & corporalis non ſolum in glorificandis corporibus humanis, ſed etiam in toto mundo innouando; Incohata eſt autem ſpiritualis gloria à mundi principio in beatitudine Angelorum, quorum æqualitas ſãctis promittitur; *Hinc* fuit conueniens, vt etiam à principio corporal*is* gloria incoharetur in aliquo corpore, quod abſque ſeruitute corruptionis, & mutabilitatis, atque totaliter lucidum eſſet, quemadmodum tota corporalis creatura expectatur poſt reſurrectionem; Ex dictis patet Cœlum empyreum verè, & proprie eſſe corpus; probatur tamen, nam Cœlum hoc dictum eſt empyreum ideſt igneũ non à calore, ſed à ſplendore, vt Doctores tradunt; ſed ſplendor ſpectat ad rem corporalem, ergo Cœlum empyreum eſt corpus. Item corporum locus non poteſt eſſe niſi corporeus, ſed Cœlum empyreũ ponitur locus Chriſti, & Sanctorum, qui poſt reſurrectionem corpora habebunt, ergo Cœlum empyreum eſt corpus rurſus corporalia mota localiter debent eſſe in loco corporali, ſed vltimum mobile mouetur localiter, ergo eſt in aliquo loco corporali, quod non eſſet, niſi Cœlum empyreum eſſet corpus; quoniam vltra vltimum mobile eſt Cœlum empyreum, ergo Cœlum empyreum eſt verum corpus naturale, & conſequenter conſtans ex materia, & forma, que dicuntur natura; non tamen eſt affectum qualitatibus naturalibus actiuis, & paſſiuis.

5 Hoc Cœlum eſt omnino immobile; nam omnis motus eſt propter indigentiam, & ſi fuerit localis propter indigentiam loci, aut ſitus, qui per motum acquiritur; ſed in completiſſi-

mo

Digitized by Google

mo illo corpore nulla poteſt eſſe indigentia, ergo eſt immobile; Dices magis repugnat motus ſpiritui quamcuicumque corpori, ſed ipſe Angelus cum eſt in vno loco poteſt moueri ad alium locum, ergo multo magis Cœlum empyreum erit mobile ſecundum locum; Reſpondetur non eſſe ſimile de Angelo, & Cœlo empyreo, quoniam Angelis non repugnat motus localis, repugnat autem Cœlo empyreo, propterea quod ordo vniuerſi non requirit motum eius; Angelis ergo, nec motus localis repugnat, ita Scotus cum ſuis diſt. 2. q. 6. Secundi ſent dicens in Angelo eſſe potentiam paſſiuam eſſendi in loco quia non repugnat ſibi; quæ potentia vel fundatur immediate in eius ſubſtãtia, qua poteſt eſſe in loco; vel in ipſa in quantum eſt natura limitata actualiter exiſtens, vel in aliquo extrinſeco ipſi Angelo quicquid illud ſit. Sed notandum eſt ex D. Bonau. lib. 2. diſt. 2. p. 2. art. 2. q. 1. quod locus habet triplicem comparationem ad locatum, primo in ratione continentis, ſecundo in ratione menſurantis, tertio in ratione conſeruantis, continet enim vt vas, menſurat vt quantitas, & conſeruat, vt natura, & ſecundum hanc triplicem habitudinem, vel aliquam harum trium ſunt in loco omnes ſubſtantiæ finitæ, ſiue corporeæ, ſiue ſpirituales, corporeæ quidem, & corruptibiles ſunt in loco ſecundum hanc triplicem habitudinem, quia enim ſunt finitæ, & limitatæ ſunt in loco continente, quia corporales in loco menſurante, quia corruptibiles in loco conſeruante.

6 Subſtantiæ corporeæ, & incorruptibiles ſunt in loco ſecundum duas tantum, quia namque ſunt finitę, & limitatæ ſunt in loco cõtinente, quia corporales ſunt in loco menſurante, ſed cum ſint incorruptibiles, non indigent loco conſeruante; ſubſtantiæ demum ſpirituales ſunt in loco ſecundum tantum vnam habitudinem, nam cum ſint finitæ, & limitatæ ſunt in loco continente, ſed cum ſint incorporeæ, & non quantæ, non indigent loco menſurante; & cum ſint incorruptibiles non indigent loco conſeruante; Nam Angelus indiget ſolum conſeruante ſpirituali virtute ſcilicet diuina, cum ſine illa ſubſiſtere non poſſit; Ratio autem quare cõtineatur loco corporali duplex eſt; vna eſt limitatio ipſius ſpiritus beati, cũ enim ſpiritus increatus, qui eſt Deus, habeat in ſe ſummam ſimplicitatem, per quam eſt intra omnia, & immenſitatem, per quam continet omnia, & eſt extra omnia; communicat illas conditiones creaturæ eatenus, quatenus nata eſt ipſas recipere; Vnde ſimplicitatem ſpiritui communicat, ſed ſpiritus non potuit virtutem continentiæ recipere, cum enim ſimplicitas eius ſit finita ſpiritus eſt hic, & nunc, & cum non habeat partem extra partem, vbi eſt ſpiritus ibi totus eſt, & non poteſt habere capacitatem vniuerſalem rerum, & omnia complecti, ſicut Deus; ſecunda ratio & omnino extrinſeca eſt operatio eiuſdem Angeli tranſiens ad res temporales; Cum omnes Angeli ſint adminiſtratorij ſpiritus, vt inquit D. Paulus ad Hæbr. 1, adminiſtratorij ſpiritus inquam rerum temporalium ſæpiſſimas operationes exercent tranſeũtes, & terminantes ad res corporeas, ideo continentur, & ipſi loco corporeo.

7 Angeli igitur ſunt in loco proprie, & non ſolum metaphorice, ita Doctor ſubtilis in 2 ſent. diſt. 2. q. 5. & 6. & quolib. 11. tùm quia licet Angelus non ſit in loco circumſcriptiue, quemadmodum res corporeæ ſunt in loco, cum ſit totus in toto loco, & totus in quali bet parte loci, & non extendatur ad extenſionem loci, eſt tamen in loco de-

Digitized by Google

finitiue, quia ita eſt in vno loco, quod non in alio ſimul, & ſemel, ergo eſt proprie in loco, tum quia ſi Angelo non poſſet conuenire vniri loco, id eſſet maxime propter eius immaterialitatem, quia eſt omnino incorporeus, ſed hæc immaterialitas non obſtat vt Angelus loco vniatur, ergo vere poteſt ei conuenire, eſſe vnitum loco; conſequentia patet, nihil enim aliud videtur poſſe aſſignari, quod huiuſmodi vnionem Angeli cum loco impedire poſſit, minor probatur Deus enim, & ſi ſit immaterialis tamen eſt præſens omni loco iuxta illud Ierem. 23. 24 Cœlum, & terram ego impleo, & iuxta illud D. Auguſtini ad Dardanum lib. de præſentia Dei ſic ſcribentis, cum Deus ſit natura incorporea, & incommutabiliter viua, æterna ſtabilitate in ſe ipſa manens adeſt omnibus rebus, & ſingulis totus &c. Similiter Animæ ſeparatæ à corporibus, cum ſint immateriales ſunt præſentes ſecundum ſuam ſubſtantiam alicui loco, tum quia corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus licet non circumſcriptiue, quia non eſt ſub modo quantitatiue, nec definitiue, quia ita eſt ſub vna hoſtia ſicut ſub alia, ergo multo magis competit Angelo eſſe in loco.

8 Quomodo vero Angelus poſſit eſſe in loco corporeo; ſunt potiſſimum duæ Doctorum ſententię, prima eſt Diui Thomæ p. p. q. 52. art. 1. & Thomiſtarum pęnè omnium aſſerentium Angelum eſſe in loco ęquiuoce tantum reſpectu corporis; Corpus enim inquit D. Thomas loco citato eſt in loco per hoc, quod applicatur loco ſecundum contactum dimenſiuę quantitatis, quę quidem in Angelo non eſt, ſed eſt in eo quantitas virtualis; per applicationem igitur virtutis Angelicæ ad aliquem locum qualitercumque dicitur Angelus eſſe in loco corporeo; E contra D. Bonau. in 2. d. 2. p. 2. art. 2. q. 1. & Scotus in 2. diſt. 2. q. 6. & alij docent Angelum eſſe in loco per ſuam ſubſtantiam fundamentaliter; Cum enim fundamentum cuiuſcumque accidentis ſit ipſa ſubſtantia, & omne corpus ſit in loco quanto ratione ſuæ quantitatis, erit etiam in loco ratione ſue ſubſtantiæ, ſi enim ratio eſſendi quantitatis eſt ſubſtantia erit etiam ratio eſſendi in loco, & primum huiuſmodi rei fundamentum eſt, nam ammota etiam per diuinam potentiam quantitate ſubiectum ipſum, ſeu natura, & nuda ſubſtantia eſſet ne alicubi, vel nullibi; non ſecundum, quia ad deſtructionem quantitatis ſupponitur non annihilari ipſa ſubſtantia; ſi primum, ergo adhuc eſſet in loco ſine quantitate, quantitas igitur non eſt prima ratio exiſtendi in loco, ſed ſecunda tantum propter dimenſionem ſcilicet, aliud enim eſt eſſe in loco præſentialiter, aliud dimenſiue ad extenſionem dimenſionum loci. Materia enim ſine quantitate adhuc eſſet in loco ſaltem preſentialiter, & definitiue; ſed dimenſiue ſecundum dimẽſionem loci non eſſet in loco, niſi per extenſionem quantitatis.

9 Sic poſſumus dicere de Angelo ſi ſit ſermo de eius ſubſtantia, eius præſentia alicubi eſt prima ratio exiſtendi in loco, eius vero virtus ſe ſe extendens ad extenſionem loci eſt ſecunda ratio cur Angelus exiſtat in loco dimenſo; cum enim ſecundum ſubſtãtiam ſit penitus indiuiſibilis nõ poteſt extendi ad extenſionem loci, ſicut Anima quæ eſt in corpore, quamvis tota ſit in qualibet parte corporis; tamen poteſt coextendi ad extenſionem totius corporis; Vnde ſecundum virtutem dicimus Angelũ eſſe in loco quanto, ſecundum ſubſtantiam vero penitus indiuiſum, & indiuiſibilem dicimus eſſe poſſe in loco non quanto præſentem definitiue; Quatuor enim ſunt modi exiſtendi in loco,

nem-

nempe immenſiue, dimenſiue, definitiue, & infinitiue, eſſe immenſiue in loco eſt eſſe præſentē omni loco actuali, & poſſibili ſic, quod imenſum ſit cuihliber loco actuali præſens, & nullus locus ſit, vel poſſit eſse, cui non ſit præſens ſicuti Deus, qui ſecundum ſuam immenſitatem est vbique; Dimenſiue vero, ſeu circumſcriptiue eſt eſſe in loco quanto ſub modo quantitatiuo, qui conſtet in hoc, quod ſuperficies conuexa locati ſit omnino coextenſa, & commenſurata ſuperficiei concauæ loci ſic, quod partes vnius ſuperficiei correſpondeant partibus alterius, ſic ſunt in loco omnia corpora naturalia quanta. idest trinæ dimenſionis; eſſe in loco definitiue eſt ita eſse præſentem vni loco adæquato, quod ſimul non poſſit eſse præſens alteri loco ſic Angelus, & Anima ſunt in loco definitiue, eo quia habent finitam, & limitatam ſubstantiam, eſse in loco infinitiue non eſt idem quod immenſiue; ſed dicitur infinitiue, quia pluribus, & innumerabilibus locis, & quodammodo infinitis, licet actu non ſint infinita, poteſt eſse aliquid præſens; ſic corpus Christi per tranſubstantiationem ſit præſens pluribus locis, Angelus in loco ſuo difinitiue adæquato, etiamſi eſset in puncto, poteſt ſuam virtutem diffundere ſimul, & ſemel per totum illum locum adæquatum,

10 Hæc D. Bonauenturæ, Scoti, & aliorum ſententia ſic expoſita probatur primo; Prius naturaliter Angelus eſt præſens alicui loco ſecūdum eſſentiam quam ſit præſens ſecundum operationem, prius enim eſt eſſe quam operari, ergo Angelus eſt prius, & fundamentaliter exiſtit in loco per ſubſtantiam, quam per operationem; probatur ſecūdo Deus eſt præſens rebus per immenſitatem, & eſſentiam, & non ſolum per operationem; quælibet etiam res corporea Angelo inferior eſt prius in loco ſecundum ſubſtantiam, quam ſecundum quantitatem, & operationem, ergo, & Angelus prius erit in loco ſecundum ſuam ſubſtantiam, quam per eius operationem; confirmatur quia agens debet eſſe præſens paſſo prius natura, quam agat in ipſum ex Ariſt. 7. phyſic. & D. Thom. p. 1. qu. 8. art. 1. nullum enim agens agit niſi approximetur, & ſimul ſit cum paſſo, ergo prius eſt Angelum eſſe præſentem paſſo, quam in illud operari; tertio probatur; Illud, quod eſt ratio Angelo exiſtendi in loco formaliter in eo debet eſſe, ideſt in Angelo, alioquin Angelus vllo modo non erit in loco; ſed operatio tranſiens Angeli ad locum non eſt formaliter in Angelo, quia ſi tranſit non immanet, & ſi formaliter immanet, non tranſit, ergo operatio Angeli tranſiens in corpus non eſt ratio exiſtendi in loco. Pro intelligentia dictorum, & dicendorum notādum eſt, quod ratio eſſendi aliquid in loco poteſt dupliciter accipi, vno modo, vt eſt ratio formalis, alio modo, vt ratio fundamentalis; priorem appellant Scotiſtæ rationem formalem proximā, poſteriorem vero dicunt rationem formalem remotam; ratio formalis in creaturis eſt reſpectus quidam præſentiæ ad locum, quia talis reſpectus eſt de genere vbi. Hinc eſſe formaliter in loco, nihil aliud eſt, quam eſſe præſens loco, & habere reſpectum ad locum, ſiue illud ſit definitivum, ſiue circumſcriptivum, ſiue præſentiale tantum; Ratio vero fundamentalis eſt immediatum fundamētum talis reſpectus, vt in corporibus ratio fundamentalis ipſius vbi eſt quantitas ipſius corporis in Angelo vero eſt ſubſtantia, vel operatio.

11 Notandum eſt ſecundo, quod Angelus numquam eſt in loco ſolum per entitatem, ac præſentiam ſuæ ſubſtantiæ, ſed etiam per entitatem ſuę poten-

rentiæ, cum iſta duo ſint in Angelo inſeparabiliter coniuncta: non tamen neceſſe eſt, vt ſit etiam in loco per eum modum, quem illi primæ, & ſecundæ opinionis aſſignant cum nec operatio, nec applicatio virtutis ſit neceſſario cõnexa cum ſubſtantia Angeli; ſtat ergo veritas rationem fundamẽtalem eſſendi Angelũ in loco non eſſe ſuã operationẽ ſiue immanentẽ, ſiue tranſeũtẽ circa locum, vel corpus, probatur vlterius Animæ ſeparatæ beatæ ſunt in Cœlo Empyreo, & erunt ſicut Angeli in Cœlo, ſimiliter, & Angeli beati, & tamen circa ipſum non habent operationem aliquam tranſeuntem in illud, quia eſt ſtabile, nec mouentur, ergo non per operationem talem eſt in loco fundamentaliter, ſed per ſuam ſubſtantiam; ſi arguatur, quod per idem conuenit Angelo eſſe in loco, & tempore, ſed in tempore non eſt, niſi per accidens puta per operationm ſuam tranſeuntem, ergo & in loco erit per operationem; Reſpondetur, quod non eſt ſimile de loco & tempore, quia Angelus habet ex ſe propriam durationem, quæ eſt æuũ, & nullo modo conuenit ſibi alia duratio, quæ eſt tempus, niſi per accidens, ſed non habet aliquem locum ſibi intrinſecum, vel vbi in actu licet ſit locabilis per ſe, & ideo oportet, quod ſibi conueniat locari non per Accidens, ſed per aliquid, quod conuenit ei per ſe, cuiuſmodi eſt ſua ſubſtantia, vel potentia.

12 Ratio formalis eſſendi Angelum in loco definitiue eſt reſpectus realis ad locum, qui dicitur vbi definitiuum probatur. Eſſe in loco non dicit formaliter aliquid abſolutum, nec Angelus quando mouetur ad locum aquirit aliquam formam abſolutam, ergo aquirit aliquid reſpectiuum præſentiæ ad locum, quem habet ad ipſum quandiu eſt in loco; Confirmatur, quia relatio præſentis ad locum, ſeu vnio Angeli cum loco eſt ratio, qua formaliter in eſſe locati conſtituitur, ergo illa relatio, ſeu vnio eſt ratio formalis, qua in loco conſiſtit. Dices ad relationem non eſt per ſe motus, quia non poteſt eſſe noua relatio ſine aliqua nouitate in fundamẽto, ſed ad vbi Angelicũ eſt p ſe motus quia per motũ Angelus aquirit vbi, ſeu quod præſens ſit loco. Reſpondetur, quod ad relationem intrinſecus aduenientem vt v. gratia ad ſimilitudinem nõ eſt per ſe motus ſine aliqua nouitate in fundamento, quia ſimilitudo non producitur niſi duo extrema v. g. duæ albedines producantur; ſed ad relationem extrinſecus aduenientem poteſt eſſe motus ſine nouitate in fundamento; ſic vnio naturę ad verbum eſt producta per ſe & tamen eſt relatio; An vero Angelus poſſit eſſe in pluribus locis ſimul Alenſis 2. p. q. 32. membr. 3. D. Bonau. in 2. d. 2. q. 2. art. 2. Egidius Romanus *in* 2. diſt. 1. q. 2. aſſerunt Angelum non poſſe pluribus in locis ſimul exiſtere ſi illa loca fuerint diſtincta, & diſcontinua licet non eſſent virtute Angelicæ adæquata, & non excederent latitudinem, quam (ſi forent continua, vel contigua) poſset Angelus ſua præſentia replere è contra Caietatus in p. p. D. Thomæ q. 52. art. 2. & alij aſſerunt Angelum eſſe poſse in pluribus locis inadęquatis ſiue continuis, ſiue non, latitudinem tamen loci adæquati non excedentibus.

13 Scotus mediam viam videtur tenere in 2. diſt. 2. q. 7. & alij cum eo dicens, licet de facto non ſit in duobus locis ſimul, quia cum Angelus eſt in Cœlo non eſt in terra, nec è contra. De poſſibilitate tamẽ naturali videtur probabile eidem Scoto, quod non poſſit vnus Angelus ſimul eſſe in duobus locis ſibi adæquatis, quia ſicut Angeli habent eſsentiam limitatam ſimpliciter, ita, & in ordine ad locum alias Angelus eſ-

eſſet immenſus, ergo non poteſt naturaliter ſimul habere plura loca adæquata ſed vnum tantum, qui correſpondeat ſubſtantiæ, & ſpheræ actiuitatis Angelicæ; per potentiam diuinam poteſt eſſe in pluribus locis etiam adæquatis, quia de facto corpus Chriſti per potentiam Dei eſt in pluribus locis ergo poterit, & Angelus eſſe in pluribus locis adequatis ſimul per eandem potentiam diuinam. Conceditur tamen Angelum de potentia naturali poſſe eſſe ſimul in pluribus locis inadæquatis, quia Angelus magis eſt illimitatus quoad locum quam Anima, ergo ſi Anima noſtra poteſt eſſe ſimul in pluribus partibus corporis, quia quælibet pars eſt inadæquata virtuti Animæ, ergo à fortiori, & Angelus. Dices ſi Angelus naturaliter eſſet ſimul in pluribus locis inadæquatis ſequeretur, quod Angelus ſimul moueretur, & non moueretur, loqueretur, & non loqueretur Reſpondetur id non ſequi, ſed tantum ſequeretur, quod moueretur in vno loco, & non moueretur in alio loco, loqueretur in vno loco, & non loqueretur in alio loco; ſicut non ſequitur Æthiops eſt albus ſecundum dentes; ergo Æthiops ſimul eſt albus, & non eſt albus, ſed tantum ſequitur, ergo eſt albus ſecũdum vnam partem, & non ſecundum aliam; ſecundum dentes, & non ſecundum corpus.

14 Angelus habet determinatum locum ſecundum magnitudinem, quia Angelus habet eſſe limitatum conſequenter & locum; Secundo quia eſſe vbique eſt proprium Dei, & conſequenter non poteſt conuenire Angelo. Tertio, quia alias nõ poſset mitti. Quarto Angeli boni ſemper eſsent cum malis, & mali cum bonis; Et probabile eſt, quod non ſit in loco determinate minori, quia probabile eſt, quod poſſit eſſe in minori; nam aſſignata quantumuis minima parte, quæro vtrum Angelus in ea poſſit nec ne? non ſecundum, quia poteſt eſſe in puncto, quo nihil minus, ergo poterit eſſe in quantumuis minima parte, quæ eſt maior quolibet puncto, & cum Angelus ſit indiuiſibilis ibi erit totus, ſi autem primum concedatur habetur intentum. Probabilius tamen eſt quod Angelus ſit in loco determinato, & determinate, quia probabilius eſt, quod ſicut Angelus non poteſt eſſe in loco maiori, ſeu quantumuis magno, ita etiam quod non poſſit eſſe in loco minori in infinitum, nam quemadmodum ſi poneretur in quantumuis magno eſset quodammodo immenſus, et virtutis infinitæ, ita ſi poneretur in minori, & minori non minus eſſet virtutis quodammodo infinitæ, ergo probabilius eſt, quod ſit in loco determinato, et determinate, et ſecundum majus, et ſecundum minus.

15 Plures Angeli poſſunt eſſe in eodem loco per potẽtiam diuinam, quod patet, nam non repugnat, quod plures Angeli ſint in eodem loco corporeo; immo probabilius eſt poſſe eſſe plures Angelos in eodem loco etiam per potentiam naturalem, ita Doctor ſubtilis in 2. diſt. 2. q. 8. quia ſi Angeli fuiſſent creati ante productionem mundi omnes fuiſſent ſimul, ergo non repugnat ex natura Angelorum, quod ſint ſimul nec ex ratione loci, quia non occupant locum ergo &c. Nec tamen in ſententia D. Thomæ dici non poteſt; quia nõ poſsunt duo Angeli adæquate eandem operationem exercere; Angelus poteſt eſse in puncto; primo, quia locus debet eſſe proportionatus locato ſecundum philoſophum, ſed Angelica ſubſtantia eſt indiuiſibilis, ergo poteſt eſse in loco indiuiſibili; Secundo ponamus Angelum in loco minori quam poſſit eſse, quæro an ille locus ſit partibilis aut nõ; ſi partibilis, ergo cum Angelus ſit ſimplex poterit adhuc eſse in minori, ſi in par-

partibilis erit in puncto plures Angeli nō poſsunt eſse in eodem puncto. Nam vt dicatur aliqua ſubſtantia eſse in eodem centro, ſeu puncto cum alia oportet, quod terminus exiſtentiæ vnius ſit intra terminnm exiſtentiæ alterius, & ideo cum vnus Angelus non poſſit alterum penetrare, nec alteri illabi, ſine dubio quamuis plures Angeli poſſint eſse in eodem loco, cum locum non occupent tamen non poſsunt eſse in eodem puncto, quia ſubſtantia vnius confunderetur cum ſubſtantia alterius.

16 Quod Angelus moueatur localiter eſt certiſſimum iuxta illud Matth. 4. 11. quod Angeli acceſserunt, & miniſtrabant ei, & Cap. 28. Angelus Domini deſcendit de Cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & Lucæ 1. miſsus eſt Angelus Gabriel à Deo &c. & poſtea ingreſsus ad eam &c. & alibi ſępiſſime; Idem pariter Patres frequenter docent (in quibus referendis) eſset tempus inutiliter conſumare, ſicuti in adducendis placitis Theologorum. Tamen D. Thomas p. p. q. 63. putat ſicuti eſſe in loco æquiuoce conuenire Angelo, ita etiam moueri ſecundum locum; Idem tractans D. Bonau. in 1. diſtin. 37. art. 2. q. 1. ſic explicat diſtinguendo de motu angelico, aut enim mouetur cum corpore aſſumpto, aut ſine corpore, primo modo mouetur per circumſcriptione n loci ad lationem ſcilicet corporis; ſecundo vero modo per definitionem ſolum, ſic ſecundum intentionem Seraphici Doctoris, Scotus vero abſolute probat Angelum vere moueri localiter ſic, omne receptivum formarum alicuius generis, quod non eſt ex ſe determinatum ad aliquam vnam illarum formarum, nec eſt illimitatum ad illas poteſt verè moueri ſine mutari ab vna ad aliam, ſed Angelus eſt receptivus alicuius vbi definitiue licet non circumſcriptiue, nec eſt illimitatus ad omnia vbi, quia non eſt immenſus, ergo vere poteſt mutari ab vno vbi ad aliud vbi; ſecundo vbi eſt deperditio termini à quo, & aquiſitio noui termini ad quem ibi eſt motus localis, ſed Angelus mutat vbi, & relinquit terminum à quo, quando pertingit ad terminum ad quem, non enim eſt in Cœlo, quando eſt in terra, ergo vere mutatur.

17 Sed dices motus eſt actus entis in potentia ex 3. Phyſicorum; ſed locus non poteſt eſſe actus perfectivus Angeli, & multo minus motus ad ipſum, quia actus perfectivus debet eſſe nobilior, & perfectior perfectibili, & locus, & motus ad ipſum non ſunt perfectiores Angelo, ergo Angelus non poteſt eſſe in potentia ad locum, cum à loco perfici non poſſit, & conſequenter non poteſt moueri. Dices ſecundo nullum indiuiſibile poteſt moueri ex 6. phyſicorum, quia omne quod mouetur partim eſt in termino à quo, & partim eſt in termino ad quem, quando enim eſt totaliter in termino à quo nō adhuc mouetur, ſed quieſcit, ſimiliter quando eſt totaliter in termino ad quem nō mouetur ſed quieſcit; ſed indiuiſibile ſicuti eſt Angelus non poteſt eſſe partim in vno, & partim in altero termino, ergo non poteſt moueri; Reſpondetur ad primum negando minorem, quia nō eſt inconueniens Doctori ſubtili omne cauſatum quantumcumque ſit perfectum, (dummodo non habeat in eſſentia ſua omnem perfectionem) eſse capax alicuius alterius perfectionis, & quodammodo in potentia reſpectu illius, quamuis illa ſit abſolutè minor ſua natura; Angelus enim habet intellectionem, quæ eſt perfectio potentiæ intellectiuæ, & tamen intellectio eſt ſimpliciter ignobilior illa potentia Angelica, cum illa ſit accidens, hæc vero ſubſtantia; ita dicendum de loco, & vbi reſpe-

ctu

ſtu naturæ Angelicæ. Ad ſecundum reſpondetur Ariſtotilem loqui de motu corporeo,& cirumſcriptiuo,cuius mobile eſt diuiſibile, non de motu Angelico.

18 Angelus mouetur motu continuo, ita Doctor ſubtilis in 2. diſt. 2. q. 9. contra D. Thomam p. p. q. 63., & Caietanum ibi quod ſic probat quia inter duo vbi ſunt infinita vbi media, quamuis igitur Angelus ſit indiuiſibilis, & impartibilis, & ſe ſe non diffunderet ſecundum propriam virtutem in locum quantum, ſed reſtringeretur in puncto: quia tamen ſpatium, quod pertranſire debet eſt continuum, cōtinuus neceſsario debet eſse motus factus in tali ſpacio, quod probatur ex continuo motu corporis; nā detur perfecta ſphera in perfecto plano conſtituta, quamuis tangat in puncto, quia tamen ſpacium, per quod tranſire debet, eſt continuum motus ſpheræ in tali ſpacio factus non eſt diſcretus, ſed continuus; quamuis igitur Angelus ſit indiuiſibilis, & tangeret ſpacium in puncto, quia tamen omnia vbi,quæ ſunt in ſpacio continuo, ſunt continua, non poteſt Angelus illa pertranſire, quin continuum motum coficiat, (alioquin ſequeretur quantitatem continuam dimetiri poſſe per indiuiſibilia). Vnde ſequitur neceſſario,quod motus eius ſit continuus; ſi obijciatur continuitas requirit diuiſibilitatem, ſed Angelus eſt indiuiſibilis, ergo eius motus non poteſt eſſe continuus. Reſpondetur in motu attendi poſſe duplicem diuiſibilitatem vnam ex parte mobilis, alteram ex parte ſpacij, vt ſi Equus moueatur per ſpacium 10. milliarium in hoc motu eſt illa duplex diuiſibilitas, nempe ſpacij 10. milliarium, & æqui 8. palmarum plus, minuſue; continuitas motus non neceſsario requirit vtramque diuiſibilitatem, ſed tantum diuiſibilitatem ſpacij; ſic motus Angeli eſt vere continuus propter diuiſibilitatem ſpacij &c.

19 Dices ſucceſſio in motu ex comentatorem ſuper 4. phyſicorum Cap. de vacuo eſt reſiſtentia mobilis ad motorem, vel medij ad mobile, vel medij ad motorem, ſed in motu Angelico nulla iſtarum reſiſtentiarum deprehendi poteſt; non enim eſt ibi reſiſtentia mobilis ad motorem cum moueatur ad nutum, nec medij ad mobile,cum ſpiritus non præpediatur à corpore, nec medij ad motorem, cum medium non reſiſtat voluntati Angelicæ, ergo in motu Angelico nulla eſt ſucceſſio, & conſequēter, nec continuitas; Reſpondet Scotus quod cauſa ſucceſſionis in quolibet motu eſt reſiſtentia mobilis ad motorē, non quidem talis, quod mouens non poſſit vincere mobile,tunc enim ipſum mouere nō poſſet; nec etiam talis,quod mobile inclinetur ad oppoſitum, alias talis motus ſemper eſſet violentus; ſed eſt reſiſtentia mobilis, quatenus eſt in aliquo vbi, cui non poteſt immediate ſuccedere terminus intentus,vel exoptatus à mouente, & iſta reſiſtentia mobilis ad motorem eſt propter defectum virtutis mouentis; ſi enim eſſet virtus infinita poſſet ſtatim ponere mobile in termino ad quem; Pro pleniori intelligentia huius Scoticæ reſolutionis accedat Seraphica doctrina D. Bonauenturæ in primo diſtinct. 37. part. 2. artic. ſecundo, quæſtio tertia dicentis, quod in motu poteſt eſse ſucceſſio ex quintuplici cauſa prima eſt ex diſtantia medij, ſecunda ex medij reſiſtentia, tertia ex partibilitate mobilis, quarta ex finitate virtutis mouentis, quinta ex limitatione mobilis finitę virtutis; cum n. mobile ſit limitatum non poteſt ſimul eſse in termino à quo, & in termino ad quem, longe ab inuicem diſtantibus. Rurſus, quia virtus mouentis eſt finita non poteſt totam in inſtanti permeare

locorum diſtantiam intercapedinem; ſic diſcurrendum de alijs cauſis ſucceſſionis, & concludendum, quod motus corporum ex hac quintuplici cauſa eſt ſucceſſiuus, motus vero ſpirituum ex triplici nempe ex diſtantia terminorũ, ex limitatione virtutis mouentis, & ex finitate mobilis.

20 Hinc ſequitur, quod loquendo de motu continuo, & ſucceſſiuo; Angeli non poſsunt moueri in inſtanti eſt communis Doctorum ſententia, quia impoſſibile eſt motum continuum; per quem aquiritur pars poſt partem eſse in inſtanti; ſed neceſsario debet eſse in tempore continuo; ſi autem eſt ſermo de motu impropriè dicto, nempe de mutatione Angeli ſic poſsunt moueri, ſiue mutari de loco ad locum in inſtanti contra D. Thomam p. p. q. 53. art. 3. vbi docet talem motum, ſiue mutationem debere eſse per tempus diſcretũ, quia docet Angelum eſse in loco per operationem, non poteſt ergo moueri, niſi deſinat operatio, & adſit altera, atque ita vna ſuccedat alteri, & per conſequens motus Angeli non poteſt eſse inſtantaneus, & ſine ſucceſsione. Oppoſitum tamen probatur primo, quia aliqui motus virtute agentium corporeorum fiunt in inſtanti, vt illuminatio virtute aſtri, & quando homo moritur toto tempore præcedenti Anima rationalis erat in corpore humano, & in vltimo inſtanti, in quo deſinit eſse in corpore, incipit eſse alibi, ſed Angelus maioris eſt virtutis, quam ſit Anima; ergo eodem inſtanti, quo deſinit in vno loco corporeo poteſt eſse in alio; Item non maior eſt velocitas ſpeciei corporeæ in medio, quam ſit Angeli; ſed huiuſmodi ſpecies in inſtanti mutatur de loco ad locum, & in inſtanti expungitur, & deletur, vt patet in ſpeculo. Statim enim, vt illi rappræſentatur obiectum apparet ſpecies, vel imago, & ſtatim remouetur obiectum remouetur pariter imago, ergo pariter Angelus poteſt ſtatim cum voluerit ad eſse loco; & ſtatim cũ voluerit recedere. Dignificanda enim eſt Angelica natura, & illi tribuẽdũ id, quod maius eſt, & melius, quod cõuenit naturaliter naturę purę creatę, eſt. n. nobiliſs. inter omnes puras creaturas.

21 An vero Angeli poſſint moueri ab extremo ad extremum non transeũdo per medium; reſpondendum eſt cũ diſtinctione, ſi ſit ſermo de medijs, quę non ſint aliquid extremorum impoſsibile eſt Angelum moueri de extremo ad extremum ſine medio, quia media hoc modo ſumpta ſunt illa, quorum nullum eſt continuatiuum extremorũ per motum; v. g. ſuperficiei linea, & punctus in linea, vel ſuperficies in corpore, inſtans in tempore, mutatum eſse in motu; iſta ſunt continuatiua motus, vel quantitatis permanentis; media igitur, quæ non ſunt aliquid extremorum, exempli gratia ignis, & aer elementa inter Cœlum Lunæ, & terram, non poſſunt tranſiri niſi ſucceſſiue, &c. Ex hoc ſic argumentatur; ordo præfixus à ſuperiori Agente neceſsario videtur ſeruandus à quocumq; Agente inferiori ſi debet circa talia ſic ordinata operari, ſed inter corpora diſtantia vniuerſi eſt iſte ordo præfixus ab Auctore naturæ, vt vnum ſit prius, alterum ſubſequatur tanquam poſterius, & inter extrema ſint alia media, ergo Angelus non poteſt contra hunc ordinem de quocumque vbi in quodcumque diſtans immediate ſe transferre, confirmatur quia alias nulla diſtantia actionem ſuam impedire poſset, quod eſt falſum cum Angelus ſit virtutis finitæ. Si autem ſit ſermo de medijs, quæ ſunt aliquid extremorum non repugnat Angelo ex natura ſua moueri de extremo ad extremum ſine medio mutatione inſtãtanea; declaratur ſic quia polito quod

Angelus ſit in aliquo loco palmari, aut cubitali certo poteſt in alium conſimilem in inſtanti ſe transferre, ita quod nec antiquum derelinquat ſucceſsiue, ideſt partem poſt partem, nec ſimiliter novum aquirat aquiſitione partiali, ſed in eodem inſtanti totum ſimul antiquū deſerat, & in toto ſimul non ſe ponat; quod ſic declaratum probatur, quia talia extrema non excedunt virtutem motricem Angeli, cum ſint intra ſpheram actiuitatis eius, nam includuntur in eodem loco adæquato, in quo Angelus virtute naturali ſe locare poteſt.

22 Angelus non mouetur per accidens ad motum alterius, vt contentum in aliquo, aut vt pars eius, aut vt accidens illius, quia nec mouetur, vt nauta in Naui, vel in corpore aſſumpto, nec vt Anima in corpore, nec vt manus in toto, nec vt muſicus in ambulante; & breuiter ſecundum Scotum in 4. diſt. 10. q. 6. ad hoc, vt aliquid moueatur per accidens ad motum alterius requiritur, vt ſit in moto per ſe, vel ſicut actus in potentia, vel ſicut pars in toto, vel ſicut aliquid neceſsitate naturali conjunctum, vt graue illud, cui innititur, & tandem, quod ſic per accidens mobile ſit proportionatum virtuti mouentis, alioquin ſi aliquid per actum voluntatis contingenter coniungitur illi, quod eſt motum per ſe, & demum ſi tale coniunctum voluntarie eſt improportionatum virtuti motrici, ita quod ſi per ſe, & ſolitarie eſset, & proinde non coniunctum alteri non poſset ab illa virtute moueri tunc omnino, nec vt coniunctum moueretur ab illa virtute, ſed oportet, quod eademmet voluntas, quę eſt cauſa coniunctionis ſit etiam cauſa motionis illius; ſed Angelus per actum tantummodo voluntatis ſuæ, ex nulla neceſsitate naturali coniungitur v. gr. lapidi, eſt præterea improportionatum mobile virtuti meæ, ergo moto à me lapide per ſe Angelus non mouetur ſime per accidens, ſed per actionem ſuā propriam, qua fecit ſe præſentem vbi lapidis; eodē modo dicendum eſt corpus Chriſti ſub ſpeciebus non moueri per accidens ad motum per ſe ſpecierum ob eaſdem rationes, & maxime quia eſt improportionatū virtuti creatæ motrci, nam eſt ibi modo improportionato motui naturali nempe ſub modo non quantitatiuo, ergo motis ſpeciebus à naturali agente Corpus Chriſti mouetur ab eadem voluntate diuina non nouo miraculo, ſed antiqua voluntate, qua voluit corpus primo ibi eſse poſt conſecrationem.

23 Non eſt autem inconueniens cōcedere, quod Angelus moueatur per accidens pro quanto per accidens diſtinguitur contra moueri per ſe tertio modo perſeitatis; ſupponitur hic plures eſse modos perſeitatis (de quibus in Logica) & inter eos eſt tertius modus qui excludit coniunctionem cum alio, vel dependentiam ab alio, ſicut dicitur quod Paulus eſt per ſe in cubiculo quia eſt ſolus; hoc ſuppoſito probatur intentum, quia quando Angelus mouetur corpore aſsumptu non mouetur ſolus, nam etiam corpus mouetur, & Angelus concomitanter mouetur ad motum corporis, ergo non mouetur ſolus, & per conſequens non mouetur per ſe tertio modn perſeitatis, ſed per accidens. Quomodocumque moueatur, ſiue per ſe, ſiue per accidēs mouetur, motu herente in ipſo Angelo. De motu per ſe patet, quia motus localis Angeli non ſolum eſt per diuerſum cōtactum, quia Angelus ſucceſſiue attingit diuerſa loca media operatione, ſed eſt per productionem, & receptionem vbi in Angelo; De motu per accidens probatur, quia quando Angelus mouetur in corpore aſsumpto non mouetur præciſe propterea quia corpus motum mouet Angelum,

ſum, ſed quia Angelus ſe ipſum mouet concomitanter ad motum corporis, atque ita productum à ſe vbi recipit.

24 Ex dictis clarè colligitur Angelum poſſe mouere, immo de facto mouere ſeipſam, ita Scotus in 2. diſt. 2. q. 10. quia poſito principio receptiuo alicuius formæ non eſt imperfectionis, immo maioris perfectionis, quod habens tale principium receptivum habeat ſimul principium productivum talis formæ, ſed in Angelo concedimus principium receptivum ſui, vbi ergo debemus cōcedere productivum eiuſdem vbi; conſequentia patet, nam natura Angelica dignificanda eſt ſuper omnes naturas corporales, & non vilipendenda: quæ vere vilipenderetur, ſi hoc ei denegaretur; quod alijs creaturis inferioribus corporalibus conceditur; omnia enim animata habent potentiam actiuam ad perfectam quantitatem tandem aliquādo conſequendam licet ſint ad illam in potentia paſſiua; generantur enim, & per ſe ipſa ſucceſsu temporum & alimenti, ac roboris additione illam naturaliter aſſequantur. Similiter etiam quando actiue exercent actum cuiuslibet ſenſus, & actiuam ſenſationis potentiam interiorem, & exteriorem, quamuis ſint ad eam in potentia paſſiua, & illam totaliter habere non poſſint cum nulla ſenſuum potentia poſſit omnia ſimul habere obiecta non tamen eſt imperfectionis, ſed perfectionis potius, quod vis, ſeu virtus actiua cuiuslibet ſenſus poſſit ſe ſe exercere in ſpeciem ſibi obiectam in potentia paſſiua ipſius ſenſus ſuſcepta ad hoc, vt poſſit vnam rem ab alia diſcernere, & diſtinguere, diſtinctamq; cognoſcere.

25 Exemplum etiam quoad motum localem, de quo potiſſimum eſt præſens diſputatio, apparet euidentiſsimum in grauibus, & leuibus, in quibus eſt potentia actiua ad illud vbi, cuius ſunt receptiua naturaliter, ſeu ad proprium locum, ſiue ſit ſurſum, ſiue deorſum; & quo res perfectior eſt, eo magis eſt talis virtutis actiuę compos ad mouendum ſe ſe ſecundum loca. Cum igitur Angelus inter creatas ſubſtātias ſit perfectiſsimus eandem virtutem ſe ſe trāsferendi de loco ad locum habebit in ſe, nec quiſquam iudicauerit imperfectionis, ſi per ſe ipſum poterit agere, quod requireretur fieri ab alio, cum Angelus ſit in potentia actiua ad vbi, quod poteſt aquirere per motum; immo imperfectionis eſſet in Angelo, ſi per propriam potentiam actiuam non poſſet de loco ad locum tranſmeare, nec per ſe ipſum ſe mouere cum alijs entibus minus perfectis naturaliter ſit talis potentia; iure merito igitur concedendum eſt Angelum reſpectu vbi, & aliarum perfectionum ſuarum accidentalium ſcilicet intellectionum, & volitionum eſſe in potentia formali, & in actu virtuali; in potentia formali, quatenus poteſt recipere eas, vt formas ſui accidentaliter perfectiuas; in actu virtuali, quatenus actualiter poteſt producere.

26 In Angelo plura conſiderantur. 1. Eſſentia natura, ſeu quiditas. 2. Potentiæ operatrices intellectus ſcilicet, & voluntas. 3. Indiuiduatio. 4. Perſonalitas. 5. Exiſtentia. 6. Duratio. 7. Proprietates naturales; de primo, & 7. iam ſupra dictum eſt; de ſecundo dicetur in ſequentibus, indiuiduatio, ſecundum D. Bonauenturam in 2. diſt. 3. art. 2. q. 3. conſurgit ex duplici principio ſi materia, & forma ſecundum vero Scotum, & eius Diſcipulos, conſurgit ex negatione, & poſitione; ex negatione formaliter, & ex poſitione originatiue; Indiuiduum enim duo dicit ſcilicet eſſe indiuiſum in ſe, & diuiſum à quocumque alio, quatenus eſt indiuiſum in ſe dicit negationem, quatenus vero diuiſum à quocumque alio dicit poſitionē;

Hæc

Hęc duo an ſint fundata in materia, & forma non eſt præſentis ſpeculationis. Videatur Scotus in 2. d. 3. q. 1. 2. 3. 4. & 6; in quibus de hac re diffuſe ſe extendit; De Perſona, & perſonalitate non erit inutile repetere, quod alibi dictum eſt; Richardus dicit perſonam eſſe naturæ intellectualis incomunicabilem exiſtentiam, ſiue ſubſiſtentiam; omnia clara ſunt præter ly incommunicabilem; pro cuius termini intelligentia notandum eſt ex Scoto in p. ſent. diſt. 2. q. 4. quod incommunicabile negat communicabile; Communicabile, ſeu communicari ſtat dupliciter ſcilicet, vt quo, & vt quod; Communicari, ſeu communicabilis, vt quod eſt communicari per modum ſuperioris ſuo inferiori in linea prædicamentali, ſic Animal communicatur homini, Equo, Leoni &c. homo Petro, Paulo &c. & omnia ſuperiora ſuis inferioribus, ſic è contra dicēdum de incommunicabili, quia non eſt quid ſuperius, nec habet inferiora cui commuuicetur ſicuti eſt quodlibet indiuiduum; Communicari, vt quo eſt communicari per modum formæ, ſiue ſubſtantialis, vt Anima rationalis communicatur corpori humano, ſiue accidentalis, vt albedo communicatur parieti, & nigredo communicatur atramento; forma ſubſtantialis quādo communicatur materiæ, cum ea facit vnum per ſe, accidentalis vero facit vnum per accidens; forma ſubſtantialis eſt duplex ſcilicet partis, vt Anima Corporis, & totius, vt humanitas hominis; e contra incommunicabile, vt quo eſt, quod non poteſt vllo modo eſſe forma alicuius, vt ſunt omnia indiuidua ſubſtantialia.

27 Notandum eſt ſecundo, quod communicari, vt quo per modum partis totius eſt eandem formam dependere ab illo toto; vt humanitas communicata Paulo dependet à Paulo, de qua dependentia agit Scotus in 3. diſt. 1. q. 1. & quolib. 19. art. 3. dicens quod triplex poteſt eſse dependentia ad ſuppoſitum actualis, aptitudinalis, & potentialis; dependentia actualis eſt, qua actualiter dependet, ſic humanitas Petri dependet à ſuppoſito Petri; aptitudinalis eſt, qua apta nata eſt dependere quantum eſt ex ſe, & ſi non eſſet impedimentum actu dependeret ad ſuum ſuppoſitum, vt humanitas modo aſſumpta à verbo aptitudinaliter dependet à ſuppoſito creato, & actualiter à ſuppoſito Diuino; potentialis eſt, qua aliquid ita dependet ab alio, ſiue ad aliud, quod nullam habet repugnantiam, nec impoſsibilitatem ad actu dependendū, & ad ſuſtentificari ab illo, quantum eſt ex natura terminorum, ita per oppoſitum dicendum eſt, de triplici independentia, ſiue de negatione triplicis dependentiæ prædictæ; triplex eſt igitur, & independentia actualis, aptitudinalis, & potentialis, Independentia actualis eſt, qua natura ſingularis non dependet actu ad alienum ſuppoſitum, aptitudinalis eſt, qua natura ſingularis non eſt apta nata depēdere ad alienum ſuppoſitum; potentialis eſt, qua natura ſingularis habet repugnantiam ad dependendum ad alienum ſuppoſitum; Independentia potentialis non poteſt poni in natura humana reſpectu Dei, quia in natura humana nulla eſt repugnantia ad dependendum ad Deum, ſicut & in Angelica, & in qualibet natura creata, quia natura humana eſt in perfecta potentia obedientiali ad Deum, ideo hæc independentia non poteſt pertinere ad conſtitutionem perſonæ creatæ. Remanet ergo independentia actualis, & aptitudinalis, ſiue negatio dependentiæ actualis, & negatio dependentiæ aptitudinalis, & illę duę negationes, ſiue independentiæ conſtituunt perſonalitatem creatam Angelicam & humanam,

quæ

quæ nec actu, nec aptitudine alteri ſuppoſito non communicantur; potentialis vero incommunicabilitas ſolum conuenit perſonæ increatæ, quæ poteſt communicari ſi velit, & non communicari ſi nolit; vt de facto communicata eſt perſona increata filij illi Sanctiſſimæ Chriſti naturæ, quando Verbum caro factum eſt, & non eſt communicata Angelicę, non enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ, vt ait D. Paulus ad Hæbreos 2. 16.

28 Exiſtentia duratio, & menſura ſunt diſtincta ſicut in Deo ſic, & in Angelis, nam exiſtentia nihil aliud eſt niſi id, quo formaliter res eſt extra ſuas cauſas actualiter, vt Anima, vel humanitas Chriſti ante quam crearetur erat in potentia logica, & obiectiua, cum autem producitur deſinit eſſe in potẽtia obiectiua; & aquirit actualem entitatem, vnde dicitur exiſtentia, quaſi extra ſiſtentia; Iam vero quid ſit duratio difficilius eſt definire propter opinionum diuerſitatem; At vero ſecundum doctrinam Scoti durationem eſſe permanentiã in eſſe, vt moderni putant quia ſi Deus Angelum crearet, & ſtatim annihilaret non haberet permanentiam, aut protenſionem exiſtentiæ, & tamen haberet aliquam durationem, nec duratio eſt ſolum exiſtentia ad tempus, quia ſi tempus non eſſet Deus poſſet creare Angelum, qui haberet propriam durationem, & tamen non haberet coexiſtentiam ad tempus. Duratio itaque pro fundamento conſiſtit in exiſtentia, pro formali autem in negatione deſitionis; ſicut æternitas eſt exiſtentia Dei cum negatione inceptionis, & deſitionis; igitur æuum, quod eſt duratio Angelorum non diſtinguitur quidem realiter ab exiſtentia ipſorum, alias duratio, & exiſtentia poſsent ſeparari in Angelis; diſtinguntur tamen formaliter negatiue, quia vt dictum eſt æuum, vel duratio Angelica ſupra exiſtentiam deſitionis negationem addit.

29 D. Bonauentura lib. 2. diſt. 2. p. 2. art. 1. q. 3. exiſtimat in exiſtentia Angeli eſse ſucceſsionem ſine innouatione tamen tali, qualis eſt in tempore; quam opinionem ſic declarat; Aliter egreditur riuulus à fonte, aliter radius à ſole, ille enim ſic egreditur, quod noua aqua ſuccedat veteri aquæ; Hic vero non ſic ſe habet, quia radius emiſsus vnus, & idem continuatur, & nihil noui poſtea emittitur, quia tamen ſucceſſiuis cauſationibus correſpondent diuerſa nunc æui; itaque eſt ſucceſsio in æuo, ſic in propoſito dicit ille Seraphicus Doctor; quia inuariatum eſse Angeli vnumque, ac idem exiſtens continuatur à Deo conſeruante illud diuerſis cauſationibus, Scotus vero in 2. d. 2. q. 1. dicit in exiſtentia Angeli actuali abſolute ſumpta nullo modo eſse ſucceſſionem, tamen accepta ſecundum aliũ, & alium reſpectum ad cauſam primam v. g. conſeruantem poſse concedi quãdam ſucceſſionem, quia per ſucceſſionem in reſpectibus abſque vlla ſucceſſione in exiſtentia, ſiue illa ſit cum innouatione, ſiue non, creaturæ ad Creatorem creantem, & conſeruantem facile poteſt intelligi conſeruationis ſuccetsio, quæ eſt quoddam continuatum fieri in eſse permanenti circumſcripto etiam omni tempore, ergo non eſt neceſse ponere ſucceſsionem in exiſtentia Angeli.

30 Menſura eſt id, quo cognoſcitur quantum, vt ſe extendit non ſolum ad quantum molis, ſed etiam ad quantum virtutis, ſeu perfectionis iuxta id, quod dicit Philoſophus; Primum in vnoquoque genere eſt menſura aliorum, vt in genere colorum perfectiſſimus color; Menſura Angelorum ſecundum eſse illorum, quod eſt ſtabile, & permanens, eſt diuerſa à tempore, quod eſt menſura

ra

Digitized by Google

rā motus ſecundùm prius, & poſterius, & ideo in Angelis, & Animabus regulariter menſura dicitur æuum, quæ eſt duratio rei ſpiritualis creatę permanentis; probatur primo omne quod habet eſse limitatum actu habet menſuram limitatam, per quam cognoſci poteſt eius limitatio, & ſecerni à limitatione alterius, ſed omnia ſpiritualia habent eſse limitatum actu, ergo propriam debent habere menſuram, per quam eorum limitatio dignoſcatur, & ſecernatur à limitatione, & duratione rerum materialium. Secundò menſura durationis reſpicit modum durandi, qualis enim eſt modus durandi, talis eſt duratio; ſed ſpiritualia habent modum ſuæ durationis differentem à corporalibus, durant enim in æternum ſine vlla mutatione, & alteratione ſui eſse; Corporalia vero corrumpuntur, & mutantur in dies, ergo alia eſt menſura ſpiritualium, & alia corporalium; De iſtis tribus durationibus Diuina, Angelica, & temporali, & de tribus earum menſuris æternitate æuo, & tempore vide plura in ſecundo libro vbi per extenſum actum eſt de æternitate.

31 Duratio Angeli, ſeu æuum non habet rationem menſuræ intrinſecæ actiuæ, ita Doctor ſubtilis in 2. diſt. 2. q. 3. probatur ex definitione menſuræ ex Ariſt. 5. metaphyſ. Menſura est id, quo cognoſcitur quantum; Ita quod Menſura neceſsario dicit ordinem ad intellectum, cui fit certificatio de vna quantitate per aliam, ſed duratio non dicit talem ordinem, ergo non habet rationem menſuræ actiuæ, intrinſecę, potest tamen probabiliter dici, quod habeat rationem menſuræ actiuæ extrinſecæ; quia valde probabile est, quod ſupremus Angelus ſit menſura extrinſeca aliorum Angelorum, & cuiuslibet ſuperioris Angeli æuum, ſit menſura extrinſeca aliorum, nam exiſtentia Angeli ſuperioris, ſeu perfectio exiſtentiæ eius nata eſt certificare intellectū de exiſtentia inferioris Angeli; & tunc primus Angelus non habebit æuum, à quo mēſuraretur, & vltimus non habebit, quod æuo ſuo menſuret; quia tamen difficile est intelligere quomodo ſupremus Angelus poſſit eſse menſura reſpectu aliorum, & vnus Angelus reſpectu alterius; ſiquidem omnes Angeli habent æquale æuum, & æque ſtabile, & conſequenter æqualem durationem cum omnes ſint æuiterni; menſura autem, & menſuratum debent eſse inæqualia, ideo dictum eſt id probabile eſse. Propriè autem huiuſmodi duratio Angeli habet rationem menſuræ paſsiuæ, quia æuum, ſeu duratio Angeli reddit menſurabilem naturam Angelicam durantem, ſeu cognoſcibilem ad modum quanti per comparationem ad aliud quantum notius, ergo habet rationem menſuræ paſſiuæ.

32 Operationes Angelorum tranſeuntes non menſurantur æuo, ſed tempore nostro, est contra D. Thomam, qui docet operationes tranſeuntes Angelorum menſurari tempore diſcreto, quod quidem tempus, cum non ſit continuum eſt aliud à tempore noſtro. Contra illum igitur probatur propoſitum per Doctorem ſubtilem in 2. diſt. 2. qu. 1. quæ habent eundem modum eſsendi, & manendi eadem menſura menſurari debent: ſed operationes trāſeuntes Angelorum, vt motus de loco ad locum habent modum eſsendi ſucceſsivum continuum [illegible] quem habent motus locales mobilium corporalium, ergo eadem menſura menſurātur nempe tempore continuo, & ſucceſsiuo. Confirmatur, quia ſine fundamento videtur poni illud tempus diſcretum, ſiue tempus Angelicum, vt diſtinctum à tempore noſtro, cum nulla neceſsitas huius temporis habeat indicium, nec ap-

appareat, nec Ariſtotiles eius nunquam meminerit, & non ſunt multiplicanda entia ſine neceſsitate; Operationes Angelicæ (adde, & humanæ) immanentes, vt eſt intellectio, & volitio, ſiue illę ſint naturales, ſiue ſupernaturales, vt ſunt viſio, & fruitio beatificæ menſurantur æuo. Et hoc quoque est contra D. Thomam qui docet huiuſmodi operationes Angelorum menſurari æternitate participata; & probatur ex Scoto in 2. diſt. 2. qu. 4. quia quæ habent eundem modum eſsendi, & manendi habent eandem menſuram, ſed operationes Angelorum immanentes, vt viſio, & fruitio beatifica habent eundem modum eſsendi, & manendi cum existentia Angelorum, ergo habent eandem menſuram, & non eſt neceſse, quod recurramus ad ęternitatem participatam; minor (in qua eſt tota difficultas) probatur, quia ſicut existentia Angelorum est permanens, ita & operationes immanentes Angelorum ſunt permanentes, ergo habent eundem modum eſsendi, & manendi.

33 Dices, exiſtentia habet modum ęſsendi, & manendi ſtabiliorem, quia ſolum eſt corruptibilis ab extrinſeco à Deo ſcilicet non conſeruante, vel annihilante; operationes autem eiuſmodi ſunt corruptibiles ab intrinſeco, & cito deſinunt eſse. Reſpondetur quod diutius, vel breuiori tempore permanere non variat ſpeciem, nam color vnius diei, & vnius horæ non diſtinguuntur ſpecie; licet ergo exiſtentia Angeli diutius maneat, quam operatio, quia tamen eundem modum manendi habent, quia vtrumque eſt permanens habent quoque eandem menſuram ſcilicet æuum, qualem habent; etiam ſubſtantiæ corporum mobilium; immo etiam operationes immanentes humanæ ſcilicet intellectiones, & volitiones ob eandem rationem, quia nimirum habent eundem modum manendi. Igitur præter tres ſpecies durationum æternitatem, æuum, & tempus non est neceſſe aſsignare aliam ſpeciem durationis, quod non tantum est contra D. Thomam ponentem tempus diſcretum, & æternitatem participatam; ſed etiam quoſdam Scotiſtas, qui qualitatibus corporeis aſſignant aliam ſpeciem durationis, & menſuræ diſtinctum ab ęuo, & tempore noſtro, propterea quia quo ad eſse quietum conueniunt cum æuo habent enim eſse permanens, ſed differunt quoad fieri, quia aquiruntur ſucceſsiue; ſed non conueniunt cum Scoto ſecundum cuius doctrinam menſurantur æuo, quicum habeāt eſse quietum, & habeant eſse permanens vere menſurantur æuo.

34 Pro coronide huius articuli videndum eſt; an ſint tot æua, quot æuiterna D. Bonauentura affirmat tot eſse æua, quot æuiterna, quia vnitas æui conformatur formæ, ſicut vnitas temporis conformatur materiæ, ſed formæ ſunt plures exiſtentiæ completæ, ideſt æuiterna, ergo, & æua, ergo quot ſunt æuiterna, tot ſunt æua. Scotus vero in 2. dist. 2. qu. 4. distinguit de æuo, aut æuum vocatur actualis existentia Angeli æuiterni, aut aliquid intrinſecum Angelo menſurans eius exiſtentiam, aut aliquid diſtinctum ab actuali exiſtentia Angeli æuiterni menſurans, ſiue aptum natum menſurare eius actualem existētiam; ſi primo modo accipiatur æuum, quod est idem realiter cum existentia actuali Angeli, tunc eſt dicendum, tot eſſe æua, quot æuiterna, hoc eſt clarum, & euidens, quia actualis exiſtentia cuiuſcumq; Angeli eſt idem realiter, cum eſsentia Angeli, ergo ſi eſſentiæ, & Angeli multiplicantur quoque, & exiſtentiæ, & conſequenter tot ſunt æua, quot æuiterna, ſi vero dicatur ſecundum nullum datur æuum, quia talis menſura nō datur.

Digitized by Google

datur. Circa tertium probabiliter duo poſsunt affirmari, vel tot eſse æua, quot æuiterna, eccepto vltimo æuiterno in quo nullum eſt æuum, quia existentia eius nullam aliam existentiam inuariabilem menſurat, quia infra ſe nullum habet inferiorem Angelum; Vel ſecundum ſcilicet eſse vnicum æuum tantum ſcilicet existentiam ſupremi Angeli; Hæc materia eſt dubia, & difficultatibus plena ob varias Doctorum opiniones, quæ potius magis intricatam reddunt, quam clarum, & dilucidam; Ideo dicta ſufficiant ad noſtrum institutum.

De Intellectu, & voluntate Angelorum. Cap. III.

De Intellectu Angelico eius obiecto intellectione, & modo intelligendi. Art. I.

1 ARiſtotiles 12. Metaphyſ. cap. 9. voluit intellectionē cuiuslibet ſubſtantiæ ſeparatæ, eſſe eandemmet ſubſtantiam, ſeu intelligere eſſe ſuum eſſe; Cum enim (inquit) ſint nobiliſſimæ ſubſtantię, accidens in illis reperiri non debet, nec debet differre agere ab agente, ſed quælibet ſubſtantia eſſe debet ſua actio; Quod quidem veriſſime concludit de prima ſubſtantia Deo ſcilicet ſimpliciſſimo; tanta enim eſt in eo ſimplicitas, vt non differant in eo eſſentia agens, & actio; ſubſtantia, & accidens, cum omne, quod eſt accidens in alio tranſeat in ſubſtantiam eius; Cęteræ vero omnes ſubſtantiæ quantumvis à mole ſeparatæ corporea non ſunt tamen à compoſitione immunes, nec ſecluſæ; nec ſimpliciter ſimplices, & ideo non eſt idem in illis eſſe, & eſſentia, agens, & ſua actio, ſubſtantia, & accidens; Magiſter ſententiarum in 2. diſt. 3. dicit, quod quatuor videntur eſſe attributa Angelis in initio ſubſtantiæ ſuæ, nempe eſſentia ſimplex, diſcretio perſonalis, intelligētia, memoria, voluntas, & liberum arbitrium; ex qua doctrina elicitur primo in Angelis eſſe intellectum, ſecundo actionem intellectus, ſeu intelligentiam in Angelo non eſſe eius eſſentiam, aut ſubſtantiam, & cum Magiſtro concordant omnes Scholaſtici in 2. d. 3. D. Thomas p. p. q. 64. art. 1. & probatur; ſi intelligere Angeli eſſet ſua ſubſtantia oporteret, quod intelligere Angeli eſſet ſubſiſtens, intelligere autem non poteſt eſſe in Creaturis ſubſiſtens, ſicut nullum abſtractum per ſe poteſt ſubſiſtere: Vnde nullius Angeli ſubſtantia poteſt eſſe ſuum intelligere; Cum ſubſtantia per ſe ſubſiſtat intelligere vero non; probatur ſecundo ſi Angelus eſſet ſuum intelligere nullus prorſus eſſet gradus in intelligēdo perfectior, aut minus perfectus; ſubſtantia quippe non ſuſcipit magis, & minus, vnus itaque Angelus non intelligeret perfectius altero, ſi ambo eſſent eiuſdem ſpeciei.

2 D. Thom. p. p. q. 54 art. 4. quem ſequūtur omnes Thomiſtæ dicit, quod in Angelis non datur intellectus agens, & poſſibilis, quia neceſſitas inquit ponendi Intellectum poſſibilem in nobis eſt propter hoc, quod nos inuenimur quandoque intelligentes in potentia, & non in actu; Vnde oportet eſſe quandam virtutem, quæ ſit in potentia ad intelligibilia ante ipſum intelligere, ſed reducitur in actum cum fit ſciens, & vlterius cum ſit conſiderans, & hæc virtus vocatur intellectus poſſibilis. Neceſſitas autem ponendi intellectum agentem ſit, quia naturæ rerum materialium, quas nos intelligimus non ſubſiſtunt extra Animam immateriales,

& intelligibiles in actu, ſed ſolum in potentia poſsunt fieri intelligibiles, & ideo oportuit eſse aliquam virtutem, quæ faceret illas naturas intelligibiles, & hæc virtus dicitur intellectus agens in nobis; Vtraque neceſsitas deeſt Angelis, quia neque ſunt quandoque intelligentes in potentia tantum reſpectū eorum, quæ naturaliter intelligunt; neque intelligibilia ab eis ſunt intelligibilia in potentia, ſed in actu; Intelligunt enim primo, & principaliter res immateriales, & ideo non poteſt in eis eſſe intellectus agens, & poſſibilis; Sed pace tanti Doctoris, ſi Angeli non eſsēt aliquando in potentia ad ea, quæ naturaliter intelligunt, oporteret, quod omnia ſimul, & ſemper naturaliter intelligerent vnico actu, & cum intellectus habeat pro obiecto verum, quod conuertitur cum ente, ſequeretur, quod omnia entia intelligibilia ſimul intelligerent, omnia autem entia naturaliter intelligibilia ſunt infinita, & conſequēter intelligerent infinitum actu; & prętera ſi omnia ab eis intelligibilia eſſent in actu, & non in potentia darentur actu infinita, cum infinita poſſint ſucceſſiue cognoſcere, aut ſaltem eſsent infinita actu ſimul cognita ab intellectu finito, quod eſt impoſſibile.

3 Affirmant itaque in Angelis eſse intellectum agentem & poſſibilem D. Bonauentura in 2. diſt. 3. p. 2. art. 2. q. 1. Alenſis p. 2 q. 22. membr. 3. Scotus in 2. diſt. 3. q. vltima; Pro intelligentia dictorum, & dicendorum notandum eſt, quod idem intellectus numero eſt agens, & poſſibilis habet diuerſa nomina ob diuerſa munera, quibus fungitur, atque ob diuerſos effectus, quos producit; nam intellectus, vt agens, duo officia facit, quorum vnum eſt formare ſpecies ſpirituales, & vniuerſales; ſecundum eſt facere vniuerſalitatem in rebus. Intellectus quoque, vt poſſibilis duo ſibi vendicat munia, primum eſt in potentia ad recipiendas ſpecies intelligibiles ſpirituales, & vniuerſales fabricatas ab intellectu agente, ſecundum eſt quia mediantibus illis ſpeciebus efficit ſimilem notitiam obiecti, per quam obiectum non eſt actu intelligibile, ſed actu intellectum, qua de re huiuſmodi intellectus nuncupatur poſſibilis, ideſt potens pati, nempe recipere ſpeciem intelligibilem, & poſtquam cum ipſa ſpecie produxerit notitiam obiecti, eādem notitiam recipere, & in receptione talis notitiæ, Intellectus dicitur operatiuus, quia operatur circa obiectum. Quod igitur in Angelis detur intellectus agens, probatur nam habere intellectum agentem eſt maxime perfectionis Animæ corpori coniunctæ, ergo talis, & tanta virtus, non eſt Angelis deneganda, cum ſint maioris perfectionis. Confirmatur, Dæmus creatum fuiſse Angelum, ſine aliqua ſpecie intelligibili. Quæritur aut iſte Angelus poſset formare ſpecies vniuerſalium, & ſingularium aut non; ſi primum ergo Angelus poteſt habere intellectum agentem, cuius officium eſt formare tales ſpecies, ſi ſecundum, ergo Anima videtur eſse perfectioris condicionis, quam Angelus, quia Anima per intellectum agētem poteſt formare ſpecies, & aquirere ſibi ſcientiam, Angelus autem non poteſt, quod eſt inconueniens, illi denegare talem perfectionem. De intellectu autem poſſibili non eſt dubium; quia Angelus non eſt actus purus, ergo eſt aliquo modo in potentia, & maxime ad recipienda intelligibilia, ergo in eo eſt intellectus poſſibilis.

4 dictum eſt numero primo intellectionem Angeli non eſse eius ſubſtātiam, ſed accidens; Ex quo duo ſequuntur, quorum primum eſt cognitionem Angeli, & modum eſsēdi ipſius

eſse

Digitized by Google

eſſe diuerſæ rationis à modo eſſẽdi ſuę ſubſtantiæ, & aliorum obiectorum intellectus Angelici, quod eſt contra D. Thomam p. p. q 54. qui illud commune axioma inter obiectum, & potentiam eſt ſimilitudo, ſeu æqualitas in eſſendo putat eſſe verum vniuerſaliter in omni actione, ſiue immanente, ſiue tranſeunte, Scotus autem dicit ſolum eſſe verum in operatione phyſica tranſeunte, vt modus operandi ſit ſimilis modo eſſendi, ideo docet virtutem naturalem non poſſe agere extra ſubiectum; & probatur, quia ſi talis eſſet modus cognitionis eſſendi qualis eſſet modus eſſendi rei cognitæ tunc ſequerentur multa inconuenientia; nimirum quod intellectus humanus, & Angelicus non poſsẽt Deum cognoſcere; quod Angelus inferior non poſſet cognoſcere ſuperiorem Angelum; quod Beatus nõ poſſet intuitiue videre Deum, quod Deus, & Angelus non poſſent cognoſcere res inferiores & corporeas, quod oculo corporeo non poſſemus videre Cœlum, quia oculus eſt corruptibilis non ſic Cœlum. Secundum, quod ſequitur eſt, Angelum vt plura intelligat requirere plures intellectiones ſubſtantia autẽ Angelica eſt vna ergo, Intellectio Angelica non eſt ſubſtantia eius; Conceditur tamen Angelum poſſe intelligere plura per modum plurium intellectione vna remiſſa tamen, & imperfecta, quod etiam in noſtra cognitione id euidenter experimur, quia ſi video exercitum, video ſimul plures, non tamen ita perfecte video vnumquemque illorum, ſicut ſi quemlibet viderem ſingillatim, ergo nec Angelis id debet denegari; Hęc intellectio aliquando eſt intuitiua, aliquando abſtractiua; quia Angelus intelligit, ſiue cognoſcit, vel rem exiſtentem prout pręſens eſt, & exiſtens, vel rem poſſibilem, ſeu futuram, aut exiſtentem non tamen vt exiſtens eſt, ſi primo modo, cognitio eſt intuitiua, ſi ſecundo modo eſt abſtractiua; In quo decipiuntur aliqui ex modernis, qui putant, quod dum Angelus per ſpeciem cognoſcit Deum non cognoſcat eum cognitione abſtractiua, quia (inquiunt) Deus eſt exiſtens, & de ratione eius eſt exiſtentia, cum tamen hoc non obſtante poſſit Deus exiſtens non eſſe præſens Angelo in ratione obiecto, ita vt intuitiue videatur.

5 D. Auguſtinus lib. 4. de Geneſi ad litteram Cap. 23. & 11. de ciuitate Dei Cap. 7. 29. & 30. & ad Oroſium, exiſtimauit Deum omnia ſimul condidiſſe iuxta illud Eccleſ. Cap. 18. qui viuit in æternum creauit omnia ſimul; Moyſes autem vt rudi populo creationem exponeret dixit per ſex dies res creatas fuiſſe; Vnde dies illi non fuerunt veri, & naturales vt noſtri, ſed metaphorici; & exponit Diu. Auguſtinus de Angelica cognitione comparata cum ſex rerum generibus, quæ ſex illis diebus dicuntur creata; Primus itaque dies fuit cognitio, qua Angelus ſe ipſum, & ea, quæ ante ſecundum diem narrantur facta cognouit primo in Verbo, & deinde in proprio genere, ſecundus vero dies fuit cognitio, qua Angelus cognouit firmamentum diuiſionemque aquarum, quę ſunt ſuper firmamentum ab ijs quæ ſunt ſub firmamento, primo in Verbo, deinde in proprio generẽ, & ita de cœteris, quæ ſequentibus diebus narrantur facta quaſi vnus, & idẽ dies, quo omnia ſimul sũt facta repetitus, ſeu diſtinctus, ita duplici illo genere cognitionis Angelicæ comparatione rerum illarum diuerſarum, qua Deus condidiſſe ſcribitur ſint illi ſex dies

6 In qua re tria notanda ſunt primum eſt, quod cum D. Auguſtinus ponit duplicem Angeli cognitionem ibi

intendit diuidere diem à nocte, ſecundum quod ſit huiuſmodi diuiſio Gen. 1. cum dicitur Deus diuiſit lucem à Tenebris, & vult, quod cognitio Angeli dicatur dies, cuius ſunt duæ partes mane ſcilicet, & veſpere cognitionem comparat diei, vel luci, & ignorantiam tenebris, & nocti, & cum mane ſit principium diei, & Veſpera finis, vult, quod cognitio Angelica in Verbo dicatur matutina, & cognitio ſui ipſius, vel rerum in ſe ipſis, ſiue in proprio genere vocetur Veſpertina; ſecundum notandum eſt quod D. Bonauentura in 2. diſt. 4. art. 3. q. 2. in fine dixit, quod cognitio matutina propria eſt glorioſa, & beatifica; quam non habuerunt Angeli à ſui condicione; quia D. Auguſtinus per cognitionem matutinam, & in verbo, intelligit claram cognitionem creaturarum in Deo, quam habent Angeli beati, ſed in Angelis beatis non eſt vlla clara viſio Dei præter viſionem beatificam, ergo de illa loquitur D. Auguſtinus; tertium notandum quod D. Auguſtinus per matutinam cognitionem creaturarum intelligit ipſam viſionem diuinæ eſsentiæ, & eorum quæ formaliter ſunt in Deo; atque creaturarum ſecundum eſse eminens, quod habent in Deo non autem ſecundum eſse formale, quod habent in ſeipſis, vt patet vt notat D. Thomas p. p. q. 58. art. 6. & 7.

7 Quibus ſic declaratis clariſſimum eſt interpretes ſacrarum ſcripturarum diſcedere ab opinione D. Auguſtini, quia omnes interpretantur numerum ſex dierum creationis rerum non eſse metaphoricum, ſed verum, & Hiſtoricum, atque litteralem, prout Deus ſic distinctè creaturas condere, ſicque per Moyſem rudi populo hiſtorialiter narrare iudicauit infinitæ ſuæ ſapientiæ, & prouidentiæ conuenire; deinde omnes Theologos pariter diſcedere ab opinione prędicta eiuſdem D. Auguſtini ſupra expoſita, qui omnes dicunt cognitionem matutinam pro vt eſt cognitio rerum in Verbo beatifica Angelos à ſui condicione non habuiſse; nam cognitio matutina ſic accepta non poterat competere Angelis viatoribus; alias Lucifer, & ſequaces fuiſsent prius beati, deinde à beatitudine cecidiſsent, quod eſt contra naturam viſionis beatificæ, cuius potiſſima proprietas eſt, quod ſit perpetua. Conceditur tamen, quod omnes Angeli in morula illa, quæ interceſſit inter eorum creationem, & beatitudinem bonorum, ſiue reprobationem malorum habuerunt cognitionem matutinam rerum in verbo, quia fuit per infuſam à Deo ſpeciem distinctè rappręſentantem Verbum, ſeu eſsentiam diuinam; dictum eſt distinctè rappręſentantem, nam alias nequiuiſset Angelus per ipſam tam distinctè, & perfectè cognoſcere omnes, & ſingulas creaturas provt de facto cognouit.

8 Ex his euidenter colligitur Ochamum, Gabrielem, Durandum, Henricum, & alios male opinatos de ſpeciebus intelligibilibus dicentes non eſſe concedendas in intellectu Angelico, & humano, quæ ſpecies cum eiſdem intellectibus efficaciter ad intellectionem concurrant, aſſerenteſque cum Philoſopho 2. Ethicorum in Anima non eſſe niſi tria nempe potentię, habitus, & paſſiones, ſed in Angelo non ſunt paſſiones, ergo non erunt, niſi duo potentia, ſcilicet, & habitus. Secundò probant ratione ſic, Angelo debet attribui nobilior intelligendi modus, ſed nobilior intelligendi modus eſt intelligere per habitum, quam per ſpeciem, eo quia ſpecies dependet ab habitu, quam è conuerſo, ergo Angelus intelligit per habitum, & non per ſpeciem; Rectius ergo cum Alenſi 2. p. q. 26. memb. 2. & cum Doctore ſubtili in 2. diſt. 3. qu. 11. & mal-

Digitized by Google

multis alijs opinantibus oppoſitum; aſſerimus dari, & poni debere in Angelis ſpecies intelligibiles impreſſas probatur 1. Ad hoc, vt fiat actio agens, & patiens debent vniri; obiectum autem mouet potentiam ad notitiam ſui, ideo debent vniri, & cum non poſſint per ſe, quia lapis ex 3. de Anima non eſt in Anima, ſed eius ſpecies, ergo vniuntur per ſpeciem; Confirmatur intellectus non cognoſcit obiectum, niſi per ſuum ſimile cognitione abſtractiua; ſed ſimilitudo obiecti eſt eius ſpecies intelligibilis, ergo intellectus Angelicus cognoſcit cognitione abſtractiua ſuum obiectum per ſpeciem intelligibilem, ergo in intellectu Angelico dantur ſpecies intelligibiles. Ad primum contrariæ opinionis reſpondetur 2. Ethic. Philoſophum annumerare ſolum ea, quæ ſunt per ſe, & immediate principia actuum ſe tenentium ex parte appetitus; actus enim appetitivus, vel egreditur à potentia ſine habitu, vel à potentia informata per habitum, vel ortum habuit ex paſſione; Itaque per auctoritatem Ariſtotelis non excluditur ſpecies intelligibilis, quæ non habet eſſe in appetitu; ſed in intellectu; Ad ſecundum reſpondetur, quod intelligere per habitum, vel indigere habitu ad intelligendum (loquendo de intelligere, quod poſſumus ex naturæ viribus comparare) potius eſt ignobilitatis, quam nobilitatis, ſi quidem indigere habitu ad tale intelligere eſt habere difficultatem aliquam in noſtro opere naturali, quod non ad dignitatem pertinet.

9 Si quis quærat, an Angelus intelligat, & cognoſcat diſcurrendo, atque adeo componendo, & diuidendo; pulchrum quæſitum, ad cuius reſolutionem ſupponendum eſt vnum valde notabile, & ſcitu dignum nempe quid ſit diſcurrere, quid ſit componere, & quid diuidere, quod ex profeſſo in logica diſcuſſum, & declaratum eſt; Vbi dictum eſt, quod diſcurrere eſt vnum ex alio inferre, ſeu colligere; Componere vero eſt prædicatum ſubiecto per copulam innectere aſcendendo; Diuidere autem eſt ſuperius in ſuas partes inferiores diſtinguere, & partiri; eſt enim compoſitio inquit Ariſtotelis lib. 1. de Interpret. Capit. 1., qua intellectus vnum de alio enunciat, vt homo eſt animal, homo eſt albus; Diuiſio autem eſt negatio, qua vnum de alio negamus, vt homo non eſt Leo, homo non eſt niger; Contra vero aliquid ſine diſcurſu intelligere eſt illud per ſe, & non per aliud cognoſcere; quod enim per diſcurſum intelligimus non eſt nobis per ſe patens, & intelligibile, ſed per aliud prius tempore, aut natura cognitum; Intelligere etiam ſine compoſitione, & diuiſione eſt cognoſcere quiditatem rei, aut rem à re remouere antequam præcedat applicatio prædicati ad ſubiectum vno intuitu ſine tali applicatione perueſtigans quid conueniat, quidue diſſentiat per ſolam ſubiecti apprehenſionem, ſine relatione prædicati.

10 D. Thomas p. p. qu. 58. artic. 3. & 4. & eius Diſcipuli, & maxime Caietanus ibidem articulus, aſſerunt Angelum intelligere ſine vlla compoſitione, & diuiſione, atque adeo ſine diſcurſu; Angeli enim inquit D. Thomas illum gradum tenent in ſpiritualibus, quem corpora Cœleſtia in ſubſtantijs corporeis; nam & Cœleſtes mentes a D. Dionyſio dicuntur. Eſt autem hæc differentia inter Cœleſtia, & terreſtria corpora, quod terreſtria permutationem adipiſcuntur ſuam vltimam perfectionem; Corpora vero Cœleſtia ex ipſa ſua natura ſuam vltimam perfectionem habent, ſic igitur, & inferiores intellectus ſcilicet hominum per quẽdam motum, & diſcurſum intellectualis operationis perfectionem in cognitione veritatis adi-

adipiſcuntur, dum ſcilicet ex vno cognito in aliud cognitum procedunt; ſi autem ſtatim in ipſa cognitione principij noti inſpicerent, quaſi notas omnes concluſiones conſequentes, in eis, diſcurſus locum non haberet; Et hoc inquit eſt in Angelis, quia ſtatim in illis, quæ primo naturaliter cognoſcunt inſpiciunt omnia quæcumque in eis cognoſci poſſunt, & ideo dicuntur intellectuales, quia etiam apud nos, quæ ſtatim naturaliter apprehenduntur intelligi dicuntur; Vnde intellectus dicitur habitus principiorum; Animę vero humanæ, quę veritatis notitiam per quendam diſcurſum aquirunt rationales dicuntur, & vocantur, quod quidem cōtingit ex debilitate luminis intellectualis in eis, Vnde cum in Angelo ſit lumē intellectuale perfectum, & ſit ſpeculum purum, & clariſſimum, vt inquit D. Dionyſius 4. de Diuinis nominibus relinquitur, quod Angelus, ſicut non intelligit ratiocinando, ita non intelligit diuidendo &c.

11 Scotus vero in 2. diſt. 7. q. 1. v. contra concluſionem, & diſt. 1. q. 6. v. contra Anima &c. Verſic. item quæritur, & in prol. q. 3; & 5. laterali in principio, & alij Doctores cum eo oppoſitam defendunt ſententiam, & rationem reddunt; quia quantumuis minima immo nulla intercedat temporis mora in perceptione concluſionis ex præmiſſis deducta ex illis tamē tanquam ex principijs elicitur, & virtualiter in illis eſt contenta, atq; ſaltem prius natura principia cognoſcuntur, quam Concluſiones, & conſequenter ſit ibi aliquis diſcurſus, quamuis vix propter promptitudinem intellectus percipiatur. Ad hoc enim, vt ſit diſcurſus, ſolum requiritur, vt principium prius natura notum ſit, quam concluſio ab eo deducta, & quod ſit cauſa eam cognoſcendi, quod quidem deprehendere eſt etiam difficile in Angelis, & Animabus iuſtis, & beatis; Non enim poſſunt omnes veritates cognoſcere ſine vllo medio, nec omnes ſunt illis per ſe notæ, quia eſſent etiam nobis per ſe notæ; nam omnis propoſitio per ſe nota à quocumque intellectu poteſt ſine medio cognoſci; Non negamus tamen, quin Angelus propter ſummum intellectus acumen (in genere tamen creaturæ) non poſſit perpendere, & proſpicere quandam propoſitionum neceſſitatem, & terminorum connexionem, ſeu compoſitionem, vel diuiſionem prædicati, & ſubiecti, quæ propter imbecillitatem noſtri luminis, nō ita perſpicaciter cognoſcimus; & hac ratione forſitan ſunt illis nonnullæ veritates per ſe notæ, quæ nō ſunt nobis, ſicuti etiam patet, quod multæ veritates per ſe notæ philoſopho, nō ſunt notæ ruſtico; ſaltem hoc certiſſimum eſt, quod ſicut in humanis videmus hominem apprime peritum in humanis artibus habere aliquas propoſitiones tanquam per ſe notas, quas alius vix, ac ne vix longo diſcurſu poteſt intelligere; & ſtatim, vt aliquis os aperuerit, ſcit peritus, quid velit imperitus concludere, & verum verum ſit, necne; ſic cum homo ſit tanquam ruſticus, & imperitus reſpectu Angeli, tanta eſt intellectus Angelici acies, vt ſtatim videat, quid homo diſcurrere, & velit, & verum ſit verum, vel falſum; Vnde aut videtur nullus eſſe in Angelo reſpectu talium diſcurſus, aut tam velox videatur, ac ſi eſſet inſtantaneus.

12 Dicendum tamen, quod cum triplex poſſit eſſe diſcurſus, vnus fermè inſtantaneus alius vere temporalis, ſiue temporaneus, & tertius illatorius; ſic proportionaliter de diſcurſu Angelico eſt philoſophandū; Diſcurſus enim Angelicus inſtantaneus tam breuis eſt, vt non perſpiciatur motus intellectus ſupra obiectum ex ſe, ſed ſolum ex prio-

ritate

titate cauſæ reſpectu effectus, quæ non includit tempus, ſed ſolam prioritatem, vel poſterioritatem naturæ, & hoc modo vere poteſt dici Angelum diſcurrere, quia ex cauſa colligit effectum; diſcurſus vero temporaneus reperitur ſemper in hominibus, non autem ſemper in Angelis, niſi cum aliquo diſcrimine; nã hic diſcurſus poteſt eſſe ex notis ad incognita cognoſcenda, & hic non ſemper eſt in Angelis, ſed aliquando vt dicemus, vel ex notis ad nota, & ſic ſemper eſt in Angelis, quia alias, & alias cogitationes ſemper habent ſucceſſiue; Illatorius autem, qui & contemporaneus dici poteſt; quo ſcilicet conſurgimus ex cognitis ad incognita cognoſcenda cum motu intellectus, dictus eſt ſemper eſſe in hominibus, & non ſemper in Angelis; Nunc eſt diſcutiendum, & oſtendendum quo modo aliquando illis inſit; Dicimus itaque, quod in tribus potiſſimum nempe in perſcrutatione, ſiue in inueſtigatione ſecreti cordis, 2. in coniectatione rerũ à libera voluntate futurarum, & tertio in Inquiſitione diuinorum miſteriorũ diſcurrunt; Cũ .n. iſta tria non ſint illis per ſe nota, ad illa perueſtiganda neceſſarius eſt illis diſcurſus componendo, & diuidendo, & vnum ex alio deducendo; Concludimus ergo Angelum non intelligere omnia ſine diſcurſu; diſcurſum tamen illius eſſe tam ſubitũ, vt vix motus eius percipiatur tanta eſt acies, & acumen intellectus Angelici.

15 Quod Deum cognouerit Angelus naturaliter, dum eſſet Viator hoc eſt certiſſimum, ſed quomodo cognouerit, & cognoſcat ex puris naturalibus eſt controuerſum inter Doctores D. Bonau. in 2. diſt. 3. p. 2. art. 2. q. 2. in reſolutione argumentorum. Richardus in 2. diſt. 4. art. 4. q. 1. & 2. D. Thomas par. 1. q. 56. art. 3. aſſerunt Angelum cognoſcere Deum per propriam eſſentiam (hic eſt ſermo de cognitione propria, & diſtincta diuinæ eſſentiæ, non de cognitione confuſa, quæ per creaturam habetur, vel tanquam per effectum vel in conceptu vniuoco entis) ex oppoſito Scotus in 2. diſt. 9. & alij dicunt Angelum cognoſcere Deum per ſpeciem ſibi naturaliter à Deo ſuperadditam à principio ſuæ creationis. Declaratur opinio Scoti. Dictum eſt ſupra duplicem eſſe cognitionem intellectus abſtractiuam, & intuitiuam; abſtractiua eſt cognitio quiditatis obiecti prout abſtrahit ab exiſtentia actuali, & non exiſtentia ſcilicet, quæ eſt de obiecto exiſtente, ſiue non exiſtente. Intuitiua eſt cognitio obiecti exiſtentis, vt exiſtens eſt, & vt præſens in ratione obiecti ipſi virtuti cognoſcenti; vtraque iſta cognitio eſt euidens; De abſtractiua patét, quod datur, quia datur ſcientia, ſciẽtia autem eſt de obiecto, prout abſtrahit ab omni exiſtentia actuali, & ab hic, & nunc; nam exiſtentia actualis pertinet ad ſingularia, quæ modo ſunt, & modo non ſunt. De illis autem non eſt ſcientia, ſed de quiditate in communi, vt abſtrahit ab exiſtentia illa ſingulari; De intuitiua patet in potentia ſenſitiua, vt puta viſus intuetur enim obiectum, vt exiſtit in propria exiſtentia, & vt præſens eſt ipſi potentiæ viſiuæ in debita proportione; quod autem competit potentiæ inferiori eminentius debet competere potentiæ ſuperiori in eodem ordine; ſed intellectus in ordine potentiarum cognitiuarum eſt eminentior ſenſu ergo; Cognitio abſtractiua fit per ſpeciem repræſentantem obiectum in abſentia eiuſdem obiecti; At cognitio intuitiua eſt duplex alia eſt, quæ immediate eſt obiecti præſentis, & exiſtentis in ſeipſo, alia eſt obiecti præſentis, ſed mediante eius ſpecie mouente, vt cognitio coloris, & hæc propriè pertinet ad ſenſum; Ad propoſitum dicit Scotus,

quod

quod Angelus poteſt habere cognitionem diſtinctam eſſentię diuinæ ex viribus naturæ non intuitiuam, ſed abſtractiuam, quę vt dicit habetur per ſpeciē rappræſentantem obiectum abſens.

14 Hoc vltimū ſic declaratur; Poſſet Deus ab inſtanti creationis Angeli infundere intellectui Angelico ſpeciem rappræſentantem diſtincte diuinam eſſentiam, ſicut tenent Theologi eis infudiſse ſpecies rerum creatarum ipſas res diſtincte rappræſentantes, tunc Angelus virtute huius ſpeciei poſſet diſtincte Deum cognoſcere, ſicut poteſt cognoſcerę diſtincte quodcūque aliud obiectum, cuius diſtinctam ſpeciem habet; Hæc autem cognitio poſset dici naturalis ipſi Angelo, quia licet illa ſpecies non poſsit aquiri proprijs viribus, vel ab aliquo Agente naturali illam non poſſit comparare, quia à ſolo Deo emānare poteſt; tamen ſicut perfectiones datæ Angelo in ſua prima creatione dicuntur naturales Angelo, prout naturale contra diſtinguitur à mere ſupernaturali, ſicuti eſt gratia, & gloria, licet non neceſſario conſequantur naturam Angeli; ita iſta ſpecies diceretur naturalis Angelo, quia à principio ſuæ creationis indita fuiſſet, ſicut alia dona naturalia, & ſic cognitio elicita ab Angelo mediante iſta ſpecie diceretur naturalis; Quod autem talis ſpecies de facto poni debuerit, probatur efficaciſsime; Maior eſt beatitudo naturalis Angeli, quam hominis etiam in ſtatu innocentiæ, ſed homo in ſtatu innocentiæ habuit aliquo modo cognitionem diſtinctam de Deo, ergo multo magis Angelus, ſed cognitio diſtincta Dei non poteſt haberi, niſi per diſtinctum rappræſentatiuum, ergo Angelus habuit ſpeciem diſtincte rappræſentantem, maior eſt clara ponendo Angelum, & hominē in ſtatu innocentiæ per quantumcumque tempus, quia Angelus eſt excellentior creatura, quam homo, minor probatur, quia homo in ſtatu naturæ lapſæ habet cognitionem de Deo, ſed confuſam, & volitionem de illo, maior autem erat cognitio hominis in ſtatu Innocentiæ, ergo erāt diſtincta, & ſic habetur propoſitum.

15 Probatur ſecundò aliquis videns eſſentiam diuinam per raptum poterat illius recordari diſtinctæ; Hæc autem recordatio non poteſt eſſe niſi per ſpeciem impreſſam diuinæ eſſentiæ diſtincte illam rappræſentantem, ergo dari poſt ſpecies impreſſa diſtincte rappræſentans eſſentiam diuinam abſentem; maior patet in raptu D. Pauli, ergo eſt ponenda in Angelo minor de ſe eſt euidens; rationabile enim eſt ponere in intellectu Angelico omnem perfectionem quæ competit Intellectui creato, nec illi repugnat, ſicuti cognitio diſtincta de Deo per ſpeciem rappræſentantem, vt patet in dicto Pauli raptu; & licet hæc cognitio per ſpeciem ſit diſtincta non tamen eſt intuitiua, ſola autem intuitiua, & clara viſio repugnat creato intellectui pro ſtatu viæ, & quamvis aliqui Theologi aſſerant viſionem Beatificam fieri per ſpeciem tamen aſſerunt etiam eſſentiam diuinam eſſe præſentem ſicque eſſe intuitiuam, ſicuti eſt intuitiua viſio coloris præſentis quamvis fiat per ſpeciem coloris colorem rappreſentantem; probatur tertio ex doctrina D. Auguſtini ſupracitata; ponitur in Angelis in prima eorum creatione cognitio matutina, & veſpertina, cognitio autem matutina erat cognitio rerum in verbo, & cognitio veſpertina erat cognitio rerum in genere proprio, cognitio autem matutina præcedebat veſpertinam, ergo prior in Angelis cognitio rerum in verbo, quam in genere proprio. At Angeli in primo inſtanti creationis non fuerunt beati, quia interceſſit aliqua mora inter Creationem,

nem, & beatitudinem, ergo illa cognitio matutina non fuit beatifica, ergo fuit per aliquam ſpeciem rappręſentantem diſtincte diuinam eſſentiam, quia cognoſcebat res illas diſtincte, ergo diſtincte rappræſentabantur, & quod illa cognitio matutina fuerit naturalis, quia præceſſit cognitionem veſpertinam, quæ erat rerum in proprio genere, & Angeli in ſtatu eorum naturali antequam eſſent beati potuerunt cognoſcere, & cognouerunt res in proprio genere, ergo cognitio illa matutina cum præceſſit beatificam fuit naturalis.

16 Dices illa ſpecies ſi datur Angelo viatori eſt finita, limitata, improportionata, & inadæquata eſſentiæ diuinæ, ergo non valet eam diſtincte rappræſentare; ſecundo dices eſſentia Angeli eſt quædam ſimilitudo, & imago Dei, & præterea eſt forma intelligibilis actu intime vnita intellectui Angelico in ratione ſpeciei intelligibilis, ergo poterit eſſe principium, & ratio cognoſcendi ipſum Deum. Ad primum reſpondetur ex Scoto in 2. diſt. 3. q. 9. in reſponſione ad primum Henrici aliquam ſpeciem rappræſentãtem aliquid eſse illi adæquatam poſse intelligi tribus modis, primo modo quod ſit adæquata entitatiue, ſecundo modo ſecundum rappræſentationem abſolute, ita quod rappræſentet obiectum quantum eſt rappræſentabile ſimpliciter, tertio modo quod ſit adęquata in ratione rappræſentandi non ſimpliciter, ſed per comparationem ad actum talē, Conceditur ſpeciem impreſsam in intellectu Angelico rappræſentantem diſtincte non eſse diuinæ eſſentiæ, quam ſic rappræſentat; primo, nec ſecundo modo, ſed tertio modo eſſe adæquatam; nihil enim inconuenit, quod Deus creet ſpeciem rappræſentantem ſuam diuinam eſsentiam ita perfecte illi intellectui ſicut intellectus ille capere poteſt, & in ordine ad talem actum qualem intellectus ille poteſt habere; nec obſtat, quod talis ſpecies non rappræſentabit perfecte eſsētiam diuinam, eo modo quo rappræſentabilis eſt, quia neque etiam beati in Patria, ſiue Animæ, ſiue Angeli vident eſſentiam diuinam quantum viſibilis eſt, alias eam comprehenderent; Ad ſecundum reſpondetur, quod aliter effectus rappræſentat ſuam cauſam, & aliter ſpecies intelligibilis rappræſentat ſuum obiectum, nam ſpecies rappræſentat illud, ſiue cognoſcatur, ſiue non cognoſcatur; effectus vero non niſi mediante cognitione ſui; immo effectus primo ſe ipſum rappræſentat, ſecundario vero cauſam; & ideo non æque cognoſcitur Deus per effectum, ſicut per ſpeciem; nam effectus mediante rappræſentatione ſui rappræſentat cauſam, non ſic ſpecies.

17 Pro clariori notitia dictorum, & dicendorum notandum eſt duplex eſſe obiectum primum intellectus Angelici nempe dignitatis, & adæquationis; obiectum primū primitate dignitatis, ſeu perfectionis intellectus Angelici eſt Deus, nam Angelus per propriam eſſentiam cognitam poteſt Deum cognoſcere, & per ſpeciem impreſſam in principio ſuę creationis, ergo Deus eſt obiectum intellectus Angelici, & Deus inter omnia cognoſcibilia eſt dignior nobilior, & perfectior, ergo eſt obiectum primum primitate dignitatis &c. obiectum vero primitate adæquationis attingibile ab intellectu Angelico quoad naturalem eius attingentiam eſt ens in tota ſua latitudine, ens in quam finitum, & limitatum, tam abſolutum, quam reſpectiuū, cuius terminus non eſt Deus; quia Deus licet ſit cognoſcibilis, quatenus cauſa effectuum creatorum, & hoc naturaliter, tamen non eſt ab intellectu Angelico naturaliter cognoſcibilis ſub illa ratione, ſub qua terminat reſpectum,

Digitized by Google

ctum, & relationem creationis paſſiuæ creaturæ; Item licet Deus cognoſcatur diſtinctè ab Angelo per illam ſpeciem ſibi coæuam, & concreatam diſtinctè rappræſentantem diuinam eſſentiam (vt ſupra probatum eſt) talis tamen cognitio non eſt Angelo naturalis, ſic quod intellectus Angelicus viribus propriè naturalibus eam comparare poſſit; licet impropriè dicatur naturalis, quia ſuæ naturæ talis ſpecies diuinitus fuit ſuper addita in ſua creatione.

18 Angelus cognoſcit ſeipſum per propriam eſſentiam tanquam per rationem cognoſcendi cognitam, ita Doctor ſubtilis in 2. diſt. 3. q. 8. cum D. Thoma p. p. q. 66. art. 1, quia Angelus eſt ſibi præſens in ratione obiecti, & continetur ſub obiecto adæquato intellectus Angelici, hoc eſt contra Henricum aſſerentem Angelum non ſe intelligere per eſsentiam ſuam, ſed per habitum quendam ſciẽtialem ſibi inditum à Deo, in quo eſſentia eius, & aliarum rerum relucet, quod tamen ſupra reiectum eſt numero 8. Item cognoſcit Angelus ſe ipſum per ſpeciem, tanquam per rationem cognoſcendi abſolutè (contra Thomiſtas qui putant, quod illud ſolum cognoſcitur per ſpeciem, quod eſt abſens, exiſtentia autem Angeli numquam eſt abſens,) quia Angelus poteſt cognoſcere ſuam eſſentiam, vt abſtrahit ab exiſtentia per ſpeciem aquiſitam, vel infuſam, cum ſit rappreſentabilis, & cognoſcibilis ſub eodem modo abſtractionis; ergo poteſt ſe ipſum cognoſcere per ſpeciem, ſeu per eſſentiam ſuam ſecundum, quod eſsentia eſt, & non ſecundum quod existit; Item potest intelligere alium Angelum, & per eſſentiam eius, & per ſpeciem, eadem enim eſt ratio de cognitione Angeli reſpectu eſsentiæ ſuæ, & reſpectu alterius Angeli, cum vtraque ſit proportionatum obiectum intellectus ipſius, Igitur quemadmodum ſe, ita poteſt cognoſcere alium Angelum, & per eſſentiam eiuſdem notitia intuitiua, & per ſpeciem notitia abſtractiua, quia potuit Deus intellectui cuiuſcumque Angeli infundere ſpecies, quibus vnus Angelus potest alium cognoſcere, nihil enim aliud requiritur ad cognoſcendum Angelum abstractiue.

19 Sicut ſpecies intelligibiles ſunt neceſsarie Angelis ad cognoſcendum, quia intellectus eorum secundum ſe est in potentia essentiali ad intelligendum ſine obiecto, vel specie cum ſit causa partialis intelligendi, ergo debet reduci de potentia essentiali ad actum per obiectum, vel speciem, ſed non poteſt ſemper reduci per obiectũ propter materialitatem obiectorum, ergo debet reduci per vices agentem obiecti ſcilicet per ſpeciem, quæ eſt Vicaria obiecti; ſic ad cognoſcenda plura obiecta neceſſariæ ſunt plures ſpecies, quia diſtincta ſpecie, ſiue eſſentiæ plures ſpecificè non poſſunt rappreſentari per eãdem ſpeciem intelligibilem; Vniuerſalia quoque, & ſingularia non poſſunt rappreſentari per eandem ſpeciem, ergo ad plura intelligenda neceſſariè ſunt plures ſpecies; Immo impoſſibile eſt per vnam ſpeciem omnia rappreſentabilia naturaliter cognoſcere, neque poſſet Deus producere Angelum, ita perfectum, quod per vnam ſpeciem omnia prædicta cognoſceret; ita Scotus in 2. diſt. 3. qu. 10; nam licet probabile videatur, non repugnare talem ſpeciem dari ratione infinitatis, quia non videtur ſequi, quod eſſet infinita in rappreſentando, licet rappreſentaret infinita creata, quia ſucceſſiue rappreſentaret; ad rappreſentandum enim infinita ſucceſſiue non requiritur virtus infinita, ſicuti ad comburendum infinita ſucceſſiue combuſtibilia non eſt neceſſaria in igne virtus infinita; Aliunde tamen

repu-

repugnare videtur, videlicet, quia ſpecies eſſentiales ſunt, ſicut numeri, ergo ſi ſpecies rappreſentans rappræſentaret plura diuerſæ ſpeciei eſſentialis eiuſdẽ ſpeciei eſſentialis eſſet eiuſdem, & diuerſæ ſpeciei, quod implicat; Implicat enim eandem ſpeciem rappreſentare equum, & Leonem, quæ ſunt diuerſæ naturæ ſpecificæ, & ne fiat confuſio per hoc nomen æquiuocum ſpecies aduertendum eſt ſpeciem rappreſentantem, & ſpeciem rappreſentatam, (vt ad propoſitum noſtrũ pertinet) differre adinuicem, ſpecies enim rappreſentans eſt ſimilitudo obiecti gerens vicem ipſius in productione cognitionis eiuſdem obiecti; ſpecies vero rappreſentata eſt, vel compoſitum metaphyſicum ex genere, & differentia; vel compoſitum phyſicum ex materia, & forma, & vtrũque compoſitum est ſpecies eſsentialis, ſiue natura ſpecifica rappreſentabilis per propriam ſpeciem intelligibilem.

20 Contra dicta arguitur per eſſentiam diuinam poſſunt cognoſci plures quiditates diſparatæ cum ſit vnica per modum vnius, ergo etiam poſſunt cognoſci per eandem ſpeciem, quia ſpecies Angelicę ſunt participationes fluẽtes à diuina eſſentia, ergo vna ſpecies poteſt rappresentare hominem Leonẽ &c. Secundo arguitur sol poteſt producere diſtincta ſpecie, ergo & ſpecies poteſt rappresentare plura ſpecie. Tertio arguitur ſpecies expreſſa, vt viſio beatifica eſt ratio intelligendi plura per modum vnius, ergo, & ſpecies impreſſa. Reſpondetur ad primum, quod non eſt ſimile, quia in eſſentia diuina diſtinctiſſime continentur creaturæ omnes tãquam in cauſa exemplari, ac eminentiſſime, & ideo eſſentia diuina immediate rappreſentat ſe ipſam mediate autem creaturas, ſed ſpecies Angelica non continet eminenter plures naturas ſpecificas actu, & perfecte ergo; Ad ſecundum reſpondetur, quod non eſt eadem ratio de ſole producente, & ſpecie rappreſentante, quia ſol non habet paſſum ſibi adæquatum, atque diſpoſitum tam ſecundum intenſionem, quam ſecundum extenſionem, & ideo non agit actione adæquata; ſed ſpecies intelligibilis habet paſſum adæquatum, & ſufficienter diſpoſitum ſcilicet intellectũ, & ideo eo modo, & ita perfecte, ſicut obiectum eſt in intellectu, vt in actu primo, poteſt eſſe in eodem actu ſecundo, ideſt actu cognitum, & ita perfecte ſiue extenſiue, atque adeo ſpecies habet actum ſibi adæquatum extenſiue, & intenſiue; Reſpondetur ad tertium non eſt par ratio, quia ſi per actum beatificum plura ſimul intelliguntur, hoc ideo eſt, quia ille actus habet vnum obiectum primum, in quo illa plura continẽtur, non ſic in propoſito, quia nulla eſt talis continentia, nec ex parte obiecti, nec ex parte ſpeciei.

21 Angelus naturaliter cognoſcit ea, quæ ſunt futura neceſſario, ſeu quæ habent determinatam cauſam fallibilẽ tamen cognitione certa, non tamen infallibili; ſed vt plurimum coniecturali; triplicia enim ſunt futura; alia ſunt, quę habent cauſam neceſſario determinatam, & infallibilem, vt ſunt motus Cęli, ſyderum ortus, & occaſus, Eclypſes, coniũctiones &c. alia, quæ habent cauſam determinatam, ſed fallibilem, vt abortus frugum ſuppoſita, & adhibita omni diligentia Agricolæ in excolendo terram, tertia ſunt futura indeterminata, quæ pendent à libera voluntate, quo ſuppoſito probatur aſſertum, quia hujuſmodi futura cognoſcuntur ab Aſtrologis, ergo perfectius cognoſcuntur ab Angelis; quia tamen propter defectum cauſarum inferiorum illi effectus impediri poſſunt; Ideo ab Angelis infallibiliter non cognoſcuntur; futura tamen contingentia, quæ habent cauſam neceſſario

ceſſario determinatam, & infallibilem Angeli cognoſcunt certo, & infallibiliter, quia tales effectus non poſſunt impediri à cauſis inferioribus, ergo ſunt effectus neceſſario futuri, & in ordine ad cauſas ſecundas, & conſequenter cognoſci poſſunt ab Angelis certo, & infallibiliter. Futura denique contingentia, quæ habent cauſam indeterminatam, quæ proprie futura contingentia dicuntur non cognoſcit naturaliter certo, & infallibiliter Angelus, quia non cognoſcit directe actus liberos noſtræ voluntatis, nam talis cognitio eſt Deo reſeruata, iuxtà illud 3. Regum Cap. 8. tu noſti ſolus cor filiorum hominum, & alibi ſæpe, non quod talis cognitio non ſit de cõtentis ſub adæquato obiecto intellectus Angelici, ſed quia Deus non concurrit ad talem cognitionem; poteſt tamen Angelus eadem futura cognoſcere, quæ à volũtate plenè libera non pendent, vt motus primo primos; Vlterius poteſt cognoſcere naturaliter, ſed ſolum indirecte eadem futura pendentia à libera voluntate, quia etiam homines ex ſignis exterioribus, vel immutatione faciei cognoſcere poſſunt cogitationes cordis, iuxta illud Eccleſ. 13. cor hominis, immutat faciẽ hominis, ergo multo certius Angelus poteſt ſic cognoſcere ſecretum cordis humani.

22 Opera ſupernaturalia ſimpliciter in quocumque ſtatu Angelus non poteſt naturaliter, cognoſcere, vt myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, quia aut cognoſceret in ſe, aut in effectu non in ſe, quia Deus, vt Trinus reſpectu intellectus creati eſt obiectum volũtarium, ergo naturaliter cognoſci non poteſt ab intellectu Angelico; Neque in effectu, quia nullus eſt effectus, qui rappreſentet tres perſonas in vna natura numero; nec miſterium incarnationis, quia vnio hypoſtatica eſt omnino ſupernaturalis ſuperans omnem captum humanum, & Angelicum non habens in rebus creatis aliquod rappreſentatiuum, eo vel maxime, quia terminus illius vnionis, qui eſt Verbum non eſt naturaliter cognoſcibilis ab Angelo; Item licet boni Angeli cognouerint in Verbo miſterium Incarnationis in communi, non tamen quoad principales conditiones, nempe quod illa perſona debeat eſſe filius Dei ex Virgine aſſumpturus Carnem humanam &c. Poſſunt tamen Angeli naturaliter videre Chriſtum hominem in Sacramento Euchariſtiæ; quia gratia, fides, & aliæ virtutes per ſacramenta infuſæ ſunt obiecta proportionata intellectui non dependentia à ſenſibus; tum quia modus ille ſacramentalis non impedit humanitatem Chriſti videri ab intellectu ſeparato à ſenſibus, nam ſi per diuinam potentiam extra ſpecies ſacramentales corpus illud in puncto poneretur poſſet videri à tali intellectu, tum quia ſpecies illæ non impediunt viſionem panis ante conſecrationem, ergo nec viſionem alterius ſubſtantiæ ibi exiſtentis; tum demum, quia modus accidentalis obiecti non tollit intelligibilitatem ab huiuſmodi obiecto.

23 Pro vberiori dictorum intelligentia notandum eſt ſexcuplicia eſſe cognoſcibilia creata, ab Angelico intellectu intelligibilia; quorum primum eſt propria eſſentia Angeli, ſecundum res à ſe diſtinctæ præteritæ, tertium res præſentes, quartum res futuræ, quintum res poſſibiles, ſextum res ab omnibus illis per intellectum abſtractæ, Angelus itaque ſe ipſum cognoſcit per eſſentiam cognitam, res præteritas per memoriam, & cõſequenter per ſpecies eas rappreſentantes, quæ ſunt abſentes; præſentes vero, cum intuitiue videat cognoſcit per proprias quiditates, cum enim ſciat, quid ſit homo, quando videt Paulum cognoſcit eſſe hominem ...

Digitized by Google

futuras vero cognoſcit per cauſas; nam nonnullæ cauſæ ſunt ita certæ, quod æque per illas effectus poſſint perſpici, & conſpici, ac ſi oculis cernerentur; ſicut Aſtrologus certò certius cognoſcit coniunctiones ſiderum tali tempore, tali hora, talique momento futuras, & peritus Medicus multorum morborum euentus, ac ſi oculis iam intueretur omnem morborum exitum; Longe autem magis Geometra, & Mathematicus, cũ eorum demonſtrationes ſint certæ. Angeli itaque longe certiorem habent rerum futurarum cognitionem, & perſpicatiorem intellectionem, vbi cauſæ ſunt neceſſariæ, & neceſſario determinatum effectum producentes æque bene vident effectum quemlibet particularem futurum in ſuis cauſis, ſicut iam productus eſſet; Res autem poſſibiles, cum realem exiſtentiam non habeant, nec vnquam fuerint, nec ſint futuræ, neutro prædictorum modorum poteſt Angelus cognoſcere; ideo in Angelis ponuntur habitus concreati, per quos facillime Angeli poſſunt multarum rerum poſſibilium aliqualem cognitionem habere; Demum res à prædictis per intellectum abſtractæ, & ad inuicem compoſitæ cognoſcuntur per experientiam, vt ſupra dictum eſt.

24 Non ſolum circa naturalia, ſed etiam circa futura contingentia, & ea, quæ pendent à libera voluntate poſſunt naturaliter decipi non ſolum Dęmones, ſed etiam Angeli boni, cum enim falſitas ex ignorantia rei procedat, & æque Angelus ſecundum naturam ignoret vtrum homo mortuus debeat à Deo reſuſcitari, ſicut ignorat; & Dœmon ſimiliter miſteria fidei, ſecreta cordium, & futura contingentia libera vtrumque Angelum bonum, & malum lateant, cum naturalia non ſolum in bonis, ſed etiam in malis integra remaneant; certum eſt, quod vi luminis naturalis bonus æque poſſet decipi, & malus in his tribus; Miſterijs ſcilicet diuinis, ſecretis cordium, & proprie futuris contingentibus pendentibus ſcilicet à libera voluntate; niſi bonus illa cognoſceret in Verbo, in quo nulla poteſt eſſe falſitas, ſeu deceptio; è contra quia malus habet Iudicium ab illa ſumma veritate alienũ, ſic facilius male iudicat in illis tribus, & ſepiſſime decipitur; Iudicium enim mali Angeli, & ſi remaneat integrum quantum ad ſubſtantiam potentię, nihilominus per culpam eſt quodã modo in illo obnubilatum, ideo errat frequẽter iudicando de illis tribus; Circa etiam naturalia, quorum cauſæ ſuperiores poſſunt impediri ex defectu cauſarum inferiorum, ſicut de facto impediuntur vt patet in effectibus abortiuis, tam in inanimatis, quam Animatis, poteſt falſitas contingere in vtroque Angelo tam bono, quam malo; cum nullus illorum poſſit certo ſcire defectus huiuſmodi ſecundarum cauſarum inferiorum.

25 An vero Angeli poſſint obliuiſci, vnus D. Bonauentura in 2. diſt. 7. q. 2. dat doctrinam, ex qua dubij reſolutio facile elici poteſt, ait enim quod poſſumus conſiderare memoriam dupliciter, vel per modum habitus, vel per modũ vſus; per modum habitus, quatenus continue retinet ſpecies, & potius dicit ſtatum, permanentiam, & cõſeruationem, quam actionem, per modum vſus quatenus rappreſentat actum memoriæ, qui eſt meminiſſe, ſeu recordari, primo modo ſumpta memoria eſt quid naturale, & non ſubeſt voluntati, nec penes illam attenditur meritum, vel demeritum; ſecũdo vero ſumpta memoria pro vſu, vel actu poteſt ordinari ad bonum, vel malum, & ea, quæ de memoria dicuntur poſſunt pariter dici de obliuione; nam ſi ſumatur obliuio per oppoſitum ad retentionem eſt deletio ſpeciei de memoria, ſi autem ſumatur per oppoſitum ad

Digitized by Google

recordationem ſic denotat de habilitationem, ſeu deprauationem quo ad hûc actum, qui eſt meminiſſe, & hoc poteſt eſſe bonum ſcilicet cum obliuiſcimur malorum nobis illatorum; & malum cum obliuiſcimur beneficiorum nobis quocumque modo collatorum, vel obliuiſcimur eorum, quæ ſunt nobis neceſſaria ad ſalutem; Si igitur loquamur de obliuione primo modo ſic non cadit in Angelos, nulla eſt enim deletio ſpeciei; ſi ſecundo modo ſic cadit obliuio ſaltẽ in Dœmones, & de facto cecidit dum non fuerunt memores ſuæ ſalutis, & beneficiorum Dei, & conuerſi ad mala inhabiles facti ſunt ad recordanda bona; è contra boni obliuiſcuntur malorum, & iniuriarum ab hominibus ſibi illatarum in blaſphemijs, & alijs malis perpetratis coram Angelis cuſtodibus. Cõcluditur itaque, quod proprie in Angelis non cadit obliuio quoad habitum, ſed quoad actum.

26 Quod Angeli Deo loquantur, & Deus illis; & quod Angeli loquãtur inter ſe eſt certum, & indubitatum ex ſacris litteris; Ad Hæbreos 1, & ad Angelos quidem dicit &c. & 1. Cor. Cap. 13. ſi linguis hominum, & Angelorum; & Iſaiæ 63. Angeli mutuo quærebant, quis eſt iſte, qui venit de Edom, & Iſaiæ 6. duo Seraphim clamabant alter ad alterum, & Zachar. 2. Ecce Angelus, qui loquebatur in me &c. ergo ſecundum ſcripturam Deus Angelis loquitur, & Angelus Deo iuxta illud Zachar. 1. Domine Deus vſquequo &c. & Angeli inter ſe, tota difficultas eſt ſcire quomodo fieri poteſt iſta locutio; Pro cuius intelligentia notandum eſt locutionem duplicem eſſe exteriorem, & interiorem; Locutio interior ſcilicet mentalis eſt manifeſtatio verbi interioris ſcilicet conceptus mentis per imperium voluntatis, & talis locutio eſt in Angelis; Locutio exterio fit aliquo ſigno ſenſibili puta voce, vel nutu, vel aliquo corporis membro ſcilicet, vel lingua, vel digito; quæ in Angelis eſse non poteſt cum ſint incorporei; Item mentalis locutio eſt duplex vna, qua nobis loquimur; loquimur quidẽ nobis mẽtaliter, quãdo formamus aliquem conceptum, per quem intelligimus aliquod obiectũ. Altera, qua loquimur alteri loquimur vero alteri mentaliter, quando formamus conceptum cum voluntate ſignificandi aliquid alteri, cui ſit locutio; & ideo loqui mentaliter eſt formare aliquem conceptum cum intentione ſignificandi aliquid ſibi, vel alteri; Notandum eſt ſecundo, quod quando Angelus loquitur Deo, ſufficit, vt ſuum conceptum in Deum ordinet, vel laudando Deum, vel voluntatem eius de agendis conſulendo, & ita Angelus loquens Deo non communicat illi aliquid occultum, aut ignotum manifeſtat, nec imprimit illi aliquem conceptum, cum Deus non ſit receptiuus accidentium; Quando autem Deus loquitur Angelo imprimit aliquid in intellectum Angeli, vel lumen gloriæ, ſi loquitur de ſupernaturalibus, vel naturale ſi de naturalibus loquitur, manifeſtando loquitur, vel imprimit lumen propheticum, vel fidei, dum loquitur prophetis, & Doctoribus Eccleſiaſticis, & maxime ſummo Pontifici.

27 Angeli loquuntur ad inuicem, producendo in ſe conceptus, & hoc eſt contra D. Thomam, qui docet vnum Angelum loqui alteri non producendo conceptum in altero, ſed formando conceptum in ſe per voluntatis imperium cum intentione ſignificandi aliquid, & manifeſtandi alteri Angelo; probatur quia omne agens exiſtens in actu, primo reſpectu alicuius effectus poteſt producere talem effectum in quocumque receptiuo diſpoſito, & approximato, ſed Angelus habet intellectum cum ſpe-

ſpecie intelligibili in actu primo ad producendum conceptum, ergo ſicut in intellectu proprio poteſt talem conceptum producere, ita in intellectu diſpoſito vniuſcuiuſq; alterius Angeli ſibi proportionati poteſt talem producere effectum; maior patet nam ſi ignis eſt in actu primo ad calefaciendum poteſt producere calorem in quocumque ſubiecto ſibi proportionato; Dices non eſt par ratio, quia calefactio eſt actio tranſiens; Conceptus autem, ſiue intellectio eſt actio immanens; Reſpondetur prænotando, quod actio tranſiens tripliciter accipitur impropriiſſime improprie, & proprie; Actio tranſiens impropriiſſimè eſt omnis illa actio, vel productio, quæ nullo modo eſt reſpectu termini producti in ipſo producente manentis eumque informantis, & denominantis, & hoc modo generatio actiua, vel ſpiratio actiua in Deo poteſt dici actio tranſiens, quamvis enim proprie loquendo generatio actiua diuina non ſit proprie actio immanens, vel tranſiens maiorem tamen habet rationem, & conuenientiam cum actione tranſeunte actus dicendi, ſeu generandi, & actus ſpirandi, quam cum actione immanente, vt ex Scoto Report. in p. diſt. 7. q. 2. quia nullo modo actiua generatio eſt reſpectu termini producti in ipſo generante, ac ita nō eſt actio immanens, quatenus eſt ad terminum à generante realiter diſtinctum: quia tamen iſta generatio actiua non eſt ad terminum in materia, vel quaſi materia receptum non eſt actio tranſiens proprie; Actio tranſiens improprie ſumpta eſt illa, quę habet materiam improprie ſumptam, ſeu cuius terminus recipitur in materia improprie ſumptam pro aliquo potentiali paſſiuo, & hoc modo locutio in Angelis eſt actio tranſiens, quia Angelus loquens producit in intellectu Angeli, cui loquitur notitiam, quæ vocatur auditio. Actio tranſiens proprie eſt illa cuius terminus recipitur in materia proprie dicta; quēadmodum ignis agit in lignum actione proprie tranſeunte, ſcilicet calefactione qua producit calorem in ligno.

28 Angeli nō ſolum de internis actibus, ſed etiam de rebus alijs exterioribus, & extrinſecis inter ſe loquuntur, quia mediantibus actibus internis poſſunt iudicare actus externos; poſſunt etiam loqui de ſingularibus effectibus contingentibus, vt ſi vnus Angelus non animaduertat, quid agatur; alter poterit videns illum effectum illi narrare, & vt ad illum attendat monere; Item vnus Angelus poteſt loqui pluribus Angelis, quia poteſt imprimere actum, vel ſpeciem in intellectu plurium; tamen de vno eodemque obiecto non poteſt eſſe locutio ſimul, & ſemel niſi ad vnum audientem, quia agens naturale non poteſt ſimul habere plures effectus adęquatos, ſed vna intellectio eſt adęquatus effectus reſpectu vnius obiecti in eodem intellectu, ergo non poteſt eſſe ab Angelo niſi vna; & ſicut dum gignitur in proprio intellectu, ita & in alieno, igitur de eodē obiecto niſi vna locutio ad vnum Angelum eſſe poteſt: Confirmatur, nam (vt inquit Scotus) vna gignitio non ſufficit ad hoc, vt plures audiant, quia vna gignitio eſt reſpectu vnius intellectionis, & in vno, quam ille ſolus audit; Hinc poteſt vnus Angelus loqui alteri, quin cęteri aſſiſtentes audiant, nam ſicut Angelus loquēs, qui habet plures ſpecies diuerſorum obiectorum ſibi præſentes, poteſt ex imperio voluntatis cauſare intellectionem vnius, & non alterius, ita etiam vnus Angelus habens plures Angelos ſibi prēſentes poteſt cauſare intellectionem, vel ſpeciem in intellectu vnius, & non alterius, & hoc in opinione Scoti.

29 Pro

Digitized by Google

29 Pro clara dictorum notitia notandum eſt locutionem Angelorum, & locutionem hominum in aliquibus cõuenire, & in aliquibus differre; primo conueniunt quantum ad id, de quo fit locutio, nam per locutionem mentis conceptum exprimimus, quem vnus Angelus in alio cognoſcere non valeret niſi per locutionem, cum ſolius Dei ſit corda ſcrutari, ſecũdo conueniunt quãtum ad id, per quod fit locutio, nam ſicut in nobis ad enunciandum ea, quæ in nobis ab alio videri nequeunt, vtimur his quæ in nobis ab alio cognoſci poſſunt ſicut vocibus, vel quibuslibet ſenſibilibus ſignis; ita Angeli per ea quę vnus de altero cognoſcere naturaliter poteſt ſuos inuicem ſibi nunciant conceptus; Differunt vero primo quod nos vtimur ſenſibilibus ſignis; Angeli autem intelligibilibus; ſecundo differunt quia in locutione Angelorum nõ oportet ponere medium, per quod ipſa deferatur, quia cũ locutio Angelica ſit actio ſpiritualis, & intellectualis non indiget medio corporali; Locutio autem noſtra indiget tali medio, per quod deferatur ad audientem; tertio quia locutio noſtra per ſucceſſionem tẽporum agitur, Angelorum autem locutio in inſtanti; quarto differunt, quia locutio humana mouet auditum actione, quæ eſt per neceſſitatem naturæ impellendo aerem vſque ad aurem, ex quo non eſt in poteſtate hominis loquentis loqui vni homini, & non pluribus alijs præſentibus, & æque proximis, ſed in locutione Angeli non ſic, ſed totum dependet ex voluntate Angeli loquentis.

30 Dum vnus Angelus loquitur pluribus Angelis non poteſt loqui omnibus æque diſtincte, ſed vni diſtincte, alijs minus diſtincte, quia Angelus in ſuo intellectu nequit cauſare ſimul plures intellectiones diſtinctas, ſed vnam diſtinctam, alias confuſas, ergo multo minus in intellectu alieno. Antecedens eſt Doctoris ſubtilis in ſecundo diſt. 5. q. 2. art. 1. in refutatione quarti argumenti opinionis contrariæ; Probatur quia dum intellectui limitato præſentantur multa obiecta producit vnicum actum perfectum circa vnum, quod magis mouet, vel quod voluntas magis eligit, circa alia vero habet actus imperfectos propter limitationem virtutis; Hinc etiam ſequitur Angelum tot locutiones poſſe formare ſimul, & ſemel; quot poteſt in ſuo intellectu ſimul, & ſemel formare intellectiones, ſiue de eadem re, ſiue de pluribus, quia locutio mentalis eſt impreſſio conceptus in intellectu audientis ergo quot habet proprios conceptus loquens, tot & non plures poteſt gignere in intellectu alterius; & hoc prouenit (vt dixi) ex limitatione virtutis intellectus Angeli loquentis, qui quamuis quoad comparationem intellectus humani ſit expeditior in operando, eius tamen virtus eſt finita, & limitata ad tot, & tales effectus, quos non poteſt excedere.

31 Locutio Angelorum non poteſt impediri diſtantia locali quantumcumque magna ſit, dummodo ea ſit intra limites ſphæræ potentiarum loquentis, & audientis. Prima pars probatur; propter duas cauſas non poteſt eſſe actio in extremum, niſi prius fiat in medio, vna ſi medium ſit eiuſdem rationis cum extremo, quia tunc medium habet ſe per modum paſſi propinquioris; tale medium eſt v. g. pars aeris propinquior Cœlo reſpectu illuminationis à ſole extremum vero aer remotior; Secunda quando in agente ſunt duæ formæ actiuæ ſubordinatæ, ita quod ſecundum vnam prius agat in medium, & per ſecundam in extremum; Ita ſol prius naturaliter agit in medium virtute illuminatiua, quam in mineram aut vermen virtute generatiua; Ex quo ſic argumen-

mentatur, Diſtantia localis neque primo modo neque ſecundo poteſt eſſe medium in locutione Angelorum, ergo non impedit dictam locutionem; Antecedẽs quoad primum, probatur quia diſtantia in propoſito eſt interpoſitio corporum inter locum Angeli loquentis, & locum Angeli audientis, ſed medium corporale non eſt receptiuum locutionis ſpirtualis, ergo &c. Quoad ſecundũ etiã probatur, quia Angelus loquens nec virtualiter, nec formaliter habet actiuam formam, qua producat actionem aliquam præuiam locutioni, ſed immediate per intellectum producit locutionẽ, Voluntas autem poſterior eſt in operatione; Executiua quoque potentia (ſi datur) poſterior eſt ipſa voluntate; præter has nulla aſſignari poteſt forma actiua in Angelo, ergo &c. ſecunda item pars probatur nam virtus actiua Angeli, per quam loquitur eſt finita; ſed virtus finita non poteſt agere in diſtantiam excedentem metam actiuitatis &c.

32 Locutioni Angelicæ correſpondet auditio, quæ non eſt ſola conceptus, vel ſpeciei receptio ab Angelo loquente, ſed eſt operatio, ſeu ab obiecto; ſpecie impreſſa, vel expreſſa in ſe ipſo conceptus formatio, quia ſicut audire vocaliter nihil aliud eſt, quam formare conceptus ſimiles conceptibus loquentis, ita audire mentaliter erit formare in ſe ſimiles conceptus illis, qui ſunt in loquente, atque ita auditio efficitur hoc modo, audiens habet conceptus præſentes Angeli loquentis, ex quibus tanquam ex obiectis format notitias, quibus obiecta cogitationum loquẽtis cognoſcit, ita quod iſta operatio, ſeu formatio ſit perceptio conceptus impreſſi à loquente; neq; enim Angelus audiens tantum percipit locutionem paſſiue, ſed & operatiue ſe habet Angelus audiens reſpectu locutionis, id habet Scotus in 2. diſt. 9. q. 2. operatur enim recipiendo locutionem ad quam voluntas loquentis concurrit, vt copulans memoriam cum intellectione impreſſa, vel imprimenda in intellectu audientis; ſicut enim voluntas poſt primam intellectionem operatur ad copulationem memoriæ cum intelligentia ad quemcumque actum ſecundum habendum in ipſomet Angelo, cuius eſt talis voluntas, ita poteſt operari ad actum illum poſteriorem habendum in Angelo audiente; Memoria vero ibi eſt ratio agendi ad locutionem, & non intellectio præ habita in loquente, quia ſola memoria habet rationem parentis, & ideo Pater in Diuinis gignit memoria non intelligentia.

33 Auditione eſt certior viſio, quia in effectibus ordinatis poſterior eſt perfectior, ſed viſio eſt effectus ſubordinatus auditioni, & ſequitur auditionem, ergo eſt perfectior; & per conſequens certior, nam cognitio perfectior eſt certior; Maior patet nam effectus prior ordinatur ad poſteriorem tanquam ad finem, vt formatio corporis ad productionem totius hominis; finis porro eſt nobilior ijs, quæ ordinantur ad ipſum; minor probatur, quia poteſt Angelus audiens conuertere ſe ad intellectum loquentis videndum, & in eo intueri cognitionem, ſeu intellectionem obiectum à loquente, & ſi illud obiectum nequeat vlterius videri, nec in ſe, nec in Verbo, vltima perfectio, quam poteſt de hoc cognito habere eſt videre illud in intellectu loquentis; Igitur auditio, vt ordinatur ad cognitionem habendã alicuius ignoti pręcedit omnem viſionẽ tam rei in ſe, quam in intellectu alterius videntis quam etiam eiuſdẽ rei in ſpẽ; Confirmatur, certius cognoſcitur illud, quod oculis cernitur quam quod aure percipitur, igitur & hic à ſimili; Ex locutione Angelorum inter ſe recte colligitur ſuperiores Angelos dum inferio-

Digitized by Google

ribus loquuntur eos illuminare, & ingerere cognitionem occultorum.

34 Illuminatio ſecundum Scotum eſt quædam locutio de vero perfectiuo in actu ſecundò: ideſt illuminatio actiua eſt quædam locutio propoſitionis veræ, per quam Angelus audiens perficitur in eſſe ſecundo, ideſt accidentaliter, in qua definitione tria tanguntur; primum quod illuminatio eſt ſpecies locutionis Angelicæ, qua Angelus loquens manifeſtat alteri proprium conceptum de aliqua re illi occulta; ſicque Angelus illuminando inferiorem manifeſtat ei aliquid, quo accidentaliter perficitur. Vnde locutio, & illuminatio reſpectu Angelorum ſe habent, ſicut ſuperius, & inferius, nam quicquid eſt illuminatio eſt locutio, & non è conuerſo, quia ſuperiores illuminantes inferiores, loquuntur illis; Inferiores vero loquuntur ſuperioribus, non tamen illos illuminant, ſecũdum, quod tangitur in definitione eſt de quo, vel de quibus fit illuminatio, cum addit de vero perfectiuo in actu, ſeu in eſſe ſecundò, ex quo de malis, & de falſis non eſt illuminatio, quia repugnat, quod intellectus Angelicus talibus perficiatur; Tertium, quod ponitur in definitione eſt, in quo conſiſtat illuminatio, quia in actu, ſeu eſſe ſecundo, nam quoad actum primum quicquid fuit pertinens habuerunt in creatione, qua conditi ſunt cum omnibus requiſitis ſubſtantialibus, & eſſentialibus.

35 Divus Bonauentura in 2. diſt. 10. art. 2. qu. 2. in corpore ſuſtinet, quod Angelus illuminat non quidem lumen infundendo, nec ſolum offerendo, ſed exprimendo, excitando, & ſuggerendo ſed dices ſi vnus Angelus alium illuminaret ſequeretur Angelum illuminatũ fuiſſe prius tenebroſum, ſed in Angelis beatis non eſt admittenda aliqua tenebra, ergo nec illuminatio Reſpondetur, quod triplex eſt illuminatio quædam eſt perfectiſſima, quæ eſt viſio diuinæ eſſentiæ, & dicitur meridiana, altera eſt cognitio in ſpecie impreſſa, & appellatur matutina, alia eſt rerum in genere proprio, & vocatur veſpertina. Hac ſuppoſita diſtinctione dicitur, quod Angeli, dum erant in via vere erant aliquo modo tenebroſi, quatenus erant in potentia propinqua ad habendam illam illuminationem meridianam in conſumata beatitudine; non tamen fuerunt tenebroſi in ordine ad illuminationem matutinam, quia in inſtanti creationis ſuæ illam habuerunt, quia habuerunt illam ſpeciem impreſſam ſibi coæuam, atque adeo ad illam numquam fuerunt in potentia, quæ fuiſſet illis quædam tenebra; Quantum vero ſpectat ad tertiam illuminationem concedenda eſt illis aliqua tenebra, quæ non ſit ignorantia eorum, quæ ſcire tenebantur, quia ſemper talia ſciebant in genere proprio, ideſt in proprijs ſpeciebus pariter impreſſis in creatione, ſed quæ ſit quædam neſcientia de aliquibus particularibus, ſeu ſingularibus, tam in ordine naturali, quam ſupernaturali, nec hoc eſt inconueniens concedere in illis intellectibus Angelicis cum fuerint, & ſint finiti, & limitati.

36 Ex dictis in toto hoc articulo clarè colligitur ſextuplicẽ, immo octuplicem eſſe in Angelis modum cognoſcendi res creatas, primo in eſſentia diuina, ſecundo per eſſentiam propriam, tertio per quiditates rerum a ſe diſtinctarum, quarto per habitus ſaltem infuſos, quinto per ſpecies rappreſentantes, tam infuſas quam aquiſitas, ſexto per cauſam, ſeptimo per experientiã, octauo per locutionem, auditionem, ſiue per illuminationem. In eſſentia diuina viſione beatifica vident diſtinctiſſime, & perfectiſſime res creatas, hoc eſt certiſſimum; per propriam eſſentiam cognoſcunt

Digitized by Google

ſcant ſe ipſos, & quidem intuitiue; ſicut & per quiditates rerum cognoſcunt eaſdem res exiſtentes; Per habitus infuſos quaſdam res poſſibiles, quia quamuis Scotus probet Angelum non habere habitus aquiſitos, cum natura ſua æque propenſus ſit ad intelligendum, ſicut graue ad deſcendendum. Vnde ſicut graue per quoſcumque volueris actus repetitos non poteſt aquirere habitus ad deſcendendum, ſic nec Angelus ad intelligendum; Non eſt tamen negandum habitum intelligendi fuiſſe Angelò naturaliter inſitum; ſicut & pronitas lapidis ad deſcendendum fuit illi naturaliter indita; Per ſpecies etiam, quia res abſentes non poſſunt eſſe in intellectu Angelico per ſe ipſas præſentes. Et ideo non poſſunt cognoſci niſi per rappreſentationem. Per cauſas autem non eſt dubium, quia ſi intellectus humanus plurimos cognoſcit effectus per proprias cauſas, ergo certum eſt Angelicũ intellectum longe plures cognoſcere poſſe. Per experientiam etiam, quia ſi Anima Chriſti, quæ omnigena prædita erat ſapientia, didicit tamen multa per experientiam practicam, quorum iam theoriam habebat; didicit enim Chriſtus, inquit D. Apoſtolus Paulus ad Hębreos ex ijs, quæ paſſus eſt obedientiã; multo magis ipſi Angeli, quamuis multa ſciant tamen plurima per experientiam, & practicam diſcere poſſunt: De locutione, auditione, & illuminatione ſatis ſuperius dictum eſt.

De voluntate Angelica, & actibus eius. Art. II.

1 POſtquam actum eſt in pręcedenti articulo de intellectu, & cognitione angelica in hoc agendum occurrit de angelica voluntate, & actibus eius; ſunt enim iſtæ duæ facultates potiſſimæ in natura intellectuali, & ſi vnã vere datur altera non eſt neganda; Itaque ſicuti in Angelo cõceditur (vt probatum eſt) Intellectus, ita concedere oportet voluntatem, eo vel maxime, quod ex ea omnis moralis actio propẽdeat, & procedat, ſiue bona, ſiue mala; & proinde omne meritum, & demeritum, denique præmium, vel ſupplicium ſubſequantur, de quibus infra per ordinem erit ſermo. Voluntas hæc non eſt idem formaliter cum eſſentia Angeli, ſed ſolum eſt illi realiter, & ab ea diſtinguitur formaliter; In Angelo eſt voluntas ſub ratione appetitus, quia etiam in illo verum eſt dicere; Cuicumque potentiæ cognitiuæ correſpondet ſua appetitiua; voluntas Angelorum, & voluntas hominum, ſi conſiderentur in ratione potentiæ, ſic non diſtinguntur ſpecie, quia voluntas vniuoce prædicatur de voluntate Angeli, & voluntate hominis, ergo ratio voluntatis æqualiter conuenit vtrique voluntati; Item habent idem obiectum, & ſub eadem ratione, ergo non ſunt diſtinctæ potentiæ ſecundum rationem potentiarum; ſi vero conſiderentur quatenus entitates reales, & ſecundum eſſe abſolutum, perfectiones que diuerſarum naturarum diſtinguntur ſpecie, ita Scotus in 2. d. 1. q. 6. quia habent eſſentias ſpecie diſtinctas, ergo, & potentiæ quatenus fluunt ab illis eſſentijs, vt proprietates ſpecie diſtinguntur; Antecedens probatur, nam quælibet eſſentia Angeli plus diſtinguitur ab Animæ eſſentia quam ab eſſentia Angeli, ſed plures eſſentiæ Angelicę diſtinguntur ſpecie ſecundum Scotum, & ſecundum D. Thomam omnes naturæ Angelicæ diſtinguntur ſpecie, ergo potentiæ, vt proprietates emanentes diſtinguntur ſpecie.

2 In Angelis eſt liberum arbitrium, & æqualiter in omnibus bonis, & ma-

lis; libertas item eſſentialis; non eſt tamen æqualis in omnibus libertas accidentalis; prima pars eſt certa, quia in Deo eſt liberum arbitrium, ſed Angeli facti ſunt ad imaginem Dei, ergo etiam in eis eſt liberum arbitrium; Item voluntas Angelorum non eſt determinata ad media in ordine ad finem, ergo voluntas Angeli reſpectu illorum eſt libera, & intellectus Angeli eſt indifferens poteſtque habere inquiſitionem, & cōſultationem præcipue, quia eſt diſcurſiuus, & hoc maxime verum eſt ſaltem reſpectu rerum ſupernaturalium, ſecunda pars patet ex doctrina Diui Auguſtini dicentis, quod voluntas, aut voluntas dicenda non eſt, aut libera dicenda eſt; Item voluntas excludit omnem coactionem, ergo eſt eſſentialiter libera, tertia pars probatur, quia libertas accidentalis non eſt amplius in Angelis malis, cum non poſſint eſſe boni, ſed ſint ſubiecti culpæ, & miſeriæ; libertas arbitrij in Deo, quoad aliquid eſt ſimilis libero arbitrio creato, & quoad aliquid diſſimilis eſt; ſimilis quoad indifferentiam ad diuerſa obiecta, & diuerſos effectus; quo ad diuerſa obiecta terminatiue, & diuerſos effectus cauſatiue; Diſſimilis autem, nam in Deo eſt libertas generaliter, & eminenter, & per eſſentiam, & in quantum liberum arbitrium eſt poteſtas liberè eligendi ſine aliqua vertibilitate, vel flexibilitate ad malum; In libero creato ideſt in Angelis beatis, & damnatis eſt liberum arbitrium libere eligendi volita cum vertibilitate, & flexibilitate ſecundum eorum naturalia ad bonum, ſiue ad malum; Dices Angeli non poſſunt flecti ad malum, nec mali ad bonum, ergo in eis non eſt liberum arbitrium cum vertibilitate, vel flexibilitate; Reſpondetur id non eſſe ex defectu liberi arbitrij quia remanſit integrum in omnibus beatis, & damnatis ſecundum D. Dionyſium, ſed in beatis eſt ratione perfectionis, ſiue potius ratione perfectæ coniunctionis cum ſummo bono, & in damnatis propter ſubtractionem diuinæ gratiæ, & concurſus diuini; ſecundo eſt diſſimilis quia libertas diuina non eſt indifferens ad diuerſos actus, ſicut creata, quia in Deo eſt tantum vnicus actus voluntatis, & intellectus.

3 Obiectum adæquatum voluntatis Angelicæ eſt bonum in communi, ſeu (quod idem eſt) ens ſub ratione boni, quia bonum cognitum eſt obiectum appetitus intellectiui, ſed intellectus non ſolum cognoſcit, & proponit hoc, vel illud bonum, ſed etiam omne bonum, & ipſam rationem communem boni, ergo voluntas totum hoc, vt adæquatum obiectum reſpicit, ſiue bonum illud ſit in creatum, vt Deus, ſiue creatum; ſiue illud ſit per ſe amabile, vt eſt bonum honeſtum, ſiue per ſe conueniens naturæ, vt bonum delectabile, ſiue propter aliud, vt eſt ratio boni vtilis, quia in his omnibus inuenitur ratio appetibilis; Debet eſſe ens bonum non impoſſibile, licet philoſophus 3. Ethic. dicat, quod voluntas ſit impoſſibilium, tamen non quæcumque voluntas, ſed voluntas errans tantum; Poteſt tamen Angelus appetere aliquid impoſsibile non ſolum voluntate condicionata ex parte voluntatis, ſed etiam abſoluta in efficaci tamen ex parte obiecti. Dices electio non eſt impoſſibilium, ergo Angelus non poteſt velle impoſſibile. Reſpondetur quod velle, ſiue electio efficax non eſt impoſſibilium bene tamen poteſt eſſe electio in efficax, quod magis patebit cum de peccatis Angelorum erit ſermo.

4 Voluntas Angelica circa ſua obiecta poteſt elicere plures actus, nēpe velle, & nolle, velle propter ſe, & velle propter aliud, amare amore amicitiæ, & amare amore concupiſcētiæ, & alios

ſicut

Digitized by Google

ſicut voluntas humana; Vnde quod de actibus voluntatis humanæ dictum eſt; eſt applicandum actibus voluntatis Angelicæ, ſed hic immorandum in contéplatione actus principalis eiuſdem voluntatis qui actus eſt amor; pro cuius intelligentia notandum eſt, quod duplex eſt amor, vnus dicitur naturalis, alter electiuus; amor naturalis ſumitur pluribus modis, primo prout naturale diſtinguitur contra ſupernaturale. Secundo modo pro inclinatione cuiuslibet rei in bonum proprium, quæ inclinatio eſt idem cum naturali appetitu vniuerſis rebus conueniente, ſiquidem omnia per naturam, quam à Creatore in creatione acceperunt in ſuum bonũ, & perfectionem inclinantur, ſic graue inclinatur ad deſcenſum, & leue ad aſcenſum, & cætera agentia naturalia ad ſuos naturales actus eliciendos. inclinantur. Tertio modo amor naturalis dicitur à Theologis, qui non ex electione, & deliberatione, ſed ex voluntate, vt natura quædam eſt, proficiſcitur, quandoquidem in tali actu operatur voluntas non vt libera, ſed vt natura eſt vt ipſi contingit in actibus, ſiue motibus primo primis dictis, ſeu nuncupatis; Amor vero, ſiue dilectio electiua, quæ eſt liberalis, ſeu deliberatiua, & proprie voluntaria vocatur, prouenit à voluntate preuia cognitione ſingularum circũſtantiarum.

5 Notandum ſecundo triplicem eſſe differentiam inter dilectionem naturalem, & ſupernaturalem, ſiue gratuitam prima eſt ex parte modi diligendi, quoniam dilectio naturalis proficiſcitur ex quadam habilitate, & rectitudine reſpectu boni, dilectio vero ſupernaturalis eſt, qua voluntas informata Charitate fertur in obiectum ſuum, quemadmodum intellectus per fidem. Secunda differentia eſt ex parte cognitionis dilectionis quia dilectio naturalis eſt à cognitione naturali, dilectio autem ſupernaturalis eſt à cognitione per fidem vel per gratiam, & differt iſta cognitio ab illa; quia cognitio naturalis cognoſcit ſumme bonum ex diffuſione, & communicatione ſuæ bonitatis in naturalibus effectibus, fides autem ex communicatione ſuæ clementiæ ad intra, nempe in Anima; Conueniunt autem hæ duæ cognitiones, quia ambæ fatentur Deum ſumme bonum, & ſumme amanſum; veruntamen cognitio ſuper naturalis, & fidei multo præclarius; ſimiliter vtraque dilectio Deum ſuper omnia diligit, ſed dilectio ſupernaturalis multo ſublimius, tertia differentia eſt ex parte motrice, quoniam dilectione naturali diligitur Deus, quoniam bonus eſt ſibi, & ideo ſumme diligit ipſum, dilectione autem ſupernaturali diligitur Deus, quoniam bonus in ſe, & quoniam ſumme bonus ſumme diligitur; ſed notandum tertio, quod dilectio Dei naturalis eſt, qua diligitur, vt eſt principinm, & finis naturæ, ſuper naturalis vero eſt, quæ omnem naturam excedit, qua diligitur Deus ſuper omnia, vt eſt beatitudinis obiectum, vt quod ſit Trinus, & vnus Redemptor, & Saluator, quæ in participatione bonorum gratiæ, & gloriæ conſiſtit, & in vera amicitiæ ratione; de hac in ſequentibus.

6 Iſtis notabilibus ſuppoſitis ponenda eſt, & concedenda dilectio naturalis in voluntate Angelica, non enim Deus dedit Angelicæ voluntati eſſe in natura Angelica, vt ibi eſſet otioſa, ſed vt ſuos actus, & operationes exerceret tam ſecundum eſſe naturale, quam ſecundum eſſe ſupernaturale; & ſi in Angelis conceditur naturalis cognitio, concedendus eſt etiam amor naturalis, quia ſicuti cuicumque potentiæ cognitiuæ correſpōdet ſua potentia appetitiua, ita operationi potentiæ cognitiuæ debet correſpon-

pondere operatio potentiæ appetitiuæ, ergo cognitioni correſpondet amor, eſt enim magna connexio inter iſtas potentias, & earum operationes, nam inuiſa diligere poſſumus incognita nequaquã, nihilque volitum, quin præcognitum, teſte D. Auguſtino 8. de Trinit. Cap. 4. nec vlteriori indiget probatione cum ſit communis ſententia omnium Theologorum; Addit tamen Alenſis 2. p. qu. 30. membro 2. quod dilectio naturalis non eſt in Angelis glorificatis, quia (inquit ipse) amor naturalis totus ab amore gloriæ abſortus eſt, non quidem ſecundum ſubſtantiam, ſeu eſſentiam, ſed ſecundum quod in eo imperfectionis eſt, quod confirmatur ex D. Paulo 1. Cor. Cap. 13. cum venerit, quod perfectum eſt euacuabitur, quod ex parte eſt, ergo adueniente dilectione gloriæ, euacuabitur dilectio naturalis.

7 Quot vero ſint diligibilia naturaliter à voluntate Angelica ſequenti diſtinctione nota fient; Dilectio enim naturalis poteſt accipi quatuor modis; primo in quantum reſpicit quicquid adiuvit naturam, vt esset, vel iuvat, vt permaneat, ſecundo prout reſpicit omne conueniens, ſiue conſimile, vel conforme in natura; tertio quatenus reſpicit bonum, quod ordinatum eſt ad participandum completum delectabile, quod eſt gloria; quarto in quantum reſpicit omne bonum; ſi dilectio capiatur primo modo extenditur tantum ad dilectionem Creatoris, Gubernatoris, & conſeruatoris; patet quia nihil aliud eſt neceſſarium ad eſſe Angeli præter illud quod eſt de eſse, hac enim ratione Deus dilectione Angeli ſolummodo diligitur; ſi vero dilectio naturalis capiatur, ſecundo modo ſe extendit ad alterum Angelum, & ad hominem, ſi quidem Angelus eſt ſimilis in natura Angelica, & homo eſt conſimilis in natura intellectuali creata ipſi Angelo; Si dilectio naturalis vſurpetur tertio modo extenditur non tantum ad Animam hominis, verum etiam ad eius corpus, ratio eſt quia poteſt participare dotes. Vnde in ſecunda ſtola perficitur & Angelus ex hoc quandam dilectionem conſequitur. Demum ſi dilectio naturalis ſumatur quarto, & vltimo modo tunc ſe extendit ad omnem creaturam, & Creatorem, nam omnis creatura eſt bona, iuxta illud vidit *Deus cũcta, quæ fecerat, & erant valde bona*, & Deus eſt ſummum bonum; Ex his conſtat eſse quattuor diligibilia ab Angelo, nam ſicut homo ex charitate diligit ſupra ſe, & in ſe, & iuxta ſe, & infra ſe, ita dilectio naturalis Angeli ad illa quattuor extenditur, ſed Angelus habuit bonum diligendum ſupra ſe, & in ſe, & iuxta ſe, & infra se, ergo quattuor erant ab Angelo diligenda dilectione naturali.

8 Angelus igitur amore elicito naturali habilis erat in via ad Deum diligendum propter ſe, & ſuper omnia, quamvis non omnes eum dilexerunt, cũ Angeli mali ſint à Deo auerſi; quod autem habilis eſſet ad hoc naturaliter probat D. Bonauentura, nam impoſſibile erat Angelum aliter eſſe rectum, rectitudo etenim mentis conſiſtit radicaliter in amore, amor autem rectus non poteſt eſſe, ſi tendat in aliquid, & diligat ſupra Deum, vel æque, vel illud diligat propter ſe, & Deum propter aliud; ſi ergo Deus fecit Angelum, & hominem rectum patet, quod vnicuique dedit habilitatem ad amandum Deum naturaliter ſuper omnia, & propter ſe; confirmatur, propter se aliquid diligere eſt non alterius gratia diligere, ſed in illud ſiſtere; propter aliud vero diligere eſt alterius gratia diligere, ſicut aliquis diligit alterũ propter vtile, & comodum ſuũ, quod inde percipit; ſumma autẽ peruerſitas eſt vti fruendis, & frui vten-

vtendis, ideſt amore inhęrere propter ſe, & in illa cõquieſcere, & Deum propter aliud diligere, ergo ſi affectus angeli erat rectus in ſua creatione debebat eſſe propenſus ad diligendum Deum propter ſe, & creaturam propter Deum, ſecus enim naturaliter in eo fuiſſet inſita ſumma peruerſitas. Confirmatur ſecundo quandocumque aliqua ratio conuenit vni per eſſentiam, & alteri per participationem magis attribuitur illi, in quo eſt per eſſentiam, quam alteri actus inde proueniens, ſed bonitas eſt ratio diligendi, & ipſa conuenit Deo per eſſentiam, creaturę vero per participationem, ergo maior debet eſſe in Angelo propēſio ad diligēdum Deum naturaliter actu elicito, quam creaturam.

9 Scotus quoque in 3. ſent. diſt. 27. q. vnica art. 3. ait, quod ratio naturalis oſtendit naturæ intellectuali eſſe aliquid ſumme diligendum, quia in omnibus actibus, & obiectis eſſentialiter ordinatis est aliquid ſupremum, & ita aliqua dilectio ſuprema, & ita obiectum ſupremè diligibile; ſed ratio naturalis non ostendit aliud à bono infinito eſſe ſummè diligendum, alioquin Charitas inclinaret in oppoſitum eius quod dictat ratio recta, & ita non eſſet virtus, igitur ratio dictat ſummum bonum, & infinitum eſſe ſumme amandũ, & per conſequens voluntas est adhoc propenſa ex puris naturalibus; nihil enim potest intellectus rectè dictare, in quod dictatum non poſſit voluntas naturaliter tendere, alioquin voluntas eſſet naturaliter mala, vel ſaltem non libera ad tendendum in quodlibet bonum ſibi ab intellectu præostenſum; amplius confirmatur. Affectus angelicus naturaliter inclinatur in bonum; est enim (vt inquit philoſophus in Ethicis,) quod omnia appetunt, vel ergo inclinatur ad illud, quia bonum abſolute, aut quia bonum ſibi; ſi quia bonum abſolutè quale est Deus, ergo magis propenſus est vel erat ad Deum diligendum, quam aliquid aliud. Si quia bonum ſibi; ſequitur idem nempe Angelum eſſe propenſiorem ad diligendum Deum, quo nihil melius eidē Angelo. Dices, qui diligit aliquid ſupra ſe neceſſario ſupra ſe debet eleuari ergo Angelus non potuit naturaliter Deum diligere, probatur conſequentia, quia nihil ſupra ſe poteſt naturaliter eleuari. Reſpõdetur, quod eleuari ſupra ſe poteſt dupliciter intelligi, aut ſupra ſuum eſſe, aut ſupra ſuum poſſe, ſi ſupra ſuum poſſe nihil ſine auxilio alterius naturaliter poteſt eleuari ſupra ſe. Si vero ſupra ſuum eſſe facillime viribus naturæ poterit aſſurgere; nam naturaliter appetit beatitudinē creatura intellectualis, quamvis excedat ſuum eſse; Angelus igitur ſupra ſuum poſſe non poteſt eleuari ad Deum diligendum, ſed adminiculo diuini auxilij; ſupra ſuum eſſe autem bene potuit naturaliter Deum diligere ideſt pluſquam ſe ipſum.

10 Ex dictis colligitur hæc veritas, quod Angelus naturali dilectione deliberatiua tamē plus Deum diligit quam ſe ipſum, & quidem iure merito, nam recta ratio naturalis docet Deum diligendum eſse ſuper omnem creaturam, ſed voluntas naturalis non eſt recta niſi conformetur dictamini rationis naturalis rectæ, ergo ſi Angelus ex puris naturalibus non potuiſset Deum diligere pluſquam ſe non habuiſset naturalem rectitudinem in affectu, quod eſt falſum; Præterea præcepta Decalogi dicuntur eſse de iure naturæ, & dicuntur ſcripta in mente hominis, ſed in tali lege præcipiebatur Deum eſse diligendum ſuper omnia, ergo & ſupra ſe, ergo hoc eſt naturale, quod ſic diligatur; Item Angelus naturaliter diligebat Deũ in ſtatu naturæ, vel ergo ſecundum talem dilectionem Deo vtebatur, vel

frue-

Digitized by Google

fruebatur, ſi vtebatur erat ſumma peruerſitas, atque adeo peccabat diligendo ſeipſum pluſquam Deum, ergo fruebatur diligendo Deum ſuper ſe ipſum, quod eſt ſecundum propoſitum noſtrũ; Inſuper omnis potẽtia magis ſe habet ad id, ad quod eſt principaliter inſtituta, & ordinata, quam ad cætera, ſed vis concupiſcibilis potentiæ appetitiuæ Angeli principaliter, & per ſe ordinata fuit ad ſummum bonum, ergo ad illud potiſſimum ferebatur, pro intelligentia dictorum nota, quod diligere Deum ſupra ſe non eſt diligere ſupra naturam, immo eſt ſibi naturale, quod Deum ſic diligat, nam ſicut ab eodem igne naturaliter poteſt procedere maior, & minor calefactio ſecundum, quod attingit rem aptam magis, & minus calefieri; ſic ab eadem natura poteſt procedere maior, & minor dilectio naturalis, ſecundum quod tendit in maius, & minus bonum; & quia bonum diuinum eſt maius bonum ipſi naturæ, quam bonum creatum eiuſdem naturæ, ideo non agit in hoc creatura vltra ſuam naturam immo ſecundum ſuum naturale eſt, vt magis diligat bonum diuinum, quam etiam bonum proprium.

11 Dices; quod amor eſt virtus vnitiua ſecundum D. Dionyſium cap. 4. de diuinis Nom: ſed quilibet Angelus magis eſt vnus cum natura propria, quam cum Deo, ergo ex naturalibus non poteſt Angelus diligere Deum pluſquam ſe. Reſpondetur, quod quamvis aliqua natura creata magis ſit cum ſe ipſa, quam cum Deo, tamen quia Deus vniuerſale bonum, à quo dependet totum bonum creatum, & naturalẽ eſt parti plus diligere bonum totius, quam bonum proprium ideo Angelus naturaliter plus diligit Deum, quam ſe ipſum; Vrgebis. Si Angeli ex puris naturalibus Deum pluſquam ſe diligere potuiſſent adhuc mali Angeli hoc poſſent, nam D. Dionyſius Cap. 4. de diuinis nom: in loquens de malis Angelis inquit, quod datas eis Angelicas donationes numquã lapſas commotaſque fuiſſe. Reſpondetur, quod in quantum Deus eſt commune, & vniuerſale bonum totius naturæ mali Angeli naturali motu voluntatis diligunt plus Deum, quam ſe ipſos, ſed ex deliberatiua voluntate potius odio habent ipſum, quoniam ſciunt eum contrarium male voluntati eorum, & ſe ipſos per eum puniri; Vel aliter. Reſpondetur, quod quamvis in Angelis malis naturalia dona abſolute ſecundum id, quod ſunt, remanſerint, tamen per peccatum diminuta eſt in eis naturalis aptitudo ad bonum, & cauſata eſt contraria procliuitas ad malum, quo circa voluntas in eis non eſt ita potens ad motum naturalem rectum, ſicut erat ante peccatum; Inſtabis; diligere Deum pluſquam ſe eſt actus Charitatis, ſed Angelus in initio conditionis in ſtatu naturalis innocentię non habuit Charitatem ergo non dilexit Deũ pluſquam ſe; Reſpondetur minorem eſſe falſam, quia Angeli creati ſunt in gratia, & charitate, vt videbitur infra; ſed admiſſa minori gratia diſputationis; negatur maior; nam Deus quatenus eſt vniuerſale bonum, à quo dependet omne bonum naturæ creatæ diligitur ex puris naturalibus ſine charitate ſuper omnia.

12 Poſt Deum Angelus diligit ſe ipſum primo dilectione naturali, quia Angelus appetit ſuum bonum, & ſuam perfectionem, ſed hoc eſt amare ſe ipſum, ergo Angelus diligit ſe dilectione naturali; Confirmatur ex Ariſt. 9. Ethicorum vbi dicitur, quod amicabilia ad alterum ſurrexerunt ex amicabilibus ad nosmetipſos, ergo Angelus nihil naturaliter diligere valet, ſi ſeipſum naturaliter non diligit, ſecundo diligit ſe ipſum amore, & dilectione amicitię, & concupiſcentiæ; quia vna quæque res

ſci-

ſeipſam amat, quoniam eſt ſibi vnum, & ſibi bona concupiſcit; tertio Angelus diligit ſe dilectione electiua, nam Angelus diligendo ſe dilectione intellectuali aſſimilatur Deo, cuius eſt ſumma dilectio, & cuius eſt diligere ſe, & cum multo maior ſit indiuiſio inter diligentem, & dilectum, quando Deus diligit ſe, quia eſt ſumma indiuiſio, quã ſit inter diligentem, & dilectum, cum Angelus diligit ſe; ergo ſicut Deus diligit omni dilectione perfecta, & ſumma, ita Angelus diligit se proportionaliter dilectione electiua, & perfecta; Dices amor eſt quædam vis, vel quoddam pódus, quo quis fertur in aliquid, ſed nihil fertur in ſe ipſum, quia quod fertur alicubi non eſt vbi fertur, quælibet autem res eſt in se ipsa, ergo nulla res amat se ipsam, neque Angelus; Respondetur, quod prout aliquid diligit ſe ipſum amore fertur in ſe ipſum, & ſecundum hoc à ſe ipſo per amorem tendit in ſe ipſum, & per amorem coniungitur ſibi ipſi, vt ſit ibi quidam motus ſecundum rationem, & ſecundum modum intelligendi; pro quo notandum eſt, quod non oportet, quod ſemper amor ſit rei diſtantis, & non habitæ, immo cęteris partibus magis eſt rei pręſentis, & habitæ; Hinc ſpiritus amore fertur, cum ſibi conueniens eſt abſens, & amore coniungitur cum ſibi eſt præſens, immo ſpiritus illud, cui ſemper vnitus eſt, non minus ornat, & ei à quo non poteſt ſeparari non minori amore coniungitur, quo circa ſi ex vnione, & conformitate ſequitur amor; oportet quod qualis eſt vnio, & qualis eſt conformitas, talis ſit amor, & quia naturale eſt, quod vnumquodque ſibi ſit vnitum, & conforme ſecundum naturam, naturale eſt pariter, quod vnumquodque diligat ſeipſum.

13 Angelus vnus poſt ſe ipsum amat naturaliter alium, non tamen ſicut seipſum, ſi ly ſicut importat æqualitatem amoris, nam amor ex vnione habet eſſe, ſed quælibet creatura eſt magis vnita ſibi, quam alteri creaturæ, ergo vnus Angelus non diligit alium Angelem, ſicut se, & hæc eſt ratio, ob quam Angelus diligit Deum ſupra se ipsum, quia Deus eſt intimior cuilibet creaturæ, quam creatura ſibi ex D. Auguſtino 3. confeſs. ſi vero ly ſicut ſignificat ſimilitudinem, ſic vnus Angelus diligit alium Angelum, ſicut seipsum, nam quantum ad modum Angelus naturaliter diligit se, quia eſt vnitus ſibi, ſic & alium diligit naturaliter; quia naturalem habet vnionem ad ipſum ſaltem ſecundum naturam generis; Item gratia non tollit naturam, ſed perficit, ſed ſecundum charitatem, quę eſt amor gratuitus prę cipimur diligere alios, ſicut nos, ergo, & amore naturali debet vnus Angelus diligere alium ſicut ſe, Dęmones etiam naturali dilectione actuali se diligunt; quia nullus quamuis malus se ipsum odio habet; peccator enim ex libidine diligit id, quod diligit, libido autem nõ eſt ſine ſubſtrata natura, ergo ex conſequenti neceſſario natura dictante diligit; ſimiliter & Dęmones; poſſunt tamen à tali actuali amore, vel dilectione ceſſare; Quod vero vnus Dęmõ actualiter naturali dilectione diligat alterũ, probatur dicta ratione, quod conueniant ad inuicem ſaltem ſecundum naturam generis; Hoc vero certum eſt amorem, aut dilectionem habitualem naturalem non poſſe remoueri à Dęmonibus, nam inclinatio naturalis, quã habet vnus Angelus ad alium Angelum non poteſt remoueri à Dęmonibus, ita vt vnus poſſit alium odio habere quatenus cum ipſo conuenit in natura generica; quamuis ſecundum alias particularitates poſſit vnus alium odio habere; Dices Dęmones, & damnati vellent non eſſe, ergo non ſe diligunt naturaliter,

naliter, conſequentia patet, quia diligere naturaliter eſt diligere ſuum eſse, & vitam ſuam, ergo ſi propter vitationem miſeriæ vellent non eſse, vel non viuere, vel non intelligere pœnam ſuam, ergo non ſe diligunt dilectione naturali. Reſpondetur, quod Dęmones non vellent non eſse ſimpliciter, ſed non vellent eſse in illa miſeria; Vnde quod mali aliquando velint mortem, hoc eſt, quia vellent eſse ſine miſeria, quæ conſiſtit in illis duabus generalibus, & maximis pœnis damni, & ſenſus.

14 Prædicta doctrina eſt occaſio inquirendi hic an conformitas, & ſimilitudo ſit cauſa amoris. Affirmat D. Bonauentura in 2. diſt. 3. art. 3. qu. 2. Angelum dilectione naturali diligere magis Angelum eiuſdem ordinis, cum ſe videat à conditore officij æqualitate, & naturæ illi ſimilitudine ſociatum; ex quibus verbis colligitur Angelum diligere magis Angelum eiuſdem ordinis, quia eſt illi ſimilior in natura, & officio, itaq; inclinatio naturalis, qua vnus Angelus inclinatur ad alium amandum fundatur in conuenientia, & ſimilitudine naturali, quam habent Angeli inter ſe, & conſequenter ſimilitudinem eſse per ſe cauſam amoris, & amicitiæ, iuxta illud Eccleſ. 13. omne Animal diligit ſibi ſimile in natura, ſicut & omnis homo proximum ſuum, & ſubdit, & omnis caro ad ſibi ſimilem coniungitur, & omnis homo ſibi ſimili ſociabitur; Hæc autem ſimilitudo eſt cauſa amoris veluti diſpoſitio ex parte ſubiecti, ſic vt bonũ ſit propria cauſa amoris ex parte obiecti; propter quod idem obiectum cauſat modo, amorem, modo odium in eodem ſubiecto diuerſimodè diſpoſito. Hinc eſt, quod ſimilitudo nonnunquã eſt cauſa diſcordiæ, & diſſimilitudo cauſa amoris, nã quando aliquis ex ſimilitudine impedit amãtem ab amati fruitione, tunc ſimilitudo eſt cauſa odij, quod tantum contingit in amore concupiſcentiæ; quod ſic patet, amore namque concupiſcentię amans proprie amat ſe ipſum, cui vult illud bonum, quod concupiſcit, magis autem vnusquisque amat ſe ipſum, quam alium, ratio eſt, quia ſibi vnus eſt in ſubſtantia, alteri vero in ſimilitudine alicuius formæ, & ideo ex eo, quod aliquis eſt ſibi ſimilis in participatione formæ ſi impediatur ipſemet à conſecutione boni, quod amat, ei efficitur odioſus non in quantum eſt ſibi ſimilis per ſe, ſed in quantum eſt boni impeditivum; Videmus enim, quod artifices alicuius artis corrixantur ad inuicem, cum alijs autem artificibus pacifice viuunt, eo quod in proprio lucro ad inuicem ſe impediunt, & inter ſuperbos ſemper ſunt iurgia; quia ſe inuicem impediunt in propria excellentia, quãm concupiſcunt; & inter luxurioſos, & laſciuos, oritur zelotypia, quæ non patitur conſortium in amato.

15 Conceditur in appetitu intellectuali creato, ideſt in voluntate Angelica, & humana vis concupiſcibilis, & iraſcibilis; De appetitu, & voluntate humana circa hoc erit ſermo ſuo loco, & tempore; De concupiſcibili Dęmonum teſtatur Iſaias Capit. 14. vbi loquens cum Lucifero ait, quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui dicebas in corde tuo, In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum; ſedebo in monte teſtamenti &c. De iraſcibili bonorum, & malorum Angelorum loquitur D. Ioannes in Apoc. 12. vbi ait factum eſt Prælium magnum in Cœlo, Michael, & Angeli eius præliabantur cum Dracone; & Draco pugnabat, & Angeli eius &c. quid clarius? Item poteſt concedi in Angelis, & in Deo eſſe rationem formalem virtutum moralium non quidem quatenus verſantur circa paſſiones appetitus ipſis

au-

Angelis, & Deo in exiſtentes, ſed circa paſſiones in ſubiecto capaci, ita Scotus in 2. diſt. 23. qu. vnica; nam diuina, & Angelica volitio poteſt eſse honeſta, & virtuoſa ergo; talis namque volitio, vt verſatur circa tales paſſiones eſt virtutis, temperantiæ, & fortitudinis; Antecedens probatur, quia poteſt Deus, aut Angelus velle me eſse fortem, & temperatum, ergo Deus, aut Angelus poteſt velle in me tale bonum propter propriam ipſius boni honeſtatem, nec obſtat, inquit Scotus, quod Deus nec Angelus velle ſibi tale bonum, quia velle ſibi, & velint mihi non variatur ratio formalis virtutis; hoc enim eſt quid materiale, nempe capacitas ſubiecti, nam bonum, & virtus fortitudinis eſt eiuſdem ſpeciei in forte, & in Platone quia varietas virtutis non ſumitur ex varietate ſubiecti, ſed ex varietate honeſti; Virtutes morales ſecundum ſuũ eſſe materiale non ſunt in Deo, quia virtutes morales ſunt Regulæ rectificantes voluntatem, ſed voluntas diuina eſt de ſe recta; ſicut & Angelorum bonorum. vbi non ſunt rixæ, & contentiones prout ſunt paſſiones Animi, vel affectus voluntatis; quamuis in eorum intellectibus concedantur; vt patet ex ſcriptura vbi dicitur quod Angeli inter ſe pugnabant, quid vtilius eſset populo Dei, vtrum detentio in captiuitate babilonica, an liberatio vno affirmante, altero negante; In Angelis malis non ſunt virtutes, nec poſſunt illas cognoſcere in bonis directe, ſed tantum per indicia, prima, & tertia pars patet; ſecunda eſt D. Auguſtini dicentis, numquam Iob tentaſset Angelus malus, ſi eius patientiam cernere potuiſset.

De perfectionibus ſupernaturalibus Angelorum. Cap. IV.

De gratia, merito, & beatitudine bonorum Angelorum. Art. I.

1 Angeli fuerunt creati perfecti à Deo quicquid enim Deus à ſe immediate producit ſine concurſu cauſarum ſecundarum eſt omnino perfectum in genere ſuo, iuxta illud Deuter. 32. Dei perfecta ſunt opera, ſecundum ſcilicet exigentiam, & diſpoſitionem eorum, & tempore ſuo, quia ad congruam ſibi perfectionem ordinantur ac tendunt; Angeli fuerunt creati perfecti quoad perfectionem naturæ, de qua in ſuperioribus, & quoad intellectum cum omnium rerum habuerint ſcientiam maxime per ſpecies infuſas, & quoad voluntatem, quæ ſuis actibus ſequens operationes intellectus & potiſſime diuinam cognitionem, & contemplationem, quæ naturaliter pro ſtatu viæ haberi poterat; ſicque ſtatim creati fruebantur beatitudine naturali, quæ conſiſtebat in perfectione actuum, & operationum vtriuſque potentiæ intellectus, & voluntatis; Non enim denegandum eſt Angelis viatoribus, quod conceſſum, eſt primis noſtris Parentibus in ſtatu innocentiæ; ſi enim primus homo in Paradiſo terreſtri dicebatur beatus, quia in alto poſitos ideſt in Paradiſo; quia innocens erat nullius peccati macula deturpatus; quia non habebat ad peccatum aliquod impulſiuum, nempe legem in membris repugnãtem legi mentis, & captiuantem in lege peccati; multo magis omnes Angeli in

Digitized by Google

primordio ſuæ creationis erant beati beatitudine naturali cum eſſent in Cœlo empyreo, cum eſſent tanta puritate, & innocentia præditi; cum eſſent formæ per ſe exiſtentes non ſolum non habentes legem contrariam legi rectæ rationis, ſed omnibus imperfectionibus materialibus carentes.

2 Aduerte tamen, quod vltima naturæ rationalis, & intellectualis perfectio, quæ habitudo nuncupatur ex duobus conſtat nempe ex perfectione, & actualitate intellectus, & ex rectitudine voluntatis, nam iſtæ duæ potentiæ ſunt, in quarum operationibus explicatur tota virtus, & perfectio intellectualis naturæ, ſecundo aduerte, quod licet omnes Angeli etiam, qui corruerūt fuerint beatitudine quodammodo ſpeculatiua beati naturaliter ante peccatum manſeritque in eis cognitio illa naturalis, quam ante peccatum habuerunt; ſimpliciter tamen nec beatitudine naturali etiam contemplatiua Dœmones ſunt dicendi beati, idque duplici de cauſa prima, quia Dœmones ex cognitione, & contemplatione Dei, nullum gaudium, nullamque delectationem recipiunt eo, quod cruciatus, & pœna eos delectari non ſinat, ſecunda, quia Dęmones ob nequitiam ſuam, atque inordinationem voluntatis ex tali notitia in odium Dei exardeſcunt, ex quo fit, vt eiuſmodi contemplatio potius in eorum miſeriam, quam felicitatem cedant; Quomodo illi miſeri poſſunt delectari de illa naturali cognitione Dei, qui intolerabili damni pœna, & cruciatu abſorbentur, qui cogitantes quali bono, nempe ſupernaturalis beatitudinis ſint perpetuo priuati augent ſibi miſeriam.

3 Contra id quod dictum eſt, de Beatitudine naturali ſi arguatur primo ſi Angeli ſunt appellandi Beati, quia præditi fuerunt omnibus requiſitis ad ſuam perfectionem, ergo & lapides, & Cœli, & elementa, & bruta dici poterunt fœlicia, & beata; Reſpondetur, quod non quælibet perfectio nominari poteſt beatitudo, & fœlicitas, ſed illa tantum, quæ poſſidetur ab ijs, qui vltimum vitæ gradum nempe intellectualem habent, ſi obijciatur ſecundo de ratione beatitudinis eſt, quod ſit inamiſſibilis, ſed Angeli modo non ſunt beati beatitudine naturali, ergo non fuerunt in principio Beati; Reſpondetur, quod beatitudo naturalis poteſt dupliciter conſiderari vno modo reſpectiue ſcilicet prout coniuncta eſt cum actuali ſub ordinatione ad ſupernaturalem beatitudinem, alio modo prout non eſt coniuncta, primo modo eſt amiſsibilis, & de facto fuit amiſsa in Angelis malis, tametſi non totaliter deperdita; manet enim in ipſis ſpeculatiua cognitio primæ cauſæ, deeſt tamen in illis perfectio cognitionis practicæ, & moralis rectitudo voluntatis, necnon delectatio, & fruitio de bonis, quæ ſpeculatiue cognoſcunt, quæ omnia beatam vitam requirunt. Secundo modo beatitudo naturalis eſt inamiſsibilis; Item ſi arguatur tertio, ſi Angeli à primordio fuerunt beati beatitudine naturali, ergo & ſupernaturali, quoniam cauſa ſupernaturalis beatitudinis ſcilicet Deus efficacior eſt cauſa beatitudinis naturalis, quā fuerit ipſa mens Angeli, ſeu cauſa naturalis creata; Reſpondetur quod non ſequitur de cauſa efficiente, agente, ſpōte, & libere, qualis eſt Deus.

4 Hucuſque actum eſt de ſtatu naturali Angelico modo accedendum eſt ad ſtatum ſupernaturalem, cuius fundamentum eſt Diuina gratia ſanctificans, circa quam eſt valde controuerſum inter Doctores; An ſcilicet Angeli fuerint creati in gratia & iuſtitia; Plures negant nimirum Vgo de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis p. 5. Cap. 29.

&

Digitized by Google

& in ſumma ſent. tract. 2. Cap. 2. Rupertus Abbas lib. 1. in Geneſim Cap. 14, 15. & 16. Magiſter ſent. in 2. diſt. 5. Cap. 2, 4, 6. D. Bonau. in 2. diſt. 4. art. 1. & alij plures. Scotus vero in 2. diſt. 5. q. 1. v. ad inquirendum vtramque partem probabilem putat magis inclinando ad affirmatiuam, quam pariter ſuſtinet D. Thomas p. p. qu. 62. art. 3. cum ſuo Caietano, & alijs Diſcipulis, qui probabilius reputant Angelos omnes nedum in rectitudine naturali, ſed etiam iniuſtitia, & gratia eſſe conditos, & conſtitutos fuiſſe à primordio, & ratio videtur eſſe, tum ex parte Dei, tum ex parte creaturę, ex parte inquam Dei, quia ſumma in eo eſt liberalitas, ex parte vero creaturæ, quia maxima fuit in illa capacitas, & idoneitas, quia enim ab inſtanti creationis Angeli erant receptacula munda, & Deus eſt promptus ſuam gratiam elargiri, niſi ponatur obſtaculum ex parte recipientis non videtur dimiſiſſe illa ad momentum vacua, ſed potius condita ſtatim gratia illuſtraſse, & impleuiſse, talia enim debuerunt exire de manu Dei receptacula, vt illico eſsent prompta, & parata ad bonum opus, & vſum; Vnde ſicut vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, ſic conijciunt Doctores affirmantes Angelos fuiſse tales creatos, vt de illis poſset rationabiliter dici, quod eſsent creati valde boni, quod non fuiſſet ſi non fuiſsent in gratia conditi, ſicut probabiliter alij conijciunt Deum produxiſse arbores fructibus maturis onuſtas, & alia quæque in ſtatu nobiliſſimo, & perfectiſſimo ſecundum genus ſuum, & requiſita naturæ; hucuſque ex doctrina Sancti Thomæ.

5 Concluditur itaque probabiliſſime omnes Angelos in gratia gratum faciente fuiſse creatos, quatenus gratia dicit collationem Diuini in eos beneficij; non quatenus dicit reflexionem officij, vel obſequij ad Deum, ideſt quatenus gratia gratum faciens denotat amorem Dei erga Angelos, nec quatenus reflectit actum amoris erga Deú, ſecus enim meruiſsent omnes Angeli gloriam, & beatitudinem; & hoc eſt, quod dicit D. Bonauentura loco ſupracitato; Concluſio probatur, primo fecit Deus intellectualem creaturam, vt ſummum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, & poſſidendo frueretur, inquit D. Auguſtinus, ſed nullum horum perfecte cōplere poteſt, niſi ſubleuetur ſupra vires naturæ, frui ſiquidem non poteſt Deo ſine auxilio gratiæ, nec rurſum illum poſſidere perfecte ſine beatitudine, aut illum amare prout amandus eſt, ſine gratia, vel perfecte intelligere ſine lumine fidei quoad homines, vel reuelatione fidei æquiualente quoad Angelos viatores, vel clara viſione quoad Beatos, ergo cum Deus creauerit intellectualem creaturam ad hæc omnia capeſcenda, & nihil fruſtra videtur feciſse, Angelos gratia nudatos non condidit; cum ſine gratia hæc omnia non poſſint adipiſci; probatur ſecundo, pronior eſt Deus ad benefaciendum, quam ad puniendum; ſed fecit Angelos in ſtatu, in quo ſtatim poterant demereri, ergo pariter in ſtatu, in quo ſtatim mereri poſſent; ſed mereri non poſsunt ſine gratia gratum faciente, ergo in eorum creatione illis gratiam contuliſse probabiliſſimum eſt.

6 Suppoſita hac probabiliſſima opinione, quod Deus creauerit in gratia omnes Angelos reſtat conſequenter inquirendum, an Angeli ſint conſecuti gratiam ſecundum quantitatem naturalium; D. Thomas p. p. q. 62. art. 6. affirmat; cuius quidem ratio ex duobus (inquit) accipi poteſt primo ex parte ipſius Dei, qui ſecundum ordinem ſuæ ſapientiæ diuerſos in Angelica natura

conſti-

conſtituit gradus, & ordines, ſicut autē natura Angelica facta eſt à Deo ad gratiam, & beatitudinem conſequendam, ita etiam gradus naturæ Angelicę ad diuerſos gradus gratiæ, & conſequenter gloriæ ordinari videntur, vt puta ſi ædificator lapides polit ad extruendam domum, ex hoc ipſo, quod aliquos pulchrius, & decentius aptat videtur ipſos ad honoratiorem partem domus ordinare; ſic igitur videtur, quod Deus Angelos, quos altioris naturæ fecit, ad maiora gratiarum dona, & ampliorem beatitudinem ordinauerit; ſecundo apparet idem ex parte ipſius Angeli, non enim Angelus eſt compoſitus ex diuerſis naturis, vt inclinatio vnius naturæ impetum alterius, aut impediat, aut retardet; ſicut in homine accidit, in quo motus intellectiuæ partis, aut retardatur, aut impeditur ex inclinatione partis ſenſitiuæ; Quando autem non eſt aliquid, quod retardet, aut impediat, natura in id ſecundum totam ſuam virtutem mouetur; & ideo rationabile eſt, quod Angeli, qui meliorem naturam habuerunt etiam fortius, & efficacius ad Deum ſint conuerſi, & habuerint maiorem gratiam, & gloriam loquendo de Angelis bonis.

7 Sed contra D. Bonauentura in 2. diſt. 9. articulo vnico q. 3. dicit hanc poſitionem eſſe de ſe improbabilem, & contra bonos mores, dum tantum tribuit ei, qui parum Deo ſeruit, & parum laborat, quantum ei, qui magis, immo plus, ſi maiora habet naturalia, & perſeueret in gratia, quod omnino abſurdum eſt. Et vt veritas claré appareat, ſi verum eſſet, quod ait D. Thomas ſequeretur ex ſecunda eius ratione Luciferum magis omnibus ad Deum fuiſſe conuerſum, cum eſſet ſuper alios excellentiſſimæ naturæ, & conſequenter maiorem adæptum fuiſſe gratiam, & gloriam; Præterea quamvis in Angelis non ſit compoſitio corporis, & ſpiritus, eſt tamen in ijs compoſitio libertatis, & naturæ, nam natura fertur in ea naturaliter, quæ ſunt ſibi propria; libertas autem arbitrij pro libito; & conſequenter ſicut poſſunt homines retardari, & impediri à ſenſu, & mole corporea, ſic etiam Angeli adiuuari, vel retardari ad gratiam, & gloriam adipiſcendam à voluntate; & inſuper motus naturalis nón eſt meritorius gratiæ, vel gloriæ. Et ideo hæc poſterior D. Thomæ ratio ſponte ſua collabitur. Prior etiam, quia ſequeretur homines non poſſe mereri ſupra Angelos, & nunquam ad maiorem gratiam, & gloriam peruenire poſſe, quam omniū Angelorum minimum, quia minimus Angelorum eſt maior maxime hominum, quoad naturalia pura, & quatenus homo eſt puta creatura, & conſequenter non datur quantitas gratiæ, & gloriæ ſecundum quantitatem naturalium; Quod autem dicit D. Thomas diuerſos gradus in Angelica natura fuiſſe conſtitutos; ſi per diuerſos gradus intelligat ſpecies, & tot ſpecies quot Angeli hoc eſſet probandum cum ſupra ſit improbatum.

8 Ex Doctore ſubtili in 2. diſt. 5. q. 1. v. ad inquirendum; colligitur primo, quod omnes Angeli ſaltem eiuſdē ſpeciei creati ſunt vniformes, ſecundo quod Deus non diſcreuit inter illos, & illos antequam ipſi ſe per actum ſuum diſcreuerint, tertio quod quilibet Angelus aliquando fuit in gratia, ſiue in inſtanti ſuæ creationis, ſiue immediate poſt, quarto, quod tota mora viæ præfixæ vſque ad meritum, vel demeritum erat eis ęqualis, quinto quod dignitas naturalis Angelorum non fuit magis cauſa gratiæ illis collatę quam bona indoles, & ingenium hominum, quæ non ſunt vllo modo cauſa gratiæ hominibus collatæ, vt notum eſt; ſexto quod Deus abſque vllo debito contempla-

tionis; ſiue particularis reſpectus; meritiue donauit Angelis primam gratiam, ſed ex merito maiori, vel minori ipſorum poſt gratiam receptam maiorem, ac minorem gratiam bonis contulit ac proinde melioribus, & magis gratiæ cooperãtibus maiorem gloriam, & beatitudinem, & ſic in domo Dei manſiones multæ ſunt, & vt ait D. Paulus ſtella à ſtella differt in claritate, malis vero ob varia demerita ſupplicium inflixit, & pœnam, quia ſecundum quãtitatem delicto erit & plagarum modus. Dictum de gratia prima probatur primæ Corint. Cap. 12. vbi Spiritus Sanctus dicitur diuidens ſingulis provt vult, & ad Rom. Cap. 12. vbi ait habentes donationes, ſecundum gratiam, ergo non ſecũdum naturam, quæ non tantũ de hominibus, ſed etiam de Angelis intelligenda ſunt; Inſuper confirmatur ratione, nam poſſibile eſt eum, qui meliora habet naturalia gratia gratum faciente carere omni vitæ curriculo, eum vero è contra qui minus nobilia habet naturalia gratia ſanctificante donari, ergo gratia non ſequitur quantitatem naturalium.

9 Angeli non ſunt prædeſtinati ad gratiam, & gloriam ex præuiſis meritis eorum non ſolum meritis liberi arbitrij abſolutè, ſed etiam liberi arbitrij, & gratiæ ſimul, hoc eſt certum, & commune omnium Theologorum placitum contra Origenem, & Pelagianos, qui dicunt Angelos per aliquod bonum deſiderium, ſeu bonum quendam conatum liberi arbitrij meruiſſe prædeſtinationem, & primam gratiam, probatur aſſertum ex dictis de hominum prædeſtinatione nimirum huiuſmodi prædeſtinationem eſſe mere gratuitam, & electionem ad gloriam, & ad gratiam eſſe ante omnia prædeſtinatorum merita, ergo, & prædeſtinatio eorundem Angelorum ad gloriam, & gratiam non eſt ex ipſorum meritis iuxta illud Apocalip. 21. menſura hominis (ſcilicet quoad prædeſtinationem) quæ eſt Angeli, eſt ſcilicet eadem ratio Angelorum, & hominum quoad cauſam prædeſtinationis ex parte illorum; Probabiliſſima tamen opinio eſt huiuſmodi prædeſtinationem Angelorum ſicut, & hominum fuiſſe ob merita Chriſti, quia omnes Theologi in hoc conueniunt, quod Chriſtus ſit caput hominum, & Angelorum ergo omnis influxus gratię, & gloriæ in homines, & Angelos eſt à Chriſto quo ad meritum gratię, & gloriæ, & quoad eius influxum; ideo eſt Axioma D. Pauli omnes ſaluari per Chriſtum; Præterea non eſt impoſſibile Chriſtum meruiſſe Angelis gratiam, & gloriam, & eorum prędeſtinationem, cum meritum eius fuerit valoris infiniti, & hoc exaltat gloriam Chriſti, cui Doctor ſubtilis in 3. d. 13. omne poſſibile decus præſtandum eſſe exiſtimauit, dum non inuoluit repugnantiam, ergo aſſerendum eſt Beatitudinem Angelorum prædeſtinatam eſſe ex præuiſis Chriſti meritis.

10 Angeli à primo inſtanti ſuę creationis potuerunt eſſe beati ſecundum potentiam Dei abſolutam, ſiue tranſeunter, ſiue permanenter probatur ſic à Scoto, Beatitudo non poteſt in eſſe creature capaci niſi à Deo, ergo in quocumque inſtanti poteſt dari à Deo, atque in eſſe creaturæ, & per conſequens poteſt creatura eſſe beata, ſed pro quocumque inſtanti potuit eam Deus conferre, & tam bene in primo inſtanti, ſicut in ſecundo, & tertio, Creatura quoque Angelica quolibet inſtanti ſui eſſe fuit ipſius capax, ergo Angeli potuerunt eſſe beati ab inſtanti ſuæ creationis; Item Animæ Chriſti fuit conceſſum hoc priuilegium, vt ab inſtanti ſuę creationis eſſet beata ergo etiam Angelis potuit concedi; Secus dicendum eſt de potentia Dei ordinata, quia lex poſi-

ta eſt à Deo libero arbitrio, vt nemo niſi per proprium laborem ſummam fœlicitatem conſequatur. Eſt enim beatitudo præmium, quod regulariter datur propter meritum, ergo meritum debet præcedere, ergo Angeli non potuerunt eſſe beati ſecundum potentiam Dei ordinatam ab inſtanti ſuæ creationis; confirmatur quia cœteris paribus melius eſt habere aliquid ex merito, quam ſine merito. Item homines conſequuntur per ſua merita beatitudinem ergo, & Angeli, nam cum illa beatitudo ſit vtriſque ſupernaturalis debet eſſe iſdem modus conſequendi illam.

11 Sed petes quamdiu Angeli boni, & mali durauerint ſimul ante præmiũ, vel ſupplicium? Reſpondetur; Doctores Theologos non conuenire inter ſe circa huius dubij reſolutionem, & in aſſignando iſto paruo tempore D. Thomas p. p q. 62. art. 5. in ſolutione argumentorum, & quolib. 9. art. 8. aſſignat duo inſtantia, quæ vocantur morulæ, vnum quidem, in quo omnes ſimul, tam boni, quam mali fuerunt creati in gratia, aliud vero, in quo fuerunt in termino Capreolus vero in 2. diſt. 4. q. 1. art. 3. concluſ. 1. & art. 3. ad 1. & Recentiores quidam Thomiſtę aſſignãt tres morulas, ſeu tria inſtantia dicentes, quod vtrique Angeli fuerunt creati in gratia, ſed nullus beatitudinem meruerit, quia receperunt gratiam ſine actu proprio, & diſpoſitione; in ſecundo vero boni meruerunt beatitudinem operantes ex eadem gratia, mali autem peccauerunt amittentes gratiam, in tertio denique boni beatitudinem, & prȩmium receperunt, mali autem fuerunt perpetuo damnati; Hanc trium inſtantium aſſignationem, & expoſitionem tanquam probabilem admittit Scotus, qui tamen aſſignat quattuor inſtantia, ita vt ſi Angelos dicamus fuiſſe creatos in puris naturalibus, primum inſtans fuerit in ſtatu puræ naturæ, ſecundum in ſtatu gratiæ, tertium in ſtatu meriti, vel demeriti, quartum denique in ſtatu præmij, vel ſupplicij. Sed gratia diſtinctioris intelligẽtiæ totius progreſſus Angelorum à creatione ad eorum vltimum terminum ponuntur ſex morulæ, ita vt in prima fuerint in puris naturalibus, in ſecunda in gratia, in tertia boni in merito, & mali in demerito quo ad primum meritum, & primum demeritum ſcilicet primum peccatum, in quarta boni in multiplicatione meritorum, & mali in multiplicatione demeritorum, ideſt peccatorum, in quinta boni in perſeuerantia bonorum operum, & mali in obſtinatione, in ſexta, tam boni, quam mali in termino.

12 Hæ quidem morulæ omnes paucis ita ſingillatim probari poſſunt; nam prius naturaliter eſt ſubiectum, quam id quod recipitur in ſubiecto, ſed gratia recipitur in natura Angelica tanquam in ſubiecto, ergo prius naturaliter ſaltem fuerunt in ſtatu naturæ, quam in ſtatu gratiæ; Vnde iam habemus diſtinctionem inter ſtatum naturæ, & ſtatum gratiæ; Deinde Deus non eſt prius vltor, quam aliquis ſit peccator, ſed ſi Angeli boni fuiſſent in gratia conſtituti, & non mali Deus videretur prius vltor, quam Angelus exſtitiſſet peccator; igitur vſq; ad inſtans, ſiue morulam meriti, & demeriti erant omnes vniformes, & ſi tũc gratia collata eſt bonis videtur etiam, quod debuerit alijs conferri, nam ante illud inſtans non demeruerant, & Deus non eſt acceptator perſonarum; Vnde nunc, tertia conſurgit morula ex merito bonorum gratiæ cooperantium, & demerito malorum illa abutentium, quarta rurſus, quia vt ait Scotus probabile in illo ſpacio, in quo fuerunt difformes in via multas interceſſiſſe morulas, quia boni meruerunt pluribus actibus, & mali peccauerunt pluribus

ſpe-

ſpeciebus peccatorum ſcilicet amore inordinato ſui ipſius, ſuperbia, odio, inuidia, & iſti actus in eodem inſtanti non fuerunt eliciti, vt patet ex Magiſtro in 2. diſt. 5. mali enim multipliciter demeruerunt, & boni multipliciter meruerunt iuxta illud Apoc. factum eſt prælium magnum in Cœlo &c. & ſic in 4. morula probabiliter putantur fuiſſe plures morulæ; in 5. etiam probantur fuiſſe, quia qui perſeuerauerit vſque in finem ſalvus erit, quod non ſolum hominibus, ſed etiam Angelis poteſt applicari, nam gloriantur Apoſtoli coram Ieſu, quod etiam Dæmones ſubijciantur eis; Reſpondit illi Ieſus, videbam Sathanam tanquam fulgur cadentem de Cœlo, ex quo innuere videtur de gratia, & merito non eſse gloriandum, niſi adſit perſeuerantiæ donum, cum Angeli de longe ſublimiori ſtatu ſint collapſi; & quia probabile eſt, tam in perſeuerantia bonorum Angelorum in meritis, quam in obſtinatione malorum Angelorum in demeritis plures interceſſiſſe actus, qui in eodem inſtanti non poterant elici, ita probabile eſt in quinta morula generali aliquas particulares interceſſiſſe morulas; ſexta demũ fuit ipſa finalis retributio, quæ probatione non indiget cum ſatis expreſsa ſit in ſacris litteris; proiectus eſt enim Draco in terra, & amplius non eſt inuentus locus eius in Cœlo, & è contra Angeli boni ſemper vident faciem Patris.

13 Angelis bonis non eſt data futuræ gloriæ certa præſcientia, quia habere certitudinem de ſua perſeuerantia eſt potius cognitio ſpectans ad ſtatum præmij, quam meriti, quæ aſsertio magis placet magiſtro, & est magis rationabilis, & magis conſona verbis D. Auguſtini, vt patet 11. de Ciuit. Dei, vbi dicit, quod pares fuerunt Angeli quantum ad condiciones ante lapſum; Vnde ſi alicui videtur dicere contrarium cogitet fuiſſe aliquando quoſdam Hæreticos qui ſenſerunt, quod iuſti non ſolum ſunt certi de ſua gratia, ſed etiam de ſua gloria, quod eſt impoſſibile, niſi ex ſpeciali reuelatione ſecundum communem omnium Theologorum ſentẽtiam; & definitionẽ ſacri Concilij Trid. ſeſſ. 6. Cap. 12. & can. 15. quæ definitio quamuis ſit facta de hominibus Viatoribus, tamen currit etiam de Angelis ob eandem rationem; probatur etiam ratione; nam ſi reuelata fuiſset Angelis bonis futura, & vltima permanſio in gratia, & certitudo gloriæ duo ſequerentur inconuenientia, primum, quia Diabolus poſset quodammodo ſe excuſare de peccato ſuo coram Deo, quia ſcientiam, quam alijs elargitus fuit non habuit, alterum inconueniens eſſet, quia Deus videretur prius puniſſe malos, quam mali fuerint, quod ante donum ſubtraxerit, quod alijs dedit, qui ipſos non præcellebant, nec merito vitæ, nec dignitate naturæ. Pro clariori dictorum intelligentia notandum eſt primo, quod præſciẽtia, viſio, & memoria in hoc differunt, quoniam præſcientia dicitur reſpectu futuri, viſio reſpectu præſentis, memoria autem reſpectu rei præteritæ; ſecundo notandum, quod hæc quattuor diſcrepant; viſio, reuelatio, raptus, & oraculum, nam viſio proprie dicitur, dum res intuitiue conſpicitur; Reuelatio exigit, quod ignotum ſolum manifestum fiat modo tamen non naturali; Raptus requirit, vt talis cognitio fiat in mentis exceſsu, ſiue eſtaſi, vt neſciat homo, an in corpus, vel extra corpus cognoſcat; Oraculum poſtulat, quod is, qui rem declarat ſit perſona Venerabilis, vt Deus, vel Angelus; Prædictis tamen non obſtantibus concedi poteſt, quod Angeli boni, dum erãt in via, potuerunt conieсturaliter præſcire ſuam beatitudinem ex his bonis iam acceptis, qui-

bus probabiliter parabantur ad eſſe Beatorum.

14 Angeli meruerunt beatitudinem per aliquid meritum exhibitum, & non per merita poſt beatitudinem exhibenda, & præuiſa; hoc aſsertum est contra Magiſtrum ſententiarum in 2. dist. 5. Cap. vltimo, & Albertum Magnum lib. 3. diſt. 18. art. 4, & alios, qui probabile putant Angelos fuiſse beatos in principio ſuæ creationis; deinde vero per opera ſequentia beatitudinem ipſam meruiſse; probatur noſtrum aſſertum tanquam communiter conceſſum; quia ſi homo non fuiſset creatus, ſequitur, quod Angelus nõ fuiſſet beatus, ſi enim homo nõ fuiſset creatus defuiſset is, cui Angelus alqua obſequia præstaret, atque ita nõ habuiſset actus extrinſecos, per quos beatitudinem mereretur; ſecundo meritum habet rationem viæ ad finem (ei ſi quidem, qui iam eſt in termino non conuenit moueri ad terminum) ergo meritum præceſſit præmiũ; tertio diſpoſitio præcedit illud, ad quod diſponit tempore, vel natura, ſed meritum est diſpoſitio ad præmium ex recta ratione iuſtitiæ, ergo præcedit præmiũ tempore, vel natura; Quod ſi dicas vnus, & idem actus conuerſionis in Deum in quantum eſt ex libero arbitrio eſt meritorius, & in quantum pertingit ad finem eſt fruitio beata, & ſic meritũ ſola ratione præcedit præmium; Reſpondetur liberum arbitrium de ſe non eſse ſufficientem cauſam meriti, quia actus non poteſt eſse meritorius ſecundum quod tãtum eſt ex libero arbitrio, ſed quatenus eſt gratia informatum, non autem poteſt ſimul gratia informari imperfecta, quæ eſt principium merendi, & gratia perfecta, quæ eſt principium fruendi; Vnde non videtur eſse poſſibile, quod ſimul fruatur, & fruitionem mereatur, ſed prius debuit illam meruiſse; Item quarto Angelus non eſset certus de ſua beatitudine; quia ſi eſset deſtinatus v. g. ad præſtanda obſequia Paulo per vnum annum poſset vita Pauli prolongari, atque ita obſequia multiplicari, & ſic nulla eſset certitudo meriti, & conſequenter nec beatitudinis, cum tamen ſecuritas, & certitudo ſint condiciones neceſsariæ beatitudinis ex Scoto in 4. diſt. 49. q. 6. meruit igitur Angelus Beatitudinem per actum intrinſecum independentem ab extrinſeco, vt per dilectionem Dei ſuper omnia, & creaturæ propter Deũ.

15 Angelorum beatitudo eſſentialis non poteſt augeri, nec vlterius perfici, quia dum ſunt in termino viæ non poſſunt vlterius progredi, ſed Angeli ſunt in termino merendi, qui eſt ipſamet beatitudo, ergo non poſſunt amplius mereri, & conſequenter, nec eſſentialem beatitudinem augere, nec perficere; probabile tamen eſt, quod poſſint proficere in beatitudine accidentali, quia Angeli gaudent, & ſpeciali lętitia lętantur ex profectu hominum per obſequia eis à ſe exhibita, ita D. Bonau. & Doctor ſubtilis licet D. Thomas tale gaudium ex redundantia gaudij eſſentialis promanare doceat: Beatitudo Angelorum reddit eos impeccabiles non quidem ab intrinſeco, quia cum maneant cum ſua libertate intrinſeca, & inſeparabili ab eorum voluntate, qui quãtum eſt de ſe poſſent ceſſare ab actu dilectionis Dei, & ita peccare peccato omiſſionis; Reddit ergo eos impeccabiles ab extrinſeco, quia Deus ſuauiter eos inducit in amorem ſuum, in quem eorum voluntas procliuis eſt, & negat concurſum generalem neceſſarium ad materiale peccati; ſine quo eorum peccandi potentia eſt omnino remota; ex quo colligitur tanquam certum, & infallibile Angelum non poſſe à beatitudine cadere (contra Origenem aſſerentem quandam alternatiuam inter beatitu-

titudinem, & pœnas inferni) nec in eſſe talem timorem, nam & demereri non poſſunt, & timorem ſeruilem non habent propter beatitudinis ſuæ certitudinem, ac ſecuritatem, ſed tantum timorem reuerentialem, & filialem, ſed inquires; Quomodo Angeli potuerunt tam cito, & tam breui interuallo mereri tantum bonum, quale eſt eorum beatitudo? Reſpondetur hoc illis prouenisse ex maxima intenſione actus, vel actuum meriti, quia plus valet vnus actus intenſiſſimus, quam centum millia remiſſi.

16 Pro huius rei intelligentia aduertendum eſt, quod cum meritum non conſiſtat in habitu, ſed in actu, nec in actu quolibet, ſed in actu gratia informato, actus autem omnis meritorius ex voluntate procedat, neceſſe eſt dicere meritum aliquid habere ex gratia, & aliquid ex voluntate, & aliquid ex obiecto actus vnde ſpecies actus trahitur; qua de re maior, vel minor merendi virtus, & efficacia ex tribus menſurari poteſt, primo ex magnitudine charitatis, & gratiæ, quanto enim maiori charitate, vel gratia eſt informatus, tanto magis eſt meritorius; ſecundo ex promptitudine voluntatis; quanto enim actus eſt voluntarius, tanto eſt laudabilior, & magis meritorius, tertio ex arduitate operis; nam opus quanto eſt difficilius, & magis arduum, tanto magis meritorium exiſtit, & hoc intelligendo de vno cæteris paribus; ſed obſerua, quod arduum auget rationem meriti, non ex difficultate laboris, ſed ex magnitudine bonitatis, quia quanto aliquid melius eſt, tanto ſupra vires operantis eſt magis eleuatum. Quod, vt clarius intelligatur nota, quod aliquod opus poteſt eſse laborioſum, & difficile dupliciter vno modo ex magnitudine operis, & ſic magnitudo laboris ſpectat ad augmentum meriti, ſicque charitas non diminuit laborem imo pellit, & prouocat ad maxima, alio modo ex defectu ipſius operantis, vnicuique enim eſt laborioſum, & difficile, quod non prompta voluntate facit, & talis labor diminuit meritum.

De Malorum Angelorum peccatis, & damnatione. Art. II.

1 ANgeli mali dum erant in via non recte ambulauerunt, ſicut Angeli boni, nec bona naturalia exercuerunt in ordine ad finem, ad quē in ſua creatione conditi fuerant, ſed præfigentes ſeipſos tanquam proprium finem in ſummam prolapſi ſunt peruerſitatem fruentes vtendis, & vtentes fruendis; tamen non fuerunt præſcij ſui caſus, quia præſcire caſum eſt ſcire futurum contingens dependens à voluntate libera; ſed nullus creatus intellectus poteſt certitudinaliter ſcire huiuſmodi futura contingentia, ergo Angeli non fuerunt præſcij ſui caſus; Præterea ſecundum D. Bonauenturam Deus de potentia ordinaria non potuit dare huiuſmodi præſcientiam, quia talis præcognitio de neceſſitate habet annexam, aut culpam, aut miſeriam, aut enim ſibi placeret, quod laberetur, & ita eſset impius, aut diſpliceret; & ita eſset miſer, & doloroſus, Vtrumque eſt Deo ſic impoſſibile, & inordinatum, ſiue innocenti infligere pœnam, ſiue innocentem, dū eſt innocens habere culpam; Hinc habetur ratio magiſtri ſi præſciuiſſent, aut ergo vitare voluerunt, ſed non potuerunt. Et ita fuerunt miſeri, aut vitare potuerunt, & noluerunt; & ita fuerunt maligni. Ad idem facit argumentum Anſelmi de Caſu Diaboli; ſi Diabolus ſciebat caſum ſuum, aut volebat aut non, ſi volebat ergo iam ceciderat, er-

Digitized by Google

go non præſciebat ſe caſurum, ſi præſciebat, & nolebat eum vitare, ergo malignus erat, Item omnis certa cognitio futuræ pœnæ, & miſeriæ eſt pœnalis, ſed ſi Angelus certitudinaliter ſciuiſset ſe peccaturum cum certò cognouiſset peccatum eſse puniendum, & peccatorem à Deo ſeparatum eſse miſerum habuiſſet præcognitionem certæ ſuæ miſeriæ, ergo habuiſſet pęnam ante culpam, ſed hoc eſt contra ordinem diuinæ iuſtitiæ.

2 Deus potuit reuelare Diabolo Lucifero dominium, & non præcipitium, quoniam dominium illud non habet de neceſſitate annexum præcipitium, poteſt enim aliquis malus dominari bonis; Ioſeph enim Patriarcha vidit, & cognouit ſuum principatum, ſed non eius cōdicionem; Pro clariori intellectu aduertendum, quod quando aliquid eſt quodammodo neceſſarium, & poteſt ex duabus cauſis contingentibus euenire, poteſt ſciri ab Angelo illud futurum eſſe, ſed neſcietur quomodo fiet; nam poſito, quod Lucifer fuerit de ſuperiori ordine, ſi ſtetiſſet, habuiſſet principatum ſuper alios Angelos, quia illuminationes deſcendunt ab Angelis ſuperioribus in inferiores; ſi non ſtetiſſet, ſicut nō ſtetit, habuiſſet, ſicut habuit principatum ſuper Angelos cadentes; Vnde videndo ſe habere ſplendidiora naturalia, quam alios potuit cogitare ſe habiturum fore aliquem principatum ſuper alios; ſed quod haberet ſtando, vel cadendo certitudinaliter ſcire non potuit; Nihilominus potuit coniecturā habere, quod hoc obtineret potius ſtādo, quam cadendo; Vlterius notandum, quod videre principatum, & videre præcipitiū non eſt ſimile, quia videre principatum non importat ſecum pœnam, ſed potuit videre principatum recte, & non recte ſicque eiuſmodi cognitio ſpectabat ad primum ſtatum; ſed videre præcipitiū quoad hoc, cum importet ſecum pœnā in eo, qui punitur, pęna autem non præcedit culpam, illa pręcognitio, ſiue pręuiſio non congruebat primo ſtatui Angelorum; Amplius notandum, quod præuidēdo dominium ſuum ſuper malos non potuit videre neceſſario caſum ſuum; eſt enim duplex dominatio vna qua peccator ſubijcitur Diabolo in ſequendo voluntatem eius, & ſuggeſtionem, quæ non eſt ſine peccato Diaboli præcedente; alia eſt dominatio quæ eſt in Angelo ex condicione naturæ, vel ex dono gratiæ, & hanc poterat præuidere ante caſum ſuum.

3 Dices ſi Chriſtus Dominus reuelauit Petro caſum ſuum, cum dixit ter me negabis, cur non potuit reuelare Diabolo? Reſpondetur, quod non eſt par ratio, quoniam reuelatio facta Petro fuit de caſu ad tempus, nō de caſu perpetuo, reuelatio autem de caſu ad tempus ordinatur ad hoc, quod homo fortior, & humilior reſurgat poſt pęnitentiam; Reuelatio vero de caſu perpetuo, magis ad oppoſitum ordinatur; Vnde lapſus Petri eſt reparabilis, ſicut de facto reparatus eſt, non ſic lapſus Diaboli; Nota quod non eſt ſimile de hominibus, & de Angelis; nam homines cadētes poſſunt ſurgere, ideo ex eo quod prædicitur illis caſus non coguntur deſperare, ſed ſi Angelus, cui non eſt locus pœnitentiæ poſt caſum; præſciret caſum ſuum haberet occaſionem, & cauſam deſperandi. Secundò reſpondetur, quod licet Deus dixerit Petro ter me negabis prædicendo ei caſum ſuum, non tamen prædixit abſolute, ſed condicione implicita; ſicut enim prædixit per Ionam Niniuitis ſubuerſionem Niniuis; tamen ipſi intelligebāt de ſubuerſione corporali, & ſub condicione ſi non pęniterent, ita poſſet intelligi dictum Domini, niſi ſurgeret, & ideo non eſſet certus de ſua damnatione,

ne, tertio reſpondetur, quod Petro non reuelauit, ſed prædixit, Vnde Petrus non intellexit ſimpliciter, ſed ſub condicione, quarto reſpondetur, quod Petrus non bene aduertit vſque ad caſum.

4 Quamuis boni Angeli (vt ſupradictum eſt) poterant per coniecturam credere ſe habituros beatitudinem, Angeli tamen mali non poterunt eſſe præſcij ſui caſus per coniecturam; probatur per Anſelmum, Quamdiu Diabolus rectam voluntatem habuit; voluit in tali voluntate perſeuerare, quia ſi noluiſſet perſeuerare ſtatim à recta voluntate cecidiſset; Ex qua auctoritate ſic colligi poteſt; quandiu quis in recta voluntate vult perſeuerare non poteſt rationabiliter ſuſpicari ſe (non recte volendo) caſurum, ſed Angelus quandiu non cecidit, in recta voluntate ſtetit, & in recta voluntate perſeuerare voluit, vel ſaltem oppoſitum non voluit, non ergo potuit coniecturare ſe caſurum rectam voluntatem dimittendo; Confirmatur illud ſcitur per coniecturam, quod eſt magis ad vnam partem, quam ad alteram, ergo quod non poteſt fieri niſi volendo, ſi perſiſtatur in voluntate recta magis eſt coniectura, quod non cadat, igitur quandiù Diabolus ſtabat in voluntate recta, non poterat coniecturare ſe caſurum, immo potius coniectare poterat ſe per ſe veraturum in recta voluntate, cum in ea ſemper perſiſteret ante caſum; Dices quod Angeli mali poterant ſcire, quod erant naturaliter mutabiles, & quod poterant cadere; Reſpondetur concedendo, ſed ſe caſuros, nec ſcire poterant certitudinaliter, nec per coniecturam, neque ſecũdum hunc ordinem, quem videmus fuit congruum, quod hoc Deus illis reuelaret.

5 Sed ſupponatur facta reuelatio per abſolutam Dei potentiam Diabolo de ſuo finali caſu, & reprobatione Diabolus non teneretur ſperare beatitudinem; idem dic de quolibet peccatore, non teneretur inquam ſperare beatitudinem, quia tali ſpei repugnat talis reuelatio; Nam ſpes definitur certa expectatio futuræ beatitudinis, ſed hanc expectationem ille peccator, ſiue ille Diabolus habere non poteſt, ergo neque ſpem, minor probatur, illa certa expectatio eſt in Iudicio intellectus, ſed ille peccator habet certum Iudicium de oppoſito eius ſcilicet, quod non ſaluabitur, ergo nullo modo poteſt habere certam expectationem futuræ Beatitudinis. Itẽ ſpes innititur diuinæ promiſſioni; ſed ipſemet Deus, qui promiſit in communi intellectuali creaturæ beatitudinem, reuelat certo illi peccatori, quod non aſſequetur promiſsum, quoniam ille peccator tenetur Deo credere reuelanti oppoſitum eius; ſed dices quod Deus de facto reuelauit aliqem hominem ſcilicet Antichriſtum eſse condemnandum, & probabiliter creditur, quod ipſe Antichriſtus cognoſcet ſuam damnationem in ſacris litteris reuelatam. Reſpondetur dupliciter, primo ſecundum aliquos, quod fortaſse Antichriſtus non habebit talem reuelationem, ſecundum quod credet reuelationi tali, ita vt omnino certus fiat de ſua condemnatione, quo circa peccabit non ſperando, ſicut peccabit non credendo Chriſtum eſse filium Dei viui; Generaliter loquendo ad miſsa tali reuelatione ex certa præſcientia Dei tunc ille peccator non tenetur velle ſuam damnationem abſolute, ſed ſuppoſito ordine diuinæ iuſtitiæ quę peccato res punit in ęternum, niſi in hac vita agant pœnitentiam, & ratio eſt, quia ipſemet Deus non vult damnationem alicuius abſolute loquendo, ſed vult damnationẽ præſuppoſita culpa ex parte peccatoris, ergo ille peccator non tenebitur abſolute velle ſuam damnationem.

6 In

6 In præcedenti articulo deciſum eſt Angelos in termino exiſtentes non poſſe peccare, nunc videndum eſt an in via ambulantes poſſint per propriam culpam impediri, ne ad deſignatum terminum perueniant, & quidem puto etiam de ipſis verificari potuiſſe dictum Apoſtoli 1. Cor. 10. 12. qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat; quia certum eſt, quod dari non poſſit creatura libera, quæ ex natura ſua ſit impeccabilis, quia cum ſit finita, & limitata eſt defectibilis, nec neceſſario recta in actionibus, ſicut de facto etiam Angeli quamvis præclariſſimis donis ſupernaturalibus, & naturalibus à ſummo conditore ornati peccauerunt, quamvis nō omnes, & inter illos primus Angelus, & ſupremus in perfectione naturali fuit etiam primus, & ſupremus peccator, vt dicitur Iob. 40. Iſaiæ 14. Ezechiel. 25. cum igitur fide tenendum ſit Angelos peccaſſe, ſequitur quod potuerint peccare; & quamvis in ſacra ſcriptura Gen. 1. non fiat mentio expreſſa de peccato Angelorum, ſicut de peccato primorum parentum non tollitur tamen veritas peccati Angelorum, Moyſes enim ſcribens ſacram ſcripturam inſtinctu Spiritus Sancti ad inſtructionem, & eruditionem generis humani iudicauit valde opportunum exprimere peccatum primorum parentum, vt per magnitudinem pœnæ homines à peccatis deterreret, & per pœnitentiam peccata eſſe delenda oſtenderet, ſicque homines ſpē conciperent veniam obtinendi ſuorum peccatorum, ſi pęnalem ſatisfactionem conſtanter aggrederentur; quod non eſt dicendum de peccato Angelorum, quod de facto non erat remittendum; Quamvis poſſit dici, quod implicitè peccatum primi Angeli fuit inſinuatum quando Moyſes dixit Gen. 1. & diuiſit lucem à tenebris, quando ſcilicet diuiſit Angelos beatos, vt fruerētur luce beatifica ab Angelis damnatis, & mitterentur propter peccata in tenebras exteriores; quod ſatis probabile eſt non latuiſse Adamum horribilem Luciferi, & ſequacium caſum qui propter ſuperbiam Cęlo deturbati plurimas cœleſtium ſedium vacuas reliquerunt, quandoquidem cognitio huius lapſus multum Adamo prodeſſe poterat, vt eum in humilitate, & diuinæ legis obedientia, & timore ſeueritatis diuini iudicij, ac Iuſtitiæ contineret.

7 Omnia paccata poſſunt eſſe in Angelis ſecundum reatum, & obligationem ad pœnam, tunc enim dicitur aliquis eſſe in aliquo peccato ſecundum reatum, & non formaliter, quando contrahit malitiam peccati, & tamen non elicit actum illius peccati, & ſolet in ijs fieri, qui vel approbant aliorum peccata, vel alios ad peccandum inducunt, & hortantur, ſed mali Angeli, vt communis Sanctorum Patrum ſententia tenet, hortantur, & inducunt omnes homines ad omnia genera peccatorum, ergo poſſunt contrahęre reatum, ſeu obligationem culpę, quod probatur per omnia nomina quæ Dęmones ſortiuntur ex ſacris litteris ob peculiaria vitia, ad quæ deputantur; nam Iob. 40. Lucifer, qui ad ſuperbiā incitat, Leuiathā, & Rex ſuper omnes filios ſuperbię nuncupatur. Dæmon qui inducit ad Auaritiam Matth. 6. & Lucæ 16. Mammona iniquitatis dicitur; Dæmon, qui interfecit ſeptem viros qui explendæ libidinis gratia ad Sarā accedebāt Aſmodeus vocabatur Tobiæ 3. qui Dæmon Oſeæ 4. ſpiritus fornicationum appellatur, & Matth. 10. 12. & Marci 3. & Lucæ 11. Dęmon inducens ad inuidiam Belzebub vocatur. Confirmatur, quia Diabolus ideſt tentator, & Sathan, quod eſt idem, quod calumniator, & ſeductor, & hominum aduerſarius dicitur, quod ſatis patet, nam cum acceſſiſſet

ad

Digitized by Google

ad tentandum Chriſtum Dominum his tribus nominibus nuncupatur ſcilicet Diabolus tentator, & Sathan.

8 Ex ſeptem vitijs capitalibus in Angelis malis non poteſt eſſe formaliter, & ſecundum affectum, niſi peccatum ſpirituale ex parte obiecti ſcilicet ſuperbia, & inuidia, nam natura ſpiritualis non afficitur, nec inclinatur niſi ad ea, quæ in ſpiritualibus rebus inueniri poſſunt, in quibus eatenus eſt peccatum, quatenus ſuperioris regula in tali affectu non ſeruatur, patet ex eorum definitione; nam ſuperbia eſt inordinatus appetitus propriæ excellentiæ; Inuidia eſt triſtitia de excellētia alterius, quatenus appræhenditur, vt diminutiua proprie excellentiæ, ergo cum Angelus poſſit inordinate appetere propriam excellentiam, & dolere de excellētia alterius, ſequitur eum formaliter poſſe peccare per ſuperbiam, & inuidiam; ſequitur ſecundo Auaritiam, luxuriam carnalem, gulam, iram, & accidiam, proprie & in rigore formaliter, & ſecundum affectum in Angelis reperiri non poſſe, quia eiuſmodi peccata proprie loquendo circa bona, vel mala temporalia exercentur, Angeli autem ſunt incorporei ergo; Dices iram conuenire Angelis, nam Apoc. 12. dicitur deſcendit ad nos Diabolus habēs iram magnam; Reſpondetur quod licet ira poſſit conuenire Angelo malo ideſt Diabolo magis tamen conuenit ſpirituali naturæ vnitæ corporali; appetere enim vindictā proprie eſt propter irrogationem iniuriæ; irrogatio vero iniuriæ per ſe fit creaturæ humanæ, & non Angelicæ; Nihilominus tamen, quia Diabolus exiſtimat, ſibi iniuriam fieri cum eripitur peccator ab eo, quem exiſtimat poſseſſionem ſuam, incidit in peccatum iræ appetendo vindictam, quod eſt formale in ira non tamen illi accidit accenſio ſanguinis circa cor, quod eſt materiale in ira, cuius materialis Diabolus nō eſt capax cum ſit incorporeus.

9 Angelus non peccauit primo ex errore, quia error eſt pœna peccati ſecundum D. Auguſtinum lib. 3. de libero arbitrio, at pœna non præcedit culpam, ergo primum peccatum non proceſſit ex errore, vel ſic peccati pœna, non eſt ante peccatum, ſed error eſt pœna peccati iuxta D. Auguſtinū citatum ergo. Sed nota, quod error practice loquendo poteſt dupliciter cōtingere vno modo ex habitu, vt in homine intemperato, qui propter prauum habitum inclinatur, vt iudicet hic, & nunc eſse bonum fornicari, alio modo poteſt naſci ex paſſione, vt in homine incontinente, qui ex paſſione iudicat eſse peccādum; Item Angelus primo non peccauit ex ignorantia, quia Angelus habitualiter nouit ante peccatum, quæ quantum ad finis naturalis, ac ſupernaturalis aſſecutionem erant neceſsaria; Item ignorantia, vel eſt voluntaria, vel inuoluntaria, ſi voluntaria iam peccatum, quod ex ea procedit non eſt primum; ſi inuoluntaria nō poteſt ex ea procedere peccatū; Itē Lucifer non ignorabat ſe debere eſse ſubiectū Deo, & ab illius Imperio pendere, ergo non peccauit ex ignorantia; ſed notandum eſt ad hoc clarius intelligendum ex Doctore ſubtili in 2. ſentent. diſt. 22. quod ignorantia contingit tribus modis, primo quod ignorantia præcedat ipſum peccatum ſic, quod ſi quis ſciret eſse peccatum, quod facit, non faceret, vt ſi quis vſuram cōmittat neſciens eſſe vſuram, vel vſuram non eſſe peccatum, & ſi ſciret non committeret; huiuſmodi ignorantia eſt cauſa peccati ſumpta cauſa pro occaſione, ſiue diſpoſitione, ad quam ſequitur peccatum, & dicitur ignorantia antecedēs; ſecundo quod ignorantia concomitetur peccatum, & eſt quando peccans non igno-

ignorat ſuum opus esse peccatū, ignorat tamen, quod tanta pęna ei debeatur, vel quod tanto bono peccator per illud priuetur, & ſic omnis peccans eſt ignorans, & talis ignorantia eſt concomitās. Tertio quod ignorātiam ſequatur peccatum quaſi pœna eius; ſicut cæcitas eſt pœna peccati, iuxta illud Sapientiæ 2. malitia excæcauit eos, & hæc ignorantia dicitur conſequens reſpectu peccati.

10 Angelus non peccauit ex inconſideratione, ſeu inaduertentia, qui in hoc par eſt ratio de Angelis, & de primis parentibus; Eus autem non peccauit ex inaduertentia, nam Diabolus ei prius propoſuit, cur præcepit vobis Deus &c. quod idem eſt dicendum de Adamo ex D. Auguſt. 14. de Ciuit. Dei, ergo idem dicendum eſt etiam de Angelis; ſecundo ſi ex inaduertentia peccaſset Angelus, tunc error anteceſſiſset in intellectu Angeli peccatum Angeli, quod reprobatum eſt præcedenti numero; adde quod ſi inaduertentia præcedente peccaſset Angelus, eius nō fuiſset tam graue peccatum; Item natura Angelica, adeo excellens eſt vt Angelus facillime potuerit circumſpicere omnia ad rem pertinentia, præſertim eo tempore, quo plurimum id ipsorum intererat, ergo non peccauit ex inconſideratione; Reſtat ergo, quod Angelus peccauerit ex electione ſciens, & prudens; Modus autem, per quem peccare potuit hic eſt, Angelus cognouit, & iudicauit bonum eſse diligere ſeipſum ſecundum rationis dictamen, & hoc oſtensum eſt tanquam verum bonum voluntati Angeli, & ſic Angelus dilexit se ipsum, in qua dilectione Angeli voluntas exceſſit rationis ordinem, & ſic plus debito ſeipſum dilexit; Nota hoc dignum ſcitu, quod non eſt neceſſariū, vt omne peccatum voluntatis procedat ex aliquo defectu intellectus, quia poteſt procedere ex sola libertate eligentis, & quamuis voluntas semper sequatur intellectum, quia scilicet non poteſt appetere aliquod obiectum, niſi proponatur illi ab intellectu ſub ratione boni, poteſt tamen fieri, vt intellectus proponat voluntati diſtincta obiecta, quorum vnum ſit honeſtum, alterum vtile, & tertium delectabile, vt in his proponendis ac iudicandis nullus ſit defectus intellectus ex parte intellectus, & tamē voluntas erret in eligendo, quia ſcilicet eligit bonum delectabile, & relinquit bonum honeſtum.

11 Oſtenſum eſt in præcedenti articulo, & probatum Angelos bonos in primo inſtanti ſuæ creationis potuiſse habere ſuam beatitudinem ſupernaturalem, quia tunc erant ita bene illius capaces, ſicut in ſequentibus inſtantibus, & Deus poterat illis illam conferre, ergo poterant tunc eſse beati; Hic autem additur Angelos malos ab inſtāti ſuæ creationis potuiſse habere malū pœnæ, & miſeriæ, & ſupplicium illud æternum, quod poſt peccatum, & propter peccatum habuerunt, & habent, nam hoc pendet ex mera voluntate Dei, & illius eſt capax illa natura, nec officit dicere, quod Deus potuiſset eſſe iniuſtus infligendo pœnam ſine demerito, nam D. Auguſtinus 3. de libero arbitrio inquit ſi Deus ab initio feciſset hominem in pœna non esset propter hoc vituperandus Deus, nec iniustus, sed ſi ab initio non fuisset in pœna, & postea eum fecisset in pœna ſine suo demerito eſset vituperandus; Quod etiam in primo inſtanti potuerint mereri ab omnibus conceditur. Tota difficultas eſt de malo culpæ an ſcilicet Angelus potuerit in inſtanti ſuæ creationis peccare, & eſse miſer miseria culpæ, in qua re dubia sunt duæ opiniones oppoſitæ prima negatiua, altera affirmatiua; negatiua est D. Thomæ p.p. q.63. art. 5. & ſuorum Diſcipulorum Diui Bonauenturæ

Alen;

Digitized by Google

Alenſis, & aliorum; & probatur primo Angelus non poterat habere primum velle à ſe, ergo Angelus nõ potuit peccare in primo inſtanti ſuæ creationis, conſequentia patet, quia nemo poteſt peccare per velle alterius, quia peccatũ eſt voluntarium, ideo eſt per velle peccantis; antecedens probatur per D. Anſelmum de Caſu Diaboli Cap.13. ſic arguentem. Si Angelus habet primum velle à ſe, vel illud habet nolens, vel volens, ſi volens ergo habuit velle aliquod ante illud, & ſic illud non fuit primum velle, ſi etiam nolens idem ſequitur, quia ante illud nolle habuit velle quia nolle præſupponit velle; & illud, quod ponitur primum nolle non eſt primum, ſed illud velle.

12 Probatur ſecundo in primo inſtanti Angelus non fuit liber, ergo non potuit peccare, quia ad peccatum requiritur libertas antecedens probatur, quia ſi in primo inſtanti fuit liber, & potuit peccare, vel hæc potentia fuit in ipſo Angelo ante actum peccati, vel cũ ipſo actu peccati, non primum quia ante primum inſtans non fuit in Angelo potentia peccandi, vel non peccandi quia non erat; neque ſecundum in illo inſtanti, quo peccauit non potuit non peccare, ergo non fuit liber. Probatur tertio motus naturalis voluntatis Angeli fuit rectiſſimus, ergo etiam actus liber eiuſdem voluntatis in primo inſtanti fuit rectiſſimus, ergo in primo inſtanti non potuit peccare; antecedens primum patet, quia eius natura à Deo creata fuit rectiſſima, prima conſequentia probatur, quia actus primus liber voluntatis ſequitur actum naturalem eiuſdem ſecunda conſequentia eſt euidens. Probatur quarto nullus poteſt peccare, niſi ſit debitor iuſtitiæ, ſed in primo inſtanti Angelus non fuit debitor iuſtitiæ, ergo non potuit peccare; maior probatur, quia iuſtitia, & peccatum ſunt ſicut habitus, & priuatio, ſicut ergo nemo poteſt ammittere habitum, niſi qui habet habitum; ita nemo poteſt peccare, & amittere iuſtitiam, niſi qui habet iuſtitia. Probatur quinto ex Alexando Alẽſ ſic, quando duę mutationes ſic ſe habẽt, quod terminus ad quem vnius eſt terminus à quo alterius, illæ mutationes non poſſunt eſſe in eodem inſtanti, ſed ſic eſt, quod creatio, & peccare ſunt duę mutationes eiuſmodi, quod terminus ad quem creationis eſt terminus à quo actionis peccare, neceſſe enim eſt Angelum prius creari in eſſe, deinde actionem peccandi habere; Probatur ſexto actio creature non poteſt eſſe in inſtanti ex 6. Phyſicor. textu 29. & 60. ergo Angelus non potuit peccare in inſtanti; antecedens patet, quia maior virtus virtute creaturæ poſſet agere in minori, quam in inſtanti; ſic arguit ibi Ariſtot. Probatur ſeptimo ex D. Thoma ſi Angelus peccare potuiſſet in primo inſtanti creationis ſequeretur illud peccatum fuiſſe à Deo, quod eſt impium dicere nedum falſum eſt, ergo &c. conſequẽtia probatur, omnis operatio, quæ incipit cum eſſe rei eſt effectiue à cauſa efficiente rem in eſse, at operatio illa peccaminoſa Angeli in primo inſtanti incepit cum eſse ipſius Angeli fuit enim in primo inſtanti durationis, quo Angelus incepit eſſe, ergo illa operatio Angeli peccantis eſset à Deo factore ipſius Angeli.

13 Opinio affirmatiua eſt Scoti in 2 diſt. 5. q 1. & Diſcipulorum eius, Molinæ, Valentiæ, & aliorum, quæ ſic probari poteſt Angelus in primo inſtanti habuit omnia, quæ requiri poſsunt ad peccandum, ergo potuit peccare, conſequentia patet. Probatur antecedens, quia habuit intellectum, quo cognoſcebat bonitatem, & malitiam obiectorum, perfectum vſum rationis, perfectã libertatem cum contingentia, vt eligerat,

ret, quod vellet, habebat concurſum Dei paratum, carebat impedimento intrinſeco, & extrinſeco; Item erat defectibilis, ergo habuit omnia requiſita ad peccandum; Confirmatur, quia his de cauſis peccauit, aut ſaltem peccare potuit in ſecundo inſtanti aut alio poſteriori, ergo etiam in primo; Probatur ſecundo Angelus in primo inſtanti potuit mereri etiam ſecundum D. Thomam, quia de facto meruit eliciens actū Charitatis erga Deum, qui fuit meritorius vitæ æternæ, ergo in eodem primo inſtanti potuit peccare, quia libertas, quæ ſufficit ad merendum, ſufficit etiam ad peccandum, immo plus requiritur ad meritum, quam ad demeritum, ſi quidem mereri eſt quoddam bonum, & perfectum ex integra cauſa reſultās; demereri autem eſt malum reſultans ex quolibet defectu; Quod ſi afferatur inſtantia de Chriſto, qui potuit mereri, & non peccare; hæc inſtantia nulla eſt inquit Scotus; Etenim in Chriſto quoque vtraque fuit potentia merendi, & demerendi, licet hęc ſolum fuerit remota non proxima ex ſpeciali diſpenſatione, eo quod Chriſtus fuerit ſimul viator, & beatus quod de Angelis dici non poteſt.

14 Ad primum argumentum oppoſitæ ſententiæ poſitum ſupra in fine numeri 11. reſpondetur non valere, quia antecedens primum eſt falſum, voluntas enim poteſt habere à ſe primum ſuū velle ſicut ſecundum, & tertium, ad probationem dicitur, quod ſi concluderet ſequeretur dari proceſsum in infinitum in velle; nam quæro à quo Angelus habuit primum velle ſi dicas à ſe habeo intentum; ſi dicas ab alio velle; Iterum quæro de illo alio velle, & ſic in infinitum; Ad Anſelmum reſpondetur, quod finxit vnum Angelum qui eſſet eſsentia nuda ſine voluntate, & actu primo velendi; De hoc autem eſt veriſſimum, quod non potuit habere primum velle à ſe, quia quod non habet actum primum non poteſt habere actū ſecundum ab eo progredientem; Ille Angelus fingitur ſiue voluntate, ergo non poteſt habere velle à ſe ſic nudo; Ad ſecundum reſpondetur, quod non eſt neceſse, vt ſemper cauſa tempore præcedat effectum & operationē; ſufficit, quod ſit prior natura, in illo autem priori naturæ cauſat, vel contingenter, vel neceſſario ſecundum quod ipſa eſt cauſa libera, vel neceſſaria; Vnde ad formam argumenti; Cum ait ſi potuit peccare, vel potētia ante actum, vel cum actu, reſpondetur potentia ante actum anterioritate naturę non temporis; Ad tertiū reſpōdetur, quod natura Angeli ſemper manſit rectiſſima, tam in primo inſtanti, quam in alijs ſequentibus, ſecundum enim D. Dionyſium naturalia in Dæmonibus remanſerunt ſplendidiſſima, & tamen videmus, quod actus liberi Angelorum fuerunt mali; eſt ergo dicendum quod licet in primo inſtanti natura Angeli fuerit rectiſſima tamen potuit eſſe obliquitas in actu libero eiuſdem voluntatis; Ad quartum reſpondetur maiorem eſſe falſam, tàm de iuſtitia infuſa, quam de aquiſita; De infuſa quia ſi ſolum ille peccare poſſet, qui habet iuſtitiam, ſequeretur eum, qui ſemel per vnum peccatum amiſit iuſtitiam, & qui eam nunquam habuit non poſſe amplius peccare, quod eſt abſurdum; De aquiſita etiā quia ille qui nunquam fuit iuſtus moraliter, nec habuit iuſtitiam moralem non poſſe peccare mortaliter, quod pariter eſt abſurdum; Ideo igitur Angelus potuit peccare in inſtanti ſuæ Creationis, quia habens potentiam naturalem potentem moderari voluntatem, ne aliquid velit contra iuſtitiam, & rectitudinem naturalem, & tunc potuit non moderari, ergo potuit peccare; Hæc

au-

Digitized by Google

autem potentiæ naturalis eſt ipſa libertas, & eſsentia voluntatis Angelicæ.

15 Ad quintũ reſpondetur falſam eſſe maiorẽ ſi vniuerſaliteraccipiatur poſſunt enim duæ tales mutationes fieri in eodem inſtanti temporis ſufficit ſolum, quod vna pręcedat alteram tantũ prioritate naturæ exempli gratia in eodem inſtanti temporis Luna accipit lumẽ à Sole, & illuminat partes medij; Itẽ in eodem ſtanti temporis in quo creatum fuit corpus luminoſum illuminauit aerem,& in eodem inſtanti temporis ſunt ſimul ſubiectum, & propria paſſio eius, in omnibus igitur prædictis, & ſimilibus mutationibus ſufficit prioritas naturæ; Vera eſt autem illa maior ſolum in aliquibus mutationibus ſucceſſiuis quæ fiunt in tempore, & inter eas intercedit tempus; ſed pro alenſi vrget Scotus, omnis mutatio, ſiue motus eſt tranſitus à priuatione ad habitum vel è conuerſo vt patet, at nihil in eodem inſtanti poteſt eſse ſub priuatione & habitu, ergo nihil mutari poteſt in inſtanti; Tunc vlterius ſubſumit at peccare eſt mutatio quia eſt tranſitus à gratia ad priuationem gratiæ, vt patet ergo; Reſpondet Scotus, quod peccatum, ſiue peccare in primo inſtanti non eſt proprie mutari nec mutatio, quia non eſt tranſitus à gratia ad priuationem gratiæ, quia Angelus ante primum inſtans creationis non habuit gratiam; quia nec habuit eſſe, ergo cum peccauerit in primo inſtanti, non tranſiuit ab habitu ad priuationem, ſed ſolum aquiſiuit priuationem illius habitus, quem habere poterat, & debebat; ideo illa actio non fuit proprie mutatio; fuit ſolum paſſio de genere paſſionis; ſicut animatio in corpore non eſt mutatio in Anima, quia tempore non exiſtit ante animationem. Ad ſextum reſpondetur,quod ratio valet in menſura diuiſibili, vt eſt tempus in qua poteſt fieri exceſſus, non autem in menſura indiuiſibili, in qua non poteſt fieri exceſſus,cuius modi eſt inſtãs; non valet ergo conſequentia, ſi virtus minor creata agit in inſtãti virtus maior & infinita agat in minori menſura, quia non datur minor menſura, ſi tamen daretur poſſet agere in minori, quam ſit inſtans; ratio autem Ariſt. valet,quia ipſe loquitur in motu, qui neceſſario fit in tempore, quod eſt menſura diuiſibilis. Vnde ſi quis mouere poſſet in inſtanti motu proprie, neceſsario inſtans eſset diuiſibile, qui motus proprie eſt ſucceſſiuus,ergo debet habere menſuram ſucceſſiuam.

16 Ad ſeptimum D.Thomę reſpondetur Angelum in primo inſtanti ſuæ creationis potuiſſe peccare, & quidem per proprium actum ſuæ voluntatis, & cum infertur, ergo fuiſſet à Deo illud peccatum,negatur; cum probatur illud peccatum incepit eſſe cum eſſe Angeli, ergo à quo effectiue Angelus habuit eſſe, ab eodem habuit eſſe & peccatum, ſed Angelus habuit eſſe à Deo,ergo etiã peccatum; Reſpondetur duo eſſe in peccato materiale & formale; materiale eſt actus realis voluntatis Angelicæ,qui actus, cum ſit effectus realis, habet verã cauſam realem, & quidem duplicem, vniuerſalem ſcilicet, quæ eſt Deus ipſe, & particularem,quæ eſt ipſemet Angelus, vel voluntas; Formale vero in quo conſiſtit verum eſse peccati eſt priuatio rectitudinis, quæ deberet in eſſe actui huiuſmodi Angelicæ voluntatis; quod formale cum ſit pura priuatio non habet rationem entis, ſed potius defectus entis, vnde non requirit cauſam efficientem, ſed potius deficientem; Deus autem non eſt cauſa deficiens,ſed efficiẽs, ergo dato, quod peccaſſet Angelus in primo inſtanti creationis peccatum non eſſet à Deo; Item ſi prædictum argumentum D. Thomæ aliquid valeret

Digitized by Google

Concluderet etiam de alijs peccatis non ſolum Angelorum, ſed etiam hominum in poſterioribus inſtantibus, & temporibus, quæ peccata pendent à Deo, ſicut peccatum Angelicum in primo inſtanti creationis, & tamen alia peccata non ſunt à Deo, neque defectus peccandi attribuitur Deo, confirmat totum hoc intentum D. Auguſtinus de Ciuit. Dei Cap. 13. vbi dicit, quod illi, qui aſſerunt Angelos à principio fuiſſe malos non ſentiunt cum Manicheis, qui dicebant illud peccatum ſic perpetratum ab Angelis in primo inſtanti fuiſſe à Deo malo.

17 Quiſnam vero de facto fuerit primus actus inordinatus Angeli mali in ſua auerſione, notandum pro clara dubij reſolutione, iuxta Doctrinam Scoti duplicem eſſe actum voluntatis vnus dicitur velle, quo voluntas acceptat obiectum conueniens, alius dicitur nolle, quo reicit obiectum diſconueniens; Item velle eſt duplex alterum amicitiæ, quod eſt reſpectu obiecti, cui volumus bonum, aliud concupiſcentiæ, quod eſt reſpectu boni, quod volumus alicui; inter hos actus eſt ordo, quoniã nolle præſupponit velle, & omne nolle inordinatũ præſupponit velle inordinatũ; & omne velle concupiſcentiæ præſupponit velle amicitiæ, Vnde inter omnes actus voluntatis velle amicitiæ eſt primum; ſecundo notandum eſt duplicem eſſe affectionem voluntatis creatæ, altera eſt affectio commodi; quæ eſt inclinatio naturalis voluntatis; altera eſt affectio iuſtitiæ, quæ eſt libertas voluntatis; Hinc ſecudum Anſelmum omnis actus elicitus voluntatis, aut elicitur ſecundum affectionem iuſtitiæ; aut ſecundum affectionem commodi; Quibus obſeruatis, & prænotatis ponuntur duę concluſiones. Quarum prima eſt iſta, quod actus primi inordinatus Angeli mali fuit velle amicitiæ, quo ſe ipſum dilexit, adeo vt neglexerit Dei conſilium, & præceptum, probatur auctoritate D. Auguſtini lib. 14. de Ciuit. Dei vbi ait, quod duo amores fecerunt duas Ciuitates, Ciuitatem Dei amor Dei vſque ad contemptum ſui; & Ciuitatem Diaboli amor ſui vſque ad contemptũ Dei, & ſi non formalem ſaltem interpretatiuum.

18 Secunda concluſio; ſecundus actus inordinatus fuit actus concupiſcentiæ quo concupiuit primo beatitudinem affectione commodi immoderate tanquam ſummum delectabile ſibi conueniens, probatur ſic primum peccatum in concupiſcendo fuit aliquod velle; aut igitur Angelus concupiuit aliquid amore honeſti, vel vtilis, vel delectabilis non primum, quia tunc non peccaſſet nec ſecundum quia amor vtilis non eſt primus amor, ergo peccauit concupiſcendo aliquid exceſſiue tanquam delectabile ſummum; ſummum autem delectabile eſt ipſa beatitudo; ſi arguatur, quod Beatitudo ab omnibus appetitur per D. Auguſtinum 14. de Trinit. ergo in tali appetitu non eſt peccatum; Reſpondetur, quod voluntas poſſit immoderate velle beatitudinem tripliciter contingere poteſt, primo quantum ad intenſionem expetendo eam intenſius, & maiori conatu, quam par ſit, & ſibi conueniat, ſecundo quantum ad accelerationem volendo beatitudinem citius quam competat, tertio quoad cauſam ſcilicet volendo eam aliter, quam ſibi conueniat, vtpotè ſine meritis; Ad propoſitum applicando dicitur, quod veriſimile eſt Luciferum deliquiſſe aliquo prædictorum modorum, vel primo plus appetendo beatitudinem in quantum eſt bonum ſibi, quam amando illud bonum in ſe; vel ſecundo modo potuit appetere habere eam ſtatim, cum tamen Deus nollet eã dare, niſi poſt morulam, vel moruas

vel ...

Digitized by Google

viæ, vel tertio modo appetendo eam habere ex naturalibus, & non per gratiam, & per merita; ſi obijciatur, quod boni Angeli appetebant beatitudinem ordinare primo tanta intenſione quanta conueniebat, & tempore à Deo præſcripto, & ex meritis, ob quæ Deus eam dare ſtatuerat, ideo non peccauerunt, ergo nec Angeli mali; reſpondetur negando conſequentiam quia aliter boni, & aliter mali appetierũt beatitudinem, vt ex dictis patet: ideo non illi, ſed iſti peccarunt.

19 Ex dictis num. 17. colligitur ſecundum Doctrinam Scoti primum peccatum Angeli non fuiſse ſuperbiam, ſicut ſenſerunt Magiſter in 2. diſt. 6. D. Thomas p. p. q. 63. art. 2. Alexander Alenſis 2. p. q. 98. membr. 2. D Bonau. in 2. d. 5. art. 1. q. 1. Richardus, & omnes ferè Scholaſtici, ſed fuiſse immoderatam complacentiam, ſui peccatum autem ſuperbiæ non eſt immoderata complacentia, & amor ſui, ſed immoderatus appetitus excellentiæ; immoderata autem excellentia ſui non eſt idẽ quod immoderatus amor ſui, ergo primum peccatum Angeli non fuit ſuperbia, probatur maior, quia nemo poteſt appetere excellentiam inordinate, & immoderate, niſi amet ſe immoderate, ergo primum peccatum mali Angeli fuit amare ſe immoderate; amare autem ſe immoderate, & amare proximum immoderate videtur eſſe eiuſdem rationis, amare vero proximum immoderate non dicitur peccatum ſuperbiæ, formaliter ergo neque ex immoderato amore ſui dicitur quis ſuperbus; minor patet ex definitione ſuperbiæ communiter accepta, & eſt D. Thomæ 2. 2. q. 162. art. 1. ad 2. Præterea ſuperbia formaliter eſt appetitus propriæ excellentiæ reſpectu aliorum, tanquam Dominus, ita quod importat relationem excellentiæ ſuper alios, ſed primum peccatum Angeli non potuit eſſe huiuſmodi appetitus excellentiæ in relatione ad aliud, niſi præcedat nimia dilectio ſui ipſius, in qua fundatur relatio ad aliud ſuo modo, ergo primum peccatum Angeli non fuit ſuperbia, ſed nimius amor ſui, quem poſtea ſequuta eſt Luxuria non carnalis, & corporalis, cuius Angelus eſt incapax, cum ſit incorporeus, & ſpiritualis, quæ eſt nimia, & inordinata delectatio in ſcientia, & perfectione intellectus, deinde ſuperbia, & alia peccata ſpiritualia.

20 Angelus malus appetijt diuinam ſimilitudinem iuxta illud Iſaiæ 14 ſimilis ero altiſſimo, & Ezechielis 28. dixiſti in corde tuo Deus ego ſum; ſed dices appetere ſimilitudinem eſt appetere bonum iuxta illud 1. Ioan. Cap. 3. cum apparuerit ſimiles ei erimus; Reſpondetur, quod ſimilitudo eſt quadruplex ſcilicet naturæ, gratiæ, gloriæ, & æquiparantię appetendo aliquam trium priorum ſimilitudinum eo modo, quo debet, vel congruit appeti, non eſt peccatum, appetẽdo vero quartam eſt peccatum in creatura; Ideo Lucifer elatus contemplatione ſuæ perfectionis appetijt æquiparari Deo, & eximi ab omni Dei imperio, probatur per Diu. Auguſtinum in pſalmum 70. vbi ait; hoc Diabolus fecit, imitari Deum voluit, ſed peruerſe, non eſse ſub illius poteſtate, ſed habere poteſtatem contra illum. Idem dicit D. Anſelmus in lib. de caſu Diaboli Cap. 4. & D. Thomas lib. 3. contra Gentes Cap. 109. Item Lucifer inuidit Deo, & doluit de bono, & poteſtate eius, eo quia illo inuito vtatur imperio ſuo in eum, & ſequaces, & deprimat appetitũ illius exemptionis, hoc colligitur ex illo ſecundæ ſapientiæ inuidia Diaboli mors intrauit in orbem terrarum; Diu. Baſilius hom. quod Deus non eſt auctor malorum, & D. Bernardus ſerm. 2. de Ad-

uen-

Digitized by Google

dentu aſserunt Luciferum cecidiſse de Cœlo propter ſuperbiam, & inuidiam, & talia peccata comiſiſte, dum eſset in via.

21 Diſputant Scholaſtici, an Angelus potuerit appetere æqualitatem Dei; Scotus affirmat, pro cuius ſententiæ intelligentia nota ſequentia ex Doctrina eiusdem; primum eſt, quod duplex eſt notitia, vna appræhenſiua tantum vnius alicuius propoſitionis, vt eſt notitia iſtius propoſitionis bonum eſt habere ſanitatem, altera iudicatiua, quæ etiam practica nominatur, quia dictat de medijs ad aliquem finem conſequendum, ita quod duas ſaltem notitias quodamodo includit alteram finis, & aliam mediorum; circa quas iudicium profert; ſecundum notandum, quod actus voluntatis eſt duplex vnus dicitur ſimplex, qui alio nomine efficax nuncupatur; alter eſt condicionatus, qui dicitur actus complacentiæ; Volitione ſimplici, & efficaci, quę poſſibilia ſunt tantũ velle poſſumus, volitione vero condicionata, ſeu complacentiæ etiam impoſſibilia; Vnde inter has duas volitiones hoc diſcrimen intercedit, quod efficaciter volita obtineri poſſunt, & ideo media ad ea aſſequenda applicãtur; volita autem ſub condicione plerumque non obtinentur; & ideo ad ea habenda media non adhibentur, ſed ſolum illa volumus ſi eſſet poſſibile, quod eſt velle ſub condicione; tertium notandum, quod electio eſt duplex, vna dicitur electio inefficax; quæ ſimplicem intellectus appræhenſionem præſupponit, altera vero eſt voluntatis electio efficax, quæ non habetur niſi de re poſſibili, prima dicitur inefficax, quia non apponuntur media ad conſequendum id, quod eligitur, ſecũda dicitur efficax, quia iudicium practicum ad inueſtigãda media præſupponit, prima eſt impoſſibilium, ſecunda non eſt impoſſibilium; quid ſit volitio, & quid ſit electio alibi videndum eſt ſatis eſt hic dicere, quod omnis electio eſt volitio, ſed non è contra omnis volitio non eſt electio.

22 Angelus volitione ſimplici, & efficaci nõ potuit per ſe appetere æqualitatem Dei per naturam, quia voluntas volitione efficaci, & abſoluta mouetur ad illud bonum, in quo ſperat ſe poſſe quieſcere; ſed in eo, quod oſtenditur ſibi, vt impoſſibile non ſperat ſe poſſe quieſcere, ergo in illud, quod eſt ſimpliciter impoſſibile, & vt tale oſtenditur, non poteſt voluntas efficaciter moueri, ſed æqualitas Dei per naturam eſt Angelo ſimpliciter, impoſſibilis, ergo non potuit Angelus illam ſimplici, & efficaci volitione appetere; potuit tamen appetere ęqualitatem Dei volitione condicionata, & inefficaci, quia ita eſt impoſſibile Deum non exiſtere, ſicuti eſt impoſſibile creaturam eſſe Deo æqualem in natura; damnati appetunt de facto inefficaciter, & ſub condicione Deum non eſſe, ergo ſub eadem condicione potuit Angelus Deo ſe æqualem deſiderare; Præterea ſi Angelus non poſſet æqualitatem Dei appetere, nulla ratio eſſet, niſi quia eſt ſibi impoſſibilis, ſed hæc non obſtat, quia ex Ariſt. 3. Ethic. Voluntas eſt impoſſibilium, ergo Angelus potuit ſub condicione, & inefficaciter appetere ęqualitatem Dei. Item ex D. Auguſtino lib. 83. qq. q. 30. voluntas creata poteſt vti fruendis, & frui vtendis; Infertur ergo voluntatẽ creatã poſſe frui ſe ipſa, at non poteſt frui niſi ſummo, ergo poteſt concupiſcere ſibi tantum bonum quantum requiritur, vt ſit obiectum fruitionis, illud eſt ſummum bonum, ergo poteſt concupiſcere ſummum bonum, hoc autem eſt æqualitas, ergo poteſt appetere æqualitatem Dei.

23 Fuerunt nonnulli, qui aſſeruerunt

Dia

Digitized by Google

Diabolum appetijſſe vnionem hypoſtaticam cum Verbo Diuino ſic Viguerius in Inſtit. Theologicis Cap. 3. Ambroſius Catharinus in opuſc. de gloria bonorum Angelorum, & lapſu malorum. Gullielmus Pariſienſis lib. 2. de vniuerſo. Dionyſius Cartuſ. in 2. ſent. diſt. 5. Robertus Abbas in illud Ioan. 8. ille homicida erat ab initio; & alij nixi cuidam fundamento, videlicet Angelum à principio cognouiſſe myſterium Incarnationis Dominicæ per fidem, & inde ſumptam fuiſſe occaſionem ſuperbiæ, & inuidiæ. Id asſerere videtur D. Bernardus ſerm. 14. ſuper Cantica; & quod Lucifer in diuino lumine præuidit tantam Dei eſſe benignitatem, quod aliquam creaturam rationalem Deus aſſumpturus eſset in ſuæ perſonæ vnitatem; Videnſque Lucifer ſuę naturæ decorem, & poteſtatem, & poteſtate propria delectatus æqualitatem Dei concupiuit nulli volens ſubeſse, & ceteris pręſidere, probant ex illo Iſaiæ 14. in Cœlum conſcendam ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum; Hoc non eſt intelligendum inquiunt de aſsenſu in Cœlum materiali, & ſuper aſtra materialia, ſed de aſcenſu ad vnionem hypoſtaticam, quam concupiuit; Verum hæc ſententia neque auctoritate veterum Patrum, neque efficaciſſima ratione videtur ſatis confirmari poſſe, neque Theologis placet præſertim illis qui ſuſtinent primũ peccatum Angeli fuiſse ſuperbiam non inuidiam; Quæ omnia quo ad primitatem vix poſsunt habere aliquam efficacem probationem.

24 Peccauit Angelus primus primo mortaliter, cuius peccatum fuit cauſa peccati in alijs Angelis per occaſionem non per neceſſitatem, quia nec minores Angeli peccauerunt errore inaduertentia, aut inconſideratione, ſed ex pura malitia, & ſequaces prauitatis facti ex libera electione poterant ſequi, vel non ſequi ſuggeſtionem primi Angeli. Vnde, & illi appetierunt æqualitatem Dei, volentes Deo æquari in hoc, quod ſine meritis, & obſequio voluerunt ex ſe eſſe beati in æternum, quod ſolius Dei eſt proprium, eo vel maxime quia eodem genere peccati dicuntur peccaſse Lucifer, & inferiores Angeli adhærentes ei, ſed ille peccauit appetendo æqualitatem Dei; Item ille peccauit ſuperbiendo, ita & illi. Sed dices quomodo peccauerunt ſuperbiendo, ſi auerſi à ſuperiore, ideſt à Deo voluerunt potius ſub eſse inferiori, ideſt Lucifero? Reſpondet D. Bonauentura, quod inferiores Angeli non concupierunt ſubeſse Lucifero, ſed ſub eius dominio, ſiue ſeruitio, aut miniſterio requieſcere. Hinc Richardus obſeruat, quod velle ſubeſſe minori, pluſquam maiori, vt ſubiectus minori magis poſſit eſse propriæ voluntatis, quam maiori eſt ſuperbia, & hac intentione, vel ſimili minores Angeli Lucifero conſentientes ſibi potius, quam ſuperiori Deo ſubeſse voluerunt, cui annuit D. Auguſtinus 12. de Ciuit. Dei Cap. 1. vbi ait de Dæmonibus, dicens mali Angeli ſua poteſtate delectati, vel vt bonum ſuum ſibi eſsent à ſuperiori bono deflexerunt.

De Perfectionibus Angelorum, partim naturalibus, partim ſupernaturalibus. Cap. V.

De ſalutari bonorum Angelorum miniſterio erga homines. Art. I.

1 Conſolatoria, & iocunda offertur nobis materia pertractanda; nimirum de cura, & cuſtodia, quam exhi-

exhibent Angeli circa hominem; & inprimis aſſerendum eſt eſse de fide Angelos mitti à Deo in noſtrum Miniſterium, quandoquidem ex multis ſacræ ſcripturæ locis colligitur immo expreſſe habetur Exodi 23. Ecce ego mitto Angelum meum &c. & Pſalm. 32. miſit Dominus Angelum ſuum,& alibi ſępe; probatur actio, quam Angelus miſſus exercet, est à Deo, vt imperante, & propter Deum, vt vltimum finem, ergo Angelus habet ſe, vt inſtrumentum, ergo vt miniſter, ergo Miniſteria ſunt actiones, & functiones Angelorum, & proinde ipſi in miniſterium mittuntur; & quidem ſolus Deus authoritatiue, & principaliter Angelos mittit, quia quocumque Angelus mittatur, refertur ad authoritatem diuinam, tāquam ad cauſam primam,& principalem,cui ſoli Angelus principaliter ſubijcitur, ſicuti ab ipſa ſola accipit totum eſſe, & potiſſimum dependet. Conceditur tamen vnum Angelum mittere alium Angelum ſecundariò, probatur per illud Zachariæ 2. vbi dicitur Angelus, qui loquebatur in me egrediebatur, & alius Angelus egrediebatur in occurſum eius, & dixit ad eū curre, & loquere ad puerum iſtum dicens, abſque muro &c. Valde probab le eſt ex omnibus ordinibus, & Hierarchijs mitti ad nos Angelos; & res noſtras curare, & hoc eſt magis conforme ſacris litteris, & Sanctis Patribus. Sane D. Paulus aperte videtur hoc docere Hæbreorum 1. his verbis, Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis; hic non diſtinguit Apoſtolus inter aſſiſtentes, & miniſtrantes, nec inter inferiores, & ſuperiores ordines, ſed abſolute affirmat omnes eſſe adminiſtratorios ſpiritus, omnes mitti in ſalutē electorum, nec deſunt alia loca ſacrę ſcripturæ de ſuperioribus ordinibus; de quibus eſt maior difficultas Gen. 3. collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & *Iſaiæ* 6. volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius &c.

2 Dices miniſtrare est inferioris naturæ, ſed Angeli ſunt ſuperiores nobis, ergo non mittuntur in Miniſterium noſtrum; Reſpondetur, quod Angeli non miniſtrant nobis principaliter, ſed ſecundario, ex qua miniſtratione non ſunt proprie inferiores nobis, ſicut nec Miniſtri Regis ſunt inferiores omnibus, quibus miniſtrant in aula Regis, qui id non faciunt ad imperium eorum, ſed ad imperium Regis; Inſtabis, quod Deus poteſt per ſe facere non indiget nuncium mittere. Reſpondetur, quod non valet, quia multa poteſt ille, qui præeſt, per ſe facere, quæ tamen iniungit ſeruo, vel nuncio, vt ſaluetur in miniſterio decens, & congruus ordo, alias ſuperfluerent omnes cauſæ ſecundæ efficientes, cum Deus per ſe ſolum poſſit omnes effectus ſecundarum cauſarum cauſare; Vrgebis, quod filius, & Spiritus Sanctus cum ſint noſtri Paracliti, & aduocati apud Patrem ſufficienter procurant ſalutem noſtram, ergo ſuperfluit miſſio Angelorum; Reſpondetur, quod Angeli ad nos mittuntur non propter indigentiam, & inſufficientiam procurationis ſalutis noſtræ ex parte filij, & Spiritus Sancti, ſed propter negligentiā cooperationis ex parte noſtra, & noſtri liberi arbitrij; quod cum ſit pigrum, & non bene gratiæ cooperetur indiget multiplici adiutorio excitante, & roborante contra tentatoris inſidias defendente.

3 Plures aſſignari poſſunt cauſæ, propter quas congruum ſit Angelos mitti ad miniſterium hominum; ſed quattuor ſunt potiſſimæ, quarum prima ſumitur ex parte Dei, vt ſcilicet manifeſtetur diuina potentia diuina ſapiētia, & diuina bonitas; potentia quidem

quæ

quę operatur per tam excellentes creaturas, quales ſunt Angeli; ſapientia, quæ tam ordinate gubernat mundum, vt inferiora reducat ad ſuperiora, & nos ad ſe ipſum per Angelos, bonitas vero, & dilectio erga nos, qui nobiliſſimos ſpiritus deputat ad obſequium noſtrum; ſecunda cauſa deſumitur ex parte Angelorum, nam cum debeamus eſſe Ciues vnius, & eiuſdem Ciuitatis conſentaneum eſt, quod nos inuicem diligamus, & quod nos inuicem iuuemur, igitur, vt manifeſtetur eorum dilectio ad nos, & etiam propter eorum merita, quia in hoc ſaltem merentur præmium accidentale, ęquum eſt, vt deputentur in miniſteriam noſtrum; tertia cauſa accipitur ex parte noſtra, quia cum habeamus bellum, & colluctationem aduerſus Principes, & poteſtates, & aduerſus Rectores tenebrarum harum, & aduerſus nequitias, quæ ſunt nobis inuiſibiles, quibus reſiſtere non valemus, niſi boni Angeli nobis auxilium præbeant, ideo congruum eſt eos ad nos mitti, & ad noſtram cuſtodiam deputari; quarta cauſa ſumitur ex parte creaturarum, quæ ne ſint otioſæ Deus vult ſuam dignitatem communicare illis, & infima reducere in ſuprema per media miniſterio Angelorum, quo ſumme decorantur; In qua adminiſtratione Angeli nullatenus retardantur à contemplatione diuina, iuxta illud Matthęi 18. Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, & D. Gegorij 2. Moralium dicentis Angeli non ſic foris exeunt, vt internæ contemplationis gaudio priuentur; & ratio eſt, quia quando aliquid eſt ratio, & cauſa alicuius operis, & actus, non impedit illum actum, immo ſtat cum illo actu, vt ſi viſio Lucis eſt cauſa viſionis coloris, viſio lucis non impedit viſionem coloris, immo ſtant ſimul hæ duæ viſiones, ſic & in propoſito contemplatio Dei eſt ratio, & cauſa miniſteriorum, quæ exercent Angeli hic inferius, quia ſecundum quod contemplantur in Deo, & ſicut vident in illa arte diuina, ſic agunt hic inferius.

4 Probatur à ſimili, nam ſicut in Artifice conſideratio artis ex actione exteriori, quæ fit ſecundum illam artem non minuitur, ita etiam cum Deus finis ſit totius Angelici Miniſterij conſideratio vltimi finis, qui eſt Deus in Angelis ex actionibus exterioribus, quę ſunt ſecundum Regulas illius vltimi finis non minuitur; Quandoquidem miniſterium Angelorum ordinatur ad reducendos homines in Deum, & ex fine ſumitur ratio eorum, quæ ſunt ad finem; Hinc facilis oſtēditur ſolutio illius obiectionis, quæ fit contra doctrinam traditam numero primo, quod valde probabile eſt ex omnibus Hierarchijs, & ordinibus mitti ad nos Angelos; & obiectio eſt talis, ſi omnes Angeli etiam ſupremi ad nos mittuntur non poteſt ſaluari diſtinctio Angelorum in aſſiſtentes, & miniſtrantes quæ fundatur in Daniele Cap. 7. Reſpondetur optime ſaluari hanc diſtinctionem, ſi dicamus eos aſſiſtere, qui iuſſionem Dei expectant intenti, vt eant, quo miſſi fuerint; eos vero miniſtrare, qui iam actu ad aliquod miniſterium miſſi ſunt; Nihil enim aliud voluit ſignificare Daniel, quam quod eo tempore, quo ſuam habuit reuelationem multa Angelorum millia Deo aſtiterint, vt & ipſi expectarent iuſſionem Dei ad aliquid exequēdum; Vnde ſequitur non eſſe aliud diſcrimen inter aſſiſtentes, & miniſtrantes, quam quod hi actu miniſtrent, illi parati ſint miniſtrare, ita ſentit D. Athanaſius ſerm. 3. contra Arrianos, cum ait multi Archangeli, multi Throni, multæ Poteſtates, & Dominationes millies millia; & decies millia cētena millia miniſtrorum aſſiſtunt, & apparent qui ſe promptos offerunt vt emittantur, ſub intellige

ad miniſtrandum.

5 Angeli mali non mittuntur, quia qui mittitur ab alio procedit ab illo, vel ſecundum originem, vt filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & filio, & flos ab Arbore, vel ſecundum imperium vt ſeruus à Domino, vel ſecundum conſilium vt Rex à conſiliarijs, ſed Angeli mali non tendunt ad decipiendum ex Imperio diuino, neque ex conſilio, nec quocumque alio modo, ſed ex permiſſione diuina, ergo non dicuntur mitti, ſed permitti; Confirmatur, quia Iob. Cap. 1. non legitur fuiſſe Diabolum miſſum, ſed permiſſum vt flagellaret Iob, atque ita legitur ecce in manu tua eſt; & Lucæ 8. de Dæmonibus eiectis ab homine obſeſſo legitur, & rogabant eum, vt permitteret in porcos ingredi, & permiſit illis, ſic quoque præceptum, & iuſſio in diuinis litteris ſæpe pro permiſſione, & ordinatione diuina vſurpatur, nam Matth. 19. libellus repudij dicitur permiſſus, & Marci 10. præceptus, ſicut & illud Ioan: quod facis, fac citius, & alibi ſæpe, vbi enormiter impegit Caluinus dicens Deum eſſe Auctorem peccatorum de qua re alibi; ſimiliter dicendum Angelos malos Deo non aſſiſtere, quia aſſiſtere dicit præſentiam non quamcumque, ſed præſẽtiam obſequioſam, quod eſt contra intentionem Diaboli, & ideo magis dicendum eſt Diabolum non aſſiſtere, quam aſſiſtere, & cum legitur Iobi cum veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Domino adfuit inter eos, etiam Sathan, ergo Sathan aderat inter aſſiſtentes, & per conſequens aſſiſtebat; Reſpondetur, quod per accidens, & ſecundum quid fuit præſens, prout aliqua fecerat de genere bonorum, ipſe tamen ea agebat intentione mala, & ſic vere non aſſiſtit, quia non obſequioſe, ſed malitioſe.

6 Ex diuinis litteris colligitur Angelos mitti ad diuerſa officia, & miniſteria, quandoque enim mittuntur ad aſſiſtendum officijs, ſiue ſacrificijs noſtris ſcilicet orationum laudum, & potiſſimum ad Sacrificium Euchariſtichũ juxta illud pſal. 137. in conſpectu Angelorum pſallam tibi; & confirmatur per D. Gregorium de conſecr. diſt. 2. dicentem quis fidelium dubium habere poteſt in illa immolatione, ſcilicet Euchariſtiæ hora ad vocem ſacerdotis Cœlum aperiri Angelorum Choros adeſſe? Item quandoque mittuntur ad interpellandum, & impetrandum pro nobis offerendo preces, & opera noſtra Deo ſic Tobiæ 12. tertio mittuntur Angeli aliquando ad docendum, vel ad reuelandum aliquid, & illuminandum, interdum ad cuſtodiendum, quandoque ad malum cauendum, vel remouendum, quandoque ad puniendum homines bonos, & malos, quandoque mittuntur in morte iuſtorum ad comitandas eorum Animas ad Cœlum aſcendentes; Quidam circa hoc dixerunt Angelos circa homines exercere tantum actum illius doni, à quo denominantur vt Seraphim actum incendij Charitatis; Cherubim actum Lucis ſciẽtiæ, Throni actum iudicij, & determinationis iuſtitiæ, & ſic de alijs, adeo vt vnuſquiſque Angelus miſſus promptus ſit, & paratus exercere actum ſui doni, Gregorius vero Sanctus ait, ſic in illa ſuperna Ciuitate ſpecialia quædam ſint ſingulorum, vt tamen ſint omnium, & quod quiſque habet, hoc totum in alio poſſidet; omnes itaque Angeli ad omnia officia ſunt prompti, aliqui vero ad quædam peculiariter, & appropriate ſunt deputati.

7 Miſſio Angelorum fit quandoque cum motu locali eorum, quia cum Angeli mittuntur de Cœlo ad terras in hac miſſione relinquunt Cœlum, & terræ fiunt præſentes, & expleto legationis

oth-

officio redeunt in Cœlum, quæ fieri nõ poſſunt ſine motu locali; Iudicum enim 13. legitur de Angelo, Manue apparente cumque aſcenderet flamma Altaris in Cœlum Angelus Domini pariter in flamma aſcendit, & Lucæ 2. de Angelis dominicam natiuitatem Paſtoribus nunciantibus dicitur, quod diſceſſerunt Angeli ab eis in Cœlum; ſed obijcies modus actionis ſequitur modum naturæ, ergo cum Angelus ſit naturæ incorporeæ, & intellectualis oportet, quod intellectualiter agat, ſed actio intellectualis eſt omnino abſtracta à re materiali, & non reſpicit locum, ergo miſſio Angelorum non fit cum mutatione locali; Reſpondetur quod actio intellectualis eſt duplex, vt docet D. Thomas vna, quæ eſt in ipſomet intellectu alias dicta immanens, & hæc non reſpicit locum, alia eſt operatio intellectualis dicta tranſiens, quæ extendit ſe ad exteriorẽ materiam, prout Angeli agunt aliquid circa nos, vel circa phantaſmata, vel circa aliquod corpus mouendo ipſum, & talis operatio Angeli, licet ſit ab intellectu eius, oportet quod reſpiciat, & determinet ubi locum, ſicut determinat res illa, circa quam agit; poteſt tamen miſſio Angelorum eſse ſine motu locali; patet, nam cum vnus Angelus illuminat alium, quia hoc diſtantia localis impedire non poteſt, non dicitur mitti localiter, vbi non erat, ſed tantum qualiter non erat, quippe qui non erat ibi, vt illuminans alium, & incipit ibi tunc eſse, vt illuminans ipſum, ergo miſſio Angelorum quandoque poteſt eſſe, & de facto eſt ſine motu locali.

8 Angeli ſæpe apparent hominibus in corporibus à ſe aſſumptis, hoc ſæpe teſtatur ſacra ſcriptura, ſic enim apparuerunt Abrahæ, Thobiæ, Beatæ Virgini, Paſtoribus & alijs. Circa quod tria contingit videre; primũ qualis ſit vnio, qua Angeli aſſumpta corpora ſibi vniũt; ſecundum qualia ſunt corpora, quæ aſſumunt Angeli; tertium an in corporibus aſſumptis exerceant actiones vitales; Quantum ad primum, duplex eſt vnio vna ſubſtantialis, altera accidentalis; Vnio ſubſtantialis, aut fit per informationem formę ſubſtantialis cum materia, ſic Anima vnitur corpori humano &c. ipſum informando, aut eſt hypoſtatica vnio, cuius vnire eſt terminare dependentiam naturæ intellectualis, & ſuppoſitare illam in ſuppoſito incommunicabiliter ſubſiſtente; ſic Verbum Diuinum vniuit ſibi in vnitate ſuppoſiti naturam humanam ſingularem Chriſti; Vnio per informationem non habet locum in Angelo aſſumente corpus, quia ſi Angelus informaret corpus, tunc ex Angelo, & corpore fieret vnum per ſe ex Ariſt. 8. Metaph. vbi dicitur ex actu, & potentia ſubſtantialibus fieri vnum per ſe, ſed hoc repugnat Angelo, vt ſolide probat Scotus quolib. 9. quia Angelus eſt ſubſtantia, & integra nulli alij ſubordinata; Nec Angeli aſſumunt corpora per vnionem hypoſtaticam, nam hoc eſt illis impoſſibile, quod propria virtute poſsit aſſumere aliquod corpus in vnitate ſuppoſiti; Dices Verbum eſt vnitum naturæ corporali, ergo multo magis Angelus poterit hypoſtatice vniri corpori; probatur conſequentia Verbum Dei eſt nobilius quolibet Angelo, eo maxime quia Verbum eſt ſubſtantia magis integra, & completa, quam Angelus. Reſpondetur quod licet Verbum Dei ſit nobilius quolibet Angelo non propter hoc ſequitur, quod Angelus vniri poſſit naturæ corporali in vnitate ſuppoſiti, ſicut Verbum Diuinum eſt vnitum naturæ humanæ, immo magis ſequitur oppoſitum; nam quia Verbum eſt ſic nobile, quod non habet limitatam naturam, nec eſt limitatum ſuppoſitum, nec habet limitatum eſſe, Angelus autem has nobilitates non habet.

Ideo poteſt hoc ſuppoſitum verbi ſuppoſitare naturam creatam, & Angelus non poteſt.

9 Reliquum ergo eſt, vt Angeli aſſumant corpora per vnionem accidentalem, quæ in duobus conſiſtit, quorum primum eſt, vt Angeli vniantur illis ſicut motor vnitur mobili, quo vtitur ad operationes proprias ſibi exercendas; ſecundum, vt in illis appareant, & rappreſententur, & quaſi perſonam Angelicam ſuſtineant, quæ apparentia non debet eſſe ſenſuum tantum, ſed de corporali creatura aſſumpta ſpecie formant ſibi nunc hanc ſpeciem nunc illam, vt poſſint ſic apparere, vt volunt; nam quemadmodum idem artifex format ſibi domum aliquando triangularem, nunc quadrangularem, vt inhabitet talem domum, qualem vult, ita Angelus artifex motor exiſtens illius corporalis ſubſtantiæ, in qua apparet ſecundum, quod ſibi placet, talem ſibi ſpeciem corporalem format, & in tali ſpecie apparet, & rappreſentatur. Hinc ſequitur primo intelligentiam proprie non aſſumere orbem cœleſtem, quia licet vniatur illi tanquam motor mobili, non tamen per illum ſe manifeſtat, quaſi Angeli perſonam ſuſtineat; ſecundo nec Angelum aſſumpſiſſe corpus, aut linguam Aſinæ Balaam, quia non intendebat in illo prædicto modo apparere; tertio, nec Dęmonem aſſumpſiſſe ſerpentem quando Euam decepit, quia in eo non apparuit, vt referret, & ſuſtineret perſonam Dęmonis; quarto nec energumenos, qui à Dęmone vexantur, nec lamias, aut alios, qui ab eodem deferuntur, interdum de loco ad locum aſſumi à Dæmone, quia licet Dæmon in illis corporibus aliquid operetur, non tamen in eis apparet, vt ſuſtineant perſonam Dęmonis; Dixi proprie, quia ſi aſſumere ſit idem, quod accipere, aut etiam transferri concedi poteſt in prædictis aſſumptionem reperiri.

10 Quantum ad ſecundum nempe qualia ſunt corpora, quæ aſſumunt Angeli, opus eſt diſtinctione, nam aliud eſt corpus verum, aliud corpus phantaſticum, corpus verum adhuc duplex eſt aliud viuum, aliud inanime; vt cadauer hominis ex patibulo, aut alio loco ſumptũ, quod frequentius faciunt mali Angeli, quã boni; Quod etiã poſſit Angelus modo prædicto, corpus viuũ aſſumere, & in illo agere aliqua; patet in energumenis; in quibus ſæpe loquuntur lingua ignotiſſima illis energumenis, in quibus ſunt; De corporibus phantaſticis, ideſt apparentibus ſupponendum eſt primo, quod Angeli aſſumant corpus per aſſiſtentiam præſentiæ ſuæ ad illud, & hoc admouendum, & apparendum in eo, & explendas operationes; deinde notandum, quod Angeli poſſunt formare corpora, quæ vniuoce, & ęquiuoce produci valent non quidem directe; ſed indirecte huiuſmodi ſunt ranæ, muſcæ, & alia ſimilia; nam ex quo Angelus optime nouit rerum naturas, & ſcit optime approximare actiua paſſiuis, & in conuenienti proportione, & debita influentia aſtrorum; proculdubio poteſt talia corpora formare indirecte (vt dixi) & mediantibus proprijs eorum cauſis; non enim poteſt Angelus formare noua corpora niſi per motum localem applicando actiua paſſiuis; ſunt autem quædam corpora imperfecta, quæ per hanc applicationem vere poſſunt fieri, vt ſerpentes, ranæ, muſcæ, & ſimilia; Alia ſunt corpora perfecta, quæ non poſſunt modo illo fieri, ſed ſolum via, & ordine naturali, vt corpus hominis, aut alterius Animalis perfecti, quæ tantum vniuoce producuntur, niſi producantur immediate a Deo.

11 Poteſt tamen Angelus formare corpus humanum phantaſticum, & apparens, & illud præparare ſecundum quod

Digitized by Google

Quod ſpectat ad ſui manifeſtationem, & exercitium ſuarum operationum ob quas tale corpus aſſumit; Huiuſmodi corpus aſſumptum ab Angelo non habet veram organizationem, quia vera organizatio eſt a virtute formatiua cum ſeminibus delata, ergo non poteſt eſſe ab Angelo, ideo tale corpus habet ſolum effigiem humani corporis, quia corpus effigiatum humana effigie maxime competit operationibus intellectualibus ſpirituum; effigies huiuſmodi corporis humani aſſumpti plus eſt artificialis, quam naturalis, quia ibi eſt quædam lineamentorum protractio ſecundum illius conformitatem, quæ non ſupponit æqualitatem complexionis, propterea quod talis protractio poteſt fieri ab artifice in ligno, & lapide, ergo effigies corporis aſſumpti potius eſt artificialis, quam naturalis; ſi obijcias, quod qualitas mixtionis facit ad veritatem humani corporis, Reſpondetur non quæcumque qualitas mixtionis, ſed illa tantum, quę habet virtutem ſpecificatiuam hominis completiuam, & directiuam facit ad veritatem humani corporis, Angelus non aſſumit corpus de materia cœleſti, nam vel eſſet de illa, quæ nunc eſt, & tunc ſcinderetur orbis, quod eſt inconueniens, vel eſſet de tali materia de nouo creata, & tunc ſemper fieret miraculum, quando Angeli corpus aſſumerent, quia crearetur aliquid de nouo; Item corpus cœleſte non habet peregrinas impreſsiones ex primo metheorum, peregrinæ autem impreſsiones ſunt condenſatio, rarefactio, & ad nouam figuram traſmutatio, ergo Angelus non aſſumit corpus de natura Cœleſti; rurſus corpus Cœleſte non eſt natum moueri, niſi circulariter, ergo ſi Angelus aſſumeret corpus de natura Cœleſti, cum difficultate moueret motu recto, ergo non aſſumit corpus de natura cœleſti.

12 Angelus non aſſumit corpus ex elemento ſimplici, tum quia corpus elementare non eſt viſibile, vt patet de aere, tum quia apparet nobis in aliquibus accidentibus, quæ non ſunt nata ſuſcipi in corpore mere elementari, vt quando apparet nobis in corpore albo, vel rubeo, vel aliquo alio; tum etiam patet de igne, nam in igne ſunt tria, quę repugnant corporibus, in quibus Angeli apparent; primo ignis eſt formalior, & actiuior alijs elementis; ſecundo per ſe, & in materia propria eſt rarior; tertio eſt purior, illa autem corpora aſſumpta ſine leſione apparent viſibilia, & præbent ſe palpabilia, aliquando ergo non ſunt ignea, quia non eſſent ſine leſione palpabilia, & tunc eſſent multo actiua, ac proinde comburerent, quæ circa ipſa forent, item eſſent nimis rara, & ſic non poſſent leuiter inſpiſſari, & per conſequens non poſſent apparere viſibilia; Item eſſent nimis pura; Vnde non paterentur admixtionē groſſorum elementorum, & ſic palpabilia ſe pręberε nequirent. Poſſunt tamen talia corpora per ſimilitudinem ignea dici, & ſecundum quamdam appropriationem; quia ſicut in igne ſunt tria ſc. ſubſtantia, lux, & calor; ita tria ſunt in Angelo ſubſtantia, intellectus & voluntas; ſubſtantia quidem Angeli figuratur per ſubſtantiam ignis, qui & ſi in ſphera ſua viſibilis non exiſtat, in effectu tamen viſibilis apparet ſic & Angeli ſecundum ſe ſunt inuiſibiles, nihilominus effectus viſibiles efficere valent; Lux autem ignea rappræſentat Angelum quantum ad intellectum, vbi eſt multum de intelligentia lucis; Calor etiam rappræſentat Angelum, & potiſſimum Angelum bonum, quantum ad effectum, ſecundum quem totus ardet charitate, igitur corpora Angelorum ſecundum quandam ſimilitudinem, & appro-

appropriationem ignea nuncupari poſſunt, quia per ignem rappræſentantur potiſsimum ipſi Angeli, de quibus in pſal. 103. dicitur qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos flammam ignis.

13 Secundum communiter Theologos Angeli non aſſumunt corpora formata ex terra, vel aqua, idque propter tres rationes; prima quia corpora ſic formata non poſſunt celeriter moueri ad complendum velocius miniſterium, propter quod aſſumuntur; ſecunda quia non ſunt facilia ad formationem, & per conſequens non poſſet miniſterium iniunctum non impediri, & retardari; tertia quia talia corpora non poſſunt facile diſsolui, & agiliter diſparere, & tamen certum eſt, quod completo miniſterio diſparent, quia vt habetur Thobiæ 12. cum dixiſſet Angelus, qui comitatus filium Thobiæ, quod tempus erat, vt reuerteretur ad eum, qui ipſum miſerat; ab aſpectu eorum ablatus eſt, & vltra eum videre non potuerunt; Hæc dicta ſunt ad oſtendum conſentaneum eſſe Angelos non aſſumere corpora de tali materia formata, ſi conſideretur nimirum miniſterium, propter quod aſſumuntur; Reſtat concludédum Angelos ex aere aſſumere corpora, in quibus appareant, tum quia aer habet facilitatem ad omnem formationem, cum cito poſſit ſubtiliari, & fieri ignis, & cito ingroſſari, & fieri aqua; tum quia locatum debet eſſe competés loco, & cum in aere, vt plurimum fiant tales apparitiones congruum eſt, vt Angeli ex ipſo aere corpora aſſumant, tum quia talia corpora cito diſſolui poſsunt; compertum eſt enim, quod ſtatim apparent, & ſubitò diſparent; ſed dices quod aer infigurabilis, & incolorabilis eſt, ergo Angeli non aſſumunt corpora de aere. Reſpondetur quod licet aer in ſua raritate manens non retineat colorem, vel figuram, quando tamen condenſatur figurari, & colorari poteſt.

14 Corpora aſsumpta ab Angelis, quamuis principaliter ex aere formentur, ſunt tamen cum aliqua mixtione alterius elementi, quod probatur exemplo, ſiue ſimilitudine nubis, quæ ſicut in ſe habet plurium elementorum mixtionem, ita corpus ab Angelo aſsumptum principaliter ex aere intelligitur eſse formatum concurrente ad hoc natura, alicuius corporis terrei, vel aquei; ſed ad hoc intelligendum notandum eſt, quod in nubibus relucet aliqualiter natura omnium elementorum, nam ibi relucet natura aeris, quia ſunt quaſi aer inſpiſſatus per admixtionem groſſorum vaporum; ibi relucet natura terræ, quia multi vapores ſicci attrahuntur per calorem ſolis ad locum, vbi generantur nubes; relucet etiam natura aquæ, ratione vaporum humidorum, aliter enim ex nube nunquam fieret pluvia; denique ibi relucet natura ignis, quia ex calore ſolis, & velocitate motus aliquo modo igniuntur illi vapores; Vnde, & tonitrua, & corruſcationes ibi generantur; igitur corpora ſic ab Angelo aſsumpta, vt plurimum ſunt mixta imperfecta, nam ſicut nubes non eſt ſimpliciter corpus mixtum, licet aliquam ad mixtionem habeat, ſic & corpora aſsumpta ab Angelis non oportet, quod ſint ſimpliciter mixta, ſed quod aliquã admixtionem habeant; hoc oſtendunt accidentia, quæ apparent in huiuſmodi corporibus ſcilicet colores, vel figuræ &c. quæ non poſsunt inhærere, niſi corporibus aliquam admixtionem habentibus.

15 Quantum ad tertium an ſcilicet Angeli exerceant in corporibus ſic aſſumptis, exerceant inquam actiones vitales. Reſpondetur exercere ſolum illos actus, qui conferunt ad manifeſtationé, & demonſtrationem ſui miniſterij ſibi à Deo demandati, vt loqui, comedere,

am-

Digitized by Google

ambulare &c. iuxta illud D. Auguſtini de Ciuit. Dei ſic dicentis hoc faciebant Angeli viſibiliter, & tractabiliter, non quia indigebant, ſed quia volebant, & poterant, vt hominibus congruerent ſui miniſterij quadam humanitate fecerũt; per phantaſtice Angelos edidiſse credendum eſt, quando eos in hoſpicio homines ſuſceperunt; Non tamen poſsunt exercere operationes vitales, quia corpora aſsumpta ab Angelis non viuunt, ergo nec opera vitæ poſsunt in ijs Angeli exercere; antecedens probatur, quia huiuſmodi corpora non informantur ab Angelis, non enim poſsunt eſse formæ eorum, nec Anima ſunt informata, ergo non viuunt; prima conſequentia eſt euidentiſsima, quia vitaliter operari ſuppõnit vitaliter eſse, ſeu viuere; Exercent igitur illos actus in illis corporibus, qui ea conſequuntur, quatenus ſunt mobilia; Angeli ergo illa corpora aſsumpta non poſsunt nutrire; quod vt intelligatur notandum eſt, quod obiectum potentiæ nutritiuæ dicitur nutrimentum, vel alimentum, quod tribus modis conſideratur primo in quantum conuertitur in ſubſtãtiam aliti, ſecundo modo prout eſt quantum, quodlibet enim alimẽtum eſt corpus, & compoſitum ex quatuor elementis, quia ex eiſdem componitur animatum, & ex eiſdem nutritur, & conſequenter eſt quantum, quia tale compoſitum, cum ſit verum materiale habet veram quantitatem; tertio modo conſideratur, vt eſt in aliqua parte ſuperfluum, & ſuperabundans rei animatæ poſt nutritionem ſuam, ſic dicitur ſemen.

16 Secundò notandum eſt, quod nutritiua data eſt viuenti, vt conſeruetur in eſse viuo ſecundum quod competit cuicumque viuenti ſpeciei; vt autem potentia nutritiua poſſit alimentũ conuertere in ſubſtantiam nutriti, datæ ſunt ei quatuor vires ei deſeruientes; prima eſt attractiua, cuius officium eſt appetere, & attrahere nutrimentum ad ſtomachum, vel ad locum, qui ſit vice ſtomachi; ſecunda dicitur retentiua, cuius officium eſt tam diu retinere cibum in ſtomacho, quamdiu decoquatur; Tertia vocatur digeſtiua, cuius officium eſt digerere, & decoquere nutrimentum retentum in ſtomacho, vt poſtea conuertatur in ſubſtantiam nutriti; Quarta dicitur expulſiua, cuius munus eſt expellere partes craſsas, vel ſuperfluas nutrimenti, has autem potentias, & vires nõ poſsunt habere corpora aſsumpta ab Angelis, cum non ſint animata, ſed ſolum imperfecta mixta. Conceditur tamen Angelos in corporibus aſsumptis poſse cibum maſticare, & in partem interiorem traijcere, quia hæc pertinent ad motum, & Angeli, quos Abraham hoſpitio excepit Geneſ. 18. & Raphael, qui comitatus eſt Thobiam id egerunt; & D. Auguſtinus in lib. 6. qq. contra Paganos, ait; legimus Angelos ſumpſiſse cibos non ficte, aut phantaſtice, ſed manifeſtiſsima veritate.

17 Hæc cibi maſticatio, & in partem interiorem traiectio non eſt commeſtio, quia commeſtio eſt proprie actio vitalis profecta ex potentia vitali, qua cibus in ſubſtantiam ſumentis per nutritionem ſuo tempore conuertitur, qua potentia vitali caret corpus aſsumptum ab Angelo, quod pariter cerebro, corde, & epate, quæ ſunt tria membra interiora Animalis principaliſsima, à quibus emanant omnes operationes vitales; Dices ſi commeſtio illa, ſiue maſticatio non fuit operatio vitalis, ergo non valet ad probandum veram Chriſti reſurrectionem de commeſtione eius cum Diſcipulis, quod eſt contra ſanctos Patres; Reſpondet Scotus dupliciter in 4. diſt. 8. primo quod ad probandum reſurrectionem Chriſti veram ſunt mul-

ta

Digitized by Google

ta alia argumenta in Euangelio efficaciora, & ita talis commeſtio cum alijs bene probat reſurrectionem Chriſti licet non per ſe tantum, ſecundo reſpondetur; quod talis commeſtio erat ad veram nutritionem, & Scotus non habet pro inconuenienti corpus glorioſum poſse conuertere in ſe corpus non glorioſum, ſicut poſse ſimul cum corpore non glorioſo, nec propter hoc eſt corruptibile, quia poteſt Deus facere corpus glorioſum in minima quantitate, & illud augere per commeſtionem, nec tamen aliquid corrumpetur de nutrito, & aucto, in corporibus vero aſsumptis ab Angelis non eſt nutritio, ſed tantum additio, vel appoſitio.

18 Angeli in corporibus aſsumptis non poſsunt exercere opera potentiæ generatiuæ, ideſt mediantibus corporibus aſsumptis non poſsunt generare hoc dicitur de Angelis malis, qui, vt homines ducant ad damnationem cum ipſis plures obſcęnitates operantur, de quibus in ſequenti articulo redibit ſermo; pro huius aſsertionis intelligentia notandum eſt, quod potentia generatiua tres virtutes habet ſibi deſeruientes, prima dicitur ſeminatiua, cuius officiũ eſt ex ſanguine ſuperabundanti colligere ſemen, & illud in partibus genitalibus reſeruare; ſecunda virtus vocatur immutatiua, cuius officium eſt permiſcere ſemina maſculi, & fœminæ, & cundum quod expedit formationi, cuiuſlibet membri in eo, quod generatur; tertia vocatur formatiua, cuius munus eſt ſeminibus permixtis formare, & cõfigurare membra omnia in eo, quod generatur; probatur ex his intentum aſſertum; Ad hoc quod fiat generatio neceſse eſt, quod concurrat triplex ſpiritus naturalis, vitalis, & animalis, & triplex calor, videlicet Animæ, Cœli, & elementi prędominantis, ſed Angeli non habent ſpiritum Animalem, nec calore animalem in corporibus aſsumptis, ergo generare non poſsunt. Conceditur tamen quod Angelus malus poſsit accipere viri ſemen, & illud conſeruare in debitis qualitatibus naturalibus, & tunc aſsumpto corpore virili transfundere illud ſemen in matricem mulieris, cui incumberet, ac ſic generari fœtus eodem modo, quo generaretur, ſi prædictum ſemen eſset transfuſum immediate à viro cuius ſemen eſt, & in tali caſu fœtus non diceretur genitus à Dæmone ſed à viro, cuius eſset ſemen deciſum, & transfuſum per Dæmonem; Cæterum explodendus eſt error eorum qui dixerunt inter Dęmones eſse ſexum fœmineum, & maſculinum, ſicut & inter homines, & poſse filios, & filias procreari; vnde habuit ortum error Gentilium, qui Deos, & Deas adorabant.

19 quamvis Angeli poſſint formare voces ſenſitiuas in aere, ſine lingua, & inſtrumentis corporeis (quæ homini neceſſaria ſunt ad articulate loquendum) à natura determinatis, patet Exod. 22. & Matth. 3. & 17. & Num. 22. tamen huiuſmodi vocum formationes non ſunt, nec fuerunt proprie locutiones, nam locutio vocalis proprie eſt operatio corporis viuentis, & animati anima rationali, ſed corpus ab Angelo aſſumptum non eſt viuum, neque animatum anima rationali, ergo Angelus in corpore aſſumpto non proprie loquitur; Nota tamen, quod Angelus formãs voces non format eas ſine fractione aeris, vel alterius medij, aliàs voces illæ non eſſent ſenſibiles; Dictum eſt ſuperius, in corporibus aſſumptis ab Angelis non dari nutritio, hic conſequenter negatur etiam auctio, ſiue augmentatio, quia augmentatio, eſt proprie corporis Animati, ſed corpus aſſumptum ab Angelo non eſt animatum, nec viuens, ergo non proprie augetur, eo vel maxi-

me

Digitized by Google

me quia alimentum ſit per conuerſionem alimenti in ſubſtantiam aliti, ſed talis conuerſio non poteſt fieri in corpore aſſumpto ab Angelo propter rationes ſæpe dictas. Ita quod generaliter loquendo Angelus in corpore aſſumpto nullas operationes exercere poteſt, quę neceſſario emanant à corpore vere viuo, & animato, alias vero, quæ ſolum per motum localem fieri poſſunt, Angelus quoque eas operari valet.

20 Quandocumque boni Angeli apparuerunt hominibus ſub aliqua forma ſenſibili ſemper apparuerunt in forma humana; ſic Abrahamo, Loth, Thobiæ, B. Virgini; Mariæ Magdalenæ, & alijs, quia venerantur naturam, & formam humanam propter Chriſtum, cuius miniſtri ſunt; Deinde quia homines & Angeli ſunt ciues eiuſdem patriæ, & ſub eodem Principe ergo ęquū eſt, vt eandem (quantum poſſibile eſt) habeant formam externam; nunquam tamen (quantum ex ſcriptura colligitur) apparent in forma muliebri, ſed ſemper in habitu, ac ſpecie virili; ratio eſt quia omnes eorum apparitiones ſpectant ad propagandum Chriſti honorem; Chriſtus autem fuit vir & non fęmina; Deinde quandocumque apparent ſemper mittuntur ad aliquid nunciandum, aut teſtandum; Viri autem teſtimonium firmius, & validius eſt quam fęminæ; Addunt plerique ex D. Dionyſio Cap. 15. de Cœleſti Hierarchia bonos Angelos vt plurimum apparere in forma iuuenili, quia cum ſint immortales, & nunquam ſeneſcant non potuit hoc melius ſignificari, quam per formam virilem, & iuuenilem, Thobię 5. dicitur, & ignorans quod Angelus Dei eſſet, ſalutauit eum, & dixit. Vnde te habemus bone iuuenis, & Marci 16. & introeuntes in monumentum viderunt iuuenem, ſedentem in dextris.

21 Celebris eſt controuerſia inter vntiquos Patres de Diuina apparitione hominibus exhibita in veteri teſtamēto ſub viſibili forma, vt ſępe innuit ſacra ſcriptura, an reuera fuerit perſonaliter ipſius Dei, an vero Angelorum ſuſtinentium locum, vel perſonam ipſius Dei; Aliqui non pauci, nec obſcuri homines, ſed clari, docti, & Sanctiſſimi Patres aſſeruerūt Deum ipſum corpus ſub quo viſus dicitur, & apparuiſse, aſſumpſiſse ita Nicephorus lib. 1. Cap. 1. & 2. Euſebius lib. 1. Cap. 3. D. Ambroſius de ijs qui initiantur Cap. 4. in fine Leo Magnus Epiſt. 15. ad Pulcheriam. Origenes hom. 1. in 6. Caput Iſaiæ. Tertullianus contra Iudæos fol. 168. ex editione Palmelij. Clemens Papa lib. 5. Cap. 21. conſtitutionum Apoſtolicarum, & Patres Concilij Sirmienſis; ita quod ſecundum iſtam opinionem Deus ipſe fuit perſonaliter præſens ſenſibiliter, primo quando de Rubo Moyſen vocauit, & vt populum Iſraeliticum in libertatem vindicaret in Ægyptum miſit Exodi 3. Secundo quando de nube locutus eſt Exodi 20. Tertio quando Abraham manus filij ſanguine cruētare impediuit, vel prohibuit Gen. 22. Quarto quando obediuit hominis vocibus, & ſolis curſum impediuit Ioſue 10. Quinto tot annis in nube, & columna ignis dux fuit populi per deſertum ad terram promiſsam Pſalm. 94. Sexto cum ante Eliam pallio vultum ſuum operuentem pertranſijt 3. Regum 19. Septimo quoties ſigna, atque portenta excitat in rebus; eſto ſit in omnibus rebus per eſsentiam, præſentiam, & potentiam; &c.

22 Oppoſitam opinionem ſcilicet apparitiones diuinas vere non fuiſse ipſius Dei ſenſibiliter in propria perſona apparentis; ſed fuiſse Angelorum nomine eiuſdem Dei apparentium; vltra Scholaſticos vel in 2. ſententiarum, vel in p.p. ſummę Theologice D. Tho-

ſtiæ docent Sancti, & doctiſſimi Patres D. Dionyſius Areopagita lib. 4. de Cœleſti Hierarchia D. Gregorius 28. moral, Cap. 2. D. Hieronymus in illud ad Galatas 3. Lex per Angelos &c. D. Auguſtinus lib. 3. de Trinit. Cap. 11. dicentes Deum per ſe nunquam corpus aſsumpſiſse, quando olim in veteri teſtamento dicitur viſus, & omnes apparitiones viſibiles in eodem teſtamento Dei nomine factas Angelorum miniſterio, & opera qui corpora & aptarunt, & aſſumpſerunt Deique perſonam ſuſtinuerunt eſſe peractas, mouentur, primo ex diuina prouidentia, quæ hæc inferiora adminiſtrat mediantibus cauſis ſecũdis, non eſt igitur in hoc cur ad immediatum opus Dei ſine neceſſitate recurramus; locutus eſt ſæpe, non per ſe ipſum, ſed prophetas ſuos; Vindictam ſumpſit Deus, nunc de ingrato ſuo populo, nunc de gentibus infidelibus verum non per ſe ipſum, ſed per ſpiritus aliquando bonos, aliquando malos &c, alia innumera opera, quæ in hoc mundo facta ſunt, & fiunt hoc oſtendunt; & non eſt opus ſingula enarare, ſatis est demonstraſſe Angelos, vt hominibus miniſtrarent ſępiſſime corpora aſſumpſiſſe, & ſenſibiliter illis apparuiſſe, tanquam diuinæ voluntatis executores.

23 Poteſtas cuſtodiendi in Angelis est à natura, tanquam à principio, quia Angelus naturaliter est fortior, & potentior homine, & quia dona naturalia, quæ habet in excellentia reſpectu Animæ ſunt illa quattuor attributa, de quibus Magiſter in 2. diſt. 3. loquitur ſcilicet ſimplicitas eſſentiæ, diſcretio perſonalis, perſpicacitas intelligentiæ, & agilitas in motu, quæ ſunt quaſi quædã diſpoſitio in Angelo ad cuſtodiẽdã animã: Eadẽ poteſtas cuſtodiendi homines in Angelis est ex gratia tanquã à principio proximo, & completiuo, quia Angelus in gratia eſt excellentior, & ſtabilior quam in homine, ergo poteſtas cuſtodiendi hominem eſt ex gratia, tanquam ex principio completiuo; Item Angeli ſunt boni, & confirmati in gratia, & ideo ſunt ſtabiles. Animæ autem vſque ad ſuam confirmationem ſunt, vel lapſæ, vel labiles. Angeli autem, nec lapſi, nec labiles, ergo. Sed dices; maior eſt qui recumbit, quam qui miniſtrat, ergo homo ſi cuſtoditur ab Angelo eſt maior illo, & per conſequens Angelus non eſt excellentior; Reſpondetur quod auctoritas illa intelligitur de miniſterio ſubiectionis non autem præſidentiæ; Vnde cuſtodire hominem (ſi miniſterium dicat) magis importat Angelum homini præſidere, quam illi eſſe ſubiectum.

24 Angelorum cuſtodia eſt homini neceſſaria propter plures rationes; quarum prima eſt, ne homo decipiatur à Diabolo aduerſario ſuo, nam cum homo habeat intellectum ſic imperfectũ, & in potentia Diabolus vero habeat intellectum ſic perfectum, & in actu, & tantæ efficaciæ de leui poſſet decipi, niſi haberet Angelum inſtruentem, & cuſtodientem ipſum; ſecunda ratio eſt, cum mali Angeli ſint ſemper circa nos, & quantum eſt de ſe moueant, excitent, & inclinent ad malum neceſſarium fuit, vt nobis aſſiſterent boni Angeli mouentes, & inclinantes nos in bonum; tertia ratio eſt, quia Diabolus cum videt hominem in malo ſtatu, vel carentem gratia poſſet eum deſtruere non habentem Angelum cuſtodientem, & ideo neceſſaria fuit Angelorum cuſtodia; Nec obſtat, quod homini in actibus ſuæ voluntatis non poſſit fieri violentia, quia quamuis Angelus non poſſit liberum arbitrium violentare, poteſt tamen inducere, & ita circumuenire, quod valde pauci eſſent, quos non deijceret, & ideo neceſſaria eſt Angelica cuſtodia, quæ comprimat poteſtatem Diabolicam; ſi vrgeas, quod cuſtodia Angelica

eſt ad præſeruandos nos in gratia; ſed ipſe Deus immediate per ſe ipſum infundit nobis gratiam, ergo per ſeipſum immediate nos cuſtodit in præſeruatione diuinæ gratiæ; Reſpondetur quod licet Deus immediate infundat nobis gratiam, Angeli tamen poſſunt nos diſponere, & præparare ad ſuſceptionem gratiæ ſuggerendo, docendo, illuminãdo, & inſtrumentaliter operando, Deus vero eſt principale agens, & dans vltimam perfectionem gratiæ, quam quidem poteſt in nobis illam per ſe ipſam conſeruare & cuſtodire, ſed hanc cuſtodiam vult Angelis demandare ob rationes alibi adductas, quod non arguit inſufficientiam Dei, ſicut non arguit, quod ipſe gubernet mundum mediantibus ſecundis cauſis, & earum effectus producat, quos tamẽ per ſe ipſum poſſet producere, ita quod neceſſitas Angelicæ cuſtodiæ ex parte Dei non eſt neceſſitas ſimpliciter, ſed reducitur in diuinam prouidentiam; ex parte vero noſtra talis neceſſitas eſt miſeria, & indigentia.

25 Ad intelligendos actus, ſeu miniſteria, quæ operantur Angeli beati, erga homines aduertendum eſt, quod quattuor ſunt genera hominum, ſcilicet peccatores, pœnitentes, patientes, & bene operantes; Primo erga peccatores Angeli boni exercent tres actus, quorum primus eſt impedire ne peccẽt, per extremi Iudicij immaginationem, per immiſſionem præſentis tribulationis, & per horrorem mortis, ſecundus actus eſt de commiſſo peccato arguere, & hoc tribus modis, quia primo Angeli arguunt de ingratitudine collati, & recepti beneficij; ſecundo de præuaricatione mandati diuini; tertio de promiſſione æterni præmij, & eius ammiſſione; tertius actus eſt à peccato commiſſo eruere, nam ipſi Angeli retrahunt quattrupliciter à peccato; ſcilicet impediendo cogitationem malam, illuminando rationem, roborando bonam affectionem, & actionem peccaminoſam diſturbando; ſecundo circa pœnitentes exercent tres actus; primus actus eſt ſanare oculos cordis ad contritionem, ſecundus actus eſt purgare labia ad operis confeſſionem, tertius actus eſt congaudere ad ſatisfactionem; tertio erga patientes, operantur pariter tres actus ſecundum, quod Anima difficultatem patitur tribus modis ſcilicet aggrediendo difficile, ſuſtinendo horribile, perſeuerando aſſidue, primus actus contra difficile eſt animare, confortare, & roborare aggredientes, ſecundus actus eſt lætificari, & conſolari ſuſtinentes omne terribile propter Deum, tertius actus eſt conſeruare perſeuerantes, nam per viam tribulationis temporalis habemus Angelos conductores, & reductores, qui in gratia finali ſanos, & incolumes nos conſeruant; quarto erga bene operantes tres pariter actus exercent; primus eſt illuminare rationem, nam boni Angeli, primo illuſtrant intellectum conſopitum per inconſiderationem, ſecundus actus eſt excitare voluntatem, ſiue inflammare affectum infrigidatum per torporem, vnde in pſalmo dicitur, qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos flammam ignis, tertius actus eſt conſumare, & perficere effectum impeditum per difficultates; Hos & alios actus, ſiue effectus late proſequitur D. Bonau. 2. d. 11. art. 3. q. 1.

26 Tametſi omnes Angeli ſint adminiſtratorij ſpiritus ex Hæbreorum 1. & omnes ſaluti hominum electorum procurandę dent operã, in ijs tamen ſunt ſeptem Principes, quibus cura, & gubernatio huius mundi demandata eſt, & quibus reliqui in hoc miniſterio ſubiecti ſunt, ita olim docuit Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum ad finem, vbi ait, ſeptem quidem ſunt, quo-

rum eſt maxima potentia; primogeniti Angelorum Principes. Horum 7. Angelorum frequens fit mentio in ſcripturis; Thobiæ 12 ego ſum Raphael Angelus vnus ex 7. qui adſtamus ante Deum; ſic Zachariæ 3. & 4. Apoc. 1. & 3. & 5. & 8. & 15. & 16. & 17. Hi ſeptem Angeli vocantur ab aliquibus Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, Salathiel, Eudiel, Barachiel, ita Beccanus opuſcolo de officijs Angelorũ Cap. 3. vbi etiam eorundem nominum interpretationem aſſignat dicens; Primi nominis interpretatio eſt; Michael quis ſicut Deus; 2. Gabriel fortitudo Dei, 3. Raphael curatio, ſeu medicina Dei, 4. Vriel lumen Dei, 5. Salathiel petitio Dei, Eudiel laus, ſeu confeſſio Dei; Barachiel benedictio Dei, vbi addit tria priora nomina cum ſint in ſacris litteris conſignata libenter admittimus; nam Michaelem legimus Cap. 10. & 11. Danielis, & in Epiſt. Canonica Iudæ, & Apoc. 12. Gabrielem 1. Lucę, Raphael, Tobiæ 3. Reliqua nec in Canonica ſcriptura ſunt, nec aliqua traditione Eccleſiæ nituntur, ſed partim ab Hæbreis accepta, partim in Apocriſis libris inuenta ad nos peruenerunt; De quibus loquens Concilium Romanum cui præfuit Zacharias Papa; non eſt aliud, quam tria Angelorũ nomina quæ agnoſcimus ideſt Michael, Gabriel, & Raphael, qui ex officijs ſibi à Deo demandatis arguitur, quod fuerint ex ſuperioribus ordinibus, cur enim toties, & tam ſplendida fieret eorum mentio, ſi non cœteris dignitate antecellerent, cur peculiari modo dicerentur aſtare ante Dominum.

27 Certum eſt Michaelem, qui eſt vnus ex 7. principibus Angelorum olim in veteri teſtamento præfuiſſe Iudęorum Synagogæ, vt ſentit Diu. Dionyſius Capit. 9. de Cœleſti Hierarchia, quem communiter ſequuntur Theologi, & probatur ex illo Danielis 10. Nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michael princeps noſter; ſic dicitur Princeps Populi Hæbræi, 2. probatur ex geſtis Michaelis; ſcriptura in in quattuor locis meminit geſtorum eius, primo apud Danielem 10. vbi dicitur egiſſe cauſam Iudæorum, vt poſſint liberari ex captiuitate Babilonica; ſecundo apud eundem Danielem 12. vbi dicitur venturus tempore antichriſti pro populo ſuo pugnaturus; tertio in Epiſt. Canon. Iudæ, vbi dicitur contēdiſſe de Moyſi corpore, & eius ſepultura; Diabolus volebat illud in apertum proferre, vt Iudęos ad idolatriam inuitaret; Michael ſe oppoſuit, vt populo peccati occaſionem præcinderet, quarto in Apoc. 12. vbi deſcribitur pugna cum Lucifero, quæ apud Danielem prædicta erat; Hæc omnia indicant Michaelem habuiſſe curam, & protectionem Iudęorum; multi multa alia illi tribuunt; ac primo putatur apparuiſſe Moyſi Legiſlatori in medio ruli; 2. eduxiſſe filios Iſrael de Ægypto 3. ſubmerſionē Pharaonem in mari rubro 4. pugnaſſe pro Iſraelitis toto itinere, quadraginta annorum in deſerto 5. dediſſe legem in monte Synai 6. apparuiſſe Balaam in via, eumque per gentem ad maledicendum populum Dei emandaſſe 7. ſtricto gladio viſum eſſe Ioſue dirigenti aciem contra hoſtes, eumque, vt fidēter pugnaret, cohortatum 8. apparuiſſe Gedeoni; 9. interfeciſſe exercitum Senacherib, Ratio communis eſt, quia cum Michael præfuerit toti Populo Iudæorum præcipua illius gentis cura fuerit ipſi à Deo comendata, & veriſimile eſt omnes eas apparitiones per Michaelem factas eſſe, quæ ad publicam populi Hæbrei ſalutem, & gubernationem ſpectabant. Huiuſmodi autem illæ ſunt, quæ ſunt enumeratæ.

28 Iſ-

Digitized by Google

28 Iſdem Michael pariter eſt Patronus; & defenſor Eccleſiæ Chriſtianæ, id primum docet D. Greg. lib. 17. moral. Cap. 8. & D. Griſoſthomus orat. 2. aduerſus Hæbreos, & hom. 2. & 8. de Laudibus Pauli teſtantur idem variæ apparitiones D. Michaelis, quibus partim in occidentali, partim orientali Eccleſia adhibita miraculorum virtute fecit ſe conſpicuum, vt omnibus, quod ipſe eſſet patronus Eccleſiæ palam innoteſceret; Hinc tot baſilicæ in orbe terrarum erectæ ſunt; Harum prima in Apulia in Monte Cargano ab ipſomet Sancto Michaele ædificata, ſecunda Romæ in Monte Adriani à Bonifacio Papa, quod ibi viſus ſit Michael in ſignum luis ceſsantis gladium exertum in vaginam recondere, tertia Romæ in Foro Piſcario, quarto Romæ apud Vaticanum à Leone IV. Papa ob deuictos, & fugatos Saracenos, & aliæ vbique per totam Chriſtianitatem; Quare auté Michael acceperit tutelam, & protectionem totius Eccleſiæ, proculdubio ſola Dei voluntate id factum eſse; ſane Chriſtus non meruit vnionem hypoſtaticam, nec tantam donorum grẽ copiam, quanta in illo fuit gratuito Dei beneficio ad hanc dignitatem prædeſtinatus eſt; idem poteſt dici de Michaele; Immo probabile eſt eundem D. Michaelem præelle etiam reliquis Angelis ita plures docent maxime Bellarminus lib. 1. de ſummo Pontifice Cap. 9. aſſerentes Michaelem eſse ſupremum Angelici Exercitus pro Deo Imperatorem, ſicut Lucifer eſt ſupremus Dæmonum; & aperte colligitur ex illo Apocal. 12. Michael, & Angeli eius præliabantur cum Dracone; quid eſt Michael, & Angeli eius, niſi Michael, & exercitus eius, ſicut enim cum ibidem dicitur Diabolus, & Angeli eius; intelligimus omnes Angelos malos Diabolo eſſe ſubiectos, vt milites Imperatori, ita cum dicitur Michael, & Angeli eius debemus intelligere omnes Angelos bonos. Michaelem Principem ſuum agnoſcere

29 Singulis Regnis, atque prouincijs etiam infidelium ſingulos Angelos eſse præpoſitos docent plerique Patres Clemens Romanus lib. 2. Recognitionum, eſt (inquit) vniuſcuiuſq; gentis Angelus cui credita eſt gentis ipſius diſpenſatio; D. Dionyſius Areop. de Cœleſti Hierarch. Cap. 9. vbi ait pręſertim cum alijs Gentibus non alieni Dij pręfuerint, ſed vnum Principem omnium, & ad illum Angeli, qui vnicuique nationi præfecti erant, ſequaces deducerent; Clemens Alexandrinus lib. 6. ſtromatum; per Gentes, & Ciuitates ſunt diſtributæ Angelorum præfecturæ, idem plures alij apud Beccanum de officijs Angelorum Cap. 5. n. 1; & quidem vterque Clemens, & D. Dion. & D Griſoſt. hom. 61. in Matth. colligunt hanc doctrinam ex illo Deuter. 32. conſtituit terminos populorum, iuxta numerum Angelorum Dei, ſed nota triplicem eſse eius loci lectionem, nam quidam legunt; iuxta numerum filiorum Iſrael; alij vero iuxta numerum filiorum Dei, idest Angelorum, vt verterunt 70 Interpretes; Hanc poſtremam lectionem ſecuti ſunt prædicti Patres, quaſi ſenſus eſset; Vnicuique Prouinciæ, ac populo vnum Angelum eſſe pręfectum, vt populos ſibi concreditos ad verũ Dei cultum perducant, ab infeſtis Dæmonũ poteſtatibus tueantur, & quæ ad ſalutem neceſsaria ſunt ſedulò, ſerioque commonefaciant. Sanè D. Dionyſius Cap. 9. Cœleſtis Hierarchiæ aperte teſtatur multos ex Gentibus Angelorum miniſterio ad Deum verũ agnoſcendũ, & colendũ ductos; De qua re habemus illuſtre exemplum in actibus Apoſtolicis Cap. 10. de Cornelio Centurione; Nec deſunt graues Theologi, qui ex hac doctrina colligant etiam Gentiles

post

poſt Chriſtum natum poſſe ſaluari, quia ſcilicet miniſterio Angelorum poſſunt ad latentem Chriſti fidem perduci.

30 Aſſerendum eſt tanquam certiſſimum cum communi Patrum, & Theologorum ſententia contra impium Caluinum vnicuique fidelium attributum eſſe proprium Angelum cuſtodem primo iuxta illud Geneſ. 48. Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis, vbi Iacob loquitur de certo aliquo Angelo, qui peculiarem curam geſſerat toto tempore vitæ, & peregrinationis ſuæ. Secundo iuxta illud Thobiæ 5. Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei. Tertio iuxta illud Iudith. 13. viuit Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius. Quarto iuxta illud actuum 12. nunc ſcio vere, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis &c. quod non ſolum verum eſt de Chriſtianis, & fidelibus, ſed etiam de Gentilibus, & Infidelibus; probatur primo ex ſacris ſcripturis, quia Perſæ, & Græci tempore Danielis erant è numero infidelium, & tamen habebant Angelos tutelares; Idem de Cornelio dici poteſt, qui ab Angelo monitus fuit, vt à Petro Apoſtolo audiret Euangelium, & baptiſmũ reciperet, probatur etiam ratione, quia Ieſus Saluator vult omnes homines ſaluos fieri, ergo debet omnibus proſpicere de medijs, quæ ad hunc finem requiruntur; inter cętera autem media eſt cuſtodia Angelica, & protectio Angeli Cuſtodis, quia cum quis eſt in periculoſa via, in qua latent variæ hoſtium inſidiæ, non poteſt tuto tranſire, niſi habeat peritum, & fidelem cuſtodem, ſed homo in hac vita mortali eſt quaſi in via, quæ tendit in Cœleſtem patriam, hęc autem via eſt valde periculoſa, tum ex parte hominis viatoris, qui ex ſe infirmus eſt, & labi poteſt; tum ex parte hoſtium, qui plurimi in hac via ſunt, & occultas inſidias nobis parant iuxta illud Pſalmi 141. in via hac qua ambulabam abſcõderunt laqueum mihi; Itaque homo, quandiu in hac vita eſt, indiget Angelo Cuſtode, ſiue ille homo ſit fidelis, ſiue infidelis.

31 Etiam primi Parentes in Paradiſo, quamuis creati in gratia, & ſanctitate, & nullam ſentientes carnis rebellionem aut inclinationem ad malum, & omnia, quæ ad Dei cultum ſpectabant, erant ipſis facilia, ex quibus nullum tædium, aut moleſtia ſuboriebatur; indiguerunt Angelo Cuſtode, ipſumque habuerunt, nam ordo diuinæ prouidentiæ exigit, vt non ſolum præſcribat quẽ finem aſſequi ſtudio, & labore debeat, ſed etiam proſpiciat de medijs, quibus comodè eum aſſequi poſſit; at cuſtodia Angelica non ſolum in ſtatu naturę corruptæ, ſed etiam in ſtatu Innocentiæ erat medium neceſſarium ad comodam finis aſſecutionem, ergo in illo ſtatu fuit homini prouiſum de huiuſmodi cuſtodia; minor probatur ex euentu, quo conſtat hominem in illo ſtatu, nec fuiſſe impeccabilem, quia reuera peccauit, nec tutum ab inſidijs Diaboli, quia reuera à Diabolo deceptus eſt, ergo conſtat eguiſſe Angelo Cuſtode; An vero extet adhuc paradiſus terreſtris affirmant ferè omnes omnes Patres Ireneus, Hieronymus, Auguſtinus, Beda, Theodoretus apud Bellarminum lib. de gratia primi hominis Cap. 14. & alij plerique Scholaſtici in 2. ſent. d. 17: probabile eſt Enoch, & Eliam ibi commorari, vt aliquibus Patribus placet, et non paucos Angelos, vt arceant Dæmones ab ingreſſu; Nec debent mirari plerique noſtræ ætatis homines, quod cum dicamus paradiſum extare ipſi reperire nequeant, obſtat enim Cuſtodia Angelica, nam nec ſepulchrum Moyſis inueniri non poteſt, cum tamen conſtet eſſe in valle terræ Moab contra Phegor;

Digitized by Google

Probabile eſt, quod tempore quo Chriſtus ab Inferis ſuſcitatus per 40 dies conuerſabatur cum Apoſtolis omnes Animæ ſanctæ veteris teſtamenti iam ex inferioribus partibus terræ eductæ in Paradiſo commoratæ ſint apud Enoch, & Eliam, donec cum Chriſto in Cœlum ingrederetur. Ita Beccanus de officijs Angelorum Cap. 7. n. 8. vbi addit ſequentia eſſe minus probabilia, quamuis à nonnullis aſſerentur; primo D. Paulum raptum fuiſse ad hunc Paradiſum terreſtrem; ſecundo Latroni in Cruce hunc eundem Paradiſum promiſsum; tertio Animas etiam noui teſtamenti, quæ ante Chriſti paſſionem dicuntur fuiſse in ſinu Abrahæ non alibi quam in hoc Paradiſo fuiſſe; quarto Animas etiam noui teſtamenti, quæ tepidiores fuerunt in dilectione Dei ad tempus in Paradiſo terreſtri detineri.

32 Ieſus Chriſtus Dominus noſter habuit Angelos, ſibi non miniſterio ſuprapoſitionis, ſed ſuppoſitionis, iuxta illud Matth 4. ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei, & ratio eſt, quia Chriſtus ratione vnionis hypoſtaticæ, eſt dominus Angelorum, ergo Angeli ſunt Miniſtri eius; Non tamen habuit Angelos, qui cuſtodirent eum, ſicut nos habemus; nam Chriſtus non erat purus viator, ſed ſimul beatus, ergo non indigebat Angelo cuſtode, & confirmatur, quia nos indigemus Angelo Cuſtode propter tria, primo, vt nos doceat, et inſtruat ne decipiamur, ſecundo, vt moneat, & hortetur ad bene agendum, tertia, vt remoueat occaſiones, & pericula peccando, at Chriſtus nullo horum indigebat, primo quia habebat maiorē ſcientiam, quam omnes Angeli, ſecundo, quia cum eſset plenus gratia poterat ſeipſum excitare ad bene agendum, tertio, quia erat impeccabilis propter ſummam ipſius Animæ fruitionem; Dices, dum Chriſtus fuit in horto triſtis vſque ad mortem, & ex nimio mortis timore ſudauit ſanguinem, apparuit autem illi Angelus de Cœlo confortans eum, ſed confortare eſt actus quidam Angeli Cuſtodis, ergo Chriſtus habuit Angelum Cuſtodem. D. Bonauen. in 2. diſt. 11. art. 1. q. 3. egregie ſatisfacit huic dubitationi dicens duplicem eſſe confortationem vnam poteſtatiuam, aliam miniſterialem; hæc confortatio, quam refert D. Lucas 22. fuit miniſterialis ſimplex, non autem poteſtatiua, ſecundum quam Angelus cuſtodit hominem purum, exemplum eſt de ſeruiente, qui dicitur confortare dominū ſuum non poteſtatiue, ſed miniſterialiter dicendo aliqua excitantia ad conſolationem; Concludendo itaque dicitur, quod Chriſtus fuit confortatus ab Angelo non cuſtodiendo, nec aliquid imprimendo in Chriſtum, ſed famulando, & obſequendo cum reuerentia, & congratulando fortitudini eius, vere enim timuit & triſtabatur, vere in paſſione doluit in diuiſione continui, & ex infixione clauorum in manibus, & pedibus; quia ſpiritus, & ratio ſuperior erat prōpta Caro autem, ideſt ſenſualitas infirma.

33 S. Ioan. Baptiſta Apoſtoli, & quot quot præterea fuerunt confirmati in gratia habuerunt Angelum cuſtodem ſibi aſſignatum; & ratio eſt, quia ſine cuſtodia Angelica, & protectione Angelorum non fuiſſent confirmati in gratia, ac proinde nec impeccabiles; Quod ſic oſtēdo poteſt aliquis dupliciter reddi impeccabilis, vno modo per vltimatā beatitudinem, ſic Chriſtus & Beati in Cœlo, alio modo per ſpecialem aſſiſtētiam, & protectionem diuinam, quæ conſiſtit, vt plurimū in opportunis inſpirationibus, & illuminationibus immiſſis in intellectu hominis, & pijs affectionibus in voluntate, & in amotione occaſionum, & periculorum peccandi; Hoc

autem Deus facit non tantum per ſe, ſed etiam per Angelos Cuſtodes, & hoc regulariter ex ſpeciali prouidentia diuina; Vnde ſi homines confirmati in gratia non haberent Angelos, à quibus prędicto modo protegerentur iam non eſſent confirmati in gratia, ac proinde nec ſic impeccabiles, ergo vt hoc modo ſint impeccabiles opus eſt Angelorum cuſtodia; De Beata Virgine Maria non eſt ita certum eſt, quod habuerit Angelum Cuſtodem, nam nonnulli negant, primo quia erat Mater Dei, & proinde erat Domina omnium Angelorum, ergo Angeli fuerunt potius Miniſtri eius, quam Cuſtodes, & præſides, ſecundo, quia Angelus cuſtos deputatur ob tres cauſas vt dictum eſt, prima vt inſtruat & doceat ſecunda, vt excitet ad bene agendum, tertia vt remoueat occaſiones, & pericula peccandi ſed hæ cauſæ non habuerunt locum in V. M. non duę priores quia B. Virgo habebat ampliorē ſciētiam infra beatificā, & gratiam, quā ſupremus Angelus, nec tertia, quia erat impeccabilis per gratiā.

34 Huc accedit quod cum B. Virgo habuerit plurima priuilegia præ alijs omnibus ex eo, quod eſſet Mater Dei non videtur illi negandum hoc priuilegium vt habuerit Angelos non præſidentes poteſtatiue, ſed miniſtrantes reuerenter, & obſequioſe; Nihilominus tamen plerique Virgini beatæ datum fuiſſe Angelum Cuſtodem aſſerunt, & quidem D. Bernardus, & Vgo Victorinus aſſerunt fuiſse Gabrielem; nec obſtant rationes allatę, primo, quia tametſi eſset Mater Dei, non tamen fuit intrinſece Mater impeccabilis, ſed ſolum extrinſece per ſpecialem protectionem eo modo, quo de alijs cōfirmatis dictū eſt, ſecundo, quia quamvis habuerit maiorē gratiam ſanctificantem, quam Angeli nō tamen maiorem ſcietiam ſupernaturalē, aut potentiam, de ſcientia conſtat, quia Angeli erant præditi ſcientia viſionis Beatificæ, quæ omnium eſt præſtantiſſima, quam Virgo beata, dum erat viatrix nundum habebat; Hoc enim eſt ſpecialiſſimum priuilegiū Chriſti fuiſſe Viatorem ſimul, & comprehenſorem iuxta alibi tradita de comprehenſione; Deinde Angeli diuinas reuelationes deferebāt ad Beatam Virginem, ergo etiam ex hac parte erant ſuperiores. Idem de potentia dicendum eſt, quia conſtat Angelos facilius poſse impedire Diabolos inuiſibiles, quam B. Virgo in hac vita loquendo de potentia phyſica, & naturali non de meritoria, & ſupernaturali.

35 Paruulis etiam deputantur Angeli Cuſtodes, Cuſtodia autem talis ſecundum D. Bonauenturam, & Gabrielem in 2. diſt. 11. incipit à puncto conceptionis, ſeu Animationis, quando ſcilicet Anima infunditur corpori; ſed ſecundum D. Hieronymum in Cap. 18. Matth. & D. Thomam p. p. q. 113. art. 5. ab inſtanti natiuitatis; ſecundū alios, vt refert origen. hom. 6. in Matth. à recepto baptiſmo; Hęc controuerſia definiri non poteſt, niſi præmiſsa diſtinctione; nam beneficia, quæ nobis à Deo præſtantur duplicia ſunt, alia prouidentur homini quatenus homo eſt, alia quatenus Chriſtianus eſt; prioris generis ſunt bonæ inſpirationes, pij voluntatis affectus, diuina aſſiſtentia, & protectio, atque his ſimilia, quæ dari ſolent homini quovis tempore quando capax eſt, & requirit neceſsitas; Poſterioris generis ſunt vſus ſacramentorum, & hæc non dantur niſi poſt baptiſmum ſuſceptum; Cuſtodia Angelica pertinet ad primum genus ſecundum D. Bonauenturam, & D. Thomam, quia æque conuenit Chriſtianis, & nō Chriſtianis, ergo non datur homini, quia Chriſtianus eſt, ſed quatenus homo eſt, ergo non neceſsario differtur vſque ad

Digitized by Google

Baptiſmum, ergo ſemper conferri poteſt, quando & homo capax eſt, & neceſsitas requirit; ſed ante Baptiſmum poteſt homo Cuſtodiri ab Angelo; & propter maleficia Dęmonis indiget hac Cuſtodia, ergo ante baptiſmum habet Angelum Cuſtodem; Probabilius eſt hanc Cuſtodiam incipere in inſtanti natiuitatis, quia quandiù puer eſt in vtero Matris, eſt quaſi vnumquid cum Matre propter colligationem eo modo quo fructus pendet ex arbore eſt vnum, quid cùm arbore, ergo idem Angelus, qui cuſtodit Matrem ſufficit etiam ad cuſtodiendum filium; At cum puer ex vtero materno egreſsus eſt indiget proprio Cuſtode, qui non ſolum corpus eius tueatur ab alijs periculis, ſed etiam procuret remedium contra peccatum originale; Hæc cuſtodia durat quandiù vita finitur, quia toto tempore durant pericula, tum ſpiritualia Animæ, tum corporalia corporis.

36 Sępe dictum eſt Angelum Cuſtodem docere hominem cuſtoditum; modo videndum eſt, quomodo doceat, pro quo nota, quod Angelus poteſt dupliciter hominem docere, vno modo ſenſibiliter mediante corporeo inſtrumento aſsumpto, patet de Tobia, & alijs, alio modo inuiſibiliter docere poteſt hominem illuminando ipſum, & ipſi reuelando arcana, & miſteria Dei, vt conſtat in Daniele de Angelo 70. hæbdomadas Propheta declarante, & mille alijs locis, tum Prophetarum, tum alibi; Angelus docendo hominem non poteſt cauſare immediate effectiue intellectionem, vel ſpeciem intelligibilem in intellectu hominis, quia actus actiuorum ſunt in patiente bene diſpoſitio 2. de Anima, ſed intellectus humanus dum est coniunctus corruptibili corpori non est diſpoſitus nec aptus ad ſuſcipiendam immediate intellectionē, ſpeciem intelligibilem ab ipſo Angelo, ſed eam recipere debet mediante phantaſmate ex 3. de Anima, ergo Angelus non poteſt immediate cauſare effectiue ſpeciem intelligibilem, vel intellectionem actualem in intellectu hominis viatoris; Hinc in hac re nota eſt differentia inter intellectum Angelicum, & intellectum humanum pro ſtatu iſto, quod ille poteſt recipere immediatè intellectionem actualem effectiue cauſatam ab alio Angelo ſibi loquente, quia adhoc nihil aliud requiritur, iſte autem non niſi mediante phantaſmate, quia oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari, & confirmatur, quia phantaſmata ſe habent ad intellectum noſtrum pro ſtatu iſto, ſicut ſenſibile ad ſenſum, ſed ſenſus non immutatur primo, niſi ab aliquo ſenſibili, ergo nec intellectus noſter poteſt primo immutari, niſi ab aliquo phantaſmate.

37 Pluribus modis Angelus poteſt hominem docere primo vtendo ſignis ſenſibilibus ad placitum inſtitutis exprimendo in corpore aſſumpto conceptus per voces, & terminos, ſic docuit B. Virginem Mariam, Tobiam, & alios; ſecundo obijciendo res naturales ſenſibus, ex quibus cognoſcet homo quidnam futurum ſit, ſic docti ſunt Prophetæ; Hieremias videns virgam vigilantem, & ollam ſuccenſam; Daniel videns quattuor beſtias, & Ezechiel videns quattuor rotas; tertio agendo circa phāntaſticam virtutem, vel cauſando nouū phantaſma, de quo modo eſt magna difficultas, an hoc poſſit facere Angelus per ſe immediate; quarto, remouendo impedimentum, vtputa ſi perturbatio humorum, vel ſpirituum vitalium impediat apprehenſionem phantaſmatum illam ſedare poteſt, qua ſedata phantaſmata ordinate occurrunt; nam videmus in aqua mota Immagines non apparere, quæ apparent in aqua quieta, & tunc diſtinctus viſus eas intuetur. Sic

Ooo etiam

etiam motus ſpirituum, & humorum, qui impediunt cognitionem diſtinctam cum Angelus poſſit ſedare, & quietare iuuat, & diſponit ad diſtinctam cognitionem. Hinc 7. Phyſicor. dicitur anima ſedendo, & quieſcendo fit ſapiens, & prudens, ergo Angelus ſedando motum illum, etiam facit aliquam diſpoſitionem in homine ad ſcientiam; quinto agendo circa intellectum poſſibilem, non quidem immediate cauſando ſpeciem intelligibilem, vt cauſa talis, ſed coagendo intellectui agenti hominis, duo enim intellectus agentes ſcilicet Angeli, & hominis perfectius poſſunt agere, quam ſolus intellectus agens hominis, & ſic poſſunt perfectiorem ſpeciem producere, & expreſſius rappreſentatiuam, & per conſequens perfectiorem actum intelligendi; ſexto conſeruando à vitijs, per quod diſponitur homo ad diuinas illuminationes, ſeptimo antiquas ſpecies phantaſticas, & intelligibiles per motum localem varijs modis coniungendo, & ita varias apprehenſiones, & cogitationes in intellectu excitando.

38 Pręter beneficia recenſita numero antecedenti, & numero 25. quæ homini cuſtodito ex cuſtodia Angelica, conſtat ex ſcripturis Angelos Cuſtodes multis alijs modis prodeſſe eiſdē quos in cuſtodiam retinent, tum in corpore, tum etiam in bonis temporalibus; nam Angelorum miniſterio Tobias ſenior viſum recepit; Iunior, e faucibus piſcis ereptus eſt, Sara, & Tota Raguelis domus ab infeſto Dæmone liberata, Loth ab incendio liberatus, & ſeruatus, Agar & Iſmel in ſolitudine Daniel in lacu Leonum, Elias ſub Iunipero paſſi ſunt; tres pueri in fornace liberi, & conſeruati; Illaſi Magi, B. Virgo, & Ioſeph Inſidias Herodis euaſerunt, Petrus, & Ioannes è Carceribus educti, Paulus è præſentiſſimo naufragio ereptus ægroti in piſcina ſanitatem conſecuti; Inſuper Angeli Cuſtodes propter ſalutem, & bona opera, cuſtoditi gaudent non quidem gaudio eſſentiali, quod cum conſiſtat in viſione, & fruitione beatifica non poteſt illis augeri, nec accreſcere, ſed gaudio accidentali iuxta illud Lucæ 15. gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente quam ſupra 99. iuſtis, ergo ſi ex conuerſione peccatoris Angelis Dei accreſcit gaudium, multo magis de eius beatificatione; Accedit ratio, nam nullum bonum eſt apud Deum irremuneratū, ſed Angeli Cuſtodes bene operantur, ergo debetur illis aliquod bonum in præmium, ſed illud bonum eſt gaudiū non eſſentiale, ergo accidentale, quo reuera gaudent, dum conducunt ſuos cōciues ad beatitudinem, & explent amorem, quo ipſos diligunt; Angeli enim Cuſtodes diligunt homines, ſicut ſeipſos, ergo ſicut gaudent de propria beatitudine, & ſalute, ita gaudent de ſalute cuſtoditorum.

39 Angeli Cuſtodes offerunt Deo noſtras preces, quando eas cognoſcunt, ſiue cognoſcant cognitione naturali, quod tunc fit quādo per exteriora quędam ſigna per ſuſpiria, per tonſionem pectoris probabiliter coniectant, quid animo deſideremus, ſiue viſione beatifica, ſicut putauit D. Thomas, ſiue potius reuelatione noua, quod facilius intelligitur, & hac ratione melius defenditur viſionem beatificam eſſe inuariabilem non ſolum ex ſua parte, & formaliter, ſed etiam ex parte obiecti, probatur intentum ex ſcripturis Tobiæ 12. ego obtuli orationem tuam Domino, & Apoc. 8. aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sāctorum de manu Angeli coram Domino. Obijciunt Hæretici non opus eſſe, vt ipſi offerant Deo, cui nihil occultum eſt, ſed omnia nota, & aperta; Reſpondent Catholici, Deo

qui

quidem notas eſſe noſtras preces & orationes, & ex hac parte non opus eſſe, vt ab Angelo offerantur, ſed ob alias cauſas id fieri; primo ad maiorem noſtram vtilitatem; ſecundo ad maiorem Dei gloriam, & honorem, nam facilius aliquid à Deo impetramus, quando nō tantum noſtræ orationes, ſed cum ijs etiam Angelicæ ad Deum mittuntur, & magis illuſtratur Dei gloria, quando non ſoli homines, ſed etiam Angeli Deo ſupplices fiunt; ſed quis eſt modus offerendi Deo noſtras preces, & quid agunt Angeli, quando eas ipſi offerunt? Reſpondetur, nihil aliud agunt, quam vt ſignificent Deo ſe cupere, & deſiderare, vt noſtræ preces à Deo exaudiantur; An autem ijdem Angeli deferant etiam noſtras orationes ad eos Sanctos, quorum nos patrocinia imploramus, facile expediri poteſt; nam ſi Sancti, quos inuocamus verè ſunt Sancti, & clarè Deum vident; ſicut reuera vident, tam poſſunt ipſi videre orationes noſtras, quam Angeli, ſiue id fiat per viſionem beatificam, ſiue per nouas reuelationes extra illam viſionem, ac proinde nihil opus eſt, vt ab Angelis ad ipſos deferantur.

40 Nullum eſt dubiū Angelos Cuſtodes pugnare pro nobis contra Dæmones dicente Apoſtolo Epheſ. 6. 12. non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem; & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, aduerſus Mundi Rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitiæ in Cœleſtibus; Ideoque hortatur nos accipere armaturam Dei, vt poſsimus reſiſtere in die malo, & ſtare aduerſus inſidias Diaboli; Quæ eſt hæc armatura Dei? Reſpondetur, non vna ſed multiplex; Alia enim eſt ab internis virtutibus præſertim fidei, ſpei, & Charitatis, de qua loquitur ibidē Apoſtolus, alia ab externa protectione, & cuſtodia Angelorum, qui ad inſtar militum in acie nos tuentur, & defendunt vt ex ſcripturis patet Geneſi 32. caſtra Dei ſunt hæc, & 4. Regum 6. mons erat plenus æquorum, & curruum igneorum in circuitu Eliſei; Hinc apud Zachariam cap. 3. Angeli vocantur cornua, quia pro hominum ſalute contra Dæmones præliantur, & apud Iob. Cap. 25. appellantur Dei milites, quia pro honore Dei in hac noſtra Eccleſia militante propugnant amicos, & electos Dei, quod tribus modis fieri poteſt; primo moraliter per conſilium, & ſuaſionem, vt quando Angelus incitat homines ad bonum, quos Diabolus incitat ad malum, & ad peccatum, ſecundo moraliter per imperium, & poteſtatem à Deo acceptam imperando Dæmoni, vt deſiſtat in incepto; aut è certo quopiam loco non abeat, vel abeat, cui imperio, vel poteſtati à Deo acceptæ Dæmon reſiſtere nequit; quia Deus in tali caſu, vel ſubtrahit Dæmoni concurſum ſuum ne poſſit agere, vel terret illum maioribus pœnis, niſi obediat, tertio phyſice per vim, & potentiam naturalem, vt quando Angelus depellit Dæmonem è ſuo loco inijciendo illi ſpiritualem impulſum, qui in ſubſtantia eius immediate recipitur, hoc modo ſoli Angeli efficaciter pugnare poſſunt, qui ſunt in natura perfectiores Dæmone.

41 Conſtat ex ſcripturis Antichriſtum non tantum damnandum eſſe, quod illi commune erit cum omnibus reprobis, ſed etiam tantam futuram eius malitiam, vt nullum bonis inſpirationibus daturus ſit locum; ſic colligitur ex D. Paulo 2. ad Theſ. 2. vbi per antonomaſiam appellatur homo peccati, filius perditionis, & ille iniquus, cuius eſt aduentus ſecundum operationem Sathanæ in omni ſeductione iniquitatis, & ex illo Iob. 41. corpus illius quaſi ſcuta fuſilia compactum quam-

Digitized by Google

Tis ſe ſe præmentibus, vna vni coniuncta, vt ne ſpiraculum quidem incedit per eas; vbi ſignificatur Animam Antichriſti ita futurum vndequaque ob firmatam, & obſtinatam in malo, vt nulli vel minimæ, ac tenuiſſimæ Spiritus Sancti auræ; ideſt inſpirationi locum præbeat; immo non deſunt qui arbitrẽtur nullum omnino actum nõ dico meritorium, ſed nec moraliter quidem bonum effecturum, propter continuam conſuetudinem, & familiaritatem cum Dęmone, & effuſam, ac proiectam in omnia vitia naturam: Alij vlterius progreſſi docuerunt fore tantam eius malitiam, quanta in homine cadere non poteſt, ac proinde perſuaſum habent, aut non fore hominem, ſed Dęmonem in humano corpore, aut certe Dęmonẽ per incarnationem hominis; ſicut Chriſtus fuit homo per incarnationem, vt refert D. Hieronymus in Cap. 7. Danielis; quod tamen eſſe Angelo impoſſibile ſupra probatum eſt.

42 Ex dictis ſumuntur duæ rationes, quibus videtur probari poſſe Antichriſtum nõ habiturum Angelum Cuſtodem vna eſt quia teſte Apoſtolo nulla eſt conuentio Chriſti cum Belial, ſed Antichriſtus erit homo peccati, & filius perditionis, & venturus eſt ſecundum operationem Sathanæ, ergo nec erit filius Chriſti, nec venturus eſt ſecundum operationem Dei, ergo neque ſecundum operationem Angelicaam; ſecunda ratio eſt, quia quotquot in peccatis obdurati ſunt, deſtituuntur omnibus præſidijs diuinæ gratiæ, nihil enim aliud eſt aliquem eſſe obduratum in peccatis, quam à Deo deſeri ob peccata præcedentia, & omnibus gratiæ auxilijs deſtitui, ita vt à peccatis reſurgere non poſſit; cum ergo Antichriſtus toto tempore vitæ ſuæ futurus ſit obduratus in malo recte concluditur planè deſtitutum iri omnibus diuinæ gratiæ præſidijs, ac proinde etiam Angelica Cuſtodia; Quibus tamen non obſtantibus dicendum eſt Antichriſto, quamuis omnium mortalium nequiſſimo, non defuturum Angelum Cuſtodem, ſicut nec alia gratiæ præſidia, quæ ad ſalutem cõſequendam neceſſaria ſunt quia ſemper vera eſt illa regula diuinæ prouidentiæ Deum (quantum eſt ex ſe) velle omnes homines ſaluos fieri, ergo ſemper verum eſt Deum ex ſua parte non deeſſe vlli homini quo minus ſaluus fiat, ergo ex ſua parte prebet illi media ad ſalutem neceſſaria; & confirmatur ex communi ratione prouidentiæ, quia qui proponit alicui finem debet etiam prouidere de medijs, quæ ad finem cõſequendum neceſſaria ſunt, & requiruntur, ſed cuſtodia Angelica eſt medium neceſſarium homini ad conſequẽdam vitam æternam; ergo.

43 Nec obſtant rationes *in contrarium* allatæ, nam prior ſolum probat Antichriſtum non futurum filium Dei, nec ſecundum Deum operaturũ, quod facile admittitur, hinc tamen nõ ſequitur plane deſertum iri à Deo; Poſterior falſum aſſumit, non enim qui in peccato obdurati ſunt omni prorſus auxilio deſtituuntur, ſed ſolum denegantur illis maiora, quædam ſubſidia iuſto Dei iudicio, quæ ſi darentur facilius à peccato reſurgerent; Et reuera eſt de fide quem libet peccatorem viatorem, dum eſt in hac vita poſſe ſaluari, ſic definitum eſt in Concilio Niceno, & in Concilio Romano ſub Cornelio Papa contra Noatum, teſte Euſebio lib. 6. Hiſt. Eccleſiaſticæ, & Hæreticum dogma eſt, vt docet D. Thom. in 3. p. q. 86. eſſe aliqua peccata in hac vita, quæ per pœnitentiam deleri non poſſunt, ergo etiam erit Hæreticũ aſſerere, quod quis poſſit venire ad talem ſtatum in hac vita, quod non poſſit agere pœnitentiam de ſuis peccatis, ac proinde ſaluari; decer-

neute

nente Concilio Lateranenſe ſub Innocentio III. in Cap. firmiter de ſumma Tr n., & fide Cathol., quod omnibus hom:nibus, quandiù viuût, patet aditus ad ſalutem; Ex quo inferre licet, quod alias ſequeretur, quod daretur ſtatus in hac vita, in quo homo poſſet deſperare de propria ſalute, quod eſt falſiſſimum, quia ad vltimum vitæ tenentur omnes illam ſperare.

44 Stat, ergo veritas firma, & immobilis, nec Deum, nec Angelum relinquere totaliter quantumcumque obſtinatum peccatorem, quandiu erit in ſtatu viæ, quia tam Deus, quam Angeli boni ex benignitate, & Charitatis præſcripto ſunt magis proni, & ſolliciti ad adiuuandum, & ſaluandum, quam ſint mali Angeli ad perdendum, ſed mali Angeli numquam deſinunt hominibus inſidiari vſque ad mortem, teſte D. Bonauentura in lib. meditat. ergo boni Angeli numquam deſinunt auxiliari; Immo ſi Angelus ex reuelatione ſciret, quod iſte homo damnabitur non dimittet; Probatur dupliciter primo, quia hominis liberum arbitrium, cum ſit vertibile, poteſt in hac vita ſemper mutari; ſecundo quia huiuſmodi reuelationes ſunt condicionales, & comminatoriæ. Quod ſi inueniantur aliquæ auctoritates, quæ inſinuare videntur Angelum Cuſtodem deſerere cuſtoditum ſunt exponendæ, quod non loquantur de derelictione totali, ſed aliquali, quia iuſto Dei iudicio homo de ſuo peccato non pœnitens in aliud peccatum ruere permittitur iuxta illud D. Gregorij peccatum, quod per pœnitentiam nô diluitur mox ſuo pondere in aliud trahit; ſed quæres quomodo eſt intelligendum dictum D. Damaſceni dicentis, quod Antichriſtus carebit Angelorum præſidio; Reſpondetur, quod præſidium poteſt accipi dupliciter vno modo communiter pro quocumque adiutorio, alio modo proprie ſecundum, quod præſidium dicitur à præſidendo primo modo non intelligitur dictum D. Damaſceni, quia Antichriſtus habebit præſidium, & adiutorium Angelicum propter tria; primo quia lex communis non debet infringi propter aliquam particularem perſonam, ſecunda vt ſic iuſtior pœna appareat, quia alias poſſet ſe excuſare; tertio quia ſi per Angelum non poterit conuerti ad bonum, poterit retrahi à multis malis, quæ alioquin facturus eſſet; ſecûdo modo intelligitur dictum D. Damaſceni: nam illi proprie præſidere dicitur Angelus bonus, qui mouetur ad nutum eius; ſic autem non erit in Antichriſto, immo potius mouebitur ad nutum Diaboli, & nullo modo aquieſcet bono Angelo.

45 Angeli cuſtodientes non dolent, neque triſtantur de cuſtoditi perditione, ſi dolor, vel triſtitia ſumatur prout dicit paſſionem, vel afflictionem, tum quia talis triſtitia eſt quædam pœna, quæ in Angelis beatis dari, aut reperiri non poteſt, quia eorum beatitudo, & fœlicitas excludit omne malum, & includit omne bonum; tum quia voluntas beatorum cum ſit recta eſt conformis, & coniuncta voluntati diuinæ, ergo quicquid, eſt volitum à Deo, eſt etiã volitum ab Angelis; Vnde cum pœna damnatorum ſi volita à Deo directe, & effectiue, etiam Angeli eam volunt, & de ipſa potius lætantur, quam triſtentur; ſi vero dolor, vel triſtitia ſumatur, vt dicit nolitionem ſimplicem ſine aliqua paſſione; conceditur, quod Angeli beati doleant de damnatione cuſtoditorum; quæ nolitio debet eſſe condicionata, ſi diuinæ voluntati eſſet placitum; quia cum eorũ damnatio de facto placeat Deo non poteſt abſolute Angelis diſplicere; ſed dices, Angeli delectantur cum iuſtificantur homines cuſtoditi, ergo triſtantur, & dolent cum peccant

ſtant; Reſpondetur, quod non ſequitur; ſequeretur autem, ſi Angeli eſsent hominibus cuſtoditis aliqua cauſa peccati, ſicut ſunt aliqua occaſio, vel etiam diſpoſitio ad bonam voluntatem, ſed tota cauſa peccati eſt in homine cuſtodito peccante. Ex his dictis reſoluitur aliud dubium; An Angeli compatiantur miſerijs damnatorum. Reſpondetur negatiue; nam quicumque alicui compatitur fit miſeriæ eius quodamodo particeps, ſed Angeli non poſſunt eſſe participes alicuius miſeriæ, ergo miſerijs damnatorum non compatiuntur. Item compaſſio, et miſericordia reſpiciunt miſeriam ſubleuabilem, ſed miſeria damnatorum non poteſt ſubleuari, ergo non eſt obiectum conueniens miſericordiæ, & compaſſioni Angelorum.

46 Acta exempla cuſtodiæ, & opis Angelicæ ex ſacra ſcriptura, primo Cherubim cuſtodiunt Paradiſum eiecto Adamo peccatore verſantque gladium flammeum Gen. 3. 24. ſecundò Angelus profugam Agar reduxit ad Saram heram ſuam Gen. 16, 7. tertio Angeli 3. Abrahæ promiſerunt filium Iſaac Gen. 18. 10. quartò duo Angeli eduxerunt Loth de Sodomis, & Sodomitas igne cœleſti concremarunt. Gen. 19; Quinto Angelus conſolatus eſt Agar, & Iſmaeli ſiti morienti puteo oſtenſo vitam ſeruauit Gen. 21, 17. Sexto Angelus impedit immolationem Iſaac Gen. 22. 21. Septimo Iacob vidit aſcendentes Angelos, & deſcendentes per ſchalam ad ſuam opem, Gen. 28. 12. Octauo Angelus docuit Iacob modum per virgas varij coloris producendi fœtus ſibi ex pacto debitos Gen. 31, 11; Nono Angeli deduxerunt Iacob ex Meſopotamia in Chanaam Gen. 32, 1, Decimo Angelus interpoſuit ſe inter caſtra Hebreorum, & Pharaonis illa illuminans, & deducens per Mare rubrum hæc obtenebrans, & ſubmergens Exodi 14, 19. Vndecimo Angelus deduxit Hæbreos per deſertum in Chanaam Exodi 23, 20. Duodecimo Angelus locutus eſt per os Aſinæ, & corripuit Balaam Numer. 22, 22, Decimotertio Angelus conſolatus eſt Hæbreos ab hoſtibus afflictos Iudicum 2. 1. Decimoquarto Angelus roborat Gedeonem ad bellum contra Madian Iudicum 6, 11. Decimoquinto Angelus promittit Manue filium Sanſonem Nazareum Iudicum 13. 3. Decimo ſexto Angelus percuſſit Ieruſalem peste ob numeratum à Dàuide populũ 2. Regum 24; 16. Decimoſeptimo Angelus confortauit Eliam pane, vt ambularet per 40. dies ad montem Dei Horeb. 3. Regum 19. 5. Decimo octauo Angelus miſit Eliam ad Ochoziam Regem, vt ei prediceret mortem ob adoratum Beelzebub 4. Reg. 1. 3. Decimo nono Angelus percuſſit 185 millia Aſſiriorum 4. Regum 19, 35. Vigeſimo Raphael Arcangelus Tobiam deduxit, & reduxit, curauit Saram eius vxorem, vt patet ex libro Tobiæ. Vigeſimo primo Angelus Iudith cuſtodiuit, & direxit ad cedem Holofernis Iudith 13, 20. Vigeſimo ſecundò Angelos tres pueros in Fornace Babilonica ab igne defendit Dan. 3. 49. Vigeſimo tertio Angelus concluſit ora Leonum ne deuorarent Danielem Daniel 6, 22. Angelus Gabriel oſtendit Danieli 70 Hebdomade occidendum eſſe Chriſtum Daniel 9, 21. Idem varia futura circa Reges Syriæ, & Ægypti eidem reuelauit Cap. 11. Vigeſimoquinto Angelus tutatus est, & vindicauit pudicitiam Suſannæ Daniel 13. 55. & 59. Vigeſimo ſexto Angelus rapuit Habachuc, vt ferret prandium Danieli in Lacu Leonum Daniel 14. 33. Vigeſimo ſeptimo Angelus Zachariæ 2, 3, 4, 5, 6, 12. varia miſteria reuelauit. Vigeſimo octauo Angelus haſtam vibrans præceſſit caſtra Iudæ, deditque victoriam 2. Machab. 11.

Digitized by Google

11. 8. In nouo teſtamento Angeli Chriſto nato cecinerunt gloriam in excelſis ſuaſerunt fugam in Ægyptum indeque reditum, miniſtrarunt Chriſto poſt tentationem confortarũt Chriſtum in Agonia Chriſti reſurrectionem nunciarunt, & alia plura.

47 Viſæ ſunt excellentiæ Angelorum tum naturales, tum ſupernaturales, & beneficia plurima, quæ nobis ex eorum miniſterio proueniunt; Vnde à nobis omni honore, & reuerentia habendi ſunt, & coli & adorari adoratione duliæ, quæ multo inferior eſt cultu latriæ, quæ Deo debetur, & ſuperior ea, quæ hominibus ſolet exhiberi, & merito, quia cultus, ſeu adoratio huiuſmodi cũ ſit quædam nota ſubmiſsionis, ſemper exhibetur alicui ratione alicuius ſingularis excellentiæ, ergo quo maior fuerit excellentia, eo potiori iure exhibetur, ſed in ſanctis Angelis appræhendimus maiorem excellentiam, quam in hominibus, ergo nobiliorem adorationem debemus Angelis exhibere, quam quibuslibet hominibus (excepto Ieſu Chriſto, vt homine, & V. Maria eius Sanctiſſima Matre, quibus debetur adoratio hyperduliæ.) Hinc etiam congruum eſt, & rationabile illis tali fine Templa erigere, ſicut Eccleſia Catholica vbique in Aſia, Europa, & Affrica conſueuit ad honorem, & venerationem Sanctorum Angelorum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & aliarum Sanctarum Mulierum; quæ cõſuetudo Eccleſiæ Sponſæ Chriſti, cum ſit introducta ſpirante Spiritu Sancto, & dictante, definientibus Sacris Concilijs, tum generalibus, tum prouincialibus, approbante etiam conſenſu veterum Patrum, & omnium Theologorum conſenſu pluris facienda eſt, quam latratus quorundam Hæreticorum, qui eam ſunt hoc reprobare; Idem iudicium faciendum eſt de laudabili vſu eorundem patrocinia inuocandi, & pingendi in forma corporea; qua ijdem Angeli dignati ſunt nobis apparere; cur non liceat eos hoc modo pingere, & imagines, ſiue ſtatuas ignoranti plebi proponere venerandas; quæ omnia cum ſint tam firmiter ſtabilita non eſt cur amplius immoremur ad ea probanda.

De infeſta Dæmonis contra hominem impugnatione. Art. II.

1 Oſtenſa ſatis Angelica cuſtodia, & protectione erga hominẽ, conuertendus eſt ſermo ad demonſtrãdam infeſtam, & pernitioſam impugnationem, quam Dæmon contra hominem inceſſanter exercet, & primo excludenda eſt huius nominis æquiuocatio, Dæmon igitur ſolet tripliciter accipi vno modo prout idem eſt, quod ſciens. Hinc de Paulo actuum 17. dicebant Athenienſes nouorum Dæmoniorum videtur denunciator, id eſt nouarum ſcientiarum, vt patet ex textu ſequenti, ita quod Dæmonium idem eſt, quod ſcientia, & Dæmon idem eſt quod ſciens, ſecundo modo apud Platonem Dæmones appellantur quædam naturæ ſubtiles aereæ miræ cognoſcibilitatis, & ſic accipiendo Dæmon, dicitur dupliciter ſecundum eundem Platonem, primo ſunt Chaco Dæmones, id eſt boni Dæmones à Chaco, quod eſt bonum, ſecundo ſunt Chacos Dæmones à Chacos, quod eſt malum, id eſt mali Dæmones, tertio modo appellantur Dæmones Angeli apoſtatæ per peccatum à Deo auerſi, ſicque Dæmon accipitur ad propoſitum noſtrum; pro quo notandum eſt, quod hoc nomen Dæmon deſumptum eſt ex lingua Syriaca quaſi dimon à diuitijs, nam

dum

dum ſine merito diuitias beatitudinis habere voluit recte Dæmon eſt nuncupatus, ſiue per contrarium ironice loquendo ideſt pauperrimus, ſiue miſerrimus. Stat igitur hoc nomen Dæmon pro illo Angelo, qui in principio mundi creatus, & pluribus perfectionibus præditus, & ornatus, parum, & non niſi per breuiſſimam temporis morulam manſit, ſed euanuit, & in ſummas miſerias deiectus eſt, vt infra videbitur.

2 De huius Dæmonis exiſtentia, & veritate fuerunt tres erroneæ opiniones, prima fuit quorundam ſectatorum Ariſtotelis negantium Dæmones eſſe, ſed ea, quæ Dæmonibus tribuuntur putabant prouenire ex virtute Cœleſtium corporum; Planetarum, & quarundam aliarum rerum naturalium, quam ſententiam reijcit D. Auguſtinus 10. de Ciuit. Dei, ſecunda opinio fuit quorandam aliorum Philoſophorum aſſerentium Dæmones quoſdam eſſe, ſed non quos dicimus, ſed eſſe Animas hominum; inter quos philoſophos fuit Plotinus teſte Auguſtino 9. de Ciuit. qui aſſeruit ex hominum animabus fieri Dæmones lares ideſt domeſticos, quam opinionem reijciunt D. Auguſtinus 9. de Ciuit. & D. Criſõſt. ſuper illa Verba Matth. exibant de monumentis ſic dicens non enim fieri poteſt vt vna ſubſtantia incorporea in aliam transmutetur, Anima ſcilicet in Dæmonis ſubſtantiam; tertia opinio aliorum referente D. Auguſtino de Ciuit. lib. 8. qui concedebant Dæmones eſſe, ſed à veritate aberrabant quoniam affirmabant Deos habere corpora cœleſtia, Dæmones aerea, homines vero terrena, & in hoc vltimo tantum veritatem attingebant; Cæterũ exiſtentia, & veritas malorum ſpirituum ſicuti eſt certisſima ſic varie, & multipliciter probari poteſt; primo auctoritate ſacrarum ſcripturarum, Leuit. 7. interdicitur immolari hoſtias Dæmonijs, & pſalm. 95. omnes Dij gentium Dæmonia, & Deuter. 32. in cant. Moyſis dicitur immolauerunt Dæmonijs, & pſalm. 108. Diabolus ſtet à dextris eius Tobiæ 6. fumus eius extricat omnegenus Dæmoniorum, Matth. 15. filia mea male à Dæmonio vexatur, & Lucæ 11. erat Ieſus eijciens Dæmoniũ, Ioan. 8. Dæmonium habes, & Marci 9. Hoc genus Dæmoniorum &c. & alibi paſſim, ſecundo auctoritate Patrum, quos nimis longum eſſet recenſere, tertio ex reſponſis, ſeu oraculis, & alijs miris effectibus, qui circa Idola apparuerunt, quibus Dæmones perſuaſerunt hominibus ſe colendos etiam magnis, & ſapientibus viris, quarto ex reuelationibus occultorum, quas ſæpe fieri hominibus, & factas certiſſima relatione didicimus, quæ ſaluari non poterant ex ordine, & influxu cauſarum corporalium ſuperiorum, & inferiorum, quinto ex operibus, & effectibus rerum magicarum, ſexto auctoritate Eccleſiæ, quæ inſtituit exorciſmos, & exorciſtas, orationes, & præces ad exorcizandos vexatos à Dæmonibus.

3 Hi Dæmones ob peccata commiſſa dum erant in via perpetuo damnati ſunt ad luendas pœnas in inferno; quæ pœnæ (generaliter loquendo) ſunt duę damni, vel ſenſus; Pœna damni eſt carentia viſionis, & fruitionis beatificæ; Pœna ſenſus ſignificata eſt in Euangelio ſub nomine gehennæ ſic Matth. 5. reus erit gehennæ ignis, & Cap. 10. perdere in gehennam vbi D. Hieronymus dicit duplicem dari gehennam caloris ſcilicet, & frigoris; Infernus vt ad propoſitum ſpectat, & relictis alijs acceptionibus, duplex eſt ſcilicet penalis tantum, & localis, & pœnalis ſimul; Infernus pœnalis tantum eſt ipſum Infernale ſupplicium quo cruciatur impij, & peccatores, tam Dæmones,

nes, quam homines, quod quidem ſupplicium eſt quoddam aggregatum ex multis cruciatibus, & doloribus; localis vero, & pœnalis ſimul eſt quidam locus ſubterraneus exiſtentes in centro terræ; In quo, qui exiſtunt perpetuò carent gratia, & gloria Dei, & multiplici, atque acerbiſſima pœna affliguntur, & torquentur. Omnes Dæmones, cunctique damnati æqualiter affliguntur pęna damni, cum ſit communis omnibus damnatis, tam Dæmonibus, quam hominibus. De pęna ſenſus aſſerit D. Petrus 2. Epiſt. Cap. 2. dicens Angelis peccantibus Deus nō pepercit habent igitur ſecum infernale ſupplicium ſibi à diuina iuſtitia preparatum iuxta illud Matth. 25. ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius.

4 Aliqui Dæmones puniuntur nunc in Inferno locali, iuxta illud Iſaiæ 14. detracta eſt vſque ad inferos ſuperbia tua, & illud 2. Petri 2. rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, ita conuenit, vt aliqui Dæmones nunc ſint in inferno ad torquendas Animas damnatas eorum, quos in malum induxerunt.

Et ratio dictat nam rudentibus, ideſt catenis infernalibus, ſcilicet igni, & Inferno eos alligando, vt nulla poteſtate, aut vi ea excutere aut ab ijs ſe liberare valeant; Per rudentes Inferni Sanctus Petrus hic ſignificat poteſtatem, ius, & vim, quam habuit, & exercuit Infernus quaſi Miniſter, & lictor Dei in Angelos in Cœlo mox vt peccarunt, & à Deo damnati ſunt, vt ſcilicet illos deturbante Michaele cum ſocijs Angelis bonis ſua quaſi vi ſupernaturali, quatenus ſcilicet erat inſtrumentum Diuinæ vindictæ è Cœlis ad ſe attraheret, ſibique vt tortori, & tormento indiuulſe, & inſeparabiliter alligaret; ſicut idem ille ignis Inferni dæmones quocumque terrarum vagantes ita detinet, vt actiuitatem eius nuſquam effugere poſſunt; ſicut ergo ignis vehemens ſuum quęrit pabulum, adeoque ſi paleas aut ſtipulas, vel eminus odoretur illico eas inuadit corripit, & incendit; ſic & ignis Inferni ſuum pabulum odoratus in Cœlo, puta Dęmones, illico eos ad ſe rapuit detraxit, & flammauit; Vbi nota paradoxon; nam tunc Infernus habuit ius in Cœlum, ideſt in Angelos in Cœlo; Ideo, quæ Cœlum fuit quaſi Infernus, imino Inferno ſubditū; Nec id mirum; quia magis mirum eſt peccatum Angelorum fuiſſe in Cœlo; quam pœnam peccati; Inde colligendum eſt, quanta ſit grauitas peccati, quę Cœlum quaſi Infernum, & Angelos in Dæmones commutarit.

5 Aliqui Dęmones in iſto aere ita communiter Theologi, & D. Auguſtinus 8. de Ciu. Dei Cap. 22. dicit, quod Dęmones in hoc quidem aere habitant, quia de Cœli ſuperioris ſublimitate deiecti in hoc ſibi congruo, vel vt Carcere condemnati ſunt; Idem dicit alibi, & D. Greg. 2. moral dicit, ſcimus quod immundi ſpiritus, qui de Cœlo ethereo lapſi ſunt in hoc Cœli, terræque medio vagantur; Hic quidem locus debetur eis ob tres congruitates, prima ex parte Dæmonis naturæ, quæ aliquod lumen retinet licet ſit obtenebratum per peccatum, propterea videtur eſſe quædam congruitas, quod ſit in aere qui ratione diaphaneitatis aliquid de Luce participat; ſecunda ex parte culpę quæ tenebroſitas, & obſcuritas quædam eſt, & ideo conuenit, vt ſint in aere tenebroſo, tertia ratione noſtri exercitij, decet enim eſſe in illa parte aeris tenebroſa, quæ eſt iuxta nos vbi generantur pluuiæ grandines, & tempeſtates, nec non obſcuritates, nam ſi eſſent in parte ſuperiori aeris nimis

Digitized by Google

eſſent remoti à nobis, vt non poſſemus ſufficienter ab eis exercitari; ſi autem eſſet in terra nobiſcum forte nimis nos impugnarent; Hic nota quod ſunt tres aeris partes, prima dicitur ſuperior quę eſt valde clara ob propinquitatem ad ignem, & cætera Cœli lumina, & diſtantiam à terra. Alia aeris infimi in quo nos habitamus. Alia media caliginoſa, quia vapores eleuantur illuc à terra virtute ſolis, & conuertuntur in pluuiam grandines, & cęteras tempeſtates; Vnde hæc pars, quæ eſt tenebroſa, tempeſtoſa, & frigida conuenit dæmonibus obtenebratio per culpa inquietis; per tentationum inuaſiones, frigidis ob carentiem Charitatis ideo illis vſque ad diem Iudicij decreta eſt.

6 Petes ſi Dæmones in aeris parte caliginoſa quaſi in carcere ſunt detruſi qualiter tam libere exeunt, & in tanta multitudine; videntur enim totam terram occupaſſe, in templis, in ſtatuis, in Domibus, in penetralibus, limitibus agrorum, ſyluis, fontibus, fluminibus, & locis amænis, in quibus colebantur, & reſpondebant; Item libere egrediuntur, tum ad incantationes, & inuocationes Magrorum, & Necromanticorum mox veniunt; Et Euangelium proteſtatur in vno homine legionem fuiſſe, quo modo ergo ligati, & incarcerati cenſentur, qui ita diſcurrunt? aut ergo pauciſſimi remanebunt in aere, aut incredibiliter numeroſa eſt multitudo eorũ; Reſpondetur intentionem Creatoris ſanctam, & rectam in omnibus eſſe, primo propter decorem iuſtitiæ; ſecundo propter correctionem peccatorum; tertio propter punitionem culparum medicinalem; quarto propter exercitium electorum, has cauſas applica ſingillatim, & clara apparebit reſponſio; ſed dices, ſi Deus permittit exercitationes Dæmoniorum in bonum electorum, ergo videtur immiſericorditer agere, nam homo de ſe eſt abundanter pronus ad malum, & ſatis exercitatur à proprij paſſionibus, Reſpondetur immo miſericordia ſuper exaltat Iudicium, quia contra fomitem dat ſcintillam conſciētiæ contra Dæmonem dat bonum Angelum, & ſupra hoc largitur gratiam ſuam, & Spiritum Sanctum, qui vincit omnem poteſtatem, & ideo vt homines exerceantur (quia virtus in infirmitate perficitur) præbet Deus ſuis electis Angelum Sathanæ, qui eos colaphizet, ſicut colaphizauit D. Paulum, vt oſtendat verum eſſe illud Apoſtoli 1. Corin. 10. fidelis Deus, qui non patietur vos tentare ſupra id, quod poteſtis ſuſtinere.

7 Poſt diem extremi iudicij Dæmones omnes ſunt torquendi in eodem loco infernali cum cæteris damnatis iuxta illud Iudæ Apoſtoli, qui dicit Angelos qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium (ideſt Cœlum empyreum) reſeruauit Deus vinculis æternis, (ideſt reatu inexpiabilis obligationis) in Iudicium magni diei, & Apoc. 20. ſcribitur Angelus, qui habebat clauem abyſſi, & cathenam apprehendit draconem, qui eſt Diabolus, & miſit eum in abyſſum, & ſignauit ſuper eum &c. vbi iuxta illud Matth. 25. manebunt in ignem æternum; qui ignis non erit metaphoricus, nec metaphoricè dictus, ſed verus, & corporeus ſecundum ſacram ſcripturam, veteres Patres, & communiter ſacros Theologos, quibus accedit conſenſus Eccleſiæ; ſiquidem omnes fideles huic veritati adhæſerunt, qui omnes pro certo habent, quod talis ignis eſt, & erit inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ; quo in loco infernali, tum Dęmones, tum animæ damnatorum vere, & realiter puniuntur; Pro cuius intelligētia nota, quod ignis Inferni eſt eiuſdem ſpeciei cum igne noſtro viſuali; eſt tamen

Digitized by Google

men inter eos quadruplex differentia accidentalis prima, quia ignis, qui apud nos eſt ſua luce delectat. Ignis autem inferni, vel non lucet, vel parum lucet & hoc ad pœnam damnatorum, ſecunda, quia ignis qui apud nos eſt ſucceſſione ndiiget, & lignis nutritur, ſed ignis inferni nequaquam, tertia ignis noſter non agit niſi naturaliter, & ideo non poteſt detinere, vel ligare Animam, ſiue ſpiritum, cum omne corpus ſit minoris virtutis quam ſpiritus; Ignis autem Inferni eſt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ vindicantis, & ideo ex hoc habet virtutem retinendi, & ligandi ſpiritum, quarta ignis noſter eſt corruptibilis; Ignis autem Inferni eſt incorruptibilis, & æternus.

8 Dæmones, & Animæ damnatæ nō patiuntur ab igne Infernali videndo ignem, quia quodlibet viſum, vt viſum eſt perfectio videntis, ergo ignis in quantum ignis viſus non poteſt cedere in pœnam Dæmonum, ſeu Animarum damnatorum, nec patiuntur ab Infernali igne immaginando ipſum, vt ſibi nociuum, quia tunc pœna ignis non eſſet realis ſecundum veritatem, ſed apparens, aut imaginaria, nec patiuntur ab igne infernali alterando puta calorē, ardorem, ſiccitatem, vel aduſtionem ab igne recipiendo, quia tales paſſiones ſunt paſſiones corporis, et non ſpiritus; Ignis inferni infert pœnam Dęmonibus quattuor modis ſcilicet detinendo, impediendo, ſubdendo, et inimicando; Primo modo infert pœnam detinendo, et alligando non quidem propria, et naturali virtute, ſed virtute Dei in quantum eſt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ vindicantis, ſecundo modo infert pœnam impediendo ab executione proprie voluntatis, nam ſicut dicimus lapidem deſcendentem pati, cum ne deorſum tendat, impeditur; et ſicut dicimus hominem pati cum detinetur, vel ligatur, ne vadat quo vult; ita ignis inferni, vt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ punientis detinens Dæmones, & Animas ne poſſint operari vbi volunt, & ſecundum quod volunt, dicitur Dæmones, & Animas torquere, & affligere, tertio modo infert pœnam ſubiugando ſiue ſubdendo; quia cum Dæmones, & Animæ conſiderant ſe infimis rebus ſubdi, quæ natæ ſunt Deo frui habent maximam pœnam, eſt autem contrarium voluntati ſpiritualis ſubſtantiæ, vt corpori, ſicut eſt ignis ſubdatur, à quo libera eſſe debet, quarto modo inimicando quia Dæmones, & Animæ damnatæ apprehendunt illum ignem, vt inſtrumentum diuinę iuſtitiæ vindicantis eſſe ſibi nociuum, & per conſequens inimicum interiori inimicitia affliguntur, & anxiātur.

9 In illa terra miſerię, & tenebrarum, vt dicitur Iob. 10. nullus eſt ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, quod verum eſt tum quia voluntas damnatorum non ordinat aliquid in bonum, tum quia res pœnales, quæ ibi ſunt naturalem ordinem non vſquequaque ſeruant, quia ignis ardet, & non conſumit ſe ipſum neque ſpiritus, quos torquet, nec lucet, & alia huiuſmodi ſunt ibi contra conſuetum curſum naturæ; eſt tamen ibi ordo diuinæ iuſtitiæ vindicantis in malos per malorum miniſterium; Vel dictum Iob verum eſt quantum ad finē beatitudinis, reſpectu cuius ſic deordinati ſunt, vt non poſſint ad gratiam redire, tamen in eis est ordo poteſtatis ad tentandum humanum genus; quam poteſtatem nō habent à ſe ipſis, ſed à Deo, ideo tantum eam exercent, quantum eis à Deo permittitur cum continua dependentia ad Deum; & quamuis in illis ſit ordo ſecundum excellentiam naturalium, quæ in illis remanſerunt integra ſecundum D. Dionyſium est tamen peruerſus adiunctione culparum,

Digitized by Google

quia malum eſt corruptio modi ſpeciei, & ordinis, ſed Dæmones per peccatum facti ſunt mali, ergo inordinati, & per conſequens ſi inter eos eſt ordo ſecundum excellentiam naturalium eſt tamē per verſus, vt dictum eſt adiunctione culparum; Hoc totum probatur per illud Rom. 8. vbi D. Paulus ſerioſe inquit, certus ſum enim, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes poterunt nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro, & qui ſunt illi Angeli, quæ poteſtates, qui principatus, quæ virtutes, de quibus ait hic Apoſtolus? non vtique ſancti Angeli, Principatus, ſanctæque Cœlorum virtutes; abſit enim vt ipſi nitantur, vel niti poſſint aliquando ad ſeparandum nos à charitate Dei, loquitur ergo de Dæmonibus, in quibus ordines ponit Angelorum principatuū, & virtutum &c. Idem innuit ad Ephel. 6. dicens eſt nobis colluctatio aduerſus Principes, et poteſtates aduerſus mundi Rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Cum ergo Apoſtolus Dęmones nominibus ordinum deſignet patet, quod in ipſis ordines eſſe dicit.

10 An vero in Dęmonibus ſit prælatio; pro reſponſione nota, quod prçlatio duplex eſt altera de iure, et eſt aliqua auctoritas ad imperandum ſecundum Deum, et conſcientiam, al a eſt de facto, et eſt aliqua auctoritas vſurpata per fas, et nephas; Prælatio poteſt eſſe pluribus modis; primo ex natura; ſecundo ex electione; tertio ex violentia; quarto ex aſtutia; quinto ex diuina inſtitutione, in Deo eſt ſuprema prima, et ſumma non quidem ad intra, vbi omnes tres perſonæ ſunt omnino æquales in omni perfectione, nec vna alteri ſubiacet inter eas nō eſt Hierarchia (id eſt ſacer Principatus) nec præſidentia, nec prælatio, ſed ad extra nam ex natura præſidet omnibus creaturis; Prælatio eſt inter perſonas rationales, et intellectuales, inter Angelos, et inter homines. De Angelis quidem conſtat, quia ſuperiores mittunt inferiores; De hominibus etiam patet, quia Epiſcopi, et alij vocantur Prælati. Hinc ſequitur Paſtorem Gregis, et aliorum brutalium Animalium Cuſtodes, et Rectores non eſſe Prælatos. In Dęmonibus datur prælatio non violenta, nec ex electione, ſed ex natura, et diuina inſtitutione, Deus enim ordinauit, vt minus potens, et ſapiens potentioribus, et ſapientioribus ſubeſſet in miniſtrando, et vt inquit D. Thomas, quorum naturæ ſunt ſubordinatæ etiam actiones debent eſſe ſubordinatæ, in hoc enim conſiſtit ratio prælationis; Hæc prælatio inter Dęmones non eſt de iure, nam Dęmones quicquid præcipiūt, intendunt præcipere contra Deum, et contra ius, eo quod ruperunt ius, ergo talis prælatio non eſt de iure, ſed eſt de facto, quia Dęmones obediūt illis, quos vident nobiliores in natura præſtantiores in potentia, et ſubtiliores in malitia non ex amore, ſed odio, quod habent contra genus humanum, vt ſic obedientes ipſis omnes ſimul fortiorem exercitum conſtituant contra virtutes, et genus humanum; Hæc prælatio relata ad Deum eſt iuſtiſſima, quia iuſte, Dęmones à Deo accipiunt poteſtatem, vt docet Diu. Auguſt. lib. 3. de Trinit. Cap. 9. C. relata vero ad eorum peruerſam voluntatem eſt iniuſta, et iniqua, quia eorum voluntas eſt iniqua, et ad malum procliuis.

11 Primus Dęmon Lucifer, ſiue quocunque alio nomine nuncupetur præeſt alijs Dęmonibus, iuxta illud Matth. 12. et Lucæ 11. in Belzebub Principe Dęmoniorum eijcit Demonia, et D. Gregorius loquens de eo ait, conſideret homo, quid in terra elatus mereatur ſi et

Prę-

Prælatus Angelus Angelis in Cœlo proſternitur. Ex quibus verbis colligitur, quod ipſe Lucifer alijs Angelis Prælatus diceretur. Inſuper lucifer est caput malorum Angelorum, et ipſi eius filij iuxta illud Ioannis 8. vos ex Patre Diabolo eſtis, et deſideria Patris veſtri vultis facere, ex quibus verbis colligitur Luciferum eſſe caput per ſuperbiam nō ſolum malorum Angelorum, ſed etiam malorum hominum; Dices Caput habet conuenientiam cum membris, ſed Lucifer, ſiue Angelus non habet conuenientiam in natura cum malis hominibus, quia in ipſo eſt natura Angelica, in his vero natura humana; Reſpondetur, quod licet Lucifer, ſiue Angelus malus, aut Diabolus non habeat conuenientiam in natura cum membris, eo quia Diabolus eſt naturæ ſpiritualis, membra vero ſunt pertinentia ad naturam corporalem; in ipſis tamen membris eſt natura ſpiritualis ratione, cuius naturæ ſpiritualis recipitur influentia ſuggeſtionis ab ipſo capite, et penes hoc dicitur conuenientia in natura Capitis, & membrorum; ſi vrgens ergo Diabolus eſt caput etiam bonorum hominum probatur, tum quia Diabolus ſuggerit malum tam bonis, quam malis; tum etiam, quia tam boni, quam mali habent eandem conuenientiam ſpiritualem cum Diabolo; & ſi mali recipiunt ſuggeſtionem ab ipſo capite Diabolo, etiam boni recipiunt; Reſpondetur, quod inter bonos, & malos hæc eſt differentia per comparationem ad caput ideſt ad Diabolum, quod mali recipiūt ſuggeſtionem mediante conſenſu proprio in quo conſiſtit illa influentia mali Capitis in mala membra; boni autem non recipiunt huiuſmodi ſuggeſtionem conſentiendo, ſed potius diſſentiendo, & reprobando.

12 D. Hieronymus in Epiſtola ad Auitum, & in Apologia contra Rufinū, & D. Auguſtinus lib. de Hæreſibus Hæreſi 43. & alij Patres D. Thomas p. p. q. 64. art. 2. dixerunt Origenem opinatum fuiſſe voluntatem Dæmonum non ita obſtinatam eſſe in malo, quin conuerti, & reſurgere non poſſint à peccatis, docuiſſeque tam Angelos, quam homines in quocumque ſtatu, ſiue damnationis, ſiue beatitudinis retinere libertatem ad bonum, & ad malum, & proinde damnatos poſſe reſurgere à peccatis, & beatitudinem obtinere; ſimiliter, & beatos poſſe decidere à beatitudine iam adepta, & damnari; Non deſunt qui defendant Origenem vindicantes eum ab hoc, & alijs erroribus qui ei imponūtur; Quicquid ſit de opinione Origenis certum eſt de fide Dæmones non poſſe per pœnitentiam ſalutarem flecti, & conuerti ad bonum, iuxta illud Matth. 25. ite in ignem eternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius; & infra; ibunt hi in ſupplicium eternum, & Apoc. 20. Diabolus miſſus eſt in ſtagnū ignis, & ſulphuris, vbi & Beſtia, & pſeudo Prophetæ cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum. Huic veritati debent ſubſcribere omnes Catholici; Pro cuius rei intelligentia notandum eſt hanc impœnitentiam Dæmonibus non competere ex parte Dei, quia cum iſta impoſſibilitas ſit defectus non poteſt prouenire à Deo, qui eſt cauſa operis perfecti non defectus; Item Deus antecedenter, & quantum eſt ex parte ſua omnes Angelos, & homines vult ſaluos fieri, quia eos non creauit ad pœnam, ſed ad gloriam, vt inquit Damaſcenus, & quia ſi Diabolus peteret veniam à Deo, illam haberet, quia Deus nullum reſpuit confugientem ad ſe ſecundum D. Ambroſium, ergo impoſſibilitas non eſt ex parte Dei.

13 Neque eſt ex parte naturæ ipſorum Dæmonum, quia Angelus peccando non amiſit libertatem arbitrij, quia

eſt

eſt ei naturalis; ſed ratione liberi arbitrij erat ſuſceptibilis pœnitentiæ à ſua natura; ergo adhuc quantum eſt ex parte naturę ſuę eſt adhuc ſuſceptibilis eiuſdem pœnitentię; Item ſi natura eſt cauſa illius impoſſibilitatis, & cuiuſcumque rei per modum naturæ eſt cauſa Deus ſequeretur Deum eſſe cauſam illius impoſſibilitatis, ſed hoc falſum eſt, vt probatum eſt in ſuperiori numero, ergo nec natura Dæmonum; Hæc impoſſibilitas non eſt ex parte peccati ipſorum Dæmonũ, quia culpa quęcumque non inducit neceſſitatem voluntati; quia libertas eſt in voluntate, ſecundum quod voluntas eſt, & ita ſecundum quod libera, & vertibilis eſt, ergo ſi non inducit neceſſitatem non aufert poſſibilitatem ad oppoſitum; ergo impoſsibilitas illa non probenit ex parte peccati; Prima, & potiſſima cauſa, & ratio præciſa oſtinationis Dæmonum eſt eorum ſtatus damnationis; quia ſtatus damnationis reprobotum ſpirituum eſt, vt de Lege, & potentia ordinaria Dei pœnitere non poſſint, & confirmatur per differentiam inter obſtinatos in via, & in Inferno; quia obſtinati in via de Lege, & potentia Dei ordinaria poſſunt pœnitere, at obſtinati in Inferno de eadem lege, & potentia pœnitere non poſſunt; ſed notandum eſt ad vberiorem doctrinam triplicem eſſe ſtatum creaturę intellectualis nimirum viatorum, Beatorum, & damnatorum; ſtatus autem in communi eſt Lex diuina de concurrendo, vel non concurrendo cum intellectuali creatura ad operandum; In particulari vero ſtatus viatorum eſt Lex diuina de concurrendo cum viatore ad actum pœnitentiæ quotieſcumque viator pœnitere voluerit; ſtatus Beatorum nihil aliud eſt, niſi lex diuina de nunquam deſerendo Beatum, ne poſſit cadere non concurrendo ad malum, ſed tantùm ad bonum; ſtatus autem damnatorum eſt Lex diuina de non concurrendo cum damnatis ad pœnitentiam; Ita quod obſtinatio, & obduratio Dæmonum duplicem habet cauſam vnam negantem, & eſt Deus negans eis auxilium gratiæ ad conuerſionem; alteram meritoriam ſcilic. peccata; inde etiam ſequitur Diabolum non poſſe ſperare ſalutem, nam ſicuti ex dictis Diabolus eſt certus de ſua damnatione, & inde non poteſt reſipiſcere, ita non poteſt ſperare ſalutem.

14 Dæmones habent potentiam realem paſſiuam ad merendum, nam voluntas Dæmonum poſt peccatum eſt receptiua cuiuſcumque volitionis ſicut & ante, ſed ante peccatum poterat recipere actum meritorium ſcilicet dilectionis Dei, ergo & poſt, gratia enim, & charitas ſunt neceſſariæ ad meritorie operandum, non ad recipiendum meritorie operandum, non ad recipiendum meritorium actum, cuius voluntas ſine gratia eſt cauſa tantum partialis, ſed informata charitate eſt cauſa totalis, ergo Dęmones habentes voluntatem liberam non ſolum habent potentiam realem paſſiuam, ſed etiam habent partialem cauſam actus meritorij. Hæc propoſitio Dęmones poſſunt meritorie operari eſt impoſsibilis ab extrinſeco, & non ab intrinſeco, ab extrinſeco quidem, quia Deus ſecundum legem ordinariam, ſiue ſecundum ordinem ſuæ voluntatis decreuit, ſiue inſtituit non concurrere cum Dęmonibus quoad actum meriti, ergo eſt impoſſibilis ab extrinſeco, non autem ab intrinſeco, nam Dæmones habent voluntatem liberam, quæ vt dictũ eſt, eſt intrinſece cauſa partialis actus meritorij; ſi Dæmonum natura ſpectetur Dæmones poſſunt habere actum bonum ex genere, quia poſſunt habere multas volitiones tranſeuntes ſuper obiectum conueniens, vt puta quando amant ſe, & odio habent pœnas; Item Dęmones poſſunt exercere aliquem actũ

bo-

bonum moraliter, nam in Dæmonibus naturalia remanſerat integra, ideſt liberum arbitrium, & concurſus generalis Dei: actus autem moraliter bonus poteſt elici ex ijs. Item Dæmones poſſunt dolere de peccatis commiſſis, quatenus ſunt cauſa pœnæ illorum, idque nulla alia huic actui adiuncta mala circumſtantia, at huiuſmodi actus eſt moraliter bonus, ergo &c. maior patet ex illo Sap. 5. vbi damnati commemorantur pęnitentiam agentes; & præ anguſtia ſpiritus gementes &c. quia ſcilicet errauerunt; & ideo pœnas illas incurrerunt; De facto autem omnes actus Dæmonũ ſunt mali, quia probabile eſt propter obſtinatam voluntatem, & vehementem eorum malitiam, quod ſuos actus deforment ex circumſtantia referendo inordinate ad amorem ſui. Item quia cum Dęmones ſint in odio intenſiſſimo & perpetuo Dei, & proximi non habent aliquem actum bonum.

15 Actus Dæmonis ex deliberata voluntate ipſius procedens ſemper eſt malus, quod ſi interdum aliquid boni dicant, aut faciant, cum ſit relatum ad malum finem ſemper malum eſt; ſimiliter actus Dæmonis naturalis, qui poteſt eſſe bonus, cum proueniat ex bonitate naturę, nihilominus quia etiam tali actu abutuntur in malum, ideo malus eſt; & quamuis tales actus ſint aliquando boni ex genere deputantur tamen ad malam circumſtantiam, ſicq; ſemper ſunt mali; & vt paucis concludamus plura; Voluntas mala Dæmonum continue talis perſeuerat, nec admittit ſecum aliquid virtutis, nec informis, neque formatæ, neque Theologice, neque politice, quia Dæmones corrupti ſunt ſecundum omnia, quibus debebãt ordinari ad bonum ſecundum rationem, quia vt docet D. Dionyſius 3. de Diuinis nominibus malum Dæmonis eſt furor irrationalis, quo irrationabiliter agitatur, & iraſcitur cõtra omne bonum; Quod ſi quæratur: An Dæmones in ſtatu, in quo ſunt demereri poſsint. Reſpondetur cum diſtinctione; De meritum eſt duplex vnum quo meruerunt carentiam viſionis Dei, aliud in ſuggeſtione facta hominibus; primum de meritum eſt ſimpliciter in termino, non ſic ſecundum, quia illud Dæmones continue exercent; cui etiam debetur continue vſque ad futurum iudicium vniuerſale pœna determinata, & ſicut creſcit hoc demeritum, ita maior erit pœna, & pro iſto dicitur in Euãgelio Chriſto à Dæmonibus, vt quid veniſti ante tempus torquere nos, & ſicut hoc demeritum eſt accidentale reſpectu prioris iam dicti, quod eſt eſſentiale, ita pœna illi reſpondens eſt accidentalis. Obijcies illud Damaſceni lib. 2. de fide; quod hominibus mors eſt hoc eſt Angelis caſus; ſed poſt mortem non eſt in hominibus meritum vel demeritum, ergo nec ſimiliter in Angelis poſt vltimum lapſum; Reſpondetur dictum Damaſceni partim eſſe ſimile de Angelis lapſis & hominibus, & partim non; ſimile enim eſt quantum ad hoc, quod ſicut non eſt homini poſt mortem regreſſus per ſe ad vitam naturæ, ita nec Dæmonibus poſt lapſum ad vitam gratiæ; diſſimile vero eſt, quod homines poſt mortem proprijs actibus mereri vel demereri non poſſunt, ſicut Dæmones poſſunt poſt lapſum propriis actibus demereri.

16 In Angelis eſſe liberum arbitriũ, tanquam bonum naturæ ipſorum iam alibi oſtenſum eſt; nunc ſolum confirmatur ex definitione Angeli tradita à Damaſceno lib. 2. Cap. 3. vbi ſic ait Angelus eſt ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, arbitrio libera, incorporea; gratia non natura immortalitatem ſuſcipiens, cuius ſubſtantiæ ſpeciem, & terminum ſolus, qui Creator eſt, nouit, quod quidem arbitrium cum ſit flexibile,

bile,

Digitized by Google

bile, ex natura ſua, & ſemper mobile, non eſt naturaliter confirmatum in bono, poteſt tamen per gratiam confirmari in bono etiam pro ſtatu viæ, quod de facto patet experientia in natura humana; nam Beatiſſima Virgo Maria in ſtatu viæ ita fuit confirmata in bono, vt de propinquo, & proxime non poſſet peccare, & hoc merito competebat ei quia erat Mater Dei; Præterea Apoſtoli per aduentum Spiritus Sancti confirmati fuerunt in bono, quod etiam decuit, quia erant quaſi fundamentum, & baſis totius Eccleſiaſtici beneficij. Vnde oportuit eſſe firmos, & ſtabiles, & ideo in pſalmo dicitur ego confirmaui columnas eius, ſed in ſtatu Patriæ Angeli, & homines habent liberum arbitrium confirmatum in bono ſimpliciter, quia habent in ſe ſuæ firmitatis principium ſcilicet donum gratiæ conſumatæ, & inamiſſibilis & gloriæ, negatio diuini concurſus ad omne oppoſitum; Hinc non valet illa conſequentia ſi non poteſt in malum, ergo non eſt liberum, ſed ſequitur, quod non eſt deficiens confirmante influentia manus omnipotentis, quæ nullatenus deficere ſinit, dum ſtatuit non concurrere cum eis ad malum.

17 In Dæmonibus etiam eſt liberum arbitrium, quod cum ſit bonum naturæ etiam poſt eorum peccatum, & damnationem remanſit integrum eſſentialiter, licet accidentaliter ſit valde mutatum, & obſtinatione ad malum valde inclinatum, quæ obſtinatio in Dæmonibus dicit duo; quorum alterum eſt durities quædam, & praua voluntatis affectio, qua Dæmones immutabiliter adherent prauo fini; Alterum eſt denegatio diuini auxilij, propter quam fructuoſa pœnitentia illis eſt impoſſibilis. Hinc Dæmones eſſe obſtinatos duobus modis intelligi poteſt: vno modo, quod ita indurati in prauitate affectus ſui maneant, vt nunquam eis diſpliceat, neque diſplicere poſſit peccatum, cui ſemel adheſerũt, alio modo, quod ad fructuoſam pœnitentiam de peccato perpetrato nunquam reuertentur Deo illis gratiam denegante; Non tamen abſorbetur in Dæmonibus per obſtinationem vſus rationis, tum quia Dæmones conferunt, & diſponunt, qui ſunt actus rationis; tum quia in eis eſt vſus liberi arbitrij ergo, & vſus rationis; Confirmatio in bono, & obſtinatio in malo non auget, neque minuit libertatis dominium, quod opponitur coactioni; patet quia dominium hoc eſt eſſentiale, & naturale, cuilibet libero arbitrio tam Dei, quam Angelorum, & hominum, tam bonorum, quam malorum, cum non ſit niſi ipſamet voluntas, quæ eſt ſubſtantia, quæ non poteſt augeri, neque minui, eſt enim vna ex præcipuis ſubſtantiæ proprietatibus non ſuſcipere magis, & minus.

18 Confirmatio in bono auget dominium, quod opponitur ſeruituti, & ſubiectioni, quia liberum arbitrium tãto liberius eſt, quanto magis diſtat à malo, ſed per confirmationem magis elongatur à ſubiectione culpæ, & miſeriæ, quia Angeli, & homines ante confirmationem poterant peccare non autem poſt, ergo confirmatio in bono auget dictum dominium; Obſtinatio in malo minuit libertatis dominium, quod opponitur ſeruituti, quia liberum arbitrium per obſtinationem ſubiacet culpæ, & miſeriæ, ergo huiuſmodi dominium minuitur. Confirmatur per D. Anſelmum dicentem, quod potentia peccandi addita libero arbitrio ipſum diminuit, ergo multo magis actus peccandi, ſed hoc eſt in obſtinatione, ergo obſtinatio in malo diminuit libertatis dominium. Ex dictis duo corolaria colligi poſſunt primum, quod neceſſitas immutabilitatis non repugnat libero arbitrio

Digitized by Google

bitrio, nam talis neceſſitas reperitur in Deo; primo & ex ſe qui neceſſariò diligit bonum, & tamen in ipſo eſt liberum arbitrium, & ſumme liberum, ergo neceſſitas immutabilitatis non repugnat libero arbitrio; reperitur etiam in Angelis, & animabus beatis, quæ neceſſario, & immobiliter fruuntur Deo, & tamen retinent libertatem liberi arbitrij ſecundum corollarium; neceſſitas coactionis repugnat ex diametro libero arbitrio, quia voluntas, quæ eſſentialiter eſt liberum arbitrium non poteſt cogi, aliter voluntas non eſſet voluntas ſecũdum D. Auguſtinum.

19 Cognitio naturalis manſit in Dæmonibus iuxta D. Dionyſium Cap. 4. de diuinis nom. vbi docet, quod dona naturalia manent integra in dæmonibus & ſplendidiſſima; nec amiſerunt viuacem ſenſum Angelicæ creaturæ, ſed triplici modo præſcientiæ vigent primo ſubtilitate naturæ, quia ſunt ſpirituales ſubſtantiæ, & ſubtiles, nec impediuntur mole corporea. ſecundo experientiæ longitudine, nam ab antiquo tempore edocti plurima cognoſcunt per aliqua ſigna acumine ſcientiæ. tertio reuelatione ſuperiorum ſpirituum, Item in illis eſt cognitio naturalis, qua Deus per effectus, vel potentiæ, vel iuſtitiæ cognoſcitur, quia eiuſmodi effectus quodamodo ſunt veſtigia, vel ſigna ducentia ad cognitionem Creatoris, vel Redemptoris, vel tanquam Iudicis; Ex tali tamen notitia ob ſuam nequitiam, & inordinationem voluntatis in odium Dei exardeſcunt, & triſtitiam de perfectionibus, quas in Deo cognoſcunt, quo fit, vt ex praua ipſorum diſpoſitione hujuſmodi cognitio potius in maiorem eorum miſeriam, quàm fœlicitatem cedat; Cognitio ſuper naturalis ſpeculatiua in dæmonibus eſt diminuta, quia Dæmones non tot miſteria ſupernaturalia cognoſcunt quot agnouiſſent, ſi beati eſſent; ſed pauca eis reuelantur, vel per Angelos bonos, vel per aliquos diuinæ virtutis effectus, vt docet D. Auguſtinus 9. de Ciuit. Dei Cap. 21; Cognitio ſupernaturalis practica in Dæmonibus ablata eſt totaliter, nam hæc eſt cauſa efficax amoris Dei, ſed dæmones omnino nunc ſunt auerſi à tali amore, ergo non habent ſupernaturalem cognitionẽ practicam; Dæmones non cognouerunt certitudinali cognitione diuinæ Incarnationis miſterium, ſed ſolum coniecturaliter per quoſdam temporales effectus, probatur per D. Auguſtinum 9. de Ciuit. Dei Cap. 21. vbi ait non cognouerunt illum, ideſt Chriſtum, vt eſt vita æterna, ſed cognouerunt eſſe verum Meſſiam per miracula ſua, quod perſuadetur ex locis ſacræ ſcripturę, nam Marci 1. & Lucæ 4. legitur dæmonem quendam exclamaſſe; quid nobis, & tibi Ieſu Nazarene veniſti ante tempus perdere nos. Scio quis ſis Sanctus Dei, & ne quis crederet dæmonem tunc eſſe mentitum; ſequitur in textu. Et comminatus eſt ei Ieſus dicens obmuteſce, & exi de Homine, & ibidem apud Lucam, & Marcum non ſinebat dæmonia, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum coniecturaliter per miracula non certitudinaliter, ſi enim ſic cognouiſſent nunquam Dominum gloriæ Crucifixiſſent 1. Cor. 2; 8. hanc certam cognitionem ſuper naturalem habuiſſent ſi lapſi non fuiſſent.

20 In Dæmonibus non eſt memoria prout eſt conſeruatiua ſpecierum ſenſibilium, nam talis memoria ſpectat ad partem ſenſitiuam, quæ in dæmonibus non reperitur, in illis tamen eſt memoria prout eſt conſeruatiua ſpecierum intelligibilium, quæ de memoria Dæmonum nunquam delentur, neque naturaliter deleri poſſunt, nam ſpecies exiſtentes in memoria Angelica ſunt ei innatæ, & concreatæ, quod autem eſt connatu-

Digitized by Google

ſale, & concreatum eſt indelebile ergo. Item, quod recipitur in aliquo eſt in eo per modum recipientis, memoria vero eſt incorruptibilis, ergo in ea recipiuntur eiuſmodi ſpecies incorruptibiliter. Item accidens exiſtens in ſubiecto, non corrumpitur niſi per aliquam corruptionem factam circa ſubiectum, vel per alterius accidentis introductionem in illud ſubiectum incompoſſibilis primo accidenti, vel per ſubtractionem virtutis conſeruatiuæ; ſed nullo horum modorum ſpecies intelligibiles poſſunt deleri de memoria Dæmonum. Maior patet à ſufficienti diuiſione. Minor probatur quoad omnes tres modos; non primo modo, quia potentia memoratiua Dæmonum eſt incorruptibilis, nec ſecundo modo, quoniam ſpecies intelligibiles, ſibi inuicem in eadem potentia non repugnant, & qua ratione poſſunt eſſe plures ſimul; eadem ratione poſſunt eſſe in numero quantumcumque magno; nec etiam tertio modo, quia conſeruatio illarum ſpecierum non dependet ab aliqua virtute creata exteriori. Vnde ob virtuté conſeruatiuá nó poteſt ſubtrahi à dæmonum memoria naturaliter aliqua ſpecies; In dæmonibus non cadit obliuio ſumpta per modum habitus, & in actu primo, vt opponitur memoriæ in actu primo, ſicq; obliuio nihil aliud eſt, niſi deletio ſpeciei de memoria, & hæc non datur, quia in dæmonibus nulla eſt deletio ſpeciei; habent enim tot ſpecies intelligibiles, núc quot ante lapſum habebant. In illis autem cadit obliuio, prout opponitur recordationi, patet ex tribus, primo quia Dæmones ſunt obliti propriæ ſalutis, ſecundo quia ſunt obliti Creatoris ſui, tertio quia malis iugiter, ac memoriter intendendo fiunt inhabiles ad recordationé bonorum. In Dæmonibus datur neſciétia, quia multa ſciuiſſent, ſi ſteriſſent, quæ poſtea nunquam ſciuerunt.

21 Dæmones certitudinaliter poſſunt cognoſcere futura, quæ habent cauſam neceſſario determinatam, & infallibilem ad eorum eſſe producédum, cuius generis ſunt, quæ circa motum Cœli accidunt, vt ortus, & occaſus, Ecclypſes, & coniunctiones, in quibus eſt determinatio, & omnis impedimenti remotio, nam talia futura habent eſſe in ſuis cauſis neceſſario determinatis, quod quidem eſſe, cum ſit determinatú infallibile, & neceſſarium, neceſſario poteſt cognoſci; ſimiliter dæmones poſſunt cognoſcere cognitione quadam nó tamen ita certa futura contingentia, quæ habent cauſam in pluribus determinatam, ſed fallibilem, qualia ſunt illa, quæ fiunt ſecundum naturam inferiorem, quæ quia determinate mouent ad vnum, determinatam cauſam habere dicuntur, ſed quia multipliciter huiuſmodi cauſa poteſt impediri, dicuntur pariter cauſam fallibilem habere, vt quod ſemen ſeminatum in terra pingui, & bona ex diſpoſitione cœleſtium corporum afferet vberem fructum, qui multis modis impediri poteſt, licet vt plurimum eueniat; probatur igitur aſſertum, quia Dæmones cognoſcunt naturas rerum ſuperiorum, & inferiorum; ſicuti cognoſcibiles ſunt. Dæmones nó poſſunt certitudinaliter ſcire futura cótingentia, quæ habent cauſam indeterminatam, & fallibilem, & hæc ſunt quę pendent à voluntate libera, ſicut eſt humana, quæ cum poſſit moueri ad oppoſita eſt indeterminata, & cum volenti perficere multa impedimenta occurrere valeant, eſt fallibilis, quia hæc à ſolo Deo cognoſcuntur, vel ab eo, cui reuelare voluerit; & ratio eſt, quoniam cognitio creaturæ pendet a re, quæ eſt incerta in ſe, & in ſua cauſa, ideo creatura non poteſt certitudinaliter illa cognoſcere, cognitio vero diuina non dependet à re aliqua, Idcirco aſſerere

quod

quod Dæmones per ſe ipſos hæc futura contingentia certitudinaliter præſciant eſt illis attribuere, quod ſoli Deo conuenit, quia talis prædictio eſt actus diuinus ideo appellatur diuinatio.

22 Cur autem Dæmones aliquando vera prænuncient de futuris contingentibus plures à Patribus, & Theologis aſſignantur cauſæ, ſed quattuor traduntur à D. Bonauentura in 2. diſt. 7. art. 1. q. 3. ex D. Auguſtino 3. ſuper Gen. ad litt. deſumptæ, quarum prima eſt, quia Dæmones optime cognoſcunt diſpoſitionem appetitus ſenſitiui, & cauſas, quæ huiuſmodi diſpoſitionem inducere poſſunt; Hinc eſt, quod ſæpè vera de actibus humanis prænuncient, propterea, quod voluntas ſecundum dictã diſpoſitionem mouetur, & plures ſunt qui illam ſequuntur, quam qui illi reſiſtunt; ex externis etiam operibus qualis interior diſpoſitio facile intelligitur iuxta illud Matth. 7. à fructibus eorum cognoſcetis eos, ſed Dæmones in his prædictionibus ſæpè falluntur, quia homo libero arbitrio diuino præſertim auxilio adiutus poteſt illi diſpoſitioni reſiſtere iuxta illud Gen. 4. ſubter erit appetitus tuus; ſecunda cauſa eſt, quia Dæmones interdum ea prædicunt, quæ ipſi ex diuina prouidentia ſunt facturi, vt refert D. Auguſtinus lib. 2. de Ciuit. Dei Cap. 14. quod Dæmon in quodam Idolo prædixit futuram Syllæ victoriã, & Capitolium arſurum; ſed hæc, vt dicit Richardus neſciuit ſub certitudine, ſed per ſigna coniecturauit probabiliter, & prædixit cauſaliter, aut ſciuit ſe à Deo permiſſum facere talia; tertia cauſa, quod aliquando prænunciare ſolent per reuelationem bonorum ſpirituum, vt docet Iſidorus de ſummo bono Cap. 12. & D. Auguſt. lib. de Diuinatione Dæmonum, vbi ſcribit Dæmones aliquãdo vere prædixiſſe futura, cognita tamen reuelatione, quæ Prophetis fuit facta. Vnde potuerunt prænunciare futuram ſubuerſionem Idolorum poſt aduentum Ieſu Chriſti cognita reuelatione facta expreſſe Sophoniæ Profetæ ſimiliter damna, quæ illaturus erat Iob. potuit dæmon prædicere per reuelationem illi factam; Vnde ſicut per Balaam Prophetam, qui fuit Magus plurima Deus prædicebat, quæ impleta ſunt de Chriſto Domino; Et Spiritus Sanctus per Caipham legitur Mortem Chriſti prædixiſſe, qui tamen fuit malus.

23 Quarta cauſa eſt, quia Dæmones aduertunt ad reuelationes factas Prophetis, & Sanctis viris expreſſas in eorum libris, atque ita futura prænunciãt non ex propria cognitione, ſed latenter futura, vt tradit Tertull. in Apologet. & D. Auguſt. lib. 8. de Ciuit. Dei Cap. 23. inquit id accidiſſe antiquis philoſophis, & Poetis (Addamus) & Sibillis, qui multa prædixerunt de miſterijs Chriſti in mundo futuris, quæ legerant in libris Prophetarum; ſed hic eſt aduertendum, quod & ſi Dæmones aliquando futura verè reuelent, non eſt tamen illis adhibenda fides, quia id faciunt, vt homines fallant, & decipiant, & vt illos inducant ad credendum eis in alijs, quæ ſunt falſa, & cum ſint ſuperbiſsimi maxime cupiunt honorati ſicut Deus, & ideo maxime conantur oſtendere hoc in ſe habere, licet fallaciter; Hinc credere, quod talia poſſint certitudinaliter præſcire eſt infidelitatis, cui annexa eſt Idolatria, quia Diabolo attribuitur, quod eſt proprium Dei; Certiſsimum eſt nullam creaturam, nec Angelicam, nec humanam poſſe ſecreta cognoſcere, quæ in fieri dependent à libera voluntate, cognitione inquam directa, & certitudinali, nam effectus futuri qui in fieri dependent à cauſa impedibili, & indifferenti non poſsunt præ cognoſci per certitudinem, niſi ab illo qui certitudinaliter cognoſcit, quæ impedient

dient, vel non impedient cauſam, & quę determinabunt, & non determinabunt eam; ſed cogitationes & affectiones noſtræ futuræ dependent à noſtro libero arbitrio, quod eſt de ſe impedibile, & indeterminatum, ſiue indifferens, ergo non poſſunt præcognoſci niſi ab illo, qui nouit omnia, vel impedientia, vel determinantia; hic autem eſt ſolus Deus.

24 Notanter dixi ſecreta, quæ in fieri &c. quia ſecreta, quæ habent eſſe actuale, & de facto in corde, tam Angelico, quam humano poſſunt cognoſci viribus naturæ ab Angelo tam bono, quam malo; quoniam omne intelligibile finitum, & limitatum eſt naturale obiectum naturalis attingentiæ, Intellectus Angeli, ſed ſecreta, & cogitationes cordis Angelici, prout ſunt in intellectu Angelico ſubiectiue in facto eſſe, ſunt intelligibilia finita, & limitata, ergo ſunt naturale obiectum, vel continentur ſub obiecto naturalis attingentiæ intellectus Angeli, ſiue boni, ſiue mali. Item vnus Angelus videre poteſt ſubſtantiam, & eſſentiam alterius Angeli, & hominis, ergo etiam accidentia actualia actualiter ſibi inhærentia, cogitationes ſcilicet, & affectiones, & habitus intellectui eius, & voluntati inhærentes, conſequentia patet, quia accidentia ſunt æque intelligibilia per ſe, & æqualiter approximata alteri Angelo, ſicut obiectum, cui inhærent; Dictum eſt etiam notanter cognitione directa non poſſunt cognoſci, quia indirecte cognoſci poſſunt ſcilicet per ſigna, ſiue per actum & effectum exteriorem, vt per locutionem, ſiue mutationem faciei, vel quid ſimile; eo quod diuerſimode ſecundum diuerſitatem affectionum moueatur; ſi enim Medici per motum cordis, qui pulſu percipitur cognoſcunt aliquas cordis affectiones, vt quod homo triſtetur, vel amet deprehendunt, multo perfectius Angeli boni, & mali poterunt per huiuſmodi effectus, & ſigna, quæ ad cogitationes, & affectiones cordis pertinent cognoſcere.

24 Expeditis ijs, quæ Dæmon poteſt naturaliter cognoſcere, vel non cognoſcere, nunc aliqua videnda ſunt, quę naturaliter poteſt operari, & non operari; & in primis dicunt fere communiter Doctores, quod Dæmones poſſunt mouere non ſolum ſe ipſos, ſed etiam corpora ſecundum locum; patet de corpore Ieſu Chriſti moto ad diuerſa loca virtute Diabolica Matth. 4 in qua re Angeli boni, & mali ſunt æquales, nam etiã Habacuc propheta à Iudæa Babilonem ab Angelo translatus eſt, & plerique putant Cęlos ab intelligentijs, ideſt Angelis moueri; Quæ autem ſit ratio, cur Angeli cum nequeant alterare poſſint tamen loco mouere corpora non facile aſſignari poteſt; D. Thomas p. p. q. 10. art. 3. ponit hanc differentiam, quod per localem motum nihil intrinſecum, & reale aquiritur in mobili, ſed ſolum locus extrinſecus; per alios vero motus aquiritur aliquid intrinſecum, & reale; Hæc tamen reſponſio non plenè ſatisfacit, primo quia per motum localem aquiritur accidens aliquod reſpectiuum prędicamentale nempe vbi, quod ipſi mobili inhęret, ſecundo quia multorum probabilis ſententiam eſt motum localem non fieri niſi impreſſa aliqua vi, aut impetu; Eſt ergo alia quęrenda ratio, cur Angelus non ſolum mouere localiter corpora valeat, ſed etiam qualitatem motiuam ipſis imprimere, & tamen non poſſit alterare, res obſcura, & ambigua eſt; Videtur tamen ſecundum doctrinam Scoti poſſe hanc rationem aſſignari, nempe quia cum Angelus habeat in ſe formaliter vim motiuam, qua ſe, & alios Angelos, & corpora poſſit mouere localiter, & hæc virtus ſpiritualis ſit, proculdubio eminenter in ſe conti-

pebit

habebit vim motiuam corporalē; & ideo non tantum apta erit ad mouendos ſpiritus, ſed etiam ad impellenda corpora; Quod ſi cōſtaret Angelum eodem modo habere quandam vim, quę eminenter contineret vim corpoream calefaciendi aut ſimiles alterationes faciendi, tunc etiam poſset immediate calefacere, & alterare materiam corporalem. Hoc autem non conſtat.

25 Ex dictis ſequitur Angelos nihil aliud immediate poſse efficere circa corpus, niſi motum localem, quod etiā docet D. Auguſtinus lib 3. de Trinit. Cap. 8. & 9. Hinc illa generalis Regula ſumenda eſt, Angelos mediante motu locali poſse applicare actiua paſſiuis, ac proinde omnes illos effectus producere, qui à cauſis naturalibus produci ſolent, ac primo poſſunt ignem ex ſuo elemento dimittere, & applicare ad inflammandas domus, ac templa iuxta illud Iob 1. Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues, pueroſque conſumpſit, ſecundo poſſunt immittere vehementes, ac turbulentos ventus, qui magna diruant edificia, vt patet ex eodem Cap. 1. repente ventus vehemens irruit è regione deſerti, & concuſſit quattuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit pueros tuos, & mortui ſunt, tertio poſſunt excitare tempeſtatem in mari, vel commouendo aquas maris ab imo, vel magnos ventus immitendo, quarto poſſunt in humano corpore morbos, ſomnia, & cruciatus efficere conturbando humores, mouendo, & conſumando ſpiritus Animales, diſiungendo compages, & connexiones membrorum; quinto poſſunt varios morbos ſanare applicando naturales herbas, & medicinas, quarum vim virtutem, & naturam optime perſpectam habent, ſexto poſſunt quælibet corpora ex vno loco transferre in alium, res pręſentes ſubito è conſpectu noſtro ſubtrahere, abſentes vero facere præſentes, mouere ſtatuas, vt ambulare videantur, & mouere linguā Aſinæ, vt videatur loqui, hæc, & ſimilia faciunt per motum localem, & applicando actiua paſſiuis; Item virtute naturali poſſunt efficere nouos, & admirandos effectus, quorum cauſæ nobis ſunt occultæ, & ideo nobis appareant eſse miracula, tum quia optime norunt virtutes Herbarum, lapidum, gemmarum, ſuccorum, Animalium, ſtellarum, & aliorum agentium naturalium, tum etiam, & celerrime, & artificioſiſſime poſſunt has cauſas ad agē-dum applicare, & quaſi momento temporis ad effectum producere, atque ex his omnibus facile intelligitur, quomodo Magi Pharaonis Dęmonum miniſterio produxerint ranas, & ſerpentes, quomodo in aduentu Antichriſti futura ſint ſigna, & prodigia mendacia.

26 Item Dæmones poſſunt ſubintrare Idola, & ſimulachra, quia Dæmones ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, quæ nullum locum occupant, & nullum locum occupando replent, ergo poſſunt ſubintrare, eſſeque in corpore quantumcumque ſolido; De corporibus etiā Animalium patet ex illo Marci 5. vbi legitur, quod depręcabantur Ieſum ſpiritus mali dicentes, mitte nos in Porcos, ergo corpora Animalium Dæmones intrare poſſunt, quia repugnantia ad talem ingreſſum non poteſt prouenire niſi ex quantitate, cui naturaliter repugnat aliam quantitatem naturaliter penetrare; Dæmones autem carent quantitate, ergo Dæmones nullum impedimentum habent ad talem ingreſſum; Item nulli dubium eſt Dæmones poſſe ſubintrare corpora humana, eaque vexare niſi virtute diuina prohibeantur; nam quantum eſt de naturali eorum potentia, corpora ſiue animata, ſiue inanimata, vegetabilia, ſiue ſenſibilia, aut rationabilia introire poſſunt, atque

ſu-

ſubintrando, & mouendo vexare iuxta illud Matth. 5. afferebant vexatos à ſpiritibus immũdis &c. Si obijciatur, quod duo ſpiritus creati non poſſunt eſſe in eodem loco ſimul, ſed Anima eſt inqualibet parte corporis humani, ergo in nulla eius parte poteſt eſſe Dæmon. Reſpondetur, quod ſicut non repugnat ſpiritui eſſe ſimul cum quantitate corporis, ſic non repugnat eſſe cum Anima rationali, quandiù eſt forma corporis; poterit ergo ſpiritualis ſubſtantia eſſe in corpore humano, non obſtante, quod inqualibet parte corporis ſit Anima rationalis, immo multæ ſpirituales ſubſtantiæ in eodem corpore humano ſimul eſſe poterunt; ita tamen quod quælibet erit in alia, & alia parte corporis, ſicut legitur Matth. 5. de homine obſeſſo, quod cum quæreret Dominus, quod nomen eſſet illius ſpiritus, reſpondit, Legio quoniam multi ſumus.

27 Dæmon ſuis præſtigijs, ac multiplicibus dolis illudere poteſt ſenſus humanos, primo efficere poteſt, vt illud viſibile, quod non eſt præſens, appareat præſens, vel ita fortiter mouendo ſpiritum ſimilitudine informatum in organo imaginationis, vt recolligatur intentio Animæ ſuper ſpeciem ibi exiſtentem, vel ſimilitudines viſibilium, quæ ſunt in organo imaginationis faciendo ſe multiplicare mediantibus illis ſubtilibus vaporibus vſque ad ſenſum communem, vel faciendo in aere talem diſpoſitionem, ſecundo poteſt facere, vt res, quæ eſt præſens lateat viſum, operando extra corpus noſtrum aliquod impedimentum in medium, per quod ſpecies rei præſentis non poſſit pertingere ad potentiam ſenſitiuam, tertio poteſt Diabolus diuerſarum formarum corpora quaſi ſubito formare, & aſſumere, ſicque formas diuerſas à ſe formatas poteſt viſui ſubijcere, vel alteri ſenſui offerre, & illas frequenter mutare, non tamen Diabolus viſionem in oculo cauſat, ſed potentia cum obiecto per Diabolum oblato, nec ſic videndo viſus decipitur circa proprium obiectum, quia taliter eſt obiectum coloratum album, vel nigrum &c. qualiter iudicat; ſed decipitur circa obiectum per accidens, cum propter formam talem, quam in re aliqua, vel perſona *eſſe* cognoſcit rem aliquam, vel perſonam, quæ ibi non eſt, ibi eſſe iudicat per phantaſiã, vt ſi offerat formam franciſco. ſimilem *iudicabit* quiſpiam ſe videre franciſcum, & ſecundum diuerſas formarum oblationes, & mutationes ſubitas iudicat ſemper alia, & alia, & ſic deluditur ſenſus, ita legitur in Epiſtola B. Hieronymi de Sancto Hilarione Diabolum ſe transfiguraſſe in perſonas mulierum.

28 Quarto poteſt fieri *illuſio per* mutationem aliquam *factam in ſpecie*, vel habitu in ipſa potentia, aut memoria reſeruata, vel reſeruato illudit hoc modo Diabolus mouendo ſpecies iam habitas, ſeu phantaſmata; exemplificat D. Auguſtinus vt refert Sanctus Bonau. de aliquo, qui dum tanta conuerſione cogitabat cuiuſdam mulieris immaginem, quod ei carnaliter commiſceri videretur etiam vigilando, & ſicut in ſomnio videtur dormienti, quod videat, ſentiat, & audiat multa in veritate, cum ſpecies, ſeu phantaſmata mota veniunt ad organa ſenſuum, & ſic Diabolus poteſt phantaſmata, & ſpecies mouere, ipſaſque præſentare potentiæ cognitiuæ, & per hoc immaginationem ad eas conuertere, & per immiſſionem fumorum ſpiritus animales, & phantaſmata diuerſimode variare, ac intentioni offerre, & facere diuerſa homini apparere, & hoc modo frequentiſſime vtitur Diabolus ait D. Bonau. in 2. diſt. 8. art. 1. q. 2. Quinto Diabolus poteſt facere, vt viſibile appareat alterius coloris, quã ſit

ſit procurãdo interpoſitionem alicuius vaporis ſanguinei, vel coleriei, vel malenconici in organo oculi, ſicque viſibile iudicabitur eſſe illius coloris, qui conſonat illi vapori, & ſi illud viſibile fuerit alterius coloris ſecundum veritatem, nam ſimilitudo viſibilis, quaſi permiſcet ſecum ſimilitudine coloris vaporis diaphani per quod tranſit, ſicut enim quæ videntur per rubeum iudicantur rubea, ſic mutato medio per eſſe ipſum Dæmones alterius coloris, quam in veritate eſſet, apparere facere poſſent.

29 Sexto per ſomniorum illuſionẽ; Nam quandoque operatione Dæmonum aliquæ phantaſiæ dormientibus apparent, in quibus aliqua reuelant, quorum ipſi Dæmones ſunt cauſa; aliquando quædam, quorum ſigna prænoſcunt, quæ tamen hominibus ſunt occulta, interdum immittunt ſomnia falſa, & deceptoria, ſicut in collationibus Abbatis Moyſis legitur de Eremita, cui Dæmon apparuit in forma boni Angeli, ſurge inquiens ad laudandum Deum, & aliquando portabat ei lumen, & dicebat Naui Italis ſubuerſa eſt ora pro Animabus illis, quia ſunt in purgatorio, tandem oſtendit ei inuiſione Cœlum apertum, & Infernum dicens, niſi Iudæus fias, non intrabis in Cœlum, Iudæus factus eſt, & damnatus. ſeptimo & eo periculoſius per veri, vel apparentis veri deceptionem, nam quamvis Dæmones ſint mendaces conſulentibus tamen mentiri refugiunt, vt ſic dicentes veritatem palliatam, & ſuã iniquitatem occultant, & bonam opinionem generent; Cum enim ipſi ſint acutiſſimi logici per omnes fallacias ſciunt optimè paralogizare, & homines fallere; decepit enim Dæmon primam mulierem ſilogizando per fallaciam æquiuocationis huius Verbi moriemini, nam Deus dixerat, in quacumque hora comederitis ex eo morte moriemini ſcilicet ſpirituali, & æterna, Dæmon reſpondit nequaquam moriemini ſcilicet temporali pro tunc; Ex quibus omnibus conſtat, quod Dæmones ſub clamide veritatis, & bonitatis decipiunt per fallacias ſilogiſticas, aut per obiecta extrinſeca propoſita, aut per falſas varias apparitiones, reuelationes phantaſticas, allocutiones, aut falſigraphas perſuaſiones, immutando virtutem phantaſticam, aut immaginatiuam, quæ quamuis faciant imperceptibili tempore, non ſunt vere miracula, ſed mirabilia, vt infra videbimus.

30 Communis ſententia eſt Angelum, ſiue bonum, ſiue malum non poſſe producere vllam ſubſtantiam, & maxime Scoti in 4. diſt. 1. q. 1. quia ſubſtantia tribus modis poteſt produci. primo per creationem, ſecundo per productionem formæ ſubſtantialis de potentia materiæ, tertio per ſolam ſubſtantialem vnionem formæ cum materia, vt fit in productione hominis; at nullo horum modorum poteſt produci ab Angelo, non primo quia ad creandum requiritur virtus infinita, ſed virtus Angeli eſt finita; nec ſecundo modo, quia forma ſubſtantialis non poteſt educi de potentia materiæ; niſi præuia alteratione, Angelus autem non poteſt alterare materiam, & ad formam diſponere vt ſupra probatum eſt; nec tertio quia vnio formæ cum materia ſolum poteſt fieri ab agente diſponente materiam, aut à creante formam qualis eſt Anima rationalis; ſed Angeli neutrum præſtare poſſunt, nec diſponere materiam, nec creare Animam, ergo illam non poſſunt vnire nec materiæ, nec corpori; Hinc ſequitur Magos Pharaonis, ſeu potius Dæmones eorum incantationibus inuocatos non produxiſſe, ranas immediate per ſe, & propria virtute, ſed aliquo modo illas adduxiſſe, quas

prius

prius aliunde eo occultè tranſtulerant, vel etiā naturaliter produxiſſe ex aquis applicando actiua paſſiuis, ita enim naturaliter ex aquis ranas gigni videmus.

31 Similiter apud omnes receptum eſt nō poſſe Angelum immediate qualitatem corpoream, ſeu materiam alterare atque ita docent Scholaſtici in 2. diſt. 7. D. Thom. p. p. q. 110. art. 3. & probant ex D. Auguſtino 3. de Trin. Cap. 8. vbi ait nec ideo putandum eſt iſtis transgreſſoribus Angelis ſeruire hanc viſibilium rerum materiam; Idem ex illo ad Hæbreos 2. 5. non enim Angelis ſubiecit orbem terrarum; Hinc ratiocinantur, ſi Angelus ad nutum propriæ voluntatis poſſet producere aliquam formam, ſeu qualitem in materia poſſet producere quamcumque naturaliter poſſibilem, cum non ſit major ratio de vna, quam de alia, ergo poſſet in hoc orbe inferiori qualcumque res pro ſua voluntate generare, & corrumpere, ergo hic orbis inferior eſſet illi ſubiectus, quod tamen negat Apoſtolus. Verum quicquid de hac re ſit; alia eſt mens Apoſtoli, confert Chriſtum cum Angelis non quoad naturam, (ſic enim Angeli Chriſto homine perfectiores ſunt) ſed quoad Imperium, & Excellentiam, in quo Chriſtus eos longe ſuperat, non enim Angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur; & paulo poſt de Chriſto ſic ait conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum, omnia ſubiecisti ſub pedibus eius &c. Aliunde ergo probanda eſt hæc Doctrina, nec videtur aliter probari poſſe quam hoc modo; Omne agens, aut formaliter, aut eminenter debet in ſe continere effectum, ſed Angelus, nec formaliter, nec eminenter continet in ſe quantitatem, aut qualitatem materialem, ergo illam non poteſt producere;

32 Hæc ratio eſſet efficax ſi conſtaret de minori propoſitione quoad poſteriorem eius partem, nam de priori nulla eſt difficultas, conſtat enim Angelum, qui planè est immaterialis non poſſe formaliter in ſe continere quantitates, aut qualitates materiales; an autem eminenter eas contineat necne, nonæque certum est; Quid enim poteſt obſtare? An quod Angelus immaterialis ſit; Sed & Deus immaterialis est, & tamen eminenter, & virtute continet res omnes materiales; An quod finitæ ſit virtutis? & ſol est finitæ virtutis, & nihilominus eminenter, ſiue virtute continet calorem, an vtrumque ſimul? neque hoc videtur, quia Anima rationalis, & immaterialis est, & finitam habet virtutem, & tamen constat in ea contineri eminenter Animam ſenſitiuam, & vegetatiuam, quæ materiales ſunt nihil, ergo efficaciter probari potest; Quia tamen est aliqua differentia inter Angelum, & Animam rationalem non videtur poſſe omnino idem de vtroque, nam Anima natura ſua est forma corporis, Angelus actus per ſe ſubſiſtens non informans, ſicuti eſt Anima; & hinc probabile ſumi poteſt argumentum; quia Anima rationalis dicitur eminenter continere ſenſitiuam, & vegetatiuam non quod poſſit eas effectiue producere, ſicut Deus eminenter continet omnes creaturas, ſed quia poteſt exercere eas actiones vitales, quas ſenſitiua, & vegetatiua exercēt, at ſeparata à corpore non poteſt eas exercere, ſed ſolum quatenus actu informat corpus, ergo ſignum eſt non contineri eas eminenter in Anima quatenus ſubſtantia ſpiritualis, ſed quatenus eſt forma actualis corporis, Angelus autem natura ſua non eſt forma corporis, ſed per ſe, & ad ſe ſubſiſtens.

33 Conceſſum eſt ſuperius Dæmonem poſſe producere effectus mirabiles; hic negandum eſt poſſe producere effe-

effectus miraculoſos, & facere miracula vera: pro cuius intelligentia notanda ſunt ſequentia; primum quod nomen miraculi apud Latinos ſignificat quicquid admirationem afferre poteſt, quaſi ſit contra naturam; Inde eſt, quod veteres miracula pro monſtris poſuere; ſecundum notandum, quod differentia eſt inter mirum, vel mirabile, miraculum, virtutes, ſigna, portenta, & prodigia; nam mirum, ſeu mirabile eſt illud, cuius cauſa alicui eſt nota, & alicui ignota. Verbi gratia ecclypſis Solis non eſt mirabilis aſtrologis, ſed ruſticis; quia Aſtrologus videns ecclypſim, ideo non miratur, quia cognoſcit cauſam, ruſticus autem tanquam ignarus huius cauſæ miratur. Miraculum vero dicitur illud, cuius cauſa eſt ſimpliciter ignota; Virtus dicitur reſpectu illius à quo eſt, ita quod in quantum miracula excedũt facultatem naturæ dicuntur virtutes, quia ſunt à ſolo Deo principaliter; Signum vero dicitur eſſe reſpectu eius, ad quod fit, ſcilicet ad oſtendendam virtutem, & ſapientiam facientis, & operantis, Vnde in quantum miracula fiunt ad manifeſtandum aliquod ſupernaturale ſcilicet virtutem diuinæ potentiæ, & ſapientiæ appellantur ſigna, quatenus autem continent excellentiam magnam dicuntur portenta; In quantum vero oſtendunt aliquid à remotis dicuntur prodigia, quaſi à procul aliquid oſtendentia.

34 Tertium notandum, quod miraculum poteſt dici quantum ad rem factam tantum, vel quantum ad modum faciendi tantum, vel quantum ad rem factam, & modum faciendi ſimul; primo modo dicitur miraculum, quod factum eſt à Magis Pharaonis; ſecundo modo dicitur miraculũ, quãdo id, quod in alterum mutatur, ad illud quendam ordinem naturalem habebat, quamuis mutatio illa ſecundum naturam in tam parua temporis mora, ſicut fit per miraculum, effici non poſſet naturali inquã virtute, vt cum ex aqua fit vinum, vel ex virgis ſerpentes, inerat enim aquæ ſecundum naturam poſſibilitas quædã, vt per temporis ſpacia mutari poſſet in vinum; Idem dicendum de virgis, vt tractu temporis in ſerpẽtes mutari poſſent; tertio modo quando ſuſcipiens nullum ordinem naturalem ad ſuſcipiẽdum habet, vt cum cœcus fit videns, vel virgo manens virgo pariat; quartũ notandum quod dictus faciendi modus eſt duplex nam fieri poteſt ſubito, & in inſtanti, quomodo fit à virtute diuina, & hoc proprie, & ſtricte miraculum appellari poteſt, vel ſecundo poteſt fieri repente, ideſt tempore quaſi imperceptibili, & ſic mirabile eſt dicendum.

35 Quintum notandum, quod miraculum definitur ab Alphonſo à Caſtro contra Hęreſes V. miraculum, quod ſit res inſolita ſupra naturæ potẽtiam operata; Vnde vt ſit miraculum duo requiruntur alterum, vt ſit ſupra naturæ potentiam, aliud quod non ex communi conſuetudine; A Beato Auguſtino in libro de vtilitate credendi, ita definitur miraculum eſt ialquid arduum, & inſolitum ſupra facultatem naturæ, & præter ſpem admirantis apparens. In qua definitione ponuntur quattuor cõdiciones, prima quod miraculum ſit aliquid arduum, ideſt ſupra facultatem naturæ; Hinc quando Deus operatur aliquid, quod natura operari nequit id arduum reputatur, & conſequenter miraculum, ſecunda condicio, quod ſit aliquid inſolitum, ideſt contra conſuetum vſum naturæ etiam ſi frequenter adueniat, ſicut tranſubſtantiatio corporis, & ſanguinis Chriſti; tertia quod miraculum dicatur eſſe ſupra facultatem naturæ non ſolum propter ſubſtantiam facti, in quantum illud, quod Deus in natura facit nullatenus operari valet, ſed

etiam ordinem faciendi, ſiue propter modum faciendi, quia modus naturæ eſt operari in tempore,& non in inſtanti, ſimiliter ordo naturæ eſt, vt operetur viſum in vidente,& non in cœco; quarta, quod miraculum eſt præter ſpem ad mirantis apparens,ſic licet præter ſpem naturæ, non præter ſpem gratiæ, quæ eſt ex fide,de qua Rom.4. in ſpem contra ſpem. Dæmones ergo non poſſunt facere proprie miracula, ſed ſolum mirabiles effectus, vt dictum eſt ſupra.

36 Dæmones non poſſunt directe immittere cogitationes malas in intellectu hominis,quia vſus virtutis cognoſcendi,ſiue cognitiuæ non Dæmoni,ſed Deo, & voluntati eius ſubiacet; ſic nec Angelus bonus poteſt directe immittere cogitationes bonas in eodem intellectu, quæ cogitationes bonæ effectiue ſunt à Deo,quas tamen Angeli boni ſuo miniſterio procurant ſecundum quod ipſi illuminant noſtrum intellectum, & excitant ad bonas cogitationes habendas,& remouendo impedimenta omnia exteriora. Malæ cogitationes ſunt effectiue a mala voluntate iuxta illud Matth. 15. de corde exeunt cogitationes malæ,& à Dęmone diſpoſitiue per modum perſuadentis, in quantum ſcilicet incitat ad cogitandum mala, vel ad appetendum mala cogitata, non tamen poteſt compellere ad huiuſmodi malas cogitationes, ſed ſolum obiecta offerre, & phantaſmata mouere; in qua re Dæmon totus eſt, ſcit enim quod mala cogitatio eſt homini valde damnoſa, & periculoſa; Vnde Iſidorus ait magna obſeruantia circa cordis cuſtodiam eſt habenda, quia bonæ, aut malæ rei ibi conſiſtit origo, tum quia cogitatio mala ad omne peccatum inducit,& diſponit, dicente eodem Iſidoro delectationem parit praua cogitatio, delectatio parit conſenſum, conſenſus vero actionem, actio parit conſuetudinem, conſuetudo vero neceſſitatem; neceſſitas vero deſperationem,& ſic de primo ad vltimum cogitatio praua ad deſperationem inducit &c.

37 Quod dictum eſt de malis cogitationibus reſpectu intellectus, dicendum eſt ſcilicet Dęmonem non poſſe directe immitttere prauas affectiones in appetitum rationalem, ideſt in volũtatem hominis, ſed ipſamet voluntas ſe ipſa ſibi fabricat huiuſmodi malas affectiones, ſicut proprium eſt Dei immittere in eam bonas affectiones, & efficaciter eam mouere, & in ipſam operari; ſicut Deus ſolus poteſt eam accendere, iuxta illud Lucæ 12. ignem veni mittere in terram,& quid volo,niſi vt accendatur;Dæmon vero poteſt voluntatem hominis ab extrinſeco mutare, repræſentando exterius obiectum, & pręparatiue,ſiue diſpoſitiue accendere ad irã, mouendo appetitum ſenſitiuum; Et reuera plurimum nocet homini colligantia quam habet pars rationalis cum parte ſenſitiua, tam in intelligendo, quam in appetendo; & vt plura ommittam, quę poſſent de hac re tractari. Solum ea recenſebo, quæ ad propoſitum præſens ſpectare videntur; Ideo aduertendum eſt, quod Dęmones poſſunt immutare appetitum ſenſitiuum, quia appetitus ſenſitivus cum ſit virtus in corpore poteſt inflammari, & accendi ad aliquid appetendum, nam ſicut ſanguine accenſo homo eſt promior ad iram, & corpore calefacto homo eſt ad venerea promptior, ita Dæmones per applicationem mediorum poſſunt inflammare ſanguinem circa cor, & ex hoc mouere appetitum ſenſitiuum ſcilicet iraſcibilem ad iram, & applicatione aliorum mediorum poſſunt calefacere, & inflammare, nec non excitare partes venereas, vt moueatur appetitus ſenſitivus ad incontinentiam.

38 Solus Deus illabi poteſt menti, ſiue

Digitized by Google

ue Animę rationali, quia & ſit aliqua poſſint eſſe intima Animæ per localem in diſtantiam, ſolus tamen Deus habet in mente rationali plenum dominium regitiuum, ſolus enim poteſt ſine impedimento producere quicquid vult, atque ab ea tollere, quæ vult ergo ſolus Deus illabitur; patet conſequentia ex quid nominis illabi, quod eſt eſſe intimè præſens alicui ſecundum ſubſtantiam, & præſidentiam, & plenum Dominium regitiuum; Dices vbi eſt gratia ibi eſt Deus, ergo vbi eſt culpa ibi eſt Diabolus, ſed Deus habitat per gratiam in Anima, ergo & Diabolus, per culpam. Reſpondetur non eſſe ſimile qui aliter eſt gratia à Deo, & aliter eſt culpa à Diabolo, nam gratia eſt à Deo, vt præſente influente, & intime operante; culpa autem eſt à Diabolo ſuggerente tantum, & quaſi impellente, & quodammodo exterius inſtigante; & ideo non oportet Diabolum habitare in intimo cordis peccatoris; Hinc patet reſponſio ad loca ſcripturarum, quæ videntur oppoſitum inſinuare nam Lucæ 22. legitur Diabolum intraſſe in Iudam, quando conſilium cœpit tradendi Dominum, & Ioan. 13. dicitur, Diabolum miſiſſe in cor Iudæ, vt traderet Dominum, & in eo Capite legitur; Sathanam poſt bucellam intraſſe in Iudam quando à menſa ſurrexit, atque exiuit, & Actuum 5. à Petro dictum fuit Ananiæ cur impleuit Sathanas cor tuum. Reſpondetur Dæmones intrare, & implere dicuntur cor hominis non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum effectum ſuggeſtionis extrinſecus adhibitę, & ſecundum poteſtatem dominationis, ſiue conformitatis ad malitiam.

39 Deus propria virtute compellere, & cogere poteſt Dęmones ad aliquid agendum, nam Marci 5. legitur, quod Chriſtus Dominus coegit illos, vt intrarent in porcos, & Cap. 9. comminatus eſt ſpiritui immundo dicens illi, ſurde & mute ſpiritus, ego pręcipio tibi, exi ab eo, & amplius non introeas in eum, & ratio, quia diuina virtus, cui omnis ſubijcitur poteſtas, eſt ineffabiliter, & incomparabiliter ſuperior Dœmonibus, ergo eos compellere poteſt. Immo Angeli virtute diuina poſſunt compellere Dæmones, eoſque impęnam proculdubio credendum eſt Dæmones ſæpe impediri ab Angelis pręſidentibus, & prouidentibus à detrimentis, quæ toti orbi, Prouincijs, Ciuitatibus, pagis, agris, fructibus, & alijs bonis inferre vellent, poſſunt; Item ab Angelis Cuſtodibus prohiberi, ne ad cuſtoditos accedant; His, & alijs modis Deus non permittit, vt Diabolus omnia exequatur, quæ ſpectata ipſius vi naturali, & praua voluntatis affectione facere poſſet, & vellet, vt ex Hiſtoria Iob manifeſtum eſt. Inſuper Dæmones poſſunt cogi eadem virtute ab hominibus, & mediante gratia à Deo conceſſa, iuxta illud Lucæ 10. ſeptuaginta duobus diſcipulis Dæmonia ſubijciebantur, dixerunt enim Domine etiam Dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo; Item Marci 16. in nomine meo Dæmonia eijcient. Item Matth. 10. conuocatis diſcipulis dedit illis poteſtatem ſpirituum immondorum &c.

40 Quando mali Angeli impugnant hominem ad culpam non mittuntur à Deo, ſed quando impugnant ad pœnam ſunt inſtrumenta diuinæ iuſtitiæ; primum patet, quia Deus non eſt cauſa mali culpæ, ſed vel malitia Dæmonum, vel mala hominis voluntas; ſecundum etiã, quia Deus nouit vti malis ad bonum, & ſic vtitur Angelis malis, vt inſtrumentis ad exercendos, & puniendos homines, In qua re poteſtas Dæmonibus conceſsa eſt maior, quam conceſsa malis hominibus, ad impugnãdos bonos, quia Dæmon eſt periculoſior Inimicus ho-

mini, vtpote qui conatur eripere bona ſpiritualia, & moralia, per quæ homo aquirit beatitudinem, & ſic inſidiatur Animæ; Homo autem homini dum inſidiatur, vt plurimum eripere conatur bona fortunæ, vel naturæ, & ſic inſidiatur corpori non Animæ, tamen poteſtas Dæmonis ad impugnandum hominem non eſt maior, quam poteſtas hominis ad defendendum ſe, quia licet homo ſit infirmus, atque ignarus; Dæmon autem potens & robuſtus, tamen ex parte hominis eſt recumpenſatio, tum per auxilium diuinæ gratiæ, tum per cuſtodiam Angelorum; Vnde D. Paulus dicit fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis; Dæmon igitur propria malitia accinctus impugnat homines bonos, vt eos à Dei obſequio auertat; Item ſuperbia eum impellente vult Deo aſſimilari, vt ſicut Deus determinat Angelos Cuſtodes ad ſalutem hominum, ita Dæmon Angelos malos tanquam miniſtros ad hominum perditionem, qua re nititur omnia bona eorum eripere fortunæ ſcilicet, & naturalia, & ſupernaturalia; De primis duobus patet in Sancto Iob, quem nobis propoſuit Deus non ſolum in exemplũ patientiæ; ſed etiam ſuæ diuinæ prouidentiæ, qui curat, regit, ac tuetur ſuos electos, ne in aduerſis formident ſe eſſe derelictos.

41 Ad bona ſpiritualia auferenda non valet Dæmonis poteſtas, niſi concurrat etiam homo impugnatus per culpam ſuam conſentiendo eius operibus; inuadit igitur quatuor in homine, nempe ſenſum exteriorem, ſenſum interiorem, intellectum, & voluntatem tanquam quattuor feneſtras tabernaculi Animæ, vt gradatim procedendo introducere valeat ſuę ſuggeſtionis effectus; ſciens igitur Dæmon cum ſatellitibus ſuis calidiſſimus ad decipiendum, & ad nocendum potentiſſimus tortuoſus humani generis Inimicus ſe non poſſe hominis voluntatem immutare, vel directe mouere; ſciensque hominum Animas ſecundum diſpoſitionem corporũ, & actus virium interiorum ſpiritualiũ Animæ; nempe memoriæ, intelligentiæ, & voluntatis fieri, iuxta ſenſuum exteriorem immutationem; Præterea cognoſcens quod quicquid boni, vel mali ad extra eſt, ingredi nõ poſſit in Animam, niſi per quinque ſenſus exteriores; ideo occulto motu quantum à Deo ſibi permittitur conatur homines per obiecta ſenſibilia decipere, vel obijciendo illis obiecta extrinſeca, vt ſunt in ſe, vel formando eis ſimilia, ſicut decepit Euam in Paradiſo, operaturque in illis obiectis naturalem eorum virtutem dilatando, & intendendo ad efficacius imprimendum, & intuentem inflãmandum; ita quod efficere poteſt, vt liquor inſipidus, ſapidiſſimus, & facies turpiſſima mulieris inſipienti amaſio gratiſſima appareat, adeo vt vere dici poſſit ſub ſpecie huius rei Diabolus latet; Dices, Philoſophus 2 de Anima docet ſenſum particularem non errare circa proprium obiectum; reſpõdetur doctrinam Ariſtotelis eſſe veram tribus condicionibus obſeruatis, prima vt ſit debita diſtantia inter ſenſum, & ſenſibile, ſecunda, quod organum ſit debite diſpoſitum, & non deprauatum, ideſt ſanum, & nullo modo læſum; Vnde guſtus febricitantis iudicat dulce eſſe amarum; tertia quod medium ſit purum, & non impeditum, ex quo fit, vt ſi aer, aut aqua non ſit pure diaphana viſus non iudicabit de viſibili ſicuti eſt, ſi aliqua iſtarum condicionum deſit poteſt accidere error in ſenſu circa proprium obiectum.

42 Vnuſquiſq; homo habet Angelũ cuſtodẽ dum eſt in via, probatur per D. Gregorium lib. 4. Moralium vbi dicit, quod quiſque bonum Angelum ſibi ad cu-

cuſtodiam deputatum, & vnum alium ad exercitium deputatum, comprobatur quia legitur Iob. Deum per Sathanam exercuiſſe patientiam ipſius, ergo pro illo tempore fuit Sathanas deputatus à Deo ad exercitium Iob; Item 2. Cor. 12. teſtatur D. Paulus pro cuſtode humilitatis ſibi datum fuiſſe ſtimulum carnis ſuæ, Angelum Sathanæ, qui eum colaphizaret, ergo vt homines habeant ad exercitium virtutis quæ in infirmitate perficitur dat Deus illis Angelum Sathanæ, qui eos colaphizet, vt optime probat D. Bonau. in 2. diſt. 6. art. 2 q. 1. & diſt. 11. art. 1. q. 1. Quamvis homini in ſtatu innocentiæ datus fuerit ad cuſtodiam, quia Adam tunc habuit poſſibilitatem cadendi, ſicut reuera cecidit, ergo quoad hoc indiguit cuſtodia Angelica, non tamen datus ei fuit Angelus malus ad exercitium; ſed Angelus malus qui eum tentauit non proprie fuit ad exercitium, ſed ad deceptionem ſecundum intentionem eiuſdem mali Angeli; nam exercitium proprie ſecundum D. Auguſtinum ſuper Geneſim eſt, vt probetur aliqua virtus, ideſt probata oſtendatur; probatio autem huiuſmodi non eſt proprie, niſi vbi eſt difficultas ſecundum quam ars non eſt, niſi circa difficile, in primo autem homine nulla erat difficultas, ſeu arduitas in bene operando; ergo Angelus malus non fuit datus primo homini pro ſtatu Innocentiæ, ſed datus eſt ei in ſtatu naturæ lapſæ ad exercitium, & quamuis Diabolus per tentationes decipere intendat; Deus tamen non intendit, vt ille decipiat, ſed vt hic exerceatur; Vnde malum opus Diaboli ordinat ab bonum &c.

4 Sicuti Ieſus Chriſtus Dominus noſter non indiguit Angelo Cuſtode ob dicta in ſuperiori articulo; ſic non habuit Dæmonem à quo exercitaretur, & ratio eſt, quia exercitium proprie reſpicit naturam corruptam vitioſam, ex qua corruptione oritur difficultas, & arduitas operandi ſecundum virtutem, Chriſtus autem non habuit naturã corruptam, ergo non potuit illi dari Angelus malus ad exercitium. Dices quare, ergo tentatus in deſerto tribus fuit illis tentationibus. Reſpondetur tentatus eſt ex libera ſua voluntate tentatione non interna, ſed externa ob quattuor potiſſimum cauſas, prima vt tentatus ipſe per omnia tentatis nobis maiori commenſaratione opem ferret, iuxta illud Hæbreorum 2. in eo enim, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus potens eſt, & eis, qui tentantur auxiliari; & Cap. 4. non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris tentatum autem per omnia; ſecunda vt exẽplo doceret nos, cum accedimus ad ſeruitutem Dei preparare Animas noſtras ad tentatio, iuxta illud Eccleſ. 2. filij accedens ad ſeruitutem Dei ſta in iuſtitia & timore, & prepara Animam tuam ad tentationem; tertia, vt deuicto ſtatim hoſte nos redderet ſecuriores, iuxta illud Ioan. 16. confidite, ego vici mundum; quarta, vt nos quoque illum vinceremus. Quod nobis Deus ter optimus maximus propitius, & multum miſericors, miſericorditer concedat, & ſaluum, & incolumem quemlibet noſtrũ conſeruet. Amen.

Proſequitur ſermo de eadem impugnatione Dæmoniata. Art. III.

1 HÆc materia eſt ampliſſima, quippe, quæ continet luctam, & pugnam, quam homo exercet cum vaferrimo, & potentiſſimo hoſte omni armatura fortium inſtructo, innumerabiles nocendi artes habente, & quis nouit poteſtatem iræ ſuæ, & effe-

ctus

Digitized by Google

ctus ſuæ potentiæ dinumerare valet? Sed qui dixit Mari vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos Iob. 38. 11. reſtrinxit quoque Dęmonis vaſtam potentiam, vt tanquam edaciſſimus Canis latrare quidem poſſit, ſed morſu culpabili, & peccaminoſo mordere non poſſit niſi volentem, Deus igitur reſtrinxit poteſtatem Dęmonis (cum agitur de culpa,) ad conſenſum voluntarium hominis impugnati, adquem extorquendum Dæmon impendit totum ſuum conatum, qui non eſt irritus; Sed (quod lacrymis ſanguinis dolendum eſt) miſerabili innumerabilium hominum vltro ſe offerentium ſtrage completur, quod euenit ob eorundem hominum maxime Chriſtianorum languidam, & penè mortuam fidem, frigidiſſimam, & ferè extinctam Charitatem, vehemens ſciendi deſiderium, & inordinatam cupiditatem faciendi ea, quæ nec Diabolus ipſe ſcire, & operari poteſt; & immerſionem in cœteris vitijs potiſſimum carnalibus; Iſte conatus Diabolicus tendit ad auertendum hominem à Deo Creatore ſuo, & conuertendum ad creaturam.

2 Verum in hac re calliḋiſſimus Inimicus non præcipitanter, ſed per gradus procedit à faciliotibus ad difficiliora; primo enim perſuadet homini cultum veri Dei indebitum; ſecundo captat opinionem occultam diuinitatis apud eundem hominem, quam conſequitur quattuor gradibus, ſiue vijs nempe vana obſeruantia, diuinatione, Magia, & maleficio, quibus vltimatum finem obtinet per apertam Idolatriam; De iſtis hominis laqueis per ordinem agendũ eſt ſcilicet de indebito veri Dei cultu, ſecundo de vana obſeruantia, tertio de diuinatione, quarto de magia, quinto de maleficio, ſexto de Idolatria, & taliter, quod non ponamus manus in meſſem alienam videlicet Theologiæ moralis, quantum fieri poterit; Pro intelligentia primi gradus ideſt cultus indebiti notandum eſt, prædicta ſex conuenire in generali nomine ſuperſtitionis, itaquod de ſingulis illis dicimus eſſe ſuperſtitiones in particulari; ſicque ſuperſtitio in genere diuiditur in duas quodammodo ſpecies ſubalternas *vnã* indebiti cultus diuini, ſiue ex parte modi colendi Deum debet enim hic eſſe prudens, & moderatus. Alteram debiti cultus Deo negati, & tributi creaturæ, vel ex parte rei cultæ ſi nimirum non ſit cultus veri Dei, *ſed falſi* ita D. Thom. 22. à q. 92. Hęc diuiſio ſumitur ex fine quem ſuperſtitioſus reſpicit, ſi enim Deo vero cultum exhibeat, ſed indebitum vana eſt eius & falſa religio, ſi cultum Deo debitum, alteri ab illo tribuat, & ipſi deneget, etiam indebite Deum colit, neque enim diuinas honor creaturæ tribuendus eſt, aliàs non religio, ſed Idolatria cenſenda eſt.

3 Prima ſpecies nempe ſuperſtitio ex parte ſcilicet cultus indebiti non eſt vocanda Idololatria, quod eſt contra Hæreticos quoſdam huius temporis id affirmantes, quod faciunt, vt Calumnientur Catholicos quaſi Idolatras, quia Deum colant aliquo cultu, quem ipſe non mandauerit; ſed contra Catholici oppoſitum probant; primo quia Idololatria nihil aliudſt, equã Idoli latria hoc eſt ſuprema adoratio Idoli, Deus autem verus Idolum non eſt, ergo nullus cultus etiam falſus veri Dei poteſt dici Idolatria; ſecundo quia malitia in adoratione falſi Dei diuerſæ rationis eſt a malitia etiam ſuperſtitioſa in adoratione veri Dei, nam etiam in humanis maiorem iniuriam facit Regi qui alium Regem colit in eodem regno præter legitimum, quam qui ipſum Regem colit indebito modo, ergo cultus indebitus veri Dei non poteſt dici Idolatria; ter-

tio nemo eſt qui vocet Iudæus Idolatras, colunt enim verum Deum etiam ſi indebito modo, ergo non omnis ſuperſtitioſus cultus circa Deum erit Idolatria; Non tamen negandum eſt cultum in debitum Deo exhibitum eſſe ſuperſtitionē, ita communiter Theologi, quia duo ſint in cultu; primum vera æſtimatio de excellentia perſonę; ſecūdum, ſignum, quo vtimur ad eam recognoſcendam; etiam ſi in cultus veri Dei quantumvis ſuperſtitioſo primum deeſſe non poſſit; quia ſi deeſſet æſtimatio vera Dei non eſſet veri Dei cultus, tamen poteſt error eſſe in ſigno illo, ſiue materia qua vti nur, ſi ergo quis intēdens colere Deum verum vtatur ijs rebus, quę ad illum honorandum aptæ non sunt, committitur ſuperſtitio; Item quia Iudæi hoc tempore non religioſi, ſed ſuperſtitioſi dicendi ſunt, quia circumcidunt filios ſuos, quia ſeruant ſabbata, quia Ceremonijs illis vtūtur, quæ iam abolitæ ſunt per aduentum Chriſti, & tamen verum Deum colunt.

4 Etiam Hæretici multis modis ſuperſtitioſi eſſe poſſunt, vel admiſcendo aliquid in ſacrificio miſſæ Euchariſticæ, quod Chriſtus non obtulit, vel in Baptiſmo, vel in vſu Sacramentorum aliorum; Immo, & ipſimet Chriſtiani Catholici, & maxime mulieres poſſunt eſſe, immo ſunt (materialiter, & ex ignorantia) ſuperſtitioſi in multis, vt in ritu orandi, ieiunandi, & alijs pijs operibus; quibus Deum verum colere intendunt; ergo cultus indebitus Deo vero exhibitus erit ſuperstitio; ſed obijcies primo, in cultu veri Dei non poteſt eſſe exceſſus, ſicuti neque in amore; ita autem colendus eſt Deus ſicut amādus; ſecundo, quia interna Dei exiſtimatio ſi vera ſit nimia eſſe non poteſt, neque externa, quia cum hæc oriatur ab interna; ſi cultus internus erit verus, & moderatus etiam externus erit verus, & moderatus, & non ſuperſtitioſus; Reſpondetur ad primam obiectionem, in cultu Dei ex parte ipſius Dei non poteſt eſſe exceſſus, ſi alias cultus ſit rationabilis, at ex modo, & alijs circumſtantijs poteſt eſſe exceſsus; Ad ſecundam eodem modo ex parte Dei non poteſt eſſe exceſſus; Deus enim vero cultu nimium coli non poteſt, vel maiore quam dignus eſt; ſed quia aſſumi poſſunt alia, quæ non ſunt idonea ad illum honorandum, vt ſunt illa, quæ ad hoc, nec à Deo, nec à Ieſu Chriſto, nec ab Eccleſia ſunt inſtituta, & deputata.

5 Sequitur ſecunda ſpecies, quæ dicitur obſeruantia vana, & diabolica, quæ ſic deſcribi poteſt vana obſeruantia eſt ſuperſtitio, qua medijs inutilibus minime à diuina prouidentia conſtitutis procurantur comoditates, ac variè corporum immutationes, quæ ex ſola diuina prouidentia, & potentia expectandæ eſſent; Dicitur vana obſeruantia, quia non conſequitur effectum ſuū intentum, vel ſi conſequatur plus nocumenti affert, quam comodi, vtpotè in detrimentum ſpirituale Animæ; malitia huius ſuperſtitionis in eo poſita eſt, quod diuinus honor tribuatur quodammodo creaturæ expectando ab ea medijs inutilibus, & inefficacibus, neč à Deo conſtitutis effectus, qui expectādi ſunt à Deo per media ab eo determinata; cui malitiæ ea etiam adiungitur, quod hæc ſuperſtitio nititur pacto expreſſo, vel tacito cum Dæmone; duobus autem modis poteſt eſſe expreſſum; primo ſi Verbis inuocetur Dæmon; ſecundo ſi facto ipſo vſurpando id, quod ſcitur à Dæmone vſurpari in operatione; Tacitum etiam contingit homine ignorante, & præter eius intentionem; cum ſcilicet adhibet inutilia, & impropria ad intentum effectum. Hæc vana obſeruantia differt à diuinatione in eo, quod

monis, quæ ſolus Deus nouit; Vnde ſic deſcribitur diuinatio, eſt prædictio inordinata eorum, quæ ad ſolum Deum ſpectant, idque indebitis modis minime à diuina prouidentia conſtitutis, ita communis Doctrina Theologorum; Dicitur prædictio inordinata; quia ſi hæc haberentur à Deo per reuelationē; vel alio modo debito vtique non eſſet peccatum, nec vllum vitium; Dicitur eorum, quæ ad ſolum Deum ſpectant, qualia ſunt miſteria gratiæ, & diuinæ prædeſtinationis, quod ſcilicet iſte ſaluabitur, ille damnabitur, & futura contingentia, pendentia, à libera voluntate; Hoc dicitur, quia plura Dæmones naturaliter ſcire, quæ tamen ſuperant noſtrum modum intelligendi, vt ſunt omnes cauſæ naturales, & earum vires, & effectus naturales, vt venti, tempeſtates, naufragia, mortes &c. ſecundo actiones propriæ, & ſociorum Angelorum malorum & ea, quæ pendent ab ipſis Deo permittente, vel potius non impediente; tertio plura per experientiam ſummam, quam habent de illis, quæ ſolent fieri liberè ab hominibus, & quibus voluntas humana huc, vel illuc impelli ſolet; Vnde ſepe fit, vt de futuris liberis facile, & vere coniectent.

9 In diuinatione quoq; ſuperſtitioſa intercedit pactum cum Dæmone expreſſum, vel tacitum; Dæmon enim ex malitia ſua, & ſtudio nocendi hominibus cum aduertit quempiam diuinationi deditum, ſtatim ſe immiſcet, & pactum init cum ipſo, & pactum ſeruat, vt tutius decipiat, & noceat, & in hoc conſiſtit malitia diuinationis, quia ſcilicet inuoluit commercium cum Dæmone tacitum, vel expreſſum. Ex parte hominis ante diuinationem ſex actus ſiunt, primus eſt appetitus ſciendi occulta per conſenſum deliberatum, ſecundus eſt petitio, ſeu voluntas expreſſa conſequendi hanc ſcientiam à Dæmone, tertius pactum expreſſum cum Dæmone, cui addi poſſunt ſacrificia, & alia ſigna honoris, quę illi adhibeantur, quartus petitio rei occultæ; vel interni actus hominis; vel futuri liberi contingentis, vel rei occultæ per accidens ratione ſcilicet diſtantiæ, abſentiæ temporis, aut loci, quintus eſt fides ab homine adhibita reſponſo à Dæmone dato, ſextus eſt exterior diuinatio, & prędictio effectus, ſiue omnino certa, ſiue cognita maiori certitudine, quam haberi poſſit humano modo; In executione autem diuinationis cognitio rerū occultarum poteſt dupliciter poſtulari, primo ſimpliciter petendo, vt Dæmon aliquid doceat abſque vlla promiſſione, vel pacto petentis, ſecundo cum pacto expreſſo, quo petens obligat ſe ad obſequium Dæmonis, ſi res occultas doceat petentem, qui interim adiungit ſacrificia adiurationes; figuras, & alias Ceremonias in honorem Dęmonis.

10 Dæmon viciſſim poteſt expreſſe dupliciter reſpondere, primo ſimpliciter, & ſine pacto, ſecundo etiam cum pacto acceptando obligationem ad docendum de occultis, Dęmon inſtruit homines varijs modis, primo per expreſſam locutionem ſub ſpecie hominis, vel alterius figuræ viſibilis; aliquando apparendo extrinſece, aliquando non apparendo; ſecundo per corpus mortuorum, illud aſſumens, & per illud loquēdo, ac ſi eſſet viuum adhibitis quibuſdam incantationibus ab ipſo Dæmone traditis, & hic modus dicitur necromantia; tertio loquendo per animalia vera, vel apparentia, vt cum per ſerpentem locutus eſt Euæ; quarto per Imagines, ſeu ſtatuas inanimes, ſicut olim reſponſa dabat per Idola, atque his omnibus modis inſtruit Dæmon per veram, & realem immutationem auditus; Per exhibitionem ſigni ſenſibilis

Digitized by Google

abſque reali ſono ſolet Dęmon inſtruere alijs modis; primus eſt per ſigna in extis animalium, quæ illi ſacrificantur, & dicitur auſpicium; ſecundus per inſomnia, quibus docet, quæ vult ab homine credi; tertius per ſpeciem oculis impreſſam, vel imaginationi, & dicitur præſtigium; quartus per ſortes, quarum euentui adhiberi fidem eſt, & dicitur ſortilegium; quintus per varias figuras in elementis, & corporibus inanimatis; Vnde ſi fiant in terra dicitur geomantia, ſi in aqua hydromantia, ſi in aere aeromantia, ſi in igne pyromantia; ſextus per volatus auium, vel garritus, & ſonos animalium, & dicitur augurium, omen, & auſpicium; Hæc igitur omnia ſi dētur à Dæmone per pactum expreſſum tanquam ſigna euentus, vt credantur ad hanc ſpeciem diuinationis, quæ per expreſſum pactum cum Dæmone perficitur rectè dicuntur pertinere.

11 In hac ſuperſtitioſa diuinatione committitur grauiſſimum peccatum, primo propter expreſſam ſocietatem cum Dæmone, quæ per ſe graue crimē eſt ob duas cauſas; prior eſt, quia eſt ſocietas, & commercium cum hoſte profeſſo, & perpetuo ipſius Dei, ac proinde redundat in iniuriam, & contemptum Dei (ſicut in Repuplica ſocietas, & amicitia cum hoſte principis eſt crimen leſæ Maieſtatis, & inter maxima ſcelera computatum) maxime cum omne ſtudium Diaboli in omnibus actionibus ſit honorem Dei obſcurare, & Animas perderere; itaque cum à Diabolo opem petis, perinde facis, atque ſi opem petas ab hoſte Principis, & Reipublicæ; quia in ea ipſa ope ferenda conatur te perdere, & Principi contumeliam facere; etiam ſi non petas ſcientiā propriam Dei de occultis ſcilicet ipſi Dæmoni; ſed petas ſcire ea, quæ ipſe ſcire poteſt, quia etiam ſic interuenit commercium, amicitia, & ſocietas cum hoſte Dei; Altera cauſa eſt, quia exponit ſe periculo Apoſtaſiæ à Deo, & damnationis æternę; facile enim Diabolus Deo permittente hominem, qui ſocietatem illius flagitat ſuis artibus à Deo auertat, ſibique obſtringit, itaut raro contingat elabi, vt experientia docet, tanta enim eſt ipſius poteſtas, tam multiplex nocendi artificium, vt niſi Deus ſua benignitate illum coerceret facile facile totum mundum breui tempore eſſet peruerſurus. Ideo qui ſocietatem cum illo petit, ingratus eſt in hanc Dei benignitatem, vnde meretur, vt Deus permittat ipſum tyrannidi illius ſubijci.

12 Hinc benedixit Caietanus in 2.2. q.95. art.4. quod ſicut conſuetudo cum Angelis in hac vita eſt incohatio quædam æternæ beatitudinis, ita commercium cum Dæmonibus eſt initiū quoddam æternæ damnationis; cuius etiam ſignum eſt fœditas, miſeria, & horridus vultus eorum, qui ipſis obſtricti ſunt; Item huic diuinationi ſæpe coniuncta eſt infidelitas, vel hæreſis, vt ſiquis credat Diabolum eſſe aliquod numen, vel non eſſe miſerum, aut damnatum, aut ſcire futuros mortalium euentus &c. & ſæpe cum pacto expreſſo cum Diabolo renunciatur Chriſto, baptiſmo, & alijs ſacramentis omnibus interuenientibus varijs blaſphemijs, & ſacrilegijs hæreticalibus, nec obſtat dicere, quod licet quis petat eiuſmodi cognitionem à Dęmone poteſt proteſtare non intendere illum colere vllo cultu proprio Dei; ſicut ſi quis interroget aulicum Regis, quid fiat in eius curia, non propterea intendit illum honorare, vt Regem. Reſpondetur enim eſſe proteſtationem contra factum, nam ad falſum cultum reſpectu rei adoratę non ſemper requiritur formalis intentio colendi, ſatis eſt quod actio ex ſe pertineat ad honorem eius, cui exhibetur; ſicut ad malitiam homicidij nō eſt neceſſaria intentio formalis

Digitized by Google

malis occidendi; nec exemplum eſt ſimile, quia cognoſcere humano modo externas actiones hominum non pertinet ad excellentiam ſingularem, ideo quæ illa interrogare non eſt ſignū ſummiſſionis, aut cultus, at cognoſcere certo occulta diuinæ excellentiæ eſt, & Dæmō id affectat, vt habeatur vt Deus; ideo talis petitio continet ex ſe tacitam Idololatriam.

13 Hæc dicta de diuinatione ſuperſtitioſa cum expreſſo Dæmonis pacto, cum proportione dicenda ſunt etiam de diuinatione ſuperſtitioſa cum tacito Dæmonis pacto, cum valde probabile ſit non diſtingui ſpecie, ſed ſolum ſit actum perfectum, & imperfectum intra eandem ſpeciem, & ratio eſt, quia tacita, vel expreſsa voluntas non diſtinguit in eſſe morali actus, circa quos verſatur, ſicut profeſſio tacita, & expreſſa ſunt eiuſdem ſpeciei. Confirmatur, quia in vtraque est eadem participatio Idolatriç tacite, & priuatio eiuſdem virtutis Religionis; Ita Suarez lib. 2. de Relig. Cap. 10; ad pactum implicitum requiritur, vt cognitio aquiratur per medium de ſe inutile abſque auxilio diuino; Dicitur per medium inutile, quia ſi eſſet medium vtile, & ad id conducens, habens ſcilicet connexionem naturalem cum re, quæ quæritur, vel vt effectus ad cauſam, vel vt cauſæ ad effectum non eſſet pactum implicitum; Dicitur ſine auxilio diuino; quia ſi tale ſignum haberet à Deo vim ad ſignificandum tunc non eſſet vanum; Ad pactum tacitum ſufficit, ſi homo ſerio vtatur his ſignis ad inquirendam veritatem occultam ſignificatam per illa, & illam credat, quādo, vel ſignificatur per illa media iuxta Regulas artis diuinatoriæ, vel vſurpat illa, cum animo adhibendi fidem talibus ſignis, ratio eſt quia homo exercens hanc artem, vel obſeruans ſigna iam dicta vtitur illis tanquam vtilibus ad rem occultam cognoſcendam, nec ponit ſpē ſuam in diuina reuelatione, quia vtitur regulis ſuæ artis, fundatur ergo tacite in inſtructione Dæmonis, & conſequenter adeſt pactum implicitum cum ipſo incluſum in eiſdem ſignis falſis, & fictis à Dæmone.

14 Prædictio ex aſtris non eſt per ſe vniuerſaliter illicita, ſed eorum tantum effectuū, quorū aſtra cauſa eſſe non poſſunt, vt ſunt ea, quæ ex libero arbitrio tanquam integro, vel partiali principio pendent. Hinc orta eſt illa famoſa diuiſio Aſtrologiæ in naturalem, & Iudiciariam, Aſtrologia (quæ etiam aſtronomia appellatur) naturalis eſt, cuius munus eſt cognoſcere naturam, & proprietates ſtellarum ex affectibus, & præterea ex ipſarum proprietatibus, & maxime ex aſtrorum potiſſimum planetarum ortu, occaſu, coniunctione, oppoſitione, varioque aſpectu, tum inter ſe, tum ad ſtellas fixas, item ex colore, ſcintillatione, ſeu micatione de futuris elementorum affectionibus conectare, vt de ſerenitate, plouijs, tempeſtatibus, niuibus, grandine, æſtu, frigore, & ſimilibus; Hæc aſtrologia non eſt quidem prohibita, ſed magna ex parte incerta, & parum vtilis excepta ea parte, quæ ſumitur ex ortu occaſu aſpectu, & coloris Solis, & Lunæ, nam virtus reliquorum aſtrorum eſt valde obſcura, & omnis experientia, quæ de illis haberi poteſt incerta; primò quia ſciri non poteſt, an talis effectus proueniat à ſidere. V. gratia Veneris, Iouis, &c. vel aliunde; ſecundò nunquam hactenus idem aſpectus ſiderum reſtitutus eſt, idque ob motum proprium octauæ ſphæræ, & nonæ, & ſic nulla certa experientia capi potuit; tertio quia ex alijs cauſis, vt à ventis, vaporibus, æſtu, frigore, aer poteſt eſſe varie affectus, vnde facile actionem ſiderum variare poteſt; varia autem affectio medij mutat actio-

nes cauſarum; quarto denique, vt quis aliquid certi in particulari poſſit prædicere ex aſtris multa ſcire debet, quæ humanam ſcientiam longe ſuperant; Vnde patet, quam vanæ ſint prædictiones; quæ quotannis variæ euulgantur in vulgus.

15 Altera Aſtrologia dicitur Iudiciaria, quæ aſpectu ſiderum obſeruato iudicat de futuris euentis à libero arbitrio aliqua ratione dependentibus, vt de conditione vitæ, de Matrimonijs, de liberis, honoribus, opibus, infortunijs, Inimicitijs, prælijs, exilio, carcere, morte, alijſque caſibus humanis, interdum iudicat etiam de præteritis ex præſenti coſtellatione, vt docet Origenes apud Euſebium lib. 6. prepar. Euangel. Cap. 9. vt quis huius ſit parens, cuius fortunæ, & conditionis fuerit, quis furtum, vel homicidium commiſerit &c. Huius Aſtrologiæ vſus eſt diuinę ſcripturæ, diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ac doctrinæ Theologicæ contrarius Primum probatur Deut. 18, Gentes iſtæ, quarum poſſidebitis terram augures, & diuinos conſulunt, tu autem à Domino Deo tuo inſtitutus es, vbi per augures intelliguntur Aſtrologi, vt aperte colligitur Iſaiæ 47. ſtent, & ſaluent te Augures Cœli (70. Aſtrologi Cœli) qui contemplabantur ſidera, & ſupputabât menſes, vt tibi vera prædicent; vbi etiam inſinuat Propheta ex aſtris non poſse calamitates bellorum, & euerſiones Regnorum prædici. Hierem. 10. à ſignis Cœli noli te metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt; Item Iſaia 41. vbi legitur annunciate quæ ventura ſunt, & ſciemus quia Dij eſtis vos; & Cap. 44. ego ſum Dominus irrita faciens ſigna diuinorum, & hariolos in furorem vertens, & conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens, patet igitur diuinationem Aſtrologicam in ſacris litteris contemni, derideri, & reprobari. Probatur ſecundum ex vtroque Iure. Ciuili quidem nam L. nemo, & L. & ſi C. de Maleficis, & Mathematicis iubentur puniri Aſtrologi, & Mathematici eodem modo, quo necromantici, Canonico etiam; ſemper enim Eccleſia inde vſque à primordijs ſuis Iudiciarios Aſtrologos odit, fugit, & damnauit, ita in Concilio Toletano 1. Cap. vltimo dicitur ſi quis Aſtrologiæ, vel matheſi credendum eſſe dixerit anathema ſit vide 26. q. 3. 4. 5. & Bullam Sixti V. 23 in ordine, incipi Cœli, & terræ.

16 Probatur tertium nempe vſum Aſtrologiæ Iudiciariæ eſſe contrarium Doctrinæ theologicæ, primo quia hæc diuinatio ſupponit actiones humanas pendere à ſtellis, quod eſt grauis error contra fidem, inducit enim fatum, & conſequenter tollit liberum arbitrium; Deumque facit auctorem peccati, vt eleganter oſtendit Origenes apud Euſebium ſupracitatum; Vnde omnes antiqui Aſtrologi poſuerunt fatum tanquam fundamentum ſuæ artis, quod dicebant eſſe omnium euentuum diſpoſitionem à ſtellis dependentem, vt teſtatur Origenes vbi ſupra, & D. Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. Dei Cap. 1. probatur ſecundo. Liberum arbitrium, & voluntas non ſunt corpus; nec actus, ſeu potentiæ affixæ organis corporeis; Vnde cum res corporea in rem incorpoream imprimere nequeat, impoſſibile eſt, quod actus humani de neceſſitate ſubdantur diſpoſitioni corporum Cœleſtium, tertio; Dæmon in prænunciando futura ſæpe fallitur, tum quia liberum arbitrium cum ſit ad modum mutabile, ad varia flexibile, & plane contingens nonnumquam extraordinaria quadam ratione operatur, experimur enim in nobis nos ſæpe contra facere, quam ea antea facere cogitabamus, tum quia

ipſe

Digitized by Google

ipſe Dæmon ſæpe, quod facere intendebat conſtituerat, & decreuerat prohibente, impedienteque Deo non poteſt exequi; tum etiam, quia multa Deus ſolet aliquando præter communem ordinem naturæ præterque generalem, & ordinariam ſuam prouidentiam agere. Quis ergo credet Aſtrologos in prædicendis futuris rebus veraces eſſe, cum ipſis dæmones ſic ſæpe fallantur.

17 Ipſa ſcientia aſtrologica oſtendit falſam eſſe diuinationem aſtrologicam iudiciariam ſic; Aſtrologi illi non certo ſciunt aſtrorum vires, defluxus & effectus, ergo ex eis non poſſunt prædicere infallibiliter futuros euentus, & ſi tentant prædicere tales prædictiones aſtrologicas neceſſe eſt eſſe inanes, & fallaces; Antecedens probatur; valde arduum, & operoſum eſt etiam, quæ de Cœlo videntur minus difficilia, magisque nobis obuia perfecte cognoſcere, veluti, quæ ſit Cœli natura, magnitudo, numerus orbium, & inter eos ordo, & differentia dignitatis, varietas motuum, aſtrorum numerus, eorumque interſe in magnitudine, luce, poteſtate, & effectu comparatio; atque huius difficultatis clariſſimum facit indicium tanta opinionum varietas, quantam eſſe his de rebus inter maximos philoſophos cernimus. Ariſtoteles certe Philoſophorum omnium facile Princeps ingenue fatetur ſe multarum rerum cœleſtium non exquiſitam ſcientiam, ſed opinabilem, & coniecturalem tantum notitiam tenere, & quia manifeſtis, certiſque rationibus deſtituatur, cogi ſe non raro probabilibus duntaxat argumentis, & coniecturis vti, ita Ariſt. 2. de cœlo text. 17. 34. 60. 61. Hoc ſi eſt, quis credet Aſtrologis, quos ſole clarius eſt, nulla re comparandos eſſe maximis illis philoſophis, quod eſt in Cœlo abſtruſiſſimum; & iudicio ſummorum philoſophorū mortalibus incomprehenſibile veritatem dico rerum omnium futurarum eſſe liquido cognitam exploratamque perſpectam.

18 Deinde rogemus iſtos Aſtrologos, vt faciliores quaſdam quæſtiones de Cœlo nobis enodent; percunctemur ex ipſis, an Cœlum ſit natura quædam ſimplex, an compoſita ex materia, & forma, vtrum talis ſit materia Cœli, qualis eſt ſublunarium omnium, an omnino diuerſa; ſit ne Cœlum animatum, an inanimatum; num ſua vi, & à ſe moueatur, an extrinſecus ab Angelo; Vnde potiſſimum in Cœlis æſtimari, & iudicari debeat præſtantia; quid cauſæ ſit, cur non omnes orbes vno motu circumagantur, ſed alij vno tantum, alij pluribus, alij vero paucioribus; aperiant nobis, quam habeant propriam vim, & potentiam ſingulæ ſtellæ in elementa, metalla, ſtirpes, atque animantes, hæc inquam & alia horum ſimilia ſciſcitemur ex iſtis Aſtrologis profecto reperiemus ipſos doctrinæ harum rerum plane rudes, & prorſus expertes; Qui fit igitur credibile planiora hæc, & apertiora ignorantibus, mortalium intelligentiæ remotiſſima, & occultiſſima eſſe comperta, & explorata? certe cognitio rerum Cœleſtium maximi laboris, & difficultatis cum tam longe diſtet a nobis Cœlum, nec alio, quam vnico oculorum viſu pateat mortalibus: quem tamen ſæpe falli contingit propter tantam interualli longinquitatem, vel ſummam vertiginis Cœli velocitatem, vel prauam affectionem medij, aut viſus, vel propter vitium aſtrolabij, tabularum, & inſtrumentorum aſtronomicorum, non eſt igitur vis illius aſtrologiæ iudiciariæ, ſed ſumma inſipientia, & ſtultitia poſſe prædicere humana omnia euenta, quorum multa ex ſecretiſſimo Dei conſilio, & voluntate pendent; & diuinare ſe poſſe profitentur.

19 Sed

Digitized by Google

19 Sed ad hæc non ſilent iſti Aſtrologi, ſed iactant ſe habere innumerabilium annorum obſeruationes rerum euentis comprobatas, è quibus ars ipſorum collecta, & confecta ſit; nam cum in omni præteriti temporis ſpatio penè innumerabiles res eodem modo euenerint iiſdem ſignis antegreſſis ars eſt effecta, eadem ſæpe animaduertendo, atque notando, quare Caldæos fuerunt quadringẽta ſeptuaginta annorum millia monumentis huius modi obſeruationum aſtrologicarum comprehenſa habuiſse. Verum hoc quam ſit commentitium, & improbabile, vel ex eo liquet, quod Aſtrologi non potuerunt eiuſmodi obſeruationes, & experientias, non dico millies, vt ipſi iactitant, ſed nec ter, biſue colligere, & comparare; Nam Cœli facies, & omnium ſignorum poſitura, quæ ſemel fuit, eadem omnino, vel nunquam, vel non niſi per immenſa annorum ſpatia redire poteſt, quippe octauus orbis, in quo ſunt innerrantes ſtellæ non ante triginta ſex annorum millia circuitum ſuum abſoluit, quin doctiſſimi quidam mathematici optimis rationibus probarunt motus Cœli eſse inter ſe incommenſurabiles, ob idque eandem Cœli faciem, eandemque ſtellarum poſituram ſępius euenire non poſse; Ad hæc licet Aſtrologi per eas obſeruationes cognoſcere poſſent ſingulares vires, & decurſus cuiuslibet aſtri ſeparatim; tamen quam vim habeant ſidera cum defluxus diuerſorum aſtrorum in vnum coeunt, & permiſcentur, vel in Cœlo, vel in aere, vel in terra, vel etiam cum cauſis ſublunaribus, earumque actionibus ab ipſis nequaquam ſciri poteſt.

20 Sed vltrò iſtis Aſtrologis concedatur, quod hucuſque rationabiliter eſt illis denegatum nempe perfecta Cœli, & aſtrorum ſcientia adhuc tamen non poſſent præſcire futuros euentus, & futuros euentus, & futuras res, ſed neceſſaria eſſet alia cognitio nempe cauſarũ proximarum, & particularium, quod ſic probatur, ſicut res ſe habet ad eſse, ita quoque ſe habet ad cognoſci ex illa trita in ſcholis Philoſophorum ſententia; hoc eſt propter quas cauſas quæque res fit, per eas cognoſci debet, vt perfecte cognoſcatur, ſed ad generationem, & productionem futurorum euentuum particularium non modo concurrit Cęlum, & aſtra tanquam cauſa vniuerſalis, ſed etiam cauſa particularis, ergo, & cognitio iſtius neceſsario requiritur ad perfectam eorum cognitionem; minor probatur quia Cęlum cum ſit cauſa vniuerſalis plurium effectuum, & indeterminata ideo debet per cauſam particularem determinari ad particularem effectum, quamobrem veriſſimum eſt illud, quod dixit Ariſt. ſol, & homo generant hominem; licet enim effectus particulares quoad eorum effectionem, & conſeruationem maxime pendeant ex cauſis vniuerſalibus, tamen quod pertinet ad propriam cuiuſque eorum naturam, & ad naturales proprietates, tam ſpecificas, quam indiuiduales magis particularem cauſam imitantur; Cũ igitur præter cauſas cœleſtes ad producendos effectus futuros opus ſit etiam cauſa particulari efficiente, neceſsario concluditur, ad prænotionem futurorum effectuum Cœleſtium cauſarum notitiam non eſse ſatis; Cernimus etiam Agricolas eodem tempore, & ſub eodem ſiderum aſpectu varia ſeminũ genera in terram iacere, ex quibus tamen diuerſa naſcuntur, quæ ſane diuerſitas non ad cauſas cœleſtes, ſed ad diuerſas tantum ſpecies, & vires ſeminum referri poteſt.

21 Item ſi vera eſset hæc Aſtrologorum doctrina neceſse eſset Geminos qui vno tempore nati, ſicut & concepti ſunt ſimillimos omnino fore, quod falſum

ſum eſt, nam, vt cætera eorum diſſimilitudo tranſeat, euenit nonnumquam, vt alter ſit mas, alter vero fęmina; clarum ad hoc et teſtimonium exemplare Rom. 9. de Iacob, & Eſau, qui eodem tempore concepti, eodem queque tempore nati diſſimillimis tamen ingenijs, ſtudijs, moribus, & euentis fuerunt; de qua re videndus eſt D. Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. Dei primis aliquot Capitibus, & lib. 2. de Doctrina Chriſtiana Cap. 22. reſpondent Aſtrologi in natiuitate Iacob, & Eſau inter exitũ vnius, & exitum alterius interceſſiſſe aliquam moram, Iacob enim proxime natus eſt poſt Eſau manu plantam pedis eius tenens, ideo non cenſentur nati ſub eadẽ conſtellatione, nam illa morula quamuis nobis breuiſſima appareat, quæ inter dictorum Geminorum ortus interceſsit in Cęlo tamen ob eius vaſtitatem, & rapidiſsimam conuerſionem eſſe admodum inſignem, magnamque facere variationem. Hæc reſponſio deſtruit intentum eorum; nam dum concedunt prædictam moram viſui noſtro breuiſſimam apparere neceſſario debent concedere incomprehenſibilem eſſe, & inſufficientem ad prædicendum; ſi enim tam breui temporis momento mutantur omnia, vt non diuerſa modo, ſed etiam aduerſa plerumque eueniant; quis de nato puero poſſit quicquam certi prædicere? cum illud temporis punctum, quo, vel conceptus, vel natus eſt, ita vti eſt, nemini poſſit eſſe cognitum?

22 Præterea (ſed clarius, & euidentius) quam plures poſſunt eſſe, qui prorſus eodem tempore, & in eadem regione eodem ſiderum aſpectu, & poſitura ex diuerſis tamen parentibus progenerati admittunt tamen inter ſe maximam ingeniorum, ſtudiorum, morum, Religionis, caſuum, denique vitæ, & mortis diſſimilitudinem, & tamen concepti, & nati ſub eadem conſtellatione, ergo Aſtrologus ex aſtris non poteſt prædicere futuram inter eos dictam diſſimilitudinem. Similiter poſſunt plurimi concipi, & naſci in diſtantiſsimis locis ſub diuerſis aſtrorum, & ſyderum aſpectibus, & conſtellationibus, item in diuerſis temporibus, qui tamen eandem morum, geniorum, ſtudiorum, religionis, & totius vitæ vſque ad interitum ſimilitudinem retineant inter ſe; non enim omnes Iudæi ſunt ſub eadem cõſtellatione procreati, nec nati, nec eos à patrijs legibus, nec inſtitutis, nulla vis, & potentia Cœleſtium corporum abſtrahere poteſt; Idẽ dic de veris Chriſtianis qui innumerabiles toto orbe ſub diuerſiſsimis conſtellationibus concepti, & nati; tamen retinent eundem viuendi modum, & formam, & diſciplinam fidei Chriſtianæ, vſque ad vltimũ vitæ, accedant aſtrologi, & prænuncient quale dominium ſydera Cœli ſuper iſtos habeant; & clarè apparebit, quam falſis fundamentis nitatur damnata eorum ars aſtrologica.

23 Omnis ſcientia, & ars verſatur in ijs rebus, quæ aut certe frequenter, ita contingunt, vt ab ea doceantur, quæ autem extra hæc ſunt, & rariſsime accidunt eo, quia nihil habent fixum, & certum nullam poſſunt ſcientiam, vel artem facere; Cum igitur prædictiones aſtrologorum ferè omnes ſint falſæ, & niſi per quam rarò veridicæ ſint ſatis patet eas nõ ex arte aliqua, & certis obſeruationibus proficiſci, ſed inſcienter, & inconſulte ac temere effutiri; vt patet in duabus ſequentibus. Albumazar princeps huius ſuperſtitionis aſtrologicæ ex obſeruatione, & præceptis huius artis prædixit Chriſtianam legem non plus annis 1460, ſed falſiſſime, nam poſt id temporis exacti iam anni 215. falſam eſſe illius prædictionem aperte demonſtrant; Abrahami Hæbreus, ſiue Iudæus prenunciauit ex obſeruationibus

bus aſtrologicis expectatum à Iudæis Meſsiam venturum anno poſt Domini noſtri ortum 1464, quod nimirum tunc futura eſſet eadem aſtrorum compoſitio, quæ fuerat ante, cum Moyſes ex Ægypto populum Hæbreum eduxit, cuius prædictionis vanitatem dies ipſa redarguit; addamus & tertiam non minus vanam Petri de Aliaco; Hic ſcriptum reliquit quo anno generale Concilium celebratum eſt Conſtantiæ ad tollendum ſchiſma, quod multos annos afflixerat Eccleſiam, prædixiſſe aſtrologos illius temporis nullam fore in Eccleſia pacem, & concordiam, ſed Cœli, & aſtrorum diſpoſitione maligna præſignificari maximas fore diſſenſiones ingenti cum Religionis Chriſtianæ detrimento, & exitio; atqui per illud Concilium Conſtantienſe diuturnum illud, & pernicioſum ſchiſma, eo anno extinctum eſt, pace, & tranquillitate Eccleſiæ reddita; quo contrario euentu debuiſſet idem Petrus de Aliaco, cognoſcere propriam deceptionem, & derelinquere huiuſmodi Diabolicas aſtrologiæ obſeruationes.

24 Si hæc ars aſtrologica eſt, tam fallax, qua ratione nonnulli Aſtrologi multa vera prædixerint; Reſpondetur quod etiam ſi concedatur cum opinione vulgari quorundam Aſtrologorum prædictiones veras, negandum tamen eſt earum veritatem proceſſiſſe ex veritate, firmitateque artis aſtrologicæ, quam nullam eſſe ſatis oſtenſum eſt, ſed alijs ex cauſis proficiſci, quæ ſunt quattuor; quarum prima prouenit ex pacto, & ſocietate Dæmonis, qui plura poteſt, & varijs modis edocere, quæ ipſe naturaliter ſcire poteſt, & etiam reuelatione bonorum Angelorum, ſicque inſtigare poteſt hominem ad prædicenda talia, & etiam ea, quæ ipſe Dæmon, & ſui collegæ operaturi ſunt, quæ omnia cum ſuperent captum humanum maximam in gerunt hominibus curioſitatem; ſecunda cauſa eſt occulta diſpoſitio diuinæ prouidentiæ, quæ vt in 4. & 7. lib. Confeſſionum inquit D. Auguſtinus cæcas, & improbas mentes cõſultorum aliquoties ignoto quodam inſtinctu ſic agitat, vt neſcientes proferant, quæ conſulentes, vel ex eorum meritis, vel ex abyſſo Iudicij Dei oporteat audire; Vnde valde ſapienter monet in lib. 2. de Doctrina Chriſtiana Cap. 22. & 23. & ait per miſſu Dei nonnunquam vſu venire, vt Dæmones vel per ipſos etiam homines multa vera prædicent, quod nonnulli eiuſmodi diuinationum etiam cum ſuperſtitione atque impietate nimium ſtudioſi, atque curioſi noxia perſuaſione ſeducti in maiora, & magis execranda flagitia prolabantur.

25 Tertia cauſa non pauci diuinant non tam peritia artis aſtrologicæ, quæ nulla eſt, quam ſingulari quadam ſagacis ingenij ſolertia, & multiplici humanarum rerum peritia, vſuque, & exquiſita eorum hominum, quibus diuinatio fit, negociorum, morum, ſtudiorum, & ingeniorum obſeruatione, atque notitia; Etenim quidam ſunt, qui perſpectis quorundam hominum temperamentis, atque affectionibus corporum, ſtudijs, item exercitationibus, inſtitutis, familiaritatibus, denique virtutibus, aut vitijs multa euentura eis præuident, ipſiſque magna aſſeueratione, & auctoritate prænunciant ac plerumque diuinant; Vt ſi quis Principem tyrannice tractantem ciues, & crudeli dominatu præmentem à ſuis eum occiſum iri prędixerit; Hominemque frequentiſſimum in furtis, & rapinis ſuſpendio periturum; Quarta cauſa eſt ſtulta conſulentium credulitas; multi namque facillime credunt, quę dicuntur ipſis de rebus, quas vel maxime optant, vel timent vehementer, atque per-

Digitized by Google

perhorreſcunt, Solet enim eiuſmodi credulitas inſtillare animis conſulentium magnam ſpem rei bonę à Deo promiſſe, vel in gentem metum inijcere triſtium, & acerborum caſuum, calamitatisque ab illis pręnunciatę. Hi autem duo affectus animi cum potentiſſimi ſint ad afficiendum, & commouendum hominem crebro efficiunt, vel certe multum proficiũt vt humana negotia ad prædictos fines perducantur.

26 Per ſomnia etiam diuinatio fieri poteſt aliquando licite, aliquando illicite; pro cuius rei intelligentia aliqua notanda ſunt ex doctrina D. Bonauenturæ in 2. ſent. diſt. 7. art. 1. q. 2. in ſolut. 3. argum. quæ ad duo capita redigi poſſunt; primum eſt, quod ſacra ſcriptura reprehendit eos, qui confidentiam, & ſpem habent in ſomnijs. Vnde Eccleſiaſtici 34. dicitur, ſicut parturientis, cor tuum phantaſias patitur, niſi ab altiſſimo fuerit miſſa viſitatio; ſecundum, quod quinque de cauſis fiunt ſomnia quædam contingunt ex diſpoſitione corporis, aliqua ex ſollicitudine mentis; tertia ex illuſione Diabolica; quarta ex reuelatione Angelica, quinta ex viſitatione Diuina; Pro quarum dilucidatione aduertenda eſt definitio ſomniorum, quæ colligitur ex Ariſt. 2. lib. de ſomno, & vigilia; ſomnium eſt phãtaſma factum à motu ſimulacrorum à ſimilitudine ſenſibili in dormiente ſecundum quod dormit; Vel ſic ſomniũ eſt apparitio, vel viſio ſimulacrorum in ſomno, quæ definitio inſinuat apparitiones ſimulacrorum ſenſibilium non fieri niſi tribus modis, aut ſimpliciter vigilando, aut ſimpliciter dormiendo, aut debiliter, vel leuiter dormiendo; hęc vero ſimulacra cum facta ſint per ſenſus exteriores, & interiores maximè per phantaſiam reſeruantur in memoria ſenſitiua, quæ poſtea diuerſis cauſis agitantur potiſſimum in dormiẽte, ſicque cauſantur ſomnia.

27 Quæ cauſæ ſomniorum vt perfectè intelligantur ſic diſtingui poſſunt primo aliæ ſunt intrinſecæ, aliæ extrinſecæ, cauſæ intrinſecæ alia eſt Animalis, alia corporalis; cauſa animalis ſomniorum eſt cum phantaſiæ dormientis rappreſentantur ea, quæ eius affectio, & cogitatio fuit immorata in vigilando, & talis cauſa ſomniorum non poteſt eſſe cauſa futurorum euentuum, quod autem interdum concurrant ipſi euentus cum ſomnijs hoc erit caſu, & per accidens; Cauſa intrinſeca corporalis eſt diſpoſitio, ex qua formatur aliquis motus in phantaſia dormientis conueniens tali diſpoſitioni, ſicut homini in quo frigidi humores abundant, occurrit, quod ſit in aqua, vel niue, & in quo abundat colera, quod volet, & huiuſmodi; Hinc Medici dicunt eſſe intendendum ſomnijs ad cognoſcendum interiores diſpoſitiones corporis; Igitur huiuſmodi cauſa ſomniorum poteſt eſſe cauſa futurorum euentuum, qui concurrunt cum ſomnijs. Cauſa extrinſeca eſt duplex ſcilicet corporalis, & ſpiritualis; corporalis quidem in quantum immutatur imaginatio dormientis ab aere continente, vel corporum cæleſtium impreſsione, vt ſic dormienti aliquæ phantaſiæ appareant cęleſtium diſpoſitione, & quia virtus aſtrorum non eſt cauſa per ſe humanorum actuum procedentium ex libero arbitrio, nec caſuum futurorum, Ideo euentus huiuſmodi nõ poſſunt procedere ex tali cauſa ſomniorum; Cauſa extrinſeca ſpiritualis eſt duplex, quia vel à Deo eſt qui miniſterio Angelorum aliquã facit, & reuelat in ſomnijs hominibus, & hoc pertinet ad prophetiam, vel eſt à Diabolo, cuius operatione aliquæ phantaſiæ dormientibus apparent, ex quibus quando futura quædam reuelat his, qui pactum habent cum ipſo.

Ttt 28 Vl-

28 Vlterius obſeruandum, quod ſex ſunt genera ſomniorum, ſeu ſex modis contingunt ſomnia; primo ex nimia ventris repletione; ſecundo ex ventris, & Capitis extenuatione; tertio ex Dæmonis illuſione; quarto ex Dei reuelatione de quo Gen. 37. audite ſomnium meũ quod vidi, dixit Ioſeph fratribus ſuis; quinto ſomnia fiunt cogitatione ſimul, & illuſione, ſicque partim cauſantur ab homine, partim à Dæmone; ſexto cogitatione, ſimul & reuelatione, vt Dan. 2. ſomnium, & viſiones Capitis tui &c. His igitur ſic ſtantibus dicendum primo ſi quis vtatur ſomnijs ad precognoſcendum aliqua futura ſecundum quod ſomnia procedunt ex diuina reuelatione, vel ex cauſa naturali intrinſeca, ſeu extrinſeca, quantum ſe poteſt talis virtus extendere, diuinatio non eſt illicita. V. gratia ſi Medicus ex ſomnijs infirmi prenunciet de aliquo euentu infirmitatis procedente ex cauſa illius ſomnij. Dicendum ſecundo, ſi quis vtatur ſomnijs ad præcognoſcendum futura, prout ſomnia cauſantur à diabolo, vel etiã ex cauſa naturali intrinſeca, vel extrinſeca velit præcognoſcere futuros euentus, ad quos non poteſt ſe extendere virtus illius cauſæ; talis diuinatio eſt illicita, & ſuperſtitioſa patet, quia diaboli operatio ſe ingerit vnde prohibetur, Leuitici 19. non obſeruabitis ſomnia, & Deut. 18. non inueniatur in te, qui obſeruet ſomnia, & hoc vel pactum habens cum Dæmone, vel ſpem ponens in ſomnijs.

29 Aduerte pro vberiori doctrina, quod ſomnia futurorum euentuum quandoque ſunt cauſa, quandoque ſunt ſigna, & quandoque ſunt accidentia, ſeu cauſalia tunc ſunt cauſa futurorum euentuum tunc ſunt cauſa cum mens alicuius ex his, quæ videt in ſomnijs inducitur ad aliquid faciendum, vel vitãdum, ſicut enim putrefactio humoris eſt cauſa febris, ſic etiam ſunt quædam ſomnia in nobis, quæ nos mouent ad operandum aliquid, & ab aliquo abſtinendi; Tunc vero ſunt ſigna aliquorum futurorum euentuum, in quantum reducuntur in aliquam cauſam communem ſomnijs, & futuris euentibus; V. gratia ſicut aſperitas linguæ eſt ſignum febriendi, vel amaritudo linguæ, & ſomnium de fellis ſignum eſt febris inſtantis, id Galenus probat exemplo, quod quidam ſomniauit ſibi infundi in ventrem picem ardentem, & ſe eſtuare igne picis, eo quod coleram aduſtam nigram incenſam habuit in ventre, & hanc cum ſurrexit à ſomno emiſit, & plene liberatus fuit, ſomnia quando neque ſigna ſunt, neque cauſa futurorum euentuum, ſed caſualia. Vnde huiuſmodi ſomnia per accidens ſe habent ad futuros euentus, & ſi interdum ſimul concurrunt erit caſuale. V. gratia, quod aliquis de futuro bello ſomniet, & poſtea eueniat, veluti cogitanti, vel memoranti alicui de aliqua re non contingit, quod hoc facit, quod cogitat, vel memoratur, propterea quod ſua memoria, vel cogitatio illi euentui, nec cauſam, nec ſignum dedit, ſed caſu ſic accidit.

30 Sed quæres vnde proueniat cauſa deceptionis in ſomnijs; Reſpondet doctiſsime Albertus in commento ſuper librum de ſomno, & vigilia dicens eam prouenire ex quattuor cauſis quarum vna eſt principalis, aliæ ſecundariæ, prima, & principalis eſt ligatio rationis, quandoquidem in ſomno eſt ligatum vinculum rationis, & ſenſuum propriorum, & cauſa, ob quam ratio in ſomnijs eſt ligata eſt, quia humiditas ſomni oppilat locum, per quem eſt tranſitus ad vſũ rationis, & tunc accipitur phantaſma, vt res, & ſimilis cauſa eſt in omnibus amentibus; ſecunda cauſa eſt paſſio mentis, ſcilicet timoris, & amoris hæc

enim

Digitized by Google

enim trahit ſomnium ad id, quod timet amat, vel ſperat, vt per ſomnium cernat idipſum. Vnde trepidus decipitur in timore exiſtens, & amans decipitur in amore vehementi exiſtens in tantum; vt videatur ſomnianti propter modicam ſimilitudinem, vt conſpicit hoſtes, & amanti videatur, quod cernat dilectum; tertia cauſa eſt confuſio vaporis, nam ſicut vapor in ſomno aſcendens ad cerebrum eſt incertę figurę propter ſui fluiditatem ita imagines rerum ſenſibilium, quæ feruntur in ipſum ſunt confuſæ. Quarta cauſa eſt diſpoſitio corporis, ſiue ſimilitudo humoris, qui dominatur in corpore ad id quod somniatur; ſicut phlegma dulce diſtillat à Capite per dentes per ſomnium ſomniat ſemel bibere; & Colericus ſomniat propter modicum calorem in ignem eſſe, & phlegmaticus propter modicum frigus somniat ſe eſſe in aqua; ſicque conſtat, quæ ſint causę, propter quas in somnijs cauſatur deceptio.

31 Diuinatio per ſortes non ſemper eſt ſuperſtitioſa, pro qua re intelligenda aduertendum eſt; primo sortes dici quando aliquid eo fine agitur, vt eius euentu ſpectato innoteſcat aliquid occultum, v. g. quid cui competere debeat, ad hoc autem neceſſarium est, vt sortibus sua ſignificatio imponatur, ſiue, vt præcedat aliqua conuentio inter aptres (ſi inter plures agantur) vel homini ſecum quidque ſignificare, & quã vim debeat habere; ſunt autem tres sortium species ex fine petitę, diuisorię, consultorię, & diuinatoriæ; ratio huius numeri ea eſt; Vel enim ſortes mittuntur ad aliquem effectum faciendum, vel ad aliquod occultum cognoſcendũ, primo modo dicuntur diuiſorię, quando ſcilicet iudicio ſortium quæritur quid cui tribuendum, ſiue illud ſit res poſſeſſa, ſiue honor, ſiue pœna; ſecundo autem modo quando ſcilicet mittuntur ſortes ad aliquid occultum cognoſcendũ dici poſſunt generaliter conſultoriæ, & diuinatoriæ. Conſultoriæ quando inquiritur ſortibus diuinum conſilium, vt ſciatur in negotio obſcuro quid agendum, diuinatoriæ ſunt, quando per eas inquiritur de futuris euentis. Aduertendum ſecundo directionem ſortium poſſe ſpectari, vel à Cœlo, vel à caſu, vel à Deo, vel à Dæmone, illis præſuppoſitis.

32 Dicendum primo ſortes diuiſorias licitas eſſe, ſi euentũs expectetur à caſu, vel à Deo, non tamen in rebus omnibus licite ſunt, ſed in pleriſque, primo in rebus externis, & alijs, quæ aliter comodè diſtribui non poſſunt; ſic hæreditates, & alia bona communia ſępiſſime ſorte diuiduntur; Huc pertinet contractus ſponſionis, & ſortium, qui frequens eſt inter homines; conſentiunt enim partes, vt eius ſit res, vel electio, cui ſors, & caſus fauerit, ſecundo in functionibus, vbi de honore, vel periculo agitur, vt quando oppidum inuadendum ſorte inter milites diuerſarum nationum decidi ſolet, quæ natio prior inuadere debeat; Sic D. Aug. epiſt. 180. ſcribit ſorte eligẽdum Sacerdotem, qui tempore peſtis & perſecutionis maneat in oppido, & fidelibus res ſacras, & Sacramenta adminiſtret, tertio in dirimendis litibus maxime de rebus ſæcularibus L. ſi cum ambo ff. de Iudicijs, quarto in pœnis, vt cum duo vel plures rei Mortis, & Princeps vt clementiam in ſancienda diſciplina adhibeat, vult aliquos punire, alijs ignoſcere, quinto quotieſcumque non apperet ratio, cur alter alteri in aliquo comodo, vel incomodo debeat præferri, officia tamen etiam ſi ſecularia, regulariter non ſunt ſorte diſtribuenda, ſed conferenda maxime Idoneis, quos diligens inquiſitio, & examen rationis non caſus, & cæca ſors oſtendit; nihilominus ſi plures ſint be-

Digitized by Google

ne idonei, & ferè pares poterit res ſorti committi; hoc tamen permiſſum non eſt in electionibus ad beneficia eccleſiaſtica ex Cap. eccleſia de ſortilegijs; fortaſſe tamen ad litem beneficiariam, quando aliter commode terminari non poteſt, ſortes non eſſent improbandæ, quia non eſt mens eccleſiæ, vt lites diu protrahantur, & alias iure naturæ id non ſolum eſt licitum, ſed etiam optimum conſilium, nec eccleſia id vnquam prohibuit.

33 Nec obſtant electiones per ſortem factæ Saul in Regem Iſrael Reg. 10. & S. Matthię in Apoſtolum Chriſti, quia non eſt dubitandum, quin Saul ita electus ſit inſpiratione diuina, nam electioni eius pręerat Samuel, qui illum antea iuſſu Dei vnxerat in Regem, vnde etiam ſortes certiſſime à Deo itaerant dirigendę, vt ipſum eſſent confirmaturę; Idem de Matthia Apoſtolo, quod colligi poteſt tum ex feruenti illa D. Petri exhortatione, quæ tota erat à Spiritu Sancto, tum ex communi oratione omnium, qua petebant, vt Deus oſtenderet, quem elegiſſet; Cui electioni ſic factæ acceſſit, quod poſtquam viderunt ſortem in illum cecidiſſe, ipſum communi decreto, & conſenſu approbarunt, & duodecimum Apoſtolum declararunt, & confirmatum, nam ſicut alij Apoſtoli immediate à Chriſto non ſuffragio humano electi erant, ſic etiam decuiſſe vt eligeretur, is qui in locum Iudæ ſuccederet, eo vel maxime quia magna exterius apparebat paritas inter Matthiam, & Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, vnde non facile erat humano iudicio alterū alteri præferre; D. Dionyſius Areopagita lib. de Eccleſiaſtica hierarchia Cap. 5. parte 3. putat ſortem appellari à ſcriptura (quando dicitur cecidit ſors ſuper Matthiam) diuinum quoddam donum inſinuans illi cœtui, quem Deus elegiſſet; Fieri enim poteſt vt Deus ſortem mox approbauerit collato dono profetiæ, vel ſapientiæ, vel vt ſortes miraculoſe omnibus aduertētibus direxerit; non enim negari poteſt, quin verè ſortes miſerint, cum expreſſe dicatur dederunt ſortes illis, quod de tali dono intelligi non poteſt; Item cecidit ſors ſuper Matthiam.

34 Dicendum ſecundo conſultorias ſortes regulariter loquēdo eſſe illicitas, niſi quando humanum conſilium non ſuppetit, vel niſi Deus inſpiret illis vtēdum, quia ſine neceſſitate velle, vt Deus ſuam voluntatem peculiari modo manifeſtet, pertinet ad Dei tentationem; Deinde Deus non promiſit ſe has ſortes temperaturum, ergo vanum eſt inducere in animum hanc Dei eſſe voluntatem, quam ſortes indicant; immo etiā eſt periculoſum; quia facile Dæmon ſe immiſcet, & hominem decipiet; Vnde merito hic vſus reprehenditur à D. Auguſt. Epiſt. 119. Cap. 20. & à Leone IV. ad Epiſcopos Britanię habetur Cap. ſortes 26. q. 5. Sortes inquit quibus cuncta vos veſtris diſcriminatis Prouincijs, quas Patres damnauerunt, nihil aliud, quam diuinationes, & maleficia eſſe decernimus, quamobrem volumus illas omnino damnari, & inter Chriſtianos vltra nolumus nominari; & ne exerceantur anathematis interdicto prohibemus &c. Quando tamen humanum conſiliū non ſuppetit licitum eſt has ſortes adhibere cum bona ſpe fore à Deo ſingulari prouidentia moderandas iuxta illud Prou. 16. ſortes mittuntur in ſinum, & à Domino temperantur. Hoc tamen faciendum cum magna reuerentia, & adhibita precatione, vt Deus adeſſe, & eas regere dignetur; quod ſæpe benigne adeſt, etiam ſi a Deo non expectetur euentus, vt patet exemplo, quod habetur Ioſue 7. vbi indicio ſortium inuentus eſt Achan, qui de anathemate aliquie ſibi vſurpauerat; ſimili modo de-

pit-

prehenſus eſt Ionas à nautis Ionæ 1. & quamuis hi ex inſpiratione diuina id nõ facerent, nec euentum à Deo, ſed à Dæmone expectarent Deus tamen propter Ionam eas moderatus eſt.

35 Sortes diuinatoriæ omnino ſunt illicitæ, & contra Religionem, ſic damnantur Cap. 1. de Sortilegijs, & 26. q. 5. Cap. ſortes, & alijs quibus locis prohibentur ſortilegia, ſicut aliæ diuinationes, incantationes; hoc enim ipſo, quod mittuntur ad cognoſcendam occultam veritatem, non nituntur Deo, & diuinæ prouidentiæ eius ſuperſtitioſæ erunt, atque adeo illicitæ, & contra Religionem; id autem duobus modis eſſe poteſt primo per expreſſam ſocietatem cum Dæmone, vel petendo eius directionem, vel faciendo factum, & accipiendo ſignum ſortium ab ipſo; Secundo per implicitum pactum, quo cẽſetur interuenire, cum manifeſtatio veritatis non expectatur à Deo, tunc enim ſortes ſunt veluti ſignum vanũ, & inutile, vtpote, quæ neque ex natura ſua, (cum non ſint cauſa,) neque effectus illius rei, cuius cognitio quæritur, neque ex legitima impoſitione habeant talem ſignificationem, quia neque data eſt à Deo, nec ab hominibus cum fundamẽto aliquo; quare ſequitur à Dæmone ortum habuiſſe, vel ab ipſo expectari tacite, velut ſe ipſe ingerat ad decipiendum, ideo peccat homo, qui tali periculo moraliter se exponit; Ad vberiorem intelligentiam notandum, quod harum ſortium quædam ſunt ordinatæ ad cognitionem futurorum, aut occultorum, aliæ ad operationem; primi generis ſunt, cum quis per ſortes inquirit, quis obtinebit victoriam, vel cathedram, vel dignitatem ob voluptatem, vel curioſitatem; ſecundo, cum quis quęrit, quis fuerit malefactor occultus ad puniendum illum; Primi ergo generis dicuntur puræ conſultoriæ Dæmonis, & ideo habent malitiam ſuperſtitionis; ſecundi vero partim ſunt conſultorię partim diuiſoriæ, ideo etiam habent malitiam iniuſtitiæ, quia miſcetur aliqua infamatio proximi, vt ſic cadant in innocentem, vel nocens occultus publicetur, vel reuera nocens puniatur ſic occultus, quia eo non probatur legitime nocens, niſi Dæmonis teſtimoniũ recipiatur, quod eſt ſacrilegium, & iniuſtitia, quia mendax eſt Dæmon. Ad hoc genus ſortium pertinet etiam duellum ad manifeſtandam occultam veritatem, & vltra malitiam ſuperſtitionis habebit etiam malitiam iniuſtitiæ, vt patet.

36 Sequitur quarta ſpecies ſuperſtitionis, quæ dicitur Magia, quæ eſt ratio quædam ſiue facultas, ac vis faciendi mira, & inſolita per ſigna ope Dæmonum, ad differentiam Magiæ naturalis, quæ eſt quædam ratio operandi mira per cauſas naturales, abſque Dæmonis ope; Dicitur per ſigna, quia his ex pacto tanquam cauſis moralibus allicitur Dęmon, vt faciat, quæ magus petit, & ſic ipſa ſigna videtur facere mirabilia, ideo etiam ſubditur, ope Dæmonum, quia ſigna, & tota diſciplina primum à Dæmonibus inſtituta eſt; Vnde dicit D. Auguſtinus lib. 21. de Ciuit. Dei Cap. 6. alliciuntur Dæmones per creaturas, quas non ipſi, ſed Deus creauit, non vt animalia cibis, ſed vt ſpiritus ſignis, quæ cuiuſque delectationi congruunt per varia genera herbarum, lapidum, lignorum, animalium, carminum, rituum &c. vbi tamen eſt aduertendum Dęmones non delectari ſignis per ſe ſpectatis, ſed quatenus illis honorantur, aut ab eorum pendent inſtituto. Vnde parum refert, quis inter homines inuẽtor primus, ſeu potius primum inſtrumentum, per quod Diabolus mundo hanc peſtem infudit, extiterit Gregorius Turonenſis lib. 1. Hiſt. Francorum Cap. 6. ſcribit Cus primogenitum, Cham

Digitized by Google

Diabolo imbuente fuiſſe totius magicę artis inuentorem, quem Perſæ ad ſe venientem vocauerunt Zoroaſtrem; Hunc igne cœleſti conſumptum ab ipſis pro Deo habitum. D. Clemens lib. 4. recognitionum putat etiam ante Diluuium viguiſſe, & poſt diluuium à Chamo traditam filio Mizarim, à quo Ægyptij Babilonij, & Perſæ genus ducunt, qui huic arti maxime dediti fuerunt.

37 Quod Dæmon poſſit plura mirabilia operari, tum circa elementa, tum circa mixta, & potiſſimum circa corpus humanum, & Animam, quo ad partem vegetatiuam, & ſenſitiuam per motum localem dictum eſt in ſuperiori articulo; hic in particulari oſtendendum eſt Dęmones corpora hominum, & animalium poſſe celerrime transferre de loco ad locum ſunt enim, & ipſi celerrimi, agiliſſimi, & potentiſſimi, quibus nulla poteſtas ſuper terram comparari valeat Iob 41, hoc tamen non obſtante non deſunt, qui negent ſagas reipſa transferri à Dæmone, & eas, quę ſe putant transferri ad Conuentus dicunt decipi; Hanc enim translationem, & cætera, quæ in Conuentibus ſagarum fieri videntur, vt cōuiuia, tripudia, adorationes, Dęmonis nefarios concubitus, & ſimilia non fieri reipſa exterius, ſed ſolum in imaginatione, ſopiri enim ipſas, & dęmonē hęc omnia facultati phantaſticę ita rappreſentare, ac ſi reipſa fierent, itaut illę mulierculę ſic perſuadeāt ſe hæc omnia reipſa egiſſe, quod confirmant exemplis quarumdam, quas conſtat ſopitas fuiſſe, quæ tamen poſtea excitatæ narrabant ſe mira feciſſe, & vidiſſe.

38 Hæc autem ſententia falſa eſt, & Reipublicę pernicioſa, falſa primo quia repugnat pluribus experientijs, & exēplis eorum, quos translatos fuiſſe reipſa deprehenſum eſt, de quo vide Alphonſum de Caſtro lib. 1. de iuxta hæret. punitione Cap. 16. & Malleum maleficarum Iacobi Sprengeri, & Delrio lib. 2. diſquiſ. Magicarum quæſt. 16; Secundo repugnat in numeris reorum, & non reorum confeſſionibus non tantum mulierculárum, ſed etiam virorum prudē-tum omnis ordinis, & conditionis; tertio repugnat etiam rationi, cur enim Diabolus id nō poſſit cuius tanta potentia, vt non ſit ei par in terra? aut cur Deus id non permittat, cum Magi, & ſagæ in id conſentiant? & Diabolum ad hoc advocent, & ipſe Dominus ſe permiſerit Diabolo ex deſerto deferri in pinaculū templi, & inde in montem excelſum, vt ex Cap. 4. Matth. colligitur; Eſt quoque Reipublicæ pernicioſa, quia patrocinatur crimini grauiſſimo, & nocentiſſimo Reipublicæ, & Eccleſiæ; & impedit illius dignam caſtigationem; Iudices enim, quibus hæc opinio eſt perſuaſa, vel non puniunt ſagas, vel non niſi leuiter conceſſa vita, hinc fit vt innumeri eo initiantur, & Diabolus tuto graſſetur; Item condemnat omnia fere tribunalia orbis Chriſtiani tam Eccleſiaſtica, quam ſæcularia non ſolum imperitiæ, & imprudentię, quod non poſſint diſtinguere inter ea, quę de facto, & reipſa fiunt, & quæ ſola imaginatione, ſed etiam iniuſtitiæ, & crudelitatis, quod tam ſęuâ morte afficiant homines ob maleficia, quæ ipſi reuera non fecerunt, ſed ſolum ſomniarunt, & illuſione diabolica ſibi viſi ſunt feciſſe; Itaque hęc opinio nullo modo eſt toleranda.

39 Plures colliguntur regulę traditę a Doctoribus, quibus cognoſcuntur, quę opera fiunt Dæmonum virtute, & auxilijs; prima ſi opera, ſiue effectus poſſunt produci à rebus, tanquam à cauſis naturalibus non erunt ſuperſtitioſa, ſiue magica, neque illicita, eo quia licet vti naturalibus cauſis ad naturales effectus producendos, ſi autem non adhibeantur tanquam cauſę, ſed vt ſigna non vt ſigna diuina, quia non ſunt

ſacramenta, neque ſacramentalia, ſed tantum, vt ſigna vana, & vacua, ſic pertinent ad pacta cum Dęmone, ſiue ſunt ſuperſtitioſa; ſecunda regula ſi opera facultatem naturalem excedant, tunc ſunt virtute Dęmonis facta; tertia regula opera quæ fiunt interuenientibus verbis ignotis, vel certis Characteribus, aut alijs verbis, quę ad effectum, qui tali operatione ſperatur, aut quęritur, non conducunt, Dæmonum virtute fiunt; quarta ſi ritus, & obſeruantię peculiares, & determinatæ, vt certis horis ad certum ſitum ſtellarum, ſub certo numero Crucum, vel candelarum fiant, tunc opus magicum cenſendum eſt, ac Dęmonum operatione effectum; quinta ligaturę certo modo, aut figurę, aut ex materia certi generis factę, nec non alia obſeruationum genera, quę adhibentur ad morbos pellendos ad auertenda infortunia, & alios huius modi effectus ſunt illicitę, & ſuperſtitioſę, quia ſocietatem aliquam continent demoniacam; Sexta condicio extraordinarius effectus etiã ſi videatur pertinere ad cauſam naturalem, vt cum repente curatur homo abſque diuino miraculo, vel cum breuiſſimo tempore multa milliaria conficiuntur, vel operatio ad rem valde diſtantem ſe extendit, vt ſi hic pungatur imago Cerea Petri, & illo alibi doloribus conficiatur, ſpectabit ab magiam ſuperſtitioſam; Ex his faciliter poterunt cognoſci alia ſimilia opera, & effectus Dęmoniaci pertinentes ad magiam ſuperſtitioſam.

40 Magia ſuperſtitioſa magnam malitiam dicit, vtpote ex genere ſuo culpam mortalem, ne dum quia continet tacitam, vel expreſſam Dæmonis inuocationem, ac proinde ſocietatem, & beneuolentiam erga illum, nec admittit paruitatem materiæ, ſed etiam, quia in Mago, & Saga habet ſecum ordinarie coniuncta, & connexa alia crimina grauiſſima; primum eſt Hęreſis, multi enim ex his non credunt Diabolum ſubiturum pęnas æternas, aut eſſe damnatum, & miſerum, & eos, qui ipſi adhærent eſſe damnandos, aut eum nihil poſſe niſi Dei permiſſu, & ſimilia; Deinde pauci ſunt ex his firmi in fide, & pleri que deprehenduntur, vel hæretici, vel nullius Religionis; ſecundum Apoſtaſia, abnegant enim Chriſtum, & Chriſti fidem, & ſæpe ipſum Deum, renunciant Baptiſmo, & confirmationi, eaque conantur in ſe extirpare quibusdam ceremonijs, tertium Idolatria, accipiunt enim Diabolum loco Dei; huic fidem ſpondent, ſe totos dedunt, & mancipant, ſacrificia offerunt, & alios deferunt honores, quartum Blaſphemiæ in Deum, in Chriſti humanitatem, in B. Virginem, & Sanctos omnes; quintum ſacrilegium ſæpe enim in ſuis incantationibus vtuntur rebus ſacris, & interdum ipſa ſanctiſſima Euchariſtia; ſextum Luxuria, vt nephariæ cum Dæmone commixtiones; ſeptimum damna proximorum, vt homicidia præſertim Infantium, e quorum corpuſculis decoctis conficiunt varia inſtrumenta ad magiam exercendam apta, varij morbi hominibus irrogati, mortes animalium, vaſtationes ſegetum; ex quibus patet Magos, & Sagas dignos eſſe morte, & omnino e Republica exterminandos.

41 Magiæ eſt affinis quinta ſpecies ſuperſtitionis Maleficium appellata; in hoc ſolum Maleficium differt a Magia, quia magia vtitur arte Dęmonis ad potentiam oſtendendam, at Maleficium vtitur arte Dæmonis ad nocendum alijs, ideo maleficium definitur, quod ſit vis, & poteſtas nocẽdi alijs ex pacto expreſſo, vel tacito cum Dæmone; Diuiditur maleficium in duas præcipuas ſpecies, prima eſt Maleficium amatorium, quo malefici vtuntur ad flectendos hominum animos ad amorem carnalem, ſic

ſępe

ſæpe oriuntur odia, & rixæ inter coniugatos, quia eorum amor deflectitur ad alias perſonas. Secunda ſpecies eſt Veneficium, quo vtuntur Malefici ad nocendum alijs, ſiue in propria eorum perſona occidendo, immittendo egritudines, dolores, ſterilitatem, ſiue in eorum rebus deſtruendo vineas, ſubuertendo domos, & alia ædificia, occidendo animalia, excitatio tempeſtatũ, grandinum, & ventorum; quibus ea damna inferunt prædijs, & Domibus; Hæc mala Malefici non faciunt per ſe ipſos, aut poteſtate eis inhærente, ſed Dæmones id agunt; qui dum Malefici voces quaſdam edunt, aut figmenta operantur, ipſi efficiunt vere ea damna hominibus, vel rebus ipſorum, ſic Deo permittente, vt v.g. quando malefici faciunt aliquas imagines cereas, vel ex alia materia, & ijs nocent pungendo membra acubus, vel paulatim liquefacientes ad ignem, Dæmones ipſi nocent perſonis, pungunt eorum membra, & paulatim conſumunt.

42 Malefici maleficio amatorio non poſſunt cogere, nec compellere vllius voluntatem ad amandum, vel odio habendum, quia nec Dæmones id efficere valent; tantum mouent obiectiue commouendo phantaſmata, & imaginationem, quibus voluntas afficiatur ad rem amandam, vel odio habendam, incitant etiam ſenſualitatem, vt perſona illa amabilior appareat ſemper tamen libera eſt voluntas, ideo tales non excuſantur à peccato, quamvis ipſi dicant ſe inuite eius modi res agere. Eodem pacto Dæmones (permittẽte Deo) habent vim in perſonas inducendo dolores, infirmitates &c. vtuntur autem ad hæc venenis, & alijs rebus naturalibus noxijs, quas illi bene norunt; multoque magis exercet poteſtatem in alia Animalia; Dicunt ſimplicitiæ, vt refert Azorius tom. 1. lib. 9. Cap. 26. q. 1. in nonnullis Herbis, & lapidibus eſſe vim incendendi homines ad amorem, & concupiſcentiam, quo tamen admiſſo negatur eſſe in ijs vim ex ſua natura excitantem homines ad amandum, vel odio habendum hunc, aut illum certum, & determinatum, nulla enim apparet connexio inter hunc effectum, & illam cauſam; ſic ergo philtrum, ſeu poculum amatorium tantum poteſt generaliter incendere ad amorem. Deinde Dæmon hominem, ſic inflammatum ad amorem commouet immittendo imagines huius, vel illius perſonæ, & ſic allicitur ad perſonam determinatam. Carmina, vel verba nullam vim habent alliciendi ad amorem, ſed tantum Dęmon eadem ratione ijs verbis occulte euocatus adeſt, & commouendo ſpecies certę perſonę efficit, vt frequenter obverſentur animo, & ſic ad amorem alliciat; Item malefici non habent vim includendi Dęmonem in annulis, vel in vaſculis, & ampullis; ſunt enim homines Dęmonibus quoad poteſtatem inferiores quando tamen id accidit, fit opera Dęmonis, vel quia alij ſuperiores includunt inferiores, vel quia ipſimet, ex pacto inito ſe includunt, cum primum certa quędam verba, & incantationes audierint, eodemque modo poſſunt pelli à Corporibus.

43 Relictis remedijs naturalibus cõtra Maleficium, quæ Dęmon parum timet referũtur ex Doctoribus decem remedia ſupernaturalia, ſiue Eccleſiaſtica, quę plurimum valent ad impediendam vim Diabolicam, & malignos diaboli effectus ad homini nocendũ directos; Primum eſt magna fides, & fiducia in diuina protectione colligitur hoc clare ex pſalmo 90. qui habitat in adiutorio Altiſſimi in protectione Dei Cœli commorabitur, quibus & alijs ſequẽtibus verbis docemur Diabolum nihil

poſſe

poſſe in eos, qui omnem ſpem in Deo locant; ſecundum eſt ſuſceptio Baptiſmi ſi non ſis baptizatus, quia baptiſmo exuimus veterem hominem, quem diabolus induxit, & induimus Chriſtum, efficimur eius membra, eius filij, & domeſtici; transferrimur de poteſtate tenebrarum in Regnũ filij Dei, vt Apoſt. ad Coloſſ. 1. ait; tertium confeſſio peccatorum, ſæpe enim ob peccata permittitur Diabolo poteſtas in hominem, quibus deletis illa quoque euaneſcit; quartum ſumptio Euchariſtiæ, vel eius præſentia, nulla enim conuentio lucis ad tenebras, nec Chriſti ad Belial; quintum exorciſmi Eccleſiæ; Hi varij ſunt, alij enim inſtituti ſunt ad expellẽdum Dæmonem à corporibus hominum, alij ab infeſtatione ædium, alij ad illum compeſcendum, ne damna per tempeſtates, vel alia ratione inferat; Horum autem maximam eſſe vim patet, tum ex vſu quotidiano, tum quia in Eccleſia eſt ordinatio inſtituta à Chriſto, vel (vt quidam volunt) ab Apoſtolis ad Dæmones pellendos, & coercendos; tam quia preces illæ, & adiurationes fiunt nomine Eccleſiæ Chriſti Sponſæ.

44 Sextum Aqua benedicta; hæc habet vim ex precibus Eccleſiæ; per quas factum eſt, vt diuina virtus ei aſſiſtat, & quodammodo inſideat, & connexa ſit ad Dæmonis infeſtationes auertendas, hoc remedio plurimi vſi ſunt, & vtuntur; ſeptimum reliquiæ ſanctorum, & res aliç ab Eccleſia benedictç, vt Agnus Dei, Cerei ſacri panis, & ſal benedictũ, & ſimilia; octauum lignũ Crucis, huius eſt vis magna cõtra omnes Diaboli machinationes; eſt enim ſignum Chriſti victoriarum contra omnes Diabolicas artes, & futurum in Cœlo, cum Dominus ad iudicandum venerit ad terrorẽ, & vltimum, ſed perpetuum exitium Dæmonum, & damnatorum; Nonum inuocatio nominis Ieſus B. Virginis, Angeli Cuſtodis, & etiam omnium Sãctorum; decimum oratio cum ieiunio iuxta cõſiliũ Christi Marci 9. 29. hoc genus Dæmoniorũ non eijcitur, niſi in oratione, & ieiunio. Hæc 10. remedia breuius reducuntur ad duo capita primum continet remedia priuata, ex quibus præcipuum eſt oratio cum fide firma, & ſpe, & conſcientia pura, adquam maxime neceſſarius eſt vſus ſacramentorũ, deinde valde conferunt opera miſericordiæ, ieiunij, humilitatis, & inter cætera ſacrificium Euchariſtiæ, quod habet magnã vim impetrandi, tertio quædam, quæ ratione ſuç inſtitutionis peculiarem vim habent contra Dæmones, vt inuocatio nominis Ieſu, ſigni Crucis vſus humiliatio cordis à Deum, & ſimilia, ſecundum continet remedia publica; quæ ſunt exorciſmi, & hi magnã vim habent, quia ſunt in perſona Eccleſiæ, vſus etiam aquæ benedictæ.

45 Idololatria vltima, & completa auerſio à Deo hominis potiſſimũ Chriſtiani, quam iniquiſſimus hoſtis humani generis impugnando eundem hominem ſummopere cupit, & tot vanis obſeruantijs, diuinationibus, & magijs omni conatu procurat eum conuertere ad creaturam, vt ei exhibeat cultum, qui ſolo Deo debetur ſic enim nomen Idololatria impoſitum eſt ad ſignificãdum omnem falſorum Deorum cultum, vt hominum mortuorum, Dæmonum, ſolis, Lunæ, aſtrorum, & ſimilium; quia ſcilicet hæc à gentibus colebantur cum Idolis, hoc eſt vanis imaginibus, vel rerum, quæ non ſunt; Ideo merito Imagines falſorum Deorum Idola vocatæ ſunt, quia ſunt rappreſentationes numinum, quæ non ſunt; ad differentiam imaginum Ieſu Chriſti, B. V., & Sanctorũ, quæ non ſunt, nec dicuntur Idola quia ſunt Imagines rerum verarum; Vnde nec imago Regis Idolum dicitur, quia rappreſentat rẽ veram; Hinc opti-

me definitur Idolatria, dum dicitur illā propriè eſſe cultum illum, quo diuinus honor creaturæ tribuitur, ſicut Deo ipſam creaturam videlicet laudando, inuocando, thura adolendo, ſacrificando, altaria, & templa erigendo, genuflectēdo, & alia huiuſmodi, quæ ſoli Deo facienda ſunt; In Idololatria ſic definita, tres actus præcipue concurrunt per ſimiles ijs, qui reperiuntur in vero cultu Dei. Primus eſt eſtimatio diuinitatis, & perfectionis Deo propriæ. Secundus affectus reuerentiæ, quo tanquam ſupremo numini Idolatra ſe ſummittit Idolis. Tertius eſt externum ſignum, quo ſignificetur interior opinio, & ſubmiſſio, vt ergo aliquis ſit Idolatra, primo debet habere opinionem aliquam diuinitatis de Idolo, ſeu re, quæ adoratur, ſecundo affectum adorationis, tertius adorationem ipſam hoc eſt exhibitionem ſigni ſubmiſſionis, & recognitionis internæ.

46 Idololatria in vniuerſum triplex eſt, prima eſt ea, quæ ſumitur ex diuerſitate cultus diuini, quo pacto Idolatræ dicuntur, qui vota, preces, & ſacrificia Deo debita impendunt idolis, ſecunda illa, quæ pendet ex diuerſa diſpoſitione eies, qui creaturam colit, ſi enim procedat ex infidelitate, qua credatur creatura pro Deo, dicitur interior Idololatria; ſi non procedat ex infidelitate, ſed timore aliquo, aut metu diuini honores tribuantur creaturæ, dicitur exterior; tertia eſt ea, quæ ſumitur ex diuerſa conditione creaturæ; cui diuinus cultus exhibetur; cuius Idolatriæ quattuor aſſignantur præcipua genera primum continet Imagines referentes creaturas, quas gentes diuino cultu honorabant, prout illas referebant, ſic ſimulacro Iouis adorabant mundum, Apolline Solem, Diana Lunam, Vulcano ignem, &c. Secundum Genus continet ſimulachra hominum, vel pecudum credita diuinis ſpiritibus animata eſſe, quæ per ſe valerent hominibus nocere, vel eos adiuuare; tertium continet ipſos homines flagitioſos, honoratos pro Dijs à ſimplicibus, vt Iouem, Saturnum, Martem &c. quartum continet ſpirituales creaturas, vt Angelos, quos vt Deos adorabant Platonici, deinde animas corporum cęleſtium, tum Dæmones, denique animas hominum; nec fuit impoſſibile homini ſic adorare creaturas tanquā Deos, quia poſt peccatum originale adeo corrupta remanſit natura, vt in ſummam cœcitatem deuenerit vſque ad ignorantiam Dei, inde facile fuit ſeduci à Dæmone, & incidere in opinionem plurīū Deorum; nec obſtat, quod cum daretur multis Idololatriæ cultus nulli videatur dari potuiſſe ex opinione diuinitatis; Reſpondetur bene quidem non potuiſſe, ſed tamen ex falſa eſtimatione potuit; & ſi enim potentia creandi vna tantum ſit, tamen per deceptionem exiſtimari poteſt eam habere Angelos, Dęmones, & alios huiuſmodi, quos gentes adorabant.

47 Prima origo Idololatriæ fuit deſiderium præſentiæ mortuorum, nempe quo parens mortuum filium proſſequebatur ei ſtatuam erigens, in qua veluti præſentem retineret, & cerneret Sap. 14. quo ipſæ ſtatuæ per ſe tanquam numine plenæ, & Animatæ coli cęperunt, & quia Diabolus ſtatuis illis mox, vt dicatæ erant ſe inſinuabat, ſicque adorabatur in illis, tertio habuit ortum ex pulchritudine, & admiranda virtute corporū Cęleſtium, & elementorum, non conſiderando vnde eam haberent etiam his Gentes cultum diuinum cœperunt exhibere, & eorum Imagines dedicare, ſic creſcente praua conſuetudine, eouſque hæc Idolatria inualuit, vt ſi aliquid eſſet, quod aliquam vtilitatē, vel nocumentum adferret hominibus mox pro Deo coleretur, vt comoda ſua

ſic-

generis conferret, vel incomoda auerteret, ſic bouem ouem, capram, canem, ſerpentem, leonem, & ſimilia adorabant denique, quarto omnibus fere rebus, & operibus, quæ ad vſum humanum pertinent Deos, vel Deas perficiebant, vt melius ſuccederent; & in his omnibus Dæmon ipſe colebatur iuxta illud Pſalm. 95. omnes Dij Gentium Dæmonia; nec obſtat, quod Platonici, & alij philoſophi etiam coluerint Angelos, quos appellabant minores Deos, & præterea ſummum Deum Deorum minorum Patrem, idque abſque ſtatuis, quia Propheta loquebatur de Dijs populorum, qui publice colebantur, non autem de Dijs aliquorum philoſophorum, quos ipſi colebant priuatim, quamuis etiam dum hos ſe colere exiſtimabant, Diabolum qui ſe fingebat eſſe de numero illorum coluerint; Ita enim Diabolus eſt auctor hominibus colendæ creaturæ loco Dei, vt hunc honorem aliqua arte ad ſe transferat, ſibique impendi, & ſi ſub alieno nomine curet, vt tradit D. Auguſt. lib. 8. de Ciuit. Dei Cap. 24. Hæc dicta ſint ſecundum communem Theologorũ ſententiam, ideo prætermiſſa eſt inutilis eorum citatio.

LIBER QVARTVS

DE CREATIONE CREATVRÆ PVRE materialis, & Creaturæ partim ſpiritualis, & partim materialis, ideſt hominis in natura integra.

DE CREATVRA PVRE MATERIALI. CAP. I.

De Creatione Cœli Empyrei, & materia prima. Art. I.

1 POſtquam in 3. libro actum eſt de Creatura purè ſpirituali. hoc eſt de Angelis ordo Doctrinæ expoſtulat, vt in hoc quarto agatur de Creatura purè materiali, & de mixta ex materiali, & ſpirituali ideſt de homine, & hoc quantum ad naturam integram, & ſtatum innocentiæ. De vtriuſque Mundi magni, & parui creatione loquens inſignis Propheta Moyſes afflatus Sancto Spiritu, ſic incœpit ſuam hiſtoriã in principio creauit Deus Cœlum, & terram; Dum dicit in principio accipit Moyſes nomen principij non (vt quidam putant) ſecundum ſignificationem temporis, nam tempus ante Creationem Mundi non erat, ſed aut ſimul cum eo, aut poſt eum creatũ eſt, cum enim tempus ſit quodammodo ſpacium motus Cœli, & menſura eius fieri non poteſt, vt motus rem motam præceſſerit, nec menſura ſit, aut fuerit

Digitized by Google

ante ſuum menſuratum, ſed neceſſe eſt ambo ſaltem ſimul exiſtere; neceſſario igitur colligitur tempus, aut æquum eſſe Mundo, aut recentius; affirmare autem illud antiquius eſſe, reuera alienum eſt à philoſophia. Cum igitur principium non accipiatur ſecundum temporis ſignificationem, conueniens fuit id ſignificari iuxta numerum, vt ſit ſenſus, in principio creauit Deus, hoc eſt primum fecit Cęlum & terram, nam conſentaneum rationi eſt primum in generatione illud proueniſſe cum ex his quæ facta ſunt ſit præſtantiſſimum, & ex puriſſima conſtet eſſentia; vel in principio hoc eſt ante omnia creta materialia, quemadmodum ædificaturus Domum in principio, & ante omnia bonum ſupponit fundamentum. Ita Deus in fabricando Mundo in principio, & ante alia condidit Cœlum, & terram, vel duas Mundi principales partes, quę cęteras ordine naturæ antecedunt; Vel in principio ideſt ante omnem diem, ita quod nullus dies, vel hora præceſſerit Creationem Cœli, & terræ, & ideo dicitur in principio ideſt temporis, quia tunc tempus cum ipſis rebus incepit, ſenſus itaque eſt; non quod in principio, ſiue temporis, ſiue Æui creauerit quaſi præſupoſuerit principium temporis aut Æui rebus ipſis creatis, ſed quod ipſarum rerum creatarum fuit aliquod initium; Ideſt ita creauit, vt inciperent eſſe in aliquo puncto, quod æuum nominari poteſt.

2 Creauit hoc eſt de nihilo produxit, quod requiritur ad creationē, & eſt ipſius Dei proprium de nihilo producere; quod maxime hic verum eſt, cum ſit hęc productio prima, quæ nullam materiam ſupponit; Vnde præter dicta de creatione in principio præcedentis libri notandum eſt Creationem multis modis ſumi; primo latiſſimè pro cuiuſcumque rei productione etiam ſi non de nihilo, ſed de aliquo producatur, quo pacto ſapientia Verbū æternū Eccleſiaſtici c. 24 de ſe dicit ab initio, & ante ſecula creata ſum, ideſt genita, & producta; ſecundo ſumitur pro regeneratione per gratiam; Ita dicitur de iuſtificatis per gratiam ad Ephes. 2. 10. ipſius enim ſumus factura creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, & Cap. 4. renouamini ſpiritu mentis veſtrę, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, & alibi ſępe, tertio prout idem eſt, quod promotio ad aliquam dignitatem ſic dicitur aliquis creari in cardinalem, quia ad Cardinalatum promotus eſt, quarto pro productione eius, quod proxime, vel remote originem traxit ex nihilo, quæ huiuſmodi productio dicitur factio; reſque producta facta creaturaque nuncupatur, & hoc modo ſumitur paſſim in communi vſu loquentium, ſicque in ſymbolo miſſæ dicitur contra Arrium de Verbo Dei genitum non factum, nec creatum; hoc quarto modo ſumpta creatione tota latitudo entis realis diuiditur in increatum, & creatum in Creatorem, & creaturam & omne ens reale aliud à Deo dicitu creatum, & Creatura.

3 Quinto, & vltimo modo ſumitur Creatio ſtrictiſſime, & propriiſſime pro productione, ſiue factione rei non de aliquo ſubiecto, quod vel intrinſecum illi ſit, vel à quo pendeat in ſuo eſſe, & hoc modo ſumitur in propoſito quæ à Doctore ſubtili in 1. d. 1. q. 2. art. 1. ſic definitur creare eſt aliquid de nihilo producere in effectum, quam explicans ait. 2. v: quantum ad iſtum articulum inquit creationem eſſe alicuius de nihilo, hoc eſt non de aliquo ſecundum eſſe eſſentię, quia vt probatum eſt (ait) diſt. 36. primi ſent. numquam eſſe eſſentiæ ſeparatur ab eſſe exiſtentiæ; addit tamē Scotus ibi nullam rem creari de nihilo ideſt nullo modo ente, nec

Digitized by Google

ſimpliciter, nec ſecundum quid; quia omnia, quæ creantur prius habebant eſſe intelligibile, & eſſe volitum, & in eſſe intellecto habebant eſſe formaliter; & tunc habens eſſe poſſibile fuit quaſi in potentia propinqua, vt poſſet eſſe obiectum omnipotentiæ, & poni in eſſe ſimpliſiter; Deus hebraice eſt Elohim in numero plurali, cuius ſingulare eſt Eloha ſecũdum hebraice peritiſſimos; quæ vox Elohim in ſcriptura non modo tribuitur Deo, ſed etiam Angelis Iudicibus, & Principibus; ſed cur cum vox Elohim ſit numeri pluralis Moyſes iunxit cum Bara numeri ſingularis, quaſi Latine diceret *Dij creauit*, ac non potius dixit Eloha Bara Deus creauit; Reſpondetur Moyſen Elohim Bara non dixiſſe, vt oſtenderet pluralitatem, ſed potius vt demonſtraret in ipſo ſcripturæ ex ordio ſemina quædam Chriſtianę Doctrinæ, quam de miſterio Sanctæ Trinitatis habemus, nam per nomen plurale Elohim multitudinem diuinarum perſonarum, per verbum Bara numeri ſingularis vnitatem diuinæ eſſentiæ inſinuauit, ita ſenſit Magiſter ſent. lib. 2. d. 1. quem Scholaſtici Theologi omnes prorſus ſecuti ſunt cum quibus conſenſit Paulus Burgenſis, Nicolaus Lyranus, Petrus, Galat. & alij.

4 Cœlum, & terram: nomine Cœli & terræ totum hunc mundum corporeum Moyſes voluit ſignificare, ita vt conſilium Moyſis fuit ſtrictim, & ſummatim, ſiue ſummarie ponere ante oculos vniuerſi mundi opificium, deinde per ſex dies particulatim explicare; Ita D. Griſoſt. hom. 2. in Gen. D. Aug. lib. 2. de Gen. contra Manich. Cap. 3. & lib. 11. de Ciuit. Cap. 33. & lib. 12 Confeſſ. Cap. 17. Item ſecundo nomine Cęli intellexit Moyſes naturam Angelicam per terram autem materiam informem omnium corporum, ita vt Deus à principio res duas condiderit velut duo totius entis creati extrema alterum ſummum, & propè Deum qui eſt Angelus, alterum infimum, & prope nihil; quę eſt materia prima Origen. hom. 1. in Gen. inquit in principio, & ante omnia Cęlum dicitur factum ideſt omnis ſpiritualis ſubſtãtia ſuper quam velut in Trono, & ſede quadam Deus requieſcit; Item tertio per Cœlum, & terram ſimul intellexit Moyſes materiam pimam ex qua cõſtant omnia corpora, ſed primo, & principaliter Cœlum, & terra, & ob hanc cauſam eorum nominibus eam appellauit D. Auguſt. lib. 12. Confeſſ. Cap. 7. in fine, & Cap. 19. & 20. & alibi. Vnum hic aduertendum circa opinionem D. Aug. de creatione Mundi deſcripta à Moyſe in principio Geneſis an ſcilicet docuerit omnia ſimul facta eſſe; an vero prius materiam creatam eſſe, & poſtea ex Materia facta eſſe alia fatendum eſt eundem inſignẽ Eccleſiæ Doctorem varium fuiſſe, & ſenſiſſe magnam difficultatem in litterali expoſitione ſex dierum, vt conſtat ex varijs libris quos de hac re ſcripſit, nam primo ſcripſit duos libros de Geneſi contra Manicheos, Deinde de Geneſi imperfectum poſtea iam Epiſcopus factus 12. libros Confeſſionum, & 12. libros de Geneſi ad Litteram, & in alijs ſuis operibus; Fatetur ipſe humillimus ſanctus lib. 1. Retract. Cap. 10., & 18. ſe profeciſſe paulatim, tum in alijs ſcripturis exponendis, tum præſertim in exponeudo principio Geneſis, non ergo mirum eſt, ſi non idem vbiq; ſentiat, ita notanter Martinus Baccanus de operibus ſex dierum in communi. Item quarto per Cœlum intellexit corpora cæleſtia omnia in ſuis formis ſubſtantialibus diſtincta, licet in aliquibus proprietatibus accidentalibus eſſent informia, per terram vero intellexit terram ipſam in ſua forma ſubſtantiali diſtinctam, & aliquibus proprietatibus for-

mam

mam ſubſtantialem neceſſario concomitantibus licet quantum ad aliqua adhuc eſſet informis Lir. Toſt. & Peter.

5. Vel quinto per Cœlum intellexit Moyſes Cœlum empyreum tantũ multis rebus maxime diuerſum à cœteris Cœlis per terram autem materiam primam, vel informem omnino, vel non quidem omnino informem, ſed habentem tantummodo quandam formam corporis, vel corpulentam quandam maſſam, quę totum illud vacuum, quod eſt intra Cœli empyrei ambitum occupabat, & implebat, & ab initio erat quędam corpulenta maſſa rudis, & indigeſta, ex qua deinceps corpora omnia cõpoſita, & conformata ſunt; pro hac opinione citatur Theodoret. q. 11. & 14. ſuper Gen. Baſilius hom. 3, & 4. in Gen. Beda in exam. Poteſt 6. addi, & quidem probabiliſſime, quod his verbis Moyſes docet ea, quæ per creationem ſtricte ſumptam creata fuere à Deo in principio, nam præter Angelos; quos Deus ſimul cum cœlo, & in Cœlo empyreo creauit produxit ſolum de nihilo Cœlum ipſum terram, & aquam. Ex quibus poſtea reliqua corpora ſimplicia eſt fabricatus. Quod vero has ſolas tres corporum ſpecies produxerit Deus de nihilo à principio per creationem proprie dictam patet, ex narratione Moyſis. ſic enim ſcribit in principio creauit Deus Cœlum, & terram ecce mentio fit Cęli & terræ; Addit ſtatim Moyſes terra autem erat inanis, & vacua; & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, ideſt aquarum, & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas, ecce manifeſte docet aquas etiam fuiſſe, à principio, ſimul cum Cęlo, & terra fuiſſe productas.

6. Caietanus in illud 2. ad Cor. 12. raptum vſque ad tertium Cœlum negat intelligi debere ſolum Cœlum empyreum, ſed nomine tertij Cœli ait eo loco intelligi Cœlum aqueum, ſeu primum mobile ex ratione per motus, quod Cęlum empyreum à Theologis inuentum ſit, & nullibi reperiatur in ſcripturis ergo temere aſſerit Moyſen nomine cęli intelligere cęlum empyreum, quod cõfirmatur, quia nulla probabilis ratio dari poteſt, Vnde colligamus eſſe tale cęlum, cum neque motu, neque lumine, neque actione deprehendi poſſit; non motu, quia qui ponunt Cœlum empyreum dicunt illud quieſcere, non lumine, quia non habet Lumen, alioquin videri poſſet, & in principio creationis non fuiſſent tenebrę ſuper faciem abyſſi, non actione, quia omnis Cœlorum actio, vel eſt per motum, vel eſt per lumen, quorum neutrum conuenire Cœlo empyreo iam probatum eſt; ſed rectius ſtrabus, Beda, & plerique alij arbitrantur Moyſen cum dixit in principio creauit Deus Cœlum intellexiſſe Cœlum empyreum, nec eſſe nouum Theologorum inuentum, ſed habere ſolidiſsimum fundamentum in ſcriptura, nam ſcriptura docet firmamentum, & omnia aſtra producta eſſe, ſecunda, & quarta die addit firmamentum eſſe in medio aquarum, ita vt quædam aquæ ſint ſupra, quædam infra firmamentum; ſi ita eſt, ſequitur Cœlum illud, quod in principio creatum eſt eſſe ſuper firmamẽtum, & ſupra omnes aquas, quod ſane non poteſt eſſe aliud, quam empyreum.

7. Alij ex alijs locis colligunt, vt ex illo 2. Cor. 12. citato à Caietano ſcio hominem raptum vſq; ad tertium Cœlum, nam ſcriptura agnoſcit triplex cęlum vnum aereum, alterum ſydereum, tertiũ empyreum, ad quod raptus fuit Paulus, & ex illo Pſalm. 113. Cœlum Cœli Domino terram autem dedit filijs hominum, vbi more hæbreo vocatur Cœlum Cœli, quod eſt cęteris præſtantius, & quaſi alterius rationis ſicut alibi dicitur Canticum Canticorum, quod alia

alia Cantica multum excedant, & dicitur Deus Deorum Dominus, qui infinito interuallo ſuperat alios Deos; Hinc patet reſponſio ad confirmationem, quia & ſi non eſſet alia ratio, tamen ſola auctoritas ſcripturæ ſufficeret ad aſſerendum Cœlum empyreum, ſed & ratio aliqua dari poteſt, quia conueniens eſt, vt Beati, cum fruantur perpetua quiete animi habeāt etiam locum quietum, in quo habitent, qui proculdubio pulcherrimus, & lucidiſſimus eſt, Dices cur ergo radios non emittit? aut ſi emittit quomodo dicit ſcriptura fuiſſe tenebras ſuper faciem abyſſi D. Thom. p. p. q. 66. art. 3. ad 4. dicit ideo radios non emittere, quia lux illius ſubtilis eſt, & non ita condenſata ſicut lux Solis; Vel certe quia habet claritatem gloriæ, quæ non eſt conformis claritati naturali, Alij dicunt ſicut tertia pars tabernaculi, quæ erat Sancta Sanctorum velo quodam diuidebatur, & occultabatur ne videri poſſet, ita Cęlum empyreum in inferiori parte tegi, & occultari, quaſi velo quodam craſſiori, per quod radij penetrare non poſſint; Hanc autem partem inferiorem, & quaſi velum templi empyrei innouandam eſſe in conſummatione ſeculi vna cum firmamento, & elementis, & tunc fore lucidā, & tranſparentem; De actione Cæli empyrei in hæc inferiora non omnes idem ſentiūt; Quidquid ſit, ſiue agat, ſiue non agat ſatis eſt eſſe domicilium, & habitationem Beatorum.

8 Sed reuertamur ad terram Cęlo empyreo concreatam; De ea dicit noſtra vulgata terra autem erat inanis, & vacua: Pagninus legit deſolata, & inanis; alij inculta, & vacua, 70 inuiſibilis & incompoſita, & hanc lectionem ſequitur Origenes, Griſoſthomus, Auguſtinus, & Beda; Aquila vanitas, & nihil Simacus otioſum, & indigeſtū, Theodotio, inane, & nihil; Ex quibus omnibus colligitur Moyſen dum dixit, terra autem erat inanis, & vacua poſuiſſe ante oculos noſtros qualis fuerit in exordio Mundi ſtatus terrę; erat enim ſine luce, ſine vllo ornatu, & decore, vacua hominibus, animalibus, & plantis non diſtincta in Montes, colles, & valles, non eminens ſtans ſuper aquas, ſed omni ex parte ex altiſſimis aquis cooperta, denique talis, vt vere poſſet appellari materia inuiſibilis, & informis; omnia ergo nomina prædicta ſunt nomina informis materiæ, vt res ignota notis vocabulis inſinuaretur imperitioribus, non vno vocabulo, ſed multis; Abulenſis Gen. 1. docet Materiam vocari informem, quia licet habuerit aliquam formam corporeitatis ſubſtantialem non tamen athomam, & ſpecialiſſimam, quę eſt vltima dans eſſe pulchrum, & decorū, Hæc materia informis non eſt Chaos confuſum, & indiſtinctum, quod ſufficienter à philoſophis reprobatur, vt patet ex Ariſt. 1. Phyſic., quia ſcriptura aperte inſinuat diſtinctionem rerum quoad aliquam formam, ſiue rationem formæ etiam ante opus diſtinctionis, & ſegregationis ab iſta materia informi, nam dicit hic Moyſes, in principio creauit Deus Cęlum, & terram, ecce vnam diſtinctionem; ſecundo ponit aliam diſtinctionem inter ipſa elementa nominans etiam terram, & aquam, & tandē ſubdit tertiā diſtinctionem quo ad ſitū, nam terram dicit eſſe ſub aquis, quibus inuiſibilis redderetur, Aer vero qui eſt ſubiectum tenebrarum ſignificatur fuiſſe ſuper aquas, per hoc, quod dicitur tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.

9 Hæc materia præciſe ſumpta non eſt purum nihil, aut quid fictitium, ſed eſt verum ens non priuatiuum, ſed poſitiuum; probatur, quia materia eſt aliquid per ſe vnum cum forma, ſed ſi materia eſſet, quid priuatiuum non faceret, neque eſſet per ſe vnum, quia

nun-

Digitized by Google

nunquam expoſitiuo, & priuatiuo fit aliquid per ſe vnum neque in conceptu neque in effectu. Item materia ſtat ſub oppoſito priuationis puta cum forma, ſed illud, quod ſtat ſub oppoſito priuationis non eſt priuatio, quia priuatio nō ſtat cum oppoſito habitu, ergo materia eſt ens verum, & poſitiuum; Inſuper hæc materia præciſe ſumpta eſt ens reale, quia materia eſt fundamentum, & receptaculum omnium formarum naturalium, ſecundo eſt pars rei realis ex 7. Met. tertio eſt per ſe ſubiectum generationis realis ex 1. Phyſicorum, quarto eſt per ſe terminus creationis ex D. Auguſtino 12. Confeſſionum, quinto quia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis ex 1. Phyſic. ſexto quia eſt per ſe cauſa, & principium ex 1. & 2. Phyſicorum, ſed certum eſt quod omnia prædicta non poſſunt competere non enti reali; ſi obijcias Ariſt. 5. Phyſic. & 1. de gener. appellat materiam non ens & 7. Met. inquit quod materia non eſt quid, vel quale, nec quantum, nec aliquid aliorum, quibus ens determinatur, ergo non eſt ens; Reſpondetur materiam primam appellari non ens cōpletum, nec eſt quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid aliorum pro quāto iſta dicuntur forma determinatiua entis; nec eſt intentio Ariſt., quod ſit nihil, ſed quid ſit receptiuum omnium iſtorum.

10 Immo materia prima præciſe ſumpta eſt ſubſtantia per Ariſt. 7. Met. 2. de Anima, & 1. Phyſic., quibus in locis ſubſtantia diuiditur in materiam formam, & compoſitum; in 1. Phyſicorum inquit Ariſt. ſubſtantiam non componi ex non ſubſtantijs; ſed ſubſtantiæ naturales componuntur ex materia, & forma, ergo materia eſt ſubſtantia; præterea proprium eſt ſubſtantiæ non eſſe in alio, quod præcipue conuenit materiæ, Cæteræ enim res ſunt in alio, vel ſimpliciter, vt accidentia; vel aliquo modo vt formæ, & compoſita ſubſtantialia; Item ſi materia non eſſet ſubſtantia, ergo accidens, ſi accidens oporteret illud eſſe in aliquo ſubiecto priori, & vnum accidens non poteſt ſuſcipere aliud accidens, materia autem ſuſcipit omnes formas, & eſt prior illis, nec quicquam eſt ea prius, ergo non poteſt eſſe accidens; ſi obijcias primo, quod Ariſt. 7. Metaphyſic. negat materiam eſſe ſubſtantiam, Reſpondetur, quod appellat eam non ſubſtantiam, quia non eſt ſubſtantia perfecta, hoc eſt ſpecifice in aliquo gradu entium determinata, & conſtituta; ſi obijcias ſecundò materia eſt medium inter eſſe, & nihil, vel non eſſe, vt patet 2. Metaph. & per D. Auguſtinum 13. Confeſſionum, ſed medium inter contradictoria eſt nihil. Reſpondetur quod materia non eſt proprie medium inter contradictoria, nec per ab negationem, nec per participationem, ſed pro tanto eſt medium, quia eſt ſubiectum transmutationis generatiuæ à non eſſe ad eſſe, & corruptiuæ ab eſſe, ad non eſſe.

11 Materia non eſt ſolum in potentia obiectiua, ſicut roſa in hieme, probatur primo, quia materia tunc eſſet ſimpliciter non ens; ſecundo quia ens in potentia obiectiua non eſt ſubiectum transmutationis, ſicuti ponitur materia, tertio quia talis potentia obiectiua numeratur ſecūdum numerum actuum, materia autem eſt vna reſpectu omniū formarum; Materia prima igitur eſt etiam in potentia ſubiectiua; probatur, quia materia eſt ens receptiuum actus ſubſtantialis primo, & actus accidentalis ſecundario, ergo materia prima eſt in potentia ſubiectiua; pro intellectione diſtincta huius aſſertionis aduertendum eſt aliquid eſſe in potētia ſtat dupliciter, vno modo in potentia ſubiectiua, alio modo in potentia obiectiua, illud

lud eſt in potentia ſubiectiua, quod eſt ens in ſe, & poteſt eſſe ſubiectu m, vel fundamentum alicuius potentiæ actiuę, & paſſiuæ; Vnde quicquid eſt productum in rerum natura, & eſt in potentia ad aliquid agendum, vel patiendum eſt in potentia ſubiectiua, ex quo ſequitur, quod præciſe omne id, de quo prædicatur hoc verbum eſt, ſecundum adiacens eſt in potentia ſubiectiua; Illud autem eſt in potētia obiectiua, quod eſt obiectum potentiæ. Ex quo ſequitur, quod cuicumque non repugnat produci, illud ſit in potentia obiectiua; Hæ duæ potentiæ non ſunt eædem, ſed poſſunt ab inuicem ſeparari, quod enim nunc eſt creabile, puta Angelus eſt in potentia obiectiua, non ſubiectiua, quandoque tamen ſunt in eodem, vt eſt illius, ad quod eſt, & dicitur in potentia obiectiua, ſic roſa exiſtens comparata ad ſubiectum eſt in potentia ſubiectiua non exiſtens vero comparata ad agens dicitur eſſe in potentia obiectiua.

12 Materia prima præciſa forma, & actu à forma proueniente habet propriam entitatem actualem probatur primo; quod eſt per ſe cauſa intrinſeca entis naturalis actualis eſt ens in actu, ſed materia prima eſt huiuſmodi ex 2. Phyſicorum, ergo materia eſt ens in actu, ſiue habet propriam entitatem actualem; ſecundo materia prior eſt ordine generationis, quam forma, nam ex 1. Phyſic. ſubiectum prius eſt ijs, quæ in eo inſunt, ergo materia ante quam recipiat formam, habet propriam entitatem actualem, & proinde eſt in actu entitatiuo; tertio materia habet entitatem, & eſſentiam in rerum natura diſtinctam realiter ab entitate, & eſſentia cuiuſcumque formæ ſpecificæ, vt infra videbimus, cuius poteſt eſſe ſubiectum, ergo habet propiam entitatem actualem diſtinctam ab actualitate formæ. Quarto Materia ſi non eſt in actu ens, ergo eſt in potentia ens, ſi ſic aut eſt in potentia materia, aut in potentia forma aut in potentia compoſitum, ſed nullum iſtorum, ergo materia non eſt in potentia ad ens; minor probatur non eſt in potentia materia, quia idem eſſet in potentia ad ſe ipſum; vel materia non haberet eſſe extra ſuam cauſam efficiētem, quod falſum eſt, quia de facto fuit producta, & creata à Deo; nec eſt in potentia forma, aut compoſitum, quia nullum illorum eſſe poteſt, ideſt nec forma, nec compoſitum, quod per ſe patet.

13 Immo materia prima habet propriam exiſtentiam aliam ab exiſtentia cuiuſcumque formæ, quia exiſtentia ſequitur eſſentiam, tanquā terminus eius intrinſecus, ergo vbi eſt alia, & alia eſſentia à parte rei, ibi eſt alia, & alia exiſtentia; ſed materia habet eſſentiam in rerum natura diſtinctam realiter, & eſſentialiter ab eſſentia formæ, ergo & exiſtentiam; ſecundo probatur materia eſt terminus creationis, & prius natura eam terminat, quam forma informet, ergo materia habet veram exiſtentiam, quia creatio terminatur ad entitatem in actuali exiſtentia; tertio vnaquaque res accipit exiſtentiam per generationem, vel productionem ſuam, quo circa quæ habent diuerſam productionem nō habent eandem exiſtentiam; materia autem prima habet diuerſam productionem à formis, nam formæ per generationem producuntur ab agente naturali, illa vero per creationem immediate procedit à Deo, & formæ ſunt corruptibiles, materia vero incorruptibilis, ergo Materia habet diuerſam exiſtentiam ab exiſtentia formarum; quarto Philoſophus docet in tranſmutatione terminum à quo, & priuationem corrumpi ſubiectum autem, & materiam manere eandem numero ſub vtroque termino, ſed non poteſt materia eadem numero

Xxx ma-

Digitized by Google

manere ante, & poſt ſi exiſtentiam haberet à forma, quando quidem nunquã eadem numero forma permanet ante, & poſt loquendo de formis, quarum in tranſmutatione vna eſt terminus à quo, altera terminus ad quem, ergo materia non accipit à forma ſuam exiſtentiam; Nec eſt putandum abſurdum in vna re multas reperiri exiſtentias imperfectas, quæ faciunt vnam perfectam, quemadmodum in vno compoſito naturali ſunt duæ ſubſtantiæ imperfectæ, ex quibus conficitur tertia ſubſtantia, quæ eſt ipſius compoſiti perfecta, & completa.

14 Virtute agentis naturalis materia non poteſt eſſe ſine omni forma, quia materia habet naturalem, et eſſentialem ordinem ad formam, ſicut perfectibile ad ſuum perfectiuum, ſine quo eſset indeterminata, & indefinita; ſecundo quia generatio vnius eſt corruptio alterius, & è conuerſo; & agens naturale non ſpoliat materiam vna forma, niſi inducendo aliam; omne enim agens nõ ideo vt corrumpat alia, ſed vt corruptis alijs, quæ ipſi obſtant, generet aliquid ſibi ſimile, atque hoc principaliter, quà de re nunquam materia poteſt naturaliter forma penitus priuari, tertio quia perpetuus Cęli motus ita continenter verſat, et commutat materiam, vt ex ea perpetuo nouas formas eliciat, & quaſi exundet; immo cum creata fuit à Deo in principio, fuit creata cum aliqua forma, (vt ſuperius dictũ eſt,) et ratio eſt, quia omne, quod eſt in loco circumſcriptiue habet formam, & quantitatem materialem, ſed materia talis erat in principio in loco circumſcriptiue, vt teſtatur Hugo de S. Victore, ergo habuit formam, cum eſſe in loco circumſcriptiue competit corpori, vel habenti formam, & modum corporis; Immo ſi loquamur de forma reſpectiua, nec per abſolutam Dei potentiam materia non poteſt eſſe ſine aliqua forma reſpectiua, quæ eſt creaturæ ad Creatorem, quia Deus non poteſt facere materiam primam quin referatur ad Deum tanquã creaturam ad ſuum Creatorem, quia ſecundum Doctorem ſubtilem in pluribus locis relatio creaturæ ad Deum eſt identificata cum ipſa creatura identitate reali inſeparabiliter; eſt enim dependentia eſsentialis ipſius ad Deum.

15 Materia prima per diuinam potentiam abſolutam potuit à Deo produci abſque quacumque forma ſubſtãtiali abſoluta, & illam ſic conſeruare, nam omne abſolutum, quod eſt prius alio abſoluto, et diſtinctum realiter ab eo poteſt eſse ſine illo, ſed materia, & forma ſunt huiuſmodi, ergo, minor probatur, quia tam materia, quam forma ſunt quid abſolutum, quia ſunt de prædicamento ſubſtantiæ, quod eſt abſolutum, item materia præcedit formam, velut fundamentum præcedit ſuum fundatum. Præterea ſi illud, quod minus videtur poſſibile est poſſibile diuinæ potentiæ, et illud quod magis videtur, erit poſſibile, ſed minus videtur poſſibile, quod accidens cum ſit poſterius natura ſuo ſubiecto, & dependens ad ipſum poſſit eſſe ſine ſubiecto, ergo multo magis materia, quæ eſt prior natura et origine ipſa forma, et quæ est fundamentum, et fulcimentum formę, poteſt eſse ſine forma, minor patet de accidentibus in ſacramento altaris, quę ſine ſubiecto in eodem exiſtunt. Item quicquid Deus poteſt mediante cauſa ſecunda poteſt ſe ſolo, ſed Deus conſeruat materiam mediante forma, ergo poteſt ſe ſolo. Item Deus creans materiam, vel neceſsario concurrit ad eductionem primæ formæ ex eius potentia, vel non ſi non, ergo poteſt conſeruare ſine forma, ſi ſic ergo Deus aliquid neceſſario aget ad extra quod repugnat principijs fidei.

16 Ma-

16 Materia prima non eſt entitatis adeo exiguæ, vt non poſſit definiri, vel per quidditatem, vel proprietatem ab eius entitate fluentem diſtinctam ab ipſa formaliter, nam hæc definitio materia eſt ens ſubſtantiale, corporeum, incompletum eſt, definitio per prædicata quidditatiua, quæ ipſi competũt ſecundum entitatem metaphyſicam, quam habet independenter à forma, intelligendo tamen per ly corporeum non corporeitatem communem omnibus corporibus naturalibus, quia hæc corporeitas habetur à forma, ſed materialitatem quandam, ſecundum quam id corporeum dicitur, quod non eſt ſpirituale; Hæc autem definitio. Materia eſt ſubiectum vnicuiq; primum, ex quo aliquid fit per ſe, & non per accidens eſt per proprietatem, quia materiæ non competit eſſe ſubiectũ mutationis immediatum, ſiue primum ſecundum ſe, ita quod non poſſit concipi, ſine ratione ſubiecti, & potentiæ, ergo quod ſit ſubiectũ primũ.i.immediatũ, ex qua velut ex parte aliquid eſſẽtialiter cõponatur, eſt materię proprietas pro cuius intelligentia notandũ eſt, quod materię 1. quattuor numerãtur proprietates; quarum 1. eſt potentia phyſica eſt materię proprietas eſſentialis, ſicut & aliæ proprietates, non eſt tamẽ de eſſentia eius, quia nec materia eſt de eſſentia potentiæ, nec potentia de eſſentia materiæ; Hæc potentia materię primo eſt ad formas ſubſtantiales, cum per eas primo, & immediatius perficiatur, quã per accidentales, & quo ad ſubſtantiales omnino indifferens eſt ad omnes, quæ ſucceſſiue habere poteſt, nec ex eo, quod eas habeat ceſſat eius potentia, ſeu inclinatio, nam ſicut lapis exiſtens in centro non ammitit naturalem ſuam inclinationem ad centrum, ſic de materia, quæ & ſi ſit ſub forma perfecta nõ ideo deſinit eſſe in potentia ad alias formas ratione ſuæ indifferentiæ appetitus.

17 Secunda proprietas materiæ eſt appetitus formæ, ita tamen quod materia appetat formam appetitu naturali, ſeu innato non elicito, quia materia naturaliter tendit in bonum ſibi conueniens ſcilicet formam ſubſtantialem à qua ſperat perfici, & actuari, non ſpe elicitiua, cuius non eſt capax cum non ſit animata, ſed expectatione pure naturali, tertia proprietas materiæ eſt inſeparabilitas à forma, nam vt ſupra dictum eſt materia nunquam ſecundum naturalem agentis finiti potentiam eſt ſine aliqua forma; Hanc ſatis probat communis conſenſus, & dependentia materiæ à forma, & ordo vniuerſi, in quo nihil videre eſt non determinatum ad aliquam ſpeciem, quæ determinatio fit per formã; quarta proprietas materiæ, quod ſit ſimplex, ingenerabilis, & incorruptibilis, eſt tamen ſubiectum omnium corruptionum, & generationum, primo quod ſit ſimplex ſimplicitate oppoſita compoſitioni phyſicæ, quia materia prima nõ eſt phyſice compoſita, quamvis ſit componibilis; ſecundo quod ſit ingenerabilis, & incorruptibilis; nam materia tanquam ſubiectum generationis, & corruptionis manet ſub vtroque termino, ſed quod generatur non eſt ſub vtroque termino ſicut nec id, quod corrumpitur, ergo materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis: forma enim quę generatur non erat ante generationem, nec forma quę corrumpitur erit poſt corruptionem materia autem, tam in generatione, quã in corruptione ſtabile eſt ſubiectũ.

18 Etiam Cęli conſtant ex materia, & forma, nam habent quantitatem raritatem, & denſitatem, quæ accidentia comitantur materiam, ergo Cęli conſtant ex materia; Deinde etiam habent formam, tum quia actu exiſtunt hoc aliquid, quod facit forma, tum quia

accidentia Cęlorum ſunt terminata talis autem terminatio eſt à forma, & ab ea procedit, ergo Cęli ſunt compoſiti ex materia, & forma; Item Cęli ſunt corpora naturalia, ergo vel ſunt natura, vel habentes naturam, ſi natura cum hæc ſit cauſa, vt moueatur id, in quo eſt neceſſarium eſt eſſe compoſitos ex ipſa natura, quæ eſt principium motus, & ex eo, in quo eſt talis natura, eo videlicet, quod mouetur; ſi autem ſint habentes naturam, ſimiliter manifeſtum eſt debere compoſitos eſſe ex materia, & forma, quia natura ex 2. Phyſicorum diuiditur in materiam, formam, & compoſitum; Queres an idem dicendum ſit de Cęlo empyreo; Reſpondetur ſi concedatur Cęlum empyreum eſſe corpus naturale habens quantitatem molem, & cętera accidentia, quæ comitantur materiam, & alia, quæ procedunt à forma, vt dictum eſt alios habere, vere idem aſſerēdum eſt de Cęlo Empyreo, quod affirmatur de alijs Cęlis; ſi vero affirmetur Cœlum empyreum eſſe cœuum materiæ primæ, & cum ipſa ſit concreatum, quod tanquam certiſſimū habetur fere ab omnibus Theologis Scholaſticis ex ſtrabi, Bedæ, & aliorum auctoritate proculdubio aſſerendum Cœlum Empyreum non conſtare ex materia, & forma, atque adeo corpus eſſe ſimplex materia, & forma carens.

19 Sed petes vna, & eadem ſit materia corporum Cœleſtium, & rerum ſublunarium D. Thom. p.p. q. 66. art. 2. Richard. in 2. diſt. 12. art. 1. q. 8. Capreolus in 2. d. 12 conclus. 2. q. vn. & alij D. Thomæ diſcipuli dicunt diuerſæ rationis eſſe materiam corporum Cęleſtium à materia corporum inferiorum per hoc, quod materia corporum eſt in potentia ad plures formas puta ad omnes inferiorum corporum, materia autem corporum cęleſtium tantum eſt in potentia ad ſuam formam cœleſtem D. vero Bonau. in 2. diſt. 12. art. 2. q. 1. Scotus in 2. diſt. 14. q. 1. Ægydius in 2. diſt. 12. Abul. in Gen. Cap. 1. & omnes Scotiſtæ docent eiusdem rationis eſſe materiam omnium corporum, atque adeo Cœli, & elementorum, & mixtorum, ſi excipias Cœlum empyreum, & hæc ſententia eſt probabilior & amplectenda; Pro cuius intelligentia & explicatione notādum eſt materiam eſſe vnam, & eiuſdem rationis omnium corporum tribus modis poſſe intelligi, primo ſecundum communem rationem, ſecundum quam conuenit ſibi ſubſtantiali formæ ſubijci, ſecundo iuxta ſpecialem rationem, ſecundum quam competit ſibi, vt formæ ſubſtantiali ac etiam quantitati ſubijciatur, tertio ſecundum rationem ſpecialiſſimam, ob quam ſibi ineſt vt formæ ſubſtantiali, quantitati, contrarietati, ac priuationi ſit ſubiecta; primo & ſecundo modo vna eſt corporum Cœleſtium, & inferiorū materia patet, quia vbi eſt forma vnius rationis ibi eſt materia vnius rationis, at forma corporeitatis in corporibus cęleſtibus, & inferioribus eſt eiuſdē rationis, propterea quod eadem ratione prædicatur corpus de Cœlo, & elemētis, tertio modo non eſt vna, & eadem materia corporum Cœleſtium, & inferiorum, quia materia corporum Cœleſtium non eſt contrarietati, nec formæ ſubſtantialis priuationi ſubiecta, quemadmodum materia horum corporum inferiorum; ſed relictis illis reſpectibus dicendum eſt, quod materia in ſe, & quantum eſt ex ſe eſt eius ratiōnis in quocumque.

20 Dices cum contraria opinione ſi Cœlum haberet materiam eiuſdem rationis cum materia inferiorum, ergo nō ſecus, ac inferiorum eſſet corruptibile, quod falſum eſt, conſequentia eſt philoſophi primo Cęli cum materia ſit cauſa

ſa, per quam res poteſt eſſe, & non eſſe 2. de generat. Huic obiectioni diuerſi reſpondent: Scotus ſubtiliſſime in hac re ſe gerit quippe qui loco cit. nempe in 2. Sent. diſt. 14. tria dicit; quorum primum eſt ſecundum Theologos ponenda eſt materia in Cœlo, quia illud Chaos, quod ponitur ab eis attigiſse vſque ad Cęlum empyreum erat materia omnium corporalium contentorum à Cœlo empyreo; ſecundum eſt, quod ponitur materia ſecundum ſe, & quantum eſt de ſe eiuſdem rationis in quocumque; tertium, quod Theologi habent diſcordare à philoſopho in hac propoſitione Cęlum eſt neceſsarium, & incorruptibile, quia quantum eſt ex natura ſua eſſet ſimpliciter corruptibile, propterea quod ſibi ineſſet illa potentia ad contrarium; tamen eſt incorruptibile ſecundum quid ob tres rationes; prima corpus Cœleſte non habet contrarium agens, & ita non poteſt corrumpi à contrario Agente, ſecunda quia forma Cęli eſt alterius rationis à forma elementorum; & ideo Cœlum non eſt capax qualitatum contrariarum, ideo non alterabile, & corruptibile, tertia quia forma quæ non poteſt produci à natura non poteſt corrumpi à natura, ſed forma Cęli eſt huiuſmodi, eſt enim perfectiſſima inter omnes formas pure corporeas; ſicut ergo forma Cęli à ſolo Deo creatur, ſic à ſolo Deo poteſt corrumpi. Vnde D. Damaſcenus lib. 2. Cap. 6. ait Cęlum de ſe eſſe corruptibile, voluntate tamen Dei eſſe incorruptibile, etenim Deus illud non corrumpi, ſed perpetuo conſeruari diſpoſuit, & ideo tantum ſubeſt voluntati diuinæ.

21 Dices ſecundo ſi materia Cœli, & materia horũ inferiorum eſſent eiuſdem rationis, & ſpeciei ſaltem ſequeretur materiam ſublunarium eſſe in potentia ad formam Cœli, & cum eam nõ habeat, eadem priuatam eſſe, ipſamque deſiderare, & tunc Cœlum poſset corrumpere, & conuertere ignem in Cœlum, quia virtus actiua Cęli excedit formam ignis, ergo materiam ignis poſset à forma cœli trãſmutari ad formam Cœli, & per conſequens cœlum eſt generabile per naturam, quod eſt abſurdũ dicere; Reſpondet Scotus, quod forte cęlũ non poſset alterare elemẽtum ad qualitates conuenientes tali corpori cœleſti, atque ita, & ſi materia horum inferiorũ habeat priuationem formæ cœli, vel appetitum ad formã, huiuſmodi tamẽ appetitus per cauſas naturales expleri non poſset; neq; eſt neceſse, vt naturalis appetitus, quo prima materia deſiderat primam formam ſubſtantialem in communi poſſit in omnibus indiuiduis materiæ, poſt quam informatur forma aliqua ſubſtantiali, ſatiari per cauſas naturales ſecundum totam latitudinem formarum, quas ſecundariò reſpicit; Eo enim ipſo quod vnumquodque indiuiduum Materiæ informatur forma corporis corruptibilis, nequit per cauſas naturales informari forma corporis incorruptibilis, & è contra eo ipſo quod informatur forma corporis incorruptilis nequit per cauſas naturales informari forma corporis corruptibilis; nec ideſt aliquid abſurdũ; etenim vt potentia, & appetitus, quem res alicuius ſpeciei infimæ habet primo ad aliquid, quod ſub ſe multas ſpecies continet, non ſit fruſtra, ſatis eſt, ſi pro diuerſis indiuiduis talis ſpeciei infimę ſatiatus ſit quoad totam latitudinem ſpecierum, quas ſecundario reſpicit, vt pro ſingulis indiuiduis expleatur, vel ſucceſſiue expleri poſſit per cauſas naturales; neque enim dicitur potentia fruſtra, ſi non reducatur ad actum in ſingulis ſuis indiuiduis, ſed ſolum ſi actum non conſequatur in omnibus collectiue ſumptis, alias appetitus materiæ ignis in concauo lunæ, & terræ in centro ſuo exiſten-

tis

tis eſsent fruſtra, quia de facto per cauſas naturales non poſsunt tranſmutari ad alias formas ſublunares, ad quas habent potentiam & inclinationem naturalem, & per conſequens materia ignis, & materia terræ in centro non eſsent eiuſdẽ rationis cum materia aliorum ſublunarium, quod eſt falſum.

22 Quamuis materia illa prima erat inanis, & vacua, quatenus carebat non quidem aliqua forma, ſed forma omnimode perfectiua, tamen locum poterat implere, quia erat extenſa, & corporea; Itaque ſi materia præciſe ſumatur ſine quantitate erat in loco definitiue, quia quælibet ſubſtantia limitata habet eſſe in loco definitiue, ſed materia ſic ſumpta eſt ſubſtantia limitata, quamuis imperfecta, ergo erat in loco definitiue. Si vero materia ſumatur ſit quanta, & extenſa erat in loco circumſcriptiue, quia quantitas eſt ratio circumſcribendi; pro cuius intelligentia recolẽdum eſt, quod aliquid eſſe in loco poteſt quattuor modis intelligi; vno modo circumſcriptiue, & eſt illud, quod eſt ſic præſens, quod totum locatum correſpondet toti loco, & quælibet pars locati correſpondet alicui parti loci, ſic entia quanta quantitate moli ſunt in loco. Secundo modo ſumitur definitiue, et eſt illud, quod eſt præſens loco per realem exiſtentiam, & præſentiam, ſic tamen quod eſt præſens vni loco, quod ſimul non poteſt eſſe in alio loco; ſic Angeli, & quælibet ſubſtantia finita, & limitata ſunt in loco definitiue; tertio modo ſacramentaliter, & eſt illud, quod eſt præſens per veram præſentiam alicui per ſignum ſenſibile, ſic tamen, quod quando eſt præſens vni loco poteſt eſſe præſens alteri loco, hoc modo corpus Chriſti eſt in loco Euchariſtico; quarto accipitur immenſiue, & eſt illud quod eſt in quolibet loco ſi ponatur locus, vel in qualibet re ſi ponatur, ſic Deus eſt in loco immenſiue per præſentiam, per potentiam, & per eſſentiam.

De opere primi diei, hoc eſt de luce. Art. II.

1 ANtequam ſumatur tractatus operum ſex dierum ſciendum eſt in primis, an omnia ſint ſimul condita, an vero eodem ordine, quo videntur à Moyſe deſcripta in Gen. Cap. 1. D. Auguſtinus lib. 1. ſuper Geneſim ad litteram Cap. 11, & lib. 4. Cap. 34. lib. 5. Cap. 4. & 5, & alibi ſæpe intelligit per diſtinctionem rerum ſex primis diebus conditarum diſtinctam Angelorum cognitionem, nõ autem diſtinctam creatoris operationem; Vult enim intelligi Deum omnia condidiſſe ſimul, ſed non omnia ſimul fuiſſe ab Angelis cognita, & cognitionem, quam habuerunt de creatione Cœli, & terræ, ac lucis vocat primum diem, cognitionem vero, quam habuerunt de firmamento vocat ſecundum diem, & ſic deinceps per ſingulas rerum conditiones intellectui Angelico inditas ſingulos dies intelligit; Per veſpere autem, & mane cuiuslibet rei cognitionem matutinam, & veſpertinam interpretatur. Veſpertinam inquam, cognitionem rerum in genere proprio; matutinam autem cognitionem rerum in Verbo diuino. Philo etiam Iudæus nihil aliud putat Moyſen per ſex illos dies ſignificare voluiſſe, quam conditarum rerum perfectionem, quæ ſenario numero comprehendi ſolet; Procopius Græcus itidem hoc ideo factum comemorat, vt facilius à rudi Populo intelligeretur. Caietanus putat hoc ideo Moyſen feciſſe, vt oſtenderet naturalem ordinem, & conſequentiam rerum productarum talem eſſe, vt ſi ſucceſſiue debuiſſent produci comodiſſime potuiſſent per ſex dierum.

Digitized by Google

rum interualla diſtingui. Eiuſdem etiã ſententiæ videtur fuiſſe Origenes lib. 4. Periarchom Cap. 2. pro abſurdo reputans intelligere ſecundum corticem litteræ.

2 Tamen D. Baſilius D. Ambroſius in Examer. D Griſoſthom. Strabo, Beda, & alij in primum Gen. D. Hieronymus in qq. Hæbraicis ſuper Geneſim D. Greg. 32. Moral. Cap. 2. Rupertus Abbas de operibus Trinit. Cap. 37. Magiſter ſent. diſt. 12. & diſt. 15. & cum eo omnes ferè Scholaſtici arbitrantur ſex dierum interuallo omnium rerum ſeriem fuiſſe conditam, neque enim cenſent ſenſus miſticos in ſcripturis diuinis quærendos eſſe, vbi ſenſus hiſtoricus ſatis eſt apertus; Veritas enim cuiuslibet hiſtoriæ ſtatim collaberetur, & reuera veritas ſacræ ſcripturæ nullo modo hic ſaluari poteſt cum tam coacta dierum expoſitione, ſi nulla alia eorum fuiſſet diſtinctio, quam penes diſtinctã Angelorum cognitionem, quid enim prohibuit, quin æque Angeli potuerint cognoſcere homines, & iumenta ſicut volucres, piſces, & plantas, & tamen illa diſtinctis dicuntur condita diebus, non igitur ſecundum diſtinctam Angelorum cognitionem diſtinguntur dies, quia in vno actu cognitionis plurium rerum diſtinctis diebus cõditarum potuit notitia comprehendi; immo fermè omnium, cum habuerint ſpecies concreatas, & tam ſubtilis ſint intellectus, vt quicquid cadit ſub rationem entis finiti, limitati, & creati poſſit ab illis comprehendi; Id quoque indicatur in Geneſi dum dicitur, quod terra erat inanis, & vacua, ergo aliquando non habuit plantas, & Animalia, ergo plantæ, & animalia non ſunt ſimul producta cum terra. Item ſcriptura dicit fuiſſe aliquando tenebras ſuper faciem abyſſi, ergo aliquando non fuit lux.

3 Item ſi omnia ſimul eſſent facta dari deberet aliqua ratio, cur Moyſes dixerit prius factam eſſe lucem, quam firmamentum ſtellarum, & ſolem, à quo lux ſolet deriuare, cum tamen lux debet ſoli poſtponi potius, quam anteponi, at nulla poteſt dari ratio probabilis, ſi naturalem rerum ordinem, & dependẽtiam ſpectemus, cur id factũ ſit; Item exodi 20. præcipit Deus ſanctificari diem Sabbati, & adfert hanc rationem, quia ſicut ipſe creauit hunc mundum ſex diebus, & ſeptimo die requieuit; ſic etiam Iudæos oporteat laborare ſex diebus, & ſeptimo die quieſcere; Hæc autem ratio non valeret, ſi Deus omnia creaſſet vno momento, & non ſucceſſiue per ſex dies, & confirmatur, quia Gen. 2. & 3. dicitur, quod Deus benedixerit, & ſanctificauerit diẽ ſeptimum, eo quod tunc ceſſaſset ab omni opere, ſed ibi per diem ſeptimum non poteſt intelligi alius, quam qui reuera ſeptimus fuit; Hinc colligunt Sancti Patres primum diem creationis fuiſſe diem dominicum, qui eſt ſeptimus à Sabbato, in quo Deus quieuit ab opere ſuo, idque Leo Primus Epiſt. 79. ad Dioſcorum Epiſcopum Alexandrinum, & refertur diſt. 25. Cap. quod die Dominico, ergo aſſerendum ſex diebus naturalibus produxiſſe Deum ſucceſſiue ea, quæ Gen. 1. narrantur producta, eo vel maxime quia Moyſes ſcripſit narrationem illam pro rudi populo teſte D. Griſoſt. ergo exiſtimandum eſt Moyſen per ſex dierum nomina, ſex veros dies, & ſeriem in eis, productionem rerum ſignificaſſe; Vnde apparet, quod prima opinio potius ſubtilis, quam valida ſit.

4 Tenenda igitur eſt ſecunda opinio tanquam verior, & obiectionibus pro prima reſpondendum; obijcitur, ergo primo illud Eccleſiaſtici 18. qui viuit in æternum creauit omnia ſimul, ergo non ſex diebus naturalibus. Reſpondet D. Bonauentura ſcripturam facere vim

inter

inter creationem, & factionem; nam creationem vocat productionem ex nihilo: factionem vero productionem ex aliquo, concedit itaque, vt docent Patres omnia ſimul eſſe producta in materia, & cum ea eſse creata, ſed tamen non ſimul facta; Illud enim Eccleſiaſtici intelligendum eſt de his, quæ producta ſunt ex nihilo, & de entibus completis, vt ſenſus ſit Deum vno inſtanti creaſſe omnia entia completa, quæ creata ſunt quod verum eſt, quia vno inſtanti creauit Cœlum, terram, & aquam; Reliqua quæ narrantur eſſe facta ſex diebus non creauit proprie, ſed fecit ex præſuppoſita materia; ſecundo obijci etiam poteſt illud Gen. 2. vbi recapitulando Moyſes dicit; iſtæ ſunt generationes Cœli, & terræ, quando creatæ ſunt in die, quo fecit Deus Cęlum, & terram omne virgultum agri; non dicit in diebus, ſed in die, ergo ſimul creata ſunt omnia. Reſpõdet idem ſanctus, quod illud dictum eſt per recapitulationem, & iſte terminus die ibi confunditur, itaut teneat pro diuerſis diebus; vel poteſt etiam dici, quod dies in ſcriptura ponitur aliquando pro tempore indeterminato, vt illud Deuter. 32. iuxta eſt dies perditionis, ideſt tempus, & Ioan 9. ait Chriſtus me oportet operari donec dies eſt, ideſt tempus eſt, & ſic ſumpſit Moyſes Gen. 2. cit.

5 Tertio obijcitur, ſi eſſet vera illa ſecunda ſententia ſacra ſcriptura incideret in errorem vulgatum apud imperitos philoſophos epicureos, qui ex vno confuſo Chao, ſeu mixto res in eſſe procedere affirmarunt; ſic quippe dixerũt Anaxagoras, Empedocles, Democritus, & Leucippus, qui error in philoſophia ſatis reprobatus eſt, vt patet 1. Phyſic. & alibi, ſed hoc concedere eſt abſurdiſſimum, & falſiſſimum; alias fides Catholica eſſet falſa continens falſiſſimum Epicureorum dogma, quod vera philoſophia toties reprobauit; Reſpondetur non eſſe verum, quod ſecundum illam ſententiam ſacra ſcriptura concedat ridiculoſum antiquorum philoſophorum errorem; quia illi imperiti Epicurei dixerunt materiam eſſe totam rerum ſubſtantiam; quod illa ſententia refutat aſserendo res primo productas ſubſtãtialibus formis ſpecificis, quamuis nondum quantum ad accidentia ſua diſtinctis; Præterea ſi Patres, & Doctores illius ſententię dixiſſent illud Chaos confuſum ab æterno fuiſse, aut æternaliter fluxiſse inciderent in philoſophorum errores, ſed ipſi omnia in tempore condita fuiſse affirmarunt; Nec varietas opinionum detrahit veritati ſacrarum ſcripturarum, ſed potius eas illuſtrat; nã vt Sanctus Thomas docet pertinentia ad fidem ſunt duplicia, quædam enim per ſe ſunt de ſubſtantia fidei, vt Deum eſse vnum in eſsentia, & trinum in Perſonis, & alijs huiuſmodi, in quibus nulli licet aliter opinari; alia vero per accidens tantum, in quantum videlicet in ſcriptura traduntur, quam fides pręſuponit dictante ſpiritu Sancto eſse conſcriptam, quæ & ſine periculo poſsunt ignorari ab his, qui ſcripturas ſcire non obligantur, vt ſunt hiſtorialia multa, in quibus etiam Sancti aliquando diuerſa ſenſerunt, ſcripturam diuerſimodè exponentes; ſic itaq; circa principium mundi aliquid ad ſubſtantiam fidei pertinet, vtpote mundum per creationem à Deo cæpiſse, nec æternaliter extitiſse, quod Sancti, & ſcholaſtici vnanimiter confeſſi ſunt; ſed quo modo, ac ordine factus, ſit non ſpectat ad fidem, niſi per accidens, in quantum in ſcriptura traditur, cuius veritatem Sancti ſaluantes eandem diuerſimodè explicarunt.

6 Quarto obijcitur, cum Deus ſit omnipotens, & potuerit omnia facere vno momento cur tam lente progreſsus eſt, & tot

& tot dies inſumpſit? Reſponderi poteſt cum Apoſtolo, quis nouit ſenſum domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Nihilominus non deſunt rationes, cur ita factum ſit; Prima eſt, vt Deus ſucceſſiua illa productione oſtenderet triplicem Mundi ſtatum, quorum primus eſt creationis, ſecundus diſtinctionis, tertius ornatus; primo enim creauit Cœlum, terram, & aquam; ſecundo diſtinxit diem à nocte, lucem à tenebris, aquas ab aquis, mare ab arida; tertio ornauit terram, plantis, & animalibus, mare, piſcibus, aerem, auibus, firmamentum ſtellis; In primo elucet Dei omnipotentia, in ſecundo ſapientia, in tertio bonitas. Secunda ratio, vt oſtenderet partim quid poſtularet natura rerum, partim quid finis, ad quem res conditæ ſunt, natura rerum poſtulabat, vt produceretur terra aquis cooperta, nam illa eſt natura illorum duorum elementorum, vt cõuexa ſuperficies vnius contineatur à concaua ſuperficie alterius; finis autem poſtulabat, vt terra habitaretur ab homine, & ipſius vſibus deſeruiret; tertia ratio, quia Deus voluit ex re indicare ſe non aliqua neceſſitate naturæ ad id, quod poterat, ſtatim faciendum, ſed voluntate ductum eſse; ad differentiam naturæ, & artis, quarum excellentia virtutis & bonitatis in hoc conſiſtit, quod effectum ſuum compleant velociter, & quam primum poſſint; quarta ratio eſt, vt exemplo continui operis ſex dierum, & poſtea ceſſationis facilius homines inducerentur ad ſanctificationẽ diei ſeptimi propter diuinum cultum; quinta ratio, vt productio rerum ſic lenta, & ſucceſſiua tolleret occaſionem erroris; ne ſcilicet ex rerum ſubita, & inſtantanea productione homines ſuſpicarent res à caſu eſſe conditas, & nõ proceſſiſſe à Deo ſumma prouidentia operante.

7 D. Bonauentura in 2. diſt. 12. art. 1. queſt. 2. in ſolutione 4. argumenti, & breuiloquij p. 2. & D. Thomas p. p. q. 65. diſtingunt in creatione rerum tres operationes diuinas; prima eſt creatio ex nihilo, quæ inſinuatur in illis verbis in principio creauit Cœlum, & terram; ſecunda eſt rerum creatarum, & productarum formatio quædam, ſeu diſtinctio, aut perfectio, quæ indicatur verbis illis cum dicit diuiſit lucem à tenebris, & aquas, quæ ſunt ſupra firmamẽtum ab aquis, quæ ſunt ſub firmamento; tertia operatio eſt ornatus earundem rerum qui inſinuatur illis verbis fiant luminaria in firmamento Cœli; ex quibus oſtenduntur deliramenta antiquorum Hæreticorum; Albigenſes opinati ſunt Diabolum creare omnia corpora; Cathari dixerunt, quod Diabolus fecit hunc mundum, & omnia, quæ in eo ſunt; Manichei exiſtimarunt corpus à malo principio factum, ideo quia ipsũ corpus eſt ſuapte natura malum. Venuſtiani arbitrati ſunt partes inferiores corporis humani non à Deo, ſed a Diabolo eſſe factas; ſed abeant in malam Crucem illi, & alij Hæretici non concedẽtes oraculum Spiritus Sancti. In principio creauit Deus Cœlum, & terram. Differentia diuinarum operationum ſumitur ex differentia diuinorum effectuum in prima rerum conditione, quãdoquidem nonnulli effectus fuerunt ſecundum ſe toti producti à Deo ex nihilo, & reſpectu horum effectuum operatio diuina dicitur creatio; alij effectus fuerunt producti à Deo non niſi ex ſubiecto aliquo à ſe prius creato, qui effectus quemadmodum dupliciter conſiderari valent ita reſpectu illorum aliæ duæ operationes ſcilicet formatio, & ornatus diſtinguntur, nam in quantum hi effectus inſunt in rebus creatis ſine aliquo ſuo proprio motu, vt Lux in corpore diaphano ſic reſpectu illorũ operatio diuina dicitur formatio, ſeu diſtinctio,

Digitized by Google

ctio, aut perfectio rerum. In quantum autem inſunt in rebus ante productis, vt ſol, luna, & ſtellæ in Cœlo, & Plantæ, & animalia in terra, & aues in aere, & piſces in aquis, ita reſpectu illorum diuina operatio nuncupatur ornatus.

8 Dixitque Deus, verbo non oris, ſed mentis, eoque non notionali, ſed eſsentiali, & communi tribus; dixit ergo ideſt in mente concepit, voluit, decreuit, imperauit efficaciter, atque imperando reipſa effecit, & produxit Deus trinus ideſt ipſa Sanctiſſima Trinitas lucem; quam fecit poſt creatum Cœlum, terram, & abyſsum, & ipſos Angelos, ſed durante adhuc eodem ipſo die; qui primus erat mundi, dixit ergo fiat lux, & quidem ſapientiſſime etenim lux eſt prima qualitas actiua primi corporis hoc eſt cœli non intra cœlum contracta, ſed ad omnes res corporeas effuſa eſt lux velociſſima in ſui diffuſione, quandoquidem lux quovsque vis eius pertingere poteſt omne id ſpatium non vna tantum ex parte, ſed vsquequaque, & quoquo verſus puncto temporis ſparſa claritate ſua penitus obtinet, & implet, eſt enim generale principaleque inſtrumẽtum cauſarum, quo vis omnis ſiderum, omniſque defluxus, & effectus ad nos defertur, & quo vno fit in hoc noſtrate mundo quicquid à Cœlo fit, & nihil eſt in rebus corporeis Luce, & quæ ſub aſpectu cadunt, vel ad aſpectum iocundius, vel ad exhilarandos animos lętius, vel ad vſum comodius, vel ad effectum potentius, & fœcundius, vel ad mundi decorem, & ornamentum pulchrius, vel ad percipiendam rerum omnium præſertim autem cœleſtium cognitionem aptius, vel denique ad exprimendas, & repræſentandas res ſpirituales, & diuinas accomodatius, ita Auctor lib. 4. Eſdræ Cap. 6. & D. Dionyſius 4. cap. de diuinis nominibus diſtinguit tres effectus lucis corporalis; primus lux eſt principium generationis inferioris, vnde ibidem inquit idem Sanctus, quod radius ſolaris ad generationem viſibilium corporum confert, & ad vitam ipſam mouet, & nutrit, ſecundus effectus; lux ſolaris eſt principium manifeſtationis omnium viſibilium; Hinc ad Ephes. 5. dicitur omne, quod manifeſtatur, lumen eſt, tertius effectus eſt: lux ſolaris eſt principium pulchritudinis omnium corporum, quorum pulchritudo conſiſtit in debita partium, vel membrorum proportione, & alacritate ſuperfuſa ſcilicet decente colore.

9 Sed quomodo dixit Deus fiat lux, & non præcepit Deus alteri creaturæ, ſed ea, quę non ſunt vocat, ita vt hic præceptum ſit ipſa voluntas, omnia enim ait, quęcumque voluit fecit; quod ſi creando voce quadam vſus eſt, certum eſt hoc non inanimatorum elemẽtorum cauſa, ſed inuiſibilium virtutum gratia factum eſse; vt ſciant quia ipſo iubente ea, quæ non ſunt, ſubſiſtunt. In qua re notandum eſt, quod Deus verbo inducitur creans lucem, vt innoteſcat quanta Deus celeritate, & facilitate quodcumque vult perficere valeat; nam quam infinitis partibus facilius eſt Deo facere quodcumque fuerit ei collibitum, quam eſt huiuſmodi verbo id explicare, vel cogitatione fingere, nam Deus (vt inquit D. Paulus) omnia portat verbo virtutis ſuæ, his accedit, vt intelligatur Deum non eſse velut agens naturale neceſſitate quadam, & ſine cognitione faciens opus ſuum, ſed ratione conſilio, & libera voluntate lucem, totumque mundum condidiſse; dicere enim, & iubere eorum eſt tantummodo qui ad agendum, & rationem, & conſilium adhibent; nam iſtud dicere Dei non importat aliquam vocem ſenſibilem, ſed intelligere Dei practicum, quod includit ipſum velle; quia ſecun-

Digitized by Google

ſecundum formam, & diſpoſitionem ſuæ voluntatis ſequitur effectus.

10 Et ſi lux proprie, & principalius quantum ad proprietatem vocabuli, & vſum ſcripturarum, & Sanctorum Doctorum lucem ſpiritualē ſignificet, quomodo Ioan 1. Deus lux vera nominatur, & 1. Ioannis 1. Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ, & alibi ſæpe, nihilominus tamen in propoſito reſpectu noſtræ cognitionis proprie lucem corporalem, per quam videmus colores, ſignificat; Moyſes enim proſſequens hiſtoriam materialis productionis mundi, et omnium, quæ in eo ſunt non eſt probabile, quod dum lucis factionem commemorans de luce ſpirituali intellexerit, ſed vere de luce corporali voluerit narrationem texere.

Hoc ſuppoſito inſurgit magna difficultas quidnam ſcilicet, & qualis fuerit hæc lux corporalis; Non eſt omnium PP. & Doctorum ſententia; in primis reijcienda eſt ſententia Manicheorum, qui inter quædam elementa, quæ ipſi fingebant vnum dicebant eſſe lucem. Aiebant enim in Regno boni Principis eſſe quinque elementa aerem, lucem, ignem, aquam, & ventum, vt patet ex D. Auguſtino lib. contra Epiſtolam fundamenti Cap. 32. & hæreſi 46. Vnde fingebant Solem, & Lunam eſſe duas naues, quæ partes lucis purgatas inuehunt in Regnum Patris, nihil abſurdius; Alij dicebant lucem eſſe formam ſubſtantialem omnium ſublunarium; Cęterum hæc ſententia eſt omnino improbabilis, vt apertiſſimis rationibus oſtendunt D. Thomas 1. p. q. 67. art. 2. & D. Bonau. in 2. diſt. 13. art. 2. q. 1. & Doctor ſubtilis in 2. diſt. 13. q. 1. art. 1. & ratio eſt, quia forma ſubſtantialis non eſt per ſe ſenſibilis ex 3. de Anima tex. 26. Lux autem per ſe ſentitur, ergo lux non eſt forma ſubſtantialis; ſecundo quia quod eſt accidens in vno corpore non poteſt eſſe forma ſubſtantialis ex 1. Phyſic. t. 27. vbi dicitur quod vere eſt, nulli accidit, ſed lux aeris, quæ ſpecie non differt à qua vis alia luce corporali, vt ad ſenſum patet, eſt accidens in aere, ergo nullibi poteſt eſſe forma ſubſtantialis.

11 Lux illa corporalis eſt qualitas non ſolum habens eſſe intentionale, ſed etiam reale, ita Doctor ſubtilis in 2. d. 13. q. 2. pro cuius explicatione obſeruandum eſt, quod habere eſſe intentionale dupliciter ſumitur vno modo præſſe, & rigoroſè provt diſtinguitur contra ens reale, quomodo habent eſſe ſecundæ intentiones, vt genus, & ſpecies apud Dialecticos, quia ſolum habent eſſe per operationem intellectus; poſteriori modo fuſe, & largè, & hoc modo illud habet eſſe intentionale, quo Anima tendit in alterum, & illud, in quod tendit; hoc enim nomen intentionale ſignificare videtur, nempe quo in alterum tenditur; Intentio namque ad actum Animæ ſolummodo pertinet; tales ſunt ſpecies verbi gratia coloris, quæ præter eſſe reale, quod ſimpliciter habent, retinent quoque eſſe intentionale, quia mediantibus ſpeciebus illis anima in obiectum tendit; ſecundo obſeruandum eſt, Lucem non ſolum eſſe qualitatem realem prædicamentalem; ſed etiam qualitatem intentionalem, eo modo, quo explicatum eſt, Lux primo modo quatenus ſcilicet lux eſt qualitas realis lumen, vel luminatum denominat V. g. aerem actu luminoſum, & producit naturales effectus, nam radijs ſolaribus calefiunt corpora, quod habentibus eſſe intentionale tantum nulla ratione conuenit, quoniam intentiones nō efficiunt trāſmutationes naturales; Eadem Lux eſt etiam qualitas intentionalis, quia ſi Lux ſiue lumen eſſet obiectū ſenſibile tantum, & non ſpecies ſenſibilis, ſiue intentio, aut ratio ſentiendi po-

ſitum ſupra viſum non faceret viſionẽ, quia ſenſibile, quod eſt tantum obiectum, & non ratio ſentiendi) poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem, Et luce clarius eſt lucem intentionem, & rationem eſse viſionis colorum; nihil enim magis requiritur ad ſentiendum, quam immutatio organi, & color non poteſt immutare viſum, niſi actu illuminatur. Ex his habemus Lucem corporalem, qualis fuit illa primo die producta non eſse corpus, neque formam ſubſtantialem corporis, ſed qualitatem tam naturalem; quam intentionalem corporis, atque adeo corporalem nominari, quia eſt quidam inhærens corpori.

12 Reſtat ſciendum quid ſit illud corpus; Reſpondet D. Baſilius hom. 6. Examer. vel hom. 2. in Gen. vbi vult, quod lux primo die producta ſit ſine ſubiecto eodem modo diffuſa, & ſparſa à Deo, ſicut modo ſpargitur à Sole, vt dies diſtingueretur à nocte, & illuminaretur orbis, ita vt quemadmodum vniformiter difformiter lumen diffundit per integrum hemiſpherium atque ſub meridiano, in quo eſt, cauſat illud intenſius, quam in quacumque alia linea, & puncto verſus orientem, vel occidentem; ſic Deus antequam eſset ſol, immediate produxit lumen dilatando illud vniformiter difformiter ſicut dilataret ſol, & cauſando per illud diem, ac noctem ſicut ſol cauſaret, ſed hæc opinio maximum inducit miraculum, nunquam alias factum, præterquam in vnico ſacramento Euchariſtiæ, at in prima rerum conditione, inſtitutione, & diſpoſitione ad miracula confugere, præſertim cum illis minime ſit opus D. Auguſtino non placet, qui ſuper Gen. ad litt. Cap. 1. Nunc inquit quemadmodum Deus inſtituerit naturas rerum ſecundum ſcripturas eius cõuenit quærere; non autem quod ipſe in eis, vel ex eis ad miraculum ſuæ omnipotentiæ velit operari; fuiſset autem maximum miraculum lucem triduo illo præcedẽte conſeruare abſque ſubiecto. Gregorius Nazianzenus orat. de nouo die Dominico, & Theodoretus ſuper Geneſim q. 14. & 16. docent primo die factam eſse vniuerſam lucem ſplendidiſſimam, quam nec hominum, nec animalium viſus potuiſſet ſuſtinere, ideo quarto die fuiſſe eam in ſolem & lunam ceteraque aſtra diſpertitam, ita vt animalium oculis eſset accomodatior, & ad rerum ſublunarium generationem, & conſeruationem, Et hæc ſententia ſicut antecedens ponens talem lucem non eſse, nec fuiſse in aliquo ſubiecto indiget eodem miraculo, ideo eodem fundamento reprobatur.

13 D. Thom. p. p. qu. 67. art. 4. ad 2. & q. 70. art. 1. Nicolaus de Lira, & Toſtatus in priori expoſitione quos ſecuti ſunt Angles in 2. diſt. 13. & Pererius hic cenſent primam illam lucem non aliam fuiſse quam lucem ſolis, ſed primo die velut informem, & imperfectam eſse factam, quarto autem die fuiſſe conſumatam, & abſolutam cum ſpeciali, ac determinata virtute ad particulares effectus, ſecundum, quod videmus alios effectus habere radium ſolis, & alios radium Lunæ; atque ita de alijs, quibus addit Pererius quarto die acceſſiſse ſoli eam, quam poſtea habuit magnitudinem; non enim primo die globus ſolis vſquequaque illuminatus eſt; ſed aliquatenus tantum, quarto autem die totus eſt ſplendidiſſima luce completus cum peculiaribus viribus, & virtutibus. Beda in ſuo Hexamerone, quem ſecuti ſunt Magiſter ſentent. lib. 2. diſt. 13. Alex. Ales 2. p. q. 46. Membr. 5. art. 1. D. Bonau. in 2. diſt. 13. in dubijs circa litteram, & Art. 1. q. 2. Nicolaus de Lira, & Toſt. in ſecunda expoſitione arbitratur (& optime) primam illam

illam lucem non fuiſse ſolem, ſed corpus quoddam lucidum ad ſimilitudinem denſæ, & lucentis nubis in ſuperiori parte mundi, in ea ſcilicet, in qua poſtea poſitus eſt ſol, & luſtrabat in circuitu imperfectiori tamen modo, quam ipſe ſol; Verum illa nubes lucida non fuit eiuſdem rationis cum nubibus, quę fiunt in aere, quia illa erat de materia cœleſti; iſtæ autem ſunt de materia elementari, de qua nube quarto die formatus eſt ſol, non quidem per mutationem ſubſtantialem, ſed per diuerſam illius materiæ condenſationem, atque figurationem, & vberioris nobilioris, ac efficacioris lucis acceſſione.

14 Hæc lux proprie non fuit creata, quia Deus prima die creauit omnem materiam primam, eamque ſubſtrauit formæ aquarum abyſſi, & ex ea deinde hanc lucem eadem die, aliaſque formas tam eſſentiales, quam accidentales alijs diebus eduxit; ſicuti modo omnes formæ ſubſtantiales naturales educuntur de potentia materiæ; Itaque videtur Deus lucem producturus ex aquis abyſſi condenſaſse inſtar Chriſtalli corpus aliquod orbiculare; eique lucem hanc indidiſse. Quod quidem corpus lucidum primo mundi triduo ſcilicet antequam quarto die crearetur ſol; ab Angelo motum fuiſse, ex oriente in occidentem, atque eodem modo, & tempore, quo ſol ſcilicet viginti quattuor horis vtrumq; Cœli hemiſpherium circumgiraſse, & illuminaſse vniformiter difformiter, vti iam facit ſol; Lux.n.hæc primos tres mundi dies ſuo motu deſcripſit & diſtinxit: ſicut cęteros ſol ſuo motu deſcripſit, & in dies deſcribit, & diſtinguit; Et vidit Deus lucem, quod eſset bona; quaſi dicat Moyſes. Deus humano more quaſi artifex lucem factam contemplatus eſt, et vidit eſse pulchram, et elegantem; et conſequenter bonam iocundam ſcilicet, et vtilem et comodam, et diuiſit lucem à tenebris; diuiſit primo, loco nam dum hic eſt lux, et dies, apud Antypodes eſt nox, et tenebræ; ſecundo, tempore nam in eodem hæmiſpherio viciſſim, et diuerſo tempore, et ſucceſſiue ſibi ſuccedunt Lux, et tenebræ nox, et dies; tertio cauſa nam alia eſt cauſa lucis ſcilicet corpus lucidum, alia tenebrarum ſcilicet corpus opacum; quaſi diceret Moyſes fecit Deus, vt poſt factam à ſe lucem, tenebræ, et nox ſuccederent, ſic pariter diuiſit Angelos à Dæmonibus, gratiam à peccato, gloriam à pœna, et Cœlum ab inferno, quem Deus fecerat eodem primo die; nam cum Angeli ſint celerrimi, et inſtantaneos habeant actus, omnino vero ſimile eſt eos primo die eos peccaſse, et ideo ſtatim eos eiectos è Cœlo et truſos in infernum, quem Deus ſtatim poſt peccatum eorum quaſi carcerem, et equleum cum ſuo ſulphure, et igne, apparauit in centro terræ.

15 Appellauitque lucem diem, et tenebras noctem quaſi diceret; effecit Deus, vt lux pro toto tempore, quo hæmiſpherium illuſtrat diem faceret, tenebræ vero noctem; itaut ab hominibus lux hæc appellari poſset dies, et tenebræ nox, et Diuus Auguſtinus lib. de Gen. contra Manicheos Cap. 9. et 10, et factum eſt Veſpere, et mane dies vnus; Suppoſito tanquam veriori Cœlum, & terram non ante ſed ipſo primo die eſſe creata, verius eſt pariter primo quaſi mane creatum fuiſſe Mundum, tuncque fuiſſe tenebras in orbe, & abyſſo, quo tempore ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Deinde paulo poſt, ideſt poſt ſex horas ſub meridiem (tenebræ enim æque) ac Lux occuparunt, & diuiſerunt primum diem) creatam, ſeu factam fuiſſe lucem in medio Cœli, vel totius Abyſſi, quæ peracto ſuo motu ſex horarum, quibus à medio Cœli ad occaſum declinauit, effecitque veſ-

peram

Digitized by Google

peram quaſi ſuum terminum, itaut tam tenebræ antecedentes quam lux ſubſequens ſimul iuncta non amplius quam 12. horas durauerint; Creata, ſiue facta eſt lux perfecta in meridie, inde ſecuta eſt nox 12 horarum, cuius terminus eſt mane; Moyſes enim hic diem, ac noctē per ſui terminum vocat veſpere, & mane; quaſi diceret decurſo iam diei curriculo (quod fuit 12 horarum) per ſuccedentem veſperam, & peracto quoque noctis ſpacio (quod fuit pariter 12 horarum) per ſuccedens illi mane completus eſt dies primus 24. horarum, ita Ægidius Romanus p. p. Examer. Cap. 6. apud à Lapide in Gen. Cap. 1. v. 5.

16 Accedat modo quis Nebulo atheiſta, & dicat à caſu eſſe ſucceſſionem diei, ac noctis, cum potius ſit clarum diuinæ Prouidentiæ teſtimonium, certiſſimumque argumentum cuiuis ſanæ mentis, nec prorſus hebeti viciſſitudo dierum, ac noctium, eorumque contraria in inuicem ratione nunc creſcentium, nunc decreſcentium, tam conſtans, tam ordinata, tam perpetua, & ad ſalutem omnium rerum tanta accomodatio; Dies enim diei collatus, & nox cum nocte comparata, & ipſorum alterna accretio, & diminutio, certusque ordo, perpetuaque conſtantia clamant, & teſtantur tanti operis rationem, laudemque non temeritati fortunæ, nec naturæ neceſſitati eſſe tribuendam, ſed vim diuinam præeſſe mundo, quæ vniuerſa hæc à ſe conſtituta omnibus ſeculorum ætatibus ſumma potentia conſeruet, ſummaque ſapientia regat, atque moderetur; Prædicta dierum alternatio plurimum confert primo quidem ad incolumitatem, & conſeruationem rerum ſcilicet diei calore, & ſiccitate, & noctis humore, ac frigore ſalubri temperamento inuicem recuſis, & mitigatis; Qua propter illas mundi regiones, quibus continua tenebris nox, & viciſſim par diei magnorum bonorum ſteriles, multiſque malis, & miſerijs obnoxias eſſe conſtat.

17 Secundò conducit hæc viciſſitudo dierum, & nox ad releuandum ipſa varietate faſtidium, quod certe maximum eſſet, ſi alterum illorum, aut perpetuo, aut perdiu perſeueraret, tertio ea viciſſitudo dierum, & noctium conſtituta eſt à Deo ad diſtinguenda tempora comodiſſima hominibus ad laborandum, & operandum, ad vacandum, & quieſcendum, quarto diſtinctio, & viciſſitudo dierum, ac noctium in id à Deo inſtituta, vt eſſent diuiſa, & determinata tempora hominibus, & feris ad exercendas operationes ſuas, ne ſibi inuicem damno, aut impedimento eſſent; Nox enim aſſignata eſt feris, qua prodeunt è latibulis ſuis ad venandum, & victum ſibi comparandum; Dies vero hominibus deſtinatus eſt ad actiones ſuas obeundas. In quo licet mirari diuinam prouidentiam interdiu continentis ferociſſima Animalia in ſuis latibulis, vnde ſi exirent in publicum, & ſoluta, liberaque vagarentur ſine dubio viatoribus, Agricolis, Paſtoribus, & alijs plurimum nocere poſsent, ergo vel reuerentia, & metu hominis tanto ipſis imbecillioris, iuxta illud Gen. 9. terror veſter, & tremor ſit ſuper omnia animalia terræ, vel obſeruantia diuinæ diſpoſitionis per diem ſe in ſuis antris, & ſpecubus continent, iuxta illud Pſalmi 103. poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ, ſiluæ, catuli, Leonum rugentes, vt rapiant, & quærant eſcam ſibi; ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & incubilibus ſuis collocabuntur, exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam.

18 Dies vnus, vnus ideſt primus; fuit hic primus, & vnus dies mundi;

Li. c.

Dies dominicus, ſeu dies Dominica; Hunc porro diem multa, quæ in eo diuerſis temporibus euenerunt maximè inſignia, & memorabilia valde illuſtrarunt, & nobilitarunt, cunctiſque fidelibus ſingulari honore, præcipuaque religione colendum, & venerandum reddiderunt; primo hic fuit primus mundi dies, in quo lux facta eſt creatis prius cœlo, & terra, ſecundo in hoc die ſiccis veſtigijs Hebræi mare Rubrum transgreſſi ſunt, tertio eodem die primum Manna de Cœlo pluit in deſerto, quarto Chriſtus (vt quidam exiſtimant) initio iſtius diei natus eſt, quinto baptizatus eſt in Iordane, ſexto primum miraculum fecit in nuptijs aquam conuertendo in vinum, ſeptimo multiplicatis quinque panibus, & duobus piſcibus quinque hominum millia ſatiata ſunt, octauo Dominus noſter reſurrexit à mortuis, nono octauo poſt reſurrectionis die Dominus Ieſus ianuis clauſis ingreſsus eſt ad Diſcipulos, deditque eis poteſtatem remittendi peccata, decimo mandauit Apoſtolis, vt euangelium toto orbe prædicarent, & baptizarent homines in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vndecimo in hunc diem incidit dies pentecoſtes, quo Spiritus Sanctus ſuper Chriſti Diſcipulos deſcēdit, duodecimo in hoc die Dominico D. Ioannes habuit admirandas illas viſiones, & reuelationes quas in Apocalipſi reliquit ſcriptas, vt ipſemet Cap. 1. eius libri teſtatur, decimotertio in hoc die creditur futura noſtrorum corporum reſurrectio. Hæc de luce primæ diei.

19 De luce temporali, & ſenſibili in ſe aliquot verba dicenda ſunt, & primo quod illa nō eſt forma ſubſtantialis eius corporis, in quo eſt naturaliter, quia ſubſtantialis forma non eſt per ſe ſenſibilis ex 3. de Anima text. 26. vbi habetur formam ſubſtantialem eſse obiectū, & per ſe non cadere ſub ſenſu, ſed lux eſt per ſe ſenſibilis, ergo non eſt forma ſubſtantialis; ſecundo quod eſt accidens in vnō corpore non poteſt eſse forma ſubſtantialis alterius corporis dicente Ariſt. 1. Phyſic. text. 27. quod vere eſt nulli accidit, ſed lux in aere eſt accidens ego, ſed hoc ſuperius oſtenſum eſt nempe lucem quamcumque eſse formam accidentalem realem, & intentionalem de prædicamento qualitatis; Eſt differentia inter iſta quattuor ſcil. lucem, lumen, radium, et ſplendorem; quia lux eſt Claritas in fonte puta in ſole; Lumen eſt claritas in toto medio diaphano; radius eſt claritas vibrata à corpore lucido ad opacū; ſplendor eſt claritas ex reuerberatione radiorum in corpore opaco terminato orta: vel lux dicitur quæ cum ſit in aliquo corpore lucido in actu, ab illo corpore lucido alia illuminantur, vt eſt lux in Sole Luna, et alijs ſideribus, lumen autem dicitur, quod lux ipſa per ſuā multiplicationem producit in corpore diaphano illuminato, vt lumen in aere et aqua, ſed radius dicitur illuminatio diffuſa ſecundum directam lineam oppoſitam corpori lucido puta ſoli; & ideo vbicumque eſt radius ibi eſt, & lumen, & non è cōuerſo, contingit enim lumen eſſe in domo ex reflexione radiorum ſolis, quamuis non ex directa oppoſitione propter aliquod corpus interiacens, propter cuius obſtaculum radius non poteſt directe intrare talem domum illuminatam; ſplendor autem eſt ex reflexione radij ad aliquod corpus terſum, & politum ſicut ad aquam, vel ad argentum, vel ad aliquid huiusmodi, ex qua reflexione etiam radij proſpiciuntur.

20 Sed obſeruandum eſt ſecundum Algazelem in ſua proſpectiua etiam ſecundum Scotum triplicem eſſe radium diffuſum à corpore luminoſo, ſcilicet

rectum,

Digitized by Google

rectum, reflexum, & fractum; radius rectus eſt, qui diffunditur à corpore luminoſo in medio eiuſdem diaphaneitatis quantum corpus luminoſum durat; & vocatur corpus luminoſum ſubiectū lucis; ſed appellatur corpus diaphanū ſuſceptiuum luminis, quod differt à luce ſicut ſpecies coloris à colore. Radius reflexus eſt, qui antequam terminetur virtus corporis luminoſi reperit corpus opacum, ideſt obſcurum, & in partem naturaliter terminatur oppoſitam, & ſępe cauſat vmbram, & eicit tenebram; quæ inter ſe differunt, quia tenebra negat omnem lucis participationem. Vmbra autem ſolum negat radium rectum, & ponit reflexum; Radius autem fractus eſt, quando antequam terminetur virtus corporis luminoſi in primo diaphano inuenit corpus alterius diaphaneitatis, & ideo frangitur; vt ſi antequā terminaretur ſolis virtus in aere, inueniret aquam, quæ eſt alterius diaphaneitatis medium. Cum lux producat lumen diffundendo, & multiplicando, ſeu communicando ſe ipſam; ſequitur lumen non educi de potentia medij, tanquam de potentia materiæ, nam forma, quæ educitur de potentia ſubiecti concernit in ſubiecto potentiam tranſmutatiuam, vel tranſmutabilem ab Agente, & per conſequens requirit, & habet contrarium, ergo &c. Lumen non educitur de potentia medij, quia in medio non habet, nec requirit contrarium. Itē forma, quæ eſt tota in toto, & tota in qualibet parte medij non educitur de potentia medij, ſed lumen eſt totum in toto, & in qualibet parte medij, quia eſt ibi ſicut forma ſimplex, & indiuiſibilis, ergo non educitur de potētia medij &c. Item nihil educi poteſt de potentia ſubiecti, niſi per realem alterationem ſubiecti, ſed lumen per ſolis virtutem producitur in ſtellis, & corporibus cœleſtibus, quæ nullo modo alterantur, nec immutantur, ergo lumen non educitur de potentia ſubiecti, præterea forma, quæ educitur de potentia materiæ poteſt manere recedente agente; ſed Lumen non poteſt manere recedente ſole, ergo, tandem ſi Lumen educeretur de potentia medij, quomodo lux poſſet tam inſtantanee, & æque velociter educere illud de tam innumerabilibus, tanquam diuerſimode diſpoſitis, atque diſtantibus corporibus ad luminis receptionem, quomodo de ſaxo, ferro, & conſimilibus poteſt tam repente educere lumen, & tam citò de illis ſicuti de argento, vitro, & ſtanno.

12 An vero lumen ſit in medio ſecundum eſſe reale, vel ſecundum eſſe intentionale; reſolutio huius dubij pendet ex duplici eſſe intentionale ſupra explicato; quo ſuppoſito reſoluitur difficultas ſecūdum vnam opinionem dicentem lumen non eſſe formam realem tantum, ſed etiam intentionalem; & primo probatur, quia qualitas realis tātum remanet in ſubiecto in abſentia producentis, ſed lumen non manet in medio abſente illuminante; ſecundo nihil dat, quod non habet, ſed lumen dat coloribus eſſe intentionale in medio. Tertio purum ſenſibile poſitum ſupra ſenſum impedit ſenſationem, vt docet philoſophus ſecundo de Anima. Vnde ſi digitus ponatur ſuper oculum non videt oculus illum, ſed lumen poſitum ſuper ſenſum non impedit illum immo facit videre, ergo non eſt forma realis tantum, ſed etiam intentionalis, ſeu ſpecies alicuius viſibilis, & non alterius, niſi lucis ita quod ſecundum hanc opinionem (quæ eſt conſentanea doctrinæ Scoti) talis ſit ordo; primo intelligitur lux, ſecundo intelligitur Lumen quaſi effectus eius primarius in corpore diaphano; tertio color in corpore terminato, & maxime reſpectu motionis oculi ad videndum; nunquam enim

enim mouebit color niſi prius cauſetur lumen in medio. Alia opinio affirmat lumen eſſe formam realem, & negat eſſe intentionalem, quia forma intentionalis non eſt principium actionum realium naturalium, lumen autem eſt principium multarum actionum realiū in iſtis inferioribus, puta calefactionis alterationis &c. Reſpondetur hanc opinionem cum ſua ratione de intentionali eſſe ſumpto preſſe, & rigoroſe, prout ſimpliciter opponitur eſſe reali; non autem de eſſe intentionali largo modo, ſic enim non impedit lumen eſſe formam realem.

22 Illuminatio fit in inſtanti, nam ſucceſſio non requiritur in actione, nec per conſequens tempus, niſi propter reſiſtentiam medij, vel paſſiui ad Agens, vel mobilis ad medium, ſed hic nulla eſt repugnantia medij ad lumen, quia eſt ſumme diſpoſitum, nec luminis ad illuminans, nec etiam medij, ergo actio talis illuminatiua non requirit tempus, ſed fit in inſtanti; Dices primo illuminatio eſt motus, cū ſit alteratio, motus autem non poteſt eſſe in inſtanti, ergo nec illuminatio, ſecundo dices illuminationē ſecundū perſpectiuam eſt ſecūdum puncta, ita quod punctum illuminatur à puncto, vel pars pars à parte, ſed hoc eſt impoſſibile in iſtanti, ergo tertio impoſſibile eſt quod agens creatum puta corpus luminoſum ita cito agat in diſtans, ſicut in propinquū; hoc autem eſſet ſi illuminatio fieret in inſtāti. Reſpondetur ad primum quod illuminatio non eſt motus, nec proprie mutatio, ſed magis luminis generatio non eductiua, ſed productiua tantum, ſiue diffuſiua. Reſpondetur ſecūdum, quod illuminatio non fit illo modo ſicut dicunt perſpectiui, & dato quod illuminatio fiat per puncta adhuc illuminatio poteſt fieri in inſtanti, quia vnum punctum in inſtanti in quo illuminatur poteſt aliud illuminare, vel vna pars aliam diſpoſitam, & ſic de ſingulis, nam agens perfectum non per motum poteſt in eodem inſtanti, in quo eſt, agere in paſſum diſpoſitum ſibi approximatum. Reſpondetur ad tertium, quod non eſt exiſtimandum, quod partes medij ſint plura illuminabilia, quorum vnum ſit propinquum, & aliud diſtans, ſed quod totum medium correſpondet ſoli pro vno illuminabili ſufficienter approximato, & ita totum ſimul, & in inſtanti illuminat tamen perfectius partes propinquiores.

De operibus ſecundæ, & quartæ diei, hoc eſt de Cœlis aſtris, & ſideribus, ſuis connexis, & annexis.
Art. III.

1 HOc nomen Cœlum (vt excludamus eius ęquiuocationem) ſumitur dupliciter vno modo metaphorice, alio modo proprie, primo modo in ſacris litteris multipliciter ſumitur, vt docet D. Bonau. de Eccleſiaſtica Hierarchia, & D. Thomas p. p. q. 68. primo dicitur ſanctiſſima Trinitas ob eius ſublimitatem ſpiritualem, & lucem, de quo Cœlo exponitur Diabolum dixiſſe in Cœlū conſcendam, ideſt ad æqualitatem Dei; ſecundo dicitur ſtatus, dignitas, & puritas Angelorum, in quibus ſingulariter ordinatiſſima voluntatis conformitas diuinæ voluntati reperitur. Vnde dicit Iſaias vltimo Cœlum ſedes mea eſt, & Pſalm. 10. Dominus in Cœlo ſedes eius &c. & alibi ſępe; tertio nomine Cęlorum intelliguntur Apoſtoli, de quibus Iob. 20. ſpiritus Domini ornauit Cęlos, vbi dicit Gregorius, niſi Apoſtoli Chriſti promiſ-

ſa paracleti dona percepiſsēt nullo virtutis decore claruiſſent, & Iſaiæ 51, 16. poſui verba mea in ore ſuo, &c. quarto Cęlorum nomine Prælati Apoſtolorum ſucceſſores intelliguntur, qui ſicut in officio dignitate, ſic in merito, & in ſanctitate vitę cęleſtem Apoſtolorum conuerſationem deberent in ſe ipſis exhibere, de quibus dicitur pſalm. 21. annunciabunt Cœli iuſtitiam eius; quinto Cœli dicuntur contemplatiui, & Religioſi, in quorum mentibus pacificis, & quietis diuina virtus tanquam in Cęlis requieſcit ſingulariter, iuxta illud Iſaiæ 66. Cœlum ſedes mea, & pſalm 88. confitebuntur Cęli mirabilia tua Domine; nam diuina gratia eleuati in diuinæ laudis confeſſione continue perſeuerant; ſexto nomine Cęli intelligitur ſacra ſcriptura, in qua velut in Cęlo omnia occulta Christi, & Eccleſiæ miſteria continentur, iuxta illud Iſaiæ 34. complicabuntur ſicut liber Cęli, & Ezechieli aperti ſunt Cęli, & vidi viſiones Dei, nam ſicut Cęlum eſt principium illuminationis, & irradiationis totius mundi ſenſibilis; ſic totius veritatis cognitio à diuinis eloquijs, tam ſcriptis, quam non ſcripis accipitur iuxta illud pſal. 118. declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.

2 Septimo Doctores ſacræ ſcripturę Cœli nuncupantur, quia mundum illuminant per vitam, & doctrinam; Vnde dicitur Dan. 12. qui docti fuerint, fulgebunt, ſicut ſplendor firmamenti, octauo humanitas Christi Cœlum dicitur; Hæc quippe ſingulare Diuinitatis habitaculum eſt effecta, quando Verbum caro factum, & habitauit in nobis. Vnde, Paulus Coloſſ. 1. in eo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare &c. nono Beatiſs. V. Maria Cœlum nominatur, ad cuius vterum ſubintrandum per incarnationem Verbi eſt diuinitas inclinata, quando ſecundum Pſalm. 17. inclinauit Cœlos, & deſcendit; Hæc Cœli metaphorica nomina; ſed proprie illud à Damaſceno definitur, quod ſit continentia viſibilium, & inuiſibilium creaturarum; appellatur Cœlum à celando ſecundum aliquos, eo quia habet virtutem vniuerſalem continendi, & celandi hunc mundum inferiorem. Plures recenſentur Cœlorum excellentiæ prima habent naturam naturaliter incorruptibilem, ſecundo immenſam magnitudinem, tertio rotonditatem perfectiſſimam, & pulcherrimam, quarto motum celerrimum, & quinto varietatem mirabilem orbium eorumque inter ſe omnimodam concordiam, & coaptationem, ſexto motus diuerſiſſimos, & tamen ordinatiſſimos, ſeptimo ſiderum decorem, multitudinem, efficacem efficientiam, octauo præſides Angelos, qui orbes hos regant, & rotent, nono lucem miram, & variam, decimo generalem vim, & potentiam viuificandi producendi, moderandi, & conſeruandi omnes res terreſtres, & ſublunares, vndecimo quod in Cœlo empyreo mirus ſit ornatus, & rerum varietas, Ipſum enim eſt templum Thronus, & Regnum Dei, Domicilium Angelorum, & hominum beatorum, vbi Deus ſe eis clariſſime cernendum ardentiſſime amandum, & iocundiſſime a fruēdum præbet in omnem æternitatem; Dictum eſt ſuperius Cœlum non habere eſſentiam ſimplicem ſimplicitate oppoſita compoſitioni phyſicæ, quæ eſſentia eſt formata de illa eadem numero materia prima, de qua cętera materialia deſumta sūt; Ideo Cœlum dicitur conſtare materia, & forma ſicut cætera corpora naturalia, quorum ſingulares materiæ ſunt eiuſdem ſpeciei; non tamen ſic dicendum de formis ſubſtantialibus, quæ variant ſpecie non tantum quo ad materialia quæcumque, ſed etiam quo ad corpo-

Digitized by Google

ra ipſa cœleſtia; ſecundum quas formas vere ad inuicem diſtinguuntur ſpecie, quod à poſteriori colligitur ex eo, quod variæ deprehendantur variorum ſiderum, & Cœlorum influentiæ.

3 A nobilitate formarum ſubſtantialium compoſita naturalia accipiunt ſuam dignitatem, & nobilitatem; Hinc comparatiue loquendo corpus cœleſte eſt nobilius quolibet ſublunari inanimato; quod patet à poſteriori ex nobilioribus operationibus, & ex ipſo ordine vniuerſi, in quo ab infimis procedẽdo ad ſuprema ſeruatur hic ordo dignitatis, & nobilitatis, quod ſuperiora ſint eſſentialiter nobiliora infimis Cœli elementis, ignis aere, aer aqua &c. Dicitur quolibet ſublunari inanimato, nã de animato non eſt idem dicendum, quia forma animata eſt nobilior, quacumque forma inanimata, Cœlum autem non habet formam animatam contra Platonem, & alios platonizantes, nõ Animam rationalem, quia non eſt homo, nec ſenſitiuam, quia non eſt Animal, nec vegetatiuam, quia nec nutritur, nec creſcit; & generaliter loquendo omnis forma animata requirit ſuum formabile corpus organicum, ſed corpus cœleſte non eſt organicum, ergo non poteſt eſſe animatum; Inter ipſa corpora cœleſtia ſecundum veriorem ſentẽtiam vnum Cœlum eſt altero nobilius, ita tamen vt Cœlum empyreum ſit nobiliſſimum, tum propter nobiliſſimam formam, ſi tamen verũ eſt, quod conſtet ex materia, & forma, tum quia eſt diuinum palatium, & ſedes Beatorum; Deinde ſol, qui diuina diſpenſatione, medius eſt inter planetas poſitus, qui, & ſurſum, & deorſum radios immittendo Cœlos omnes ſuo illuminat ſplendore, reliquos orbes Cœleſtes excellit, quæ autem ſpheræ vſque ad empyreum magis accedunt, hæ ſunt nobiliores.

4 Cœli agnoſcunt ſe eſſe à Deo productos vt Catholica fides docet Deus enim creauit proprie Cęlum empyreũ, Cęteros vero Cœlos, ſi conſiderentur materiales Deus etiam proprie creauit ob materiam, ex qua compoſiti ſunt proprie creatam à Deo, vt ſuperius eſt; ſi vero conſiderentur ſecundum proprias formas probabilius eſt eos non eſſe proprie creatos, ſed factos, & eorum formas non eſſe creatas, ſed de materia eductas; quia omnes formæ Cœlorum ſunt ita materiales, vt à materia dependeant, tam in eſſe, quam in fieri, & conſeruari; Deus enim creauit materiam cum diſpoſitionibus omnibus neceſſarijs ad eductionem formæ cœleſtis, quæ naturali quadam neceſſitate Deo ſupplente vicem agentis naturalis ſtatim educta eſt de potentia illius materiæ ſic diſpoſitæ; nec neceſſe eſt vllum inſtans temporis, in quo materia præcedat, ſufficit enim præſuppoſitio naturæ; cum hac tamen diſpoſitione materiæ ad formam cœleſtem in eadem materia ſtabat capacitas ad ſucceſſiue ſuſcipiendas alias formas; quia ad eas habet naturalem appetitum, & inclinationem, propterea ſunt Cœli generabiles, & corruptibiles ab intrinſeco, non autem ab extrinſeco, quia non habent agens corrumpens contrarium, vt alibi ſatis oſtenſum eſt; licet corpora Cęleſtia non ſint ſuſceptiua qualitatum proprie corruptiuarum, nec proprie poſſunt per eas alterari, poſſunt tamen alias qualitates ſuſcipere perfectiuas, quia illuminationes ſolis, & influẽtiæ ſuperiorum orbium neceſſario permeant, & tranſeunt per inferiores, quæ cauſa eſt, cur tot effectus extraordinarij contingant in ſublunaribus, vnio ſcilicet, & commixtio influentiarum plurium ſpherarum.

5 Hoc eſt certiſſimum Cęlos agere in hæc inferiora, ita Scotus lib. 2. diſt.

14. q. 3. probatur quia vnumquodque habet ſuum eſſe propter operari, Deus enim, & natura nil faciunt otioſum, ſed propter aliquem finem; Inter alias Cęlorum actiones potiſſima eſt influere in hæc inferiora; patet diſcurrẽdo de principalibus, Cęlum empyreum, quod cõuenit cum igne, quo nos vtimur in ſplẽdore, & ideo dicitur Empyreum à pyr, quod eſt ignis, influit in corpora inferiora, quia ſicut cętera corpora cęleſtia primario ſunt, vt influant in inferiora, ſecundario, vt deſeruiant Beatorum gloriæ, quia deſeruiunt homini beatificando, ita per oppoſitum Cęlum empyreum principaliter eſt beatorũ gloria, ſecundario, vt influat in inferiora corpora ſaltem inclinationem quandam ad ſummum finem ardentius appetẽdum, & amorem naturalem inter ſe cauſandum, & propter hoc etiã dicitur igneũ non ſolum, quia lucet, ſed etiam quia ignit, vnit, & inflammat; De primo mobili patet illud diſtinguere nobis dies noctes, & annos, & de ſeptem planetis recte conjiciunt Aſtronomi, ſicut & de firmamento; Alij enim, & alij ſunt influxus ſolis prout diuerſimode currit ſub Zodiaco.

6 Sed hic aduertendum eſt, quod aliqui ex antiquis philoſophis opinati ſunt corpora cœleſtia habere influentiam in inferiora ex ſe non aliunde, ex quo errore ſecuta eſt Idolatria, nam in hanc inſaniam deuenerunt, vt cæleſtia corpora Deos vocarent, animataque dicerent, nullamque ſubſtantiam præter corpoream cognoſcerent, cæterum hæc opinio remanet reiecta ex exiſtentia ſubſtantiæ Angelicæ. Alij Philoſophi cenſuerunt corpora cœleſtia nullum omnino effectum in inferioribus corporibus habere; quæ opinio aduerſatur auctoritatibus Sanctorum, Theologorum ſcholæ, dictis Ariſtotelis, nec non contrariatur ſenſui; primo quod contrarietur auctoritatibus Sanctorum, pro quibus omnibus ſufficiat S. Dionyſius Areopagita, qui Cap. 8. de Diuinis nominibus dicit, quod radius ſolaris generationi viſibilium corporum confert, & ad vitam ipſam mouet, nutrit, & auget; hi autem ſunt nobiliores effectus in iſtis inferioribus, ergo, & alij effectus eduntur à diuina prouidẽtia mediantibus corporibus cæleſtibus. Secundo prædicta opinio eſt contra communem Theologorum Scholam, omnes enim vnanimiter teſtantur corpora Cœleſtia agere in hæc inferiora, præſertim D. Bonau. in 2. d. 14. art 2. q. 2. D. Thomas p. p. q. 11. art. 3. Doctor ſubtilis in 2. d. 14. q. 3. tertio eſt contra dicta Ariſt. in pluribus locis præſertim in ſecundo Phyſic. vbi ait, quod ſol, & homo generant hominem, & 2. de generat. dicit, quod motus ſolis in circulo obliquo eſt cauſa perpetuæ generationis, & corruptionis in iſtis inferioribus, & primo Meteorum &c. ait quod oportet hunc mundum inferiorẽ continuari lationibus ſuperioribus, vt omnis eius virtus inde gubernetur, & alibi ſępe.

7 Quarto prædicta opinio eſt contra rationem; Illud enim, quod eſt primum in aliquo genere eſt cauſa illorum, quæ ſunt poſt in illo genere, ſed corpora cęleſtia ſunt prima in genere corporum, & motus eorum ſunt primi inter motus alios inferiores corporales, ergo ſunt cauſa corporalium; quinto, quod ſit contra ſenſum, & experientiam; nam experimur Lunam, quod per ſuam influentiam humidum augmentare, & ad eius præſentiam excreſcunt maria, & quaſi exeſtuant, & effluunt, ad abſentiam vero in ſinum ſuum colliguntur, & refluunt. Item aliqua mixta generantur in ſphæra aeris, ſed iſta non poſſunt generari ab aliquo, quam à cęlo, patet, experimur lapides ignitos ex aere deſcen-

ſcendere; aut igitur huiuſmodi mixta generantur ab elementis effectiue, aut à cęlo, nō.n.poteſt eſſe alia cauſa generationis illorum, ſed non ab aliquo elemento, quia omne mixtum eſt nobilius quolibet elemento, & corpore ſimplici, effectus autem non eſt nobilior ſua cauſa efficiente. Ergo, ſtat igitur veritas ſiſma, quod omnes cæli per lucem, & qualitates occultas, & vires innatas, ſed ignotas influant in ſublunaria, patet ex pluribus effectibus, quorum vel motus, vel lux non poteſt dici cauſa, vt quod acus nautica ſemper verſus Septemtrionem tendat, & ſic de alijs. Adde, Quod quæ ſpecie differunt diuerſas habent operationes, cęli autem ſpecie differūt, quorum tamē lux numerice diſtinguitur, ergo cuilibet cœlo præter lucem tribuenda eſt propria vis influendi.

8 Luminaria cæli habent actionem in elementa quo ad generationem, ac alterationem, & quoad loci mutationem. Hæc aſſertio continet tres partes, quæ ſingulæ ſunt probandæ. prima pars ſic ſuadetur, nam accedentibus ſole, & aſtris calefactiuis ad Zenith alicuius regionis plus conuertitur de elementis inferioribus in ſuperiora, & accedentibus aſtris frigidis effectiue plus cōuertitur de ſuperioribus in inferiora hoc declaratur exemplo, accedente enim ſole ad Zenith vnius regionis generatur ibi plus de igne, & minuitur plus de aqua, ita per eius receſſum ab alia regione generatur plus de elementis frigidis, & minuitur de calidis. Secunda pars de alteratione patet ad ſenſum accedēte ſole aer caleſcit circa nos; & recedente frigeſcit; præterea in vna regione conuertit multum aquæ in aerem; in oppoſita diametraliter multū aeris conuertitur in aquam, quod non poteſt cōtingere niſi propter diuerſam immo contrariam alterationem frigefactionis ſcilicet, & calefactionis; tertia denique pars, quæ eſt, quod luminaria habent actionem in elementa quoad loci mutationem, ſic probatur, elementū ignis, & pars ſuperior aeris feruntur circulariter ad motum primi nobilis, vt patet de impreſſionibus ignitis, & cometis. Item cauſant fluxum, & refluxum maris, qui ſpecialiter attribuitur Lunæ, quæ dicitur habere dominium ſuper humida; pro qua re ſciendum eſt, quod mare ex natura aquæ non fluit, & refluit, ſed tantum habet decurſum ad partem decliuiorem, eo quod grauis eſt, & hunc decurſum habet ab Aquilone ad meridiem, nam Oceani aqua altior eſt ab Aquilone, quam in meridie, quoniam illic eſt intenſa, & perpetua frigiditas, qui conuertit plurimum aerem in aquam maris, in meridie autem eſt continuus calor cōſumens multam aquam, & conuertens eam in aerē, ideo in meridie locus maris eſt decliuior ex continua conſumptione aquarū.

9 Fluxui, & refluxui Maris varię cauſæ aſſignantur, ſed placet opinio illorū, qui cauſam referunt in lunam; qui tamen non conſentiunt in reddenda ratione, nam alij arbitrantur cauſari à particulari virtute, & influentia exiſtente in luna, qua eleuat aquas, quemadmodum in magnete eſt particularis virtus, qua ad ſe trahit ferrum. Alij dicunt id prouenire ex diuerſitate angulorum, quos conſtituunt radij Lunares ſuper Oceanum dum exiſtit in ortu, vel in meridie nam dum reſpiciunt directe, aqua augetur ſuo fluxu, dum autem recedunt ex occaſu minuitur ſuo refluxu; ita quod ſolus fluxus cauſatur per ſe à Luna propter ſui præſentiam, refluxus vero cauſatur per accidens ex Lunę abſentia; addit Egidius Romanus id verificari etiam de alijs ſideribus, quia aliqua ſigna ſunt calida, & faciunt aquam euaporare, propter quod diminuūt aquam, & augmentant aerem; Aliqua ſunt frigi-

da facientia aerem inſpiſſari, ſicque conuertunt aerem in aquam, & augmentant aquã, qua augmentata, ac diminuta fit fluxus, & refluxus maris. Hic fluxus, & refluxus eſt proprium Maris Oceani; alijs autem maribus particularibus conuenit plus, & minus ſecundũ quod magis, aut minus ab Oceano diſtant, nam Maria propinqua Oceano habent manifeſte fluxum, & refluxum.

10 Aſtra cœleſtia agunt in mixta imperfecta, inanimata, vt ſunt metalla, patet, quia ſecundum aſpectum aſtrorum metalla fiunt in diuerſis terris, quędam enim abundant auro, quædam argento; Item aſtra cęleſtia habent cauſalitatem, & actionem in mixta animata alterando corpora mixta ad complexionem, ſeu qualitatem conuenientem, vel diſconuenientem Animæ, tale corpus animantem, & perficientem, patet, quia ſecundum aſpectum aſtrorum, eſt diuerſitas plantarum in diuerſis regionibus, quædam enim plus abundant in vna regione, quam in alia. Præterea eſt diuerſitas in Animalibus, quędam enim plus abundant, quædam minus, idque non eſſet, niſi quod quædam regiones calidiores ſunt alijs; quædam frigidiores. Item in hominibus videmus variationem ex parte corporum, quidam enim ſunt vnius coloris magis, quam alterius, quidam paſſibiliores, aliqui minus paſſibiles, quidam ſunt eraſcibiliores, quidam temperatiores, quidam promptiores ad aliquod opus; aliqui minus; ſed petet aliquis num corpora cœleſtia ſint vere cauſa effectuum ſublunarium; Reſpondetur cum diſtinctione; Cauſa vt ad propoſitum ſpectat duobus modis dicitur, vno modo quod infallibiliter, & ſemper producit ſuum effectum, vel ad minus, ſinequa non producitur effectus; Alio modo dicitur cauſa illud quo mediante plures producitur effectus; primo modo corpora cęleſtia non ſunt cauſa horum inferiorum, quia non ſemper ſecundum ſuam diſpoſitionem hos effectus producunt, propterea quod ſine horum propria diſpoſitione voluntas Dei (cum expedit) aliquando hos effectus producit etiam exiſtentibus his in contraria diſpoſitione; ſecundo modo poſſunt dici cauſa, quia cooperantur ad generationem, operantur enim, vt cauſæ vniuerſales, quæ per particulares indigent adiuuari, & poſſunt impediri.

11 Sed reſtat aliud dubium reſoluẽdum; ſi corpora cęleſtia non ſunt veræ, & proprię cauſæ effectuum ſublunariũ an ſaltem poſſint dici ſigna; huius dubij dat occaſionem Moyſes in primo Geneſis vbi loquens de duobus luminaribus dicit Deum, quarto die feciſſe duo luminaria magna, & poſuiſſe in firmamento Cęli, vt diuidant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos; pro reſolutione dubij huius aliqua ſunt aduertenda; primum eſt, quod luminaria Cęli ita ſunt ſigna iſtorũ inferiorum, quod etiã modo dicto ſunt cauſe eorum; nam prout in effectibus eorum pronoſticamur aliqua de futuris, vt quia ſero rutilat Cęlum, pronoſticamur ſerenitatem, quia ergo corpora cęleſtia non ſolum ſunt cauſa illius rubedinis, quæ eſt ſignum ſerenitatis, & ex qua pronoſticamur de ſerenitate, ſed etiam ſunt cauſæ ipſius ſerenitatis, ſic per pronoſticationem habitæ, ideo ſic ſunt tot ſigna, quot ſunt cauſæ; ſecundum aduertendum, quod ſignum vt docet D. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana eſt res, quæ pręter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit in cognitionem alterius venire; hoc autẽ eſt duplex naturale ſcilicet, & ad placitum; Item quoddam eſt ſignum tantum, aliud eſt ſignum, & cauſa, de quibus in 7. libro erit diffuſus ſermo; Item duplex eſt ſigni vſus, nam vel lumi-

mitur ſignum ad ſignandum, vel ad diſtinguendum; tertium aduertendum, quod duplex eſt luminarium motus, vnus, qui eſt ad motum vltimæ ſphæræ ſuper polos principales, que motu ſemel quolibet die naturali reuoluuntur; alius est motus proprius, quem naturaliter habent in circulo obliquo, ſcilicet in zodiaco, in quo duodecim ſigna deſcribuntur.

12 Quartum aduertendum ſecundũ philoſophos vndecim eſſe circulos in tota ſphæra astronomica quorum duo ſunt viſibiles, alij inuiſibiles, primus de viſibilibus est zodiacus, qui à Capricorno per arietem ad Cancrum aſcendit, & de Cancro per libram ad Capricornum deſcendit, hoc autem intelligendum eſt iuxta noſtrum ſitum, Vnde Ariſt. lib. 2. de gener. vocat eum obliquum circulum, in quo mouetur ſol, & alij planetæ, dicens motus, vel latio ſolis, & planetarum in obliquo circulo eſt cauſa generationis, & corruptionis rerũ naturalium; Alius Circulus viſibilis dicitur Orizon qui duplex eſt vnus dicitur naturalis, qui ſcilicet finit viſum illorum, qui ſunt in medio mundi alius dicitur artificialis, qui finit viſum exiſtentium extra mundum medium. Vnde ſecundum diuerſos ſitus eſt Orizon artificialis: reliqui ſunt circuli inuiſibiles, quia nihil aliud ſunt, niſi lineę intelligibiles; Quintum aduertendum, quod prædictus Circulus Zodiacus ſic nominatur ſecundum Bedam de Imagine Mundi, vbi ſic ait in medio firmamenti ſunt duodecim ſigna per tranſuerſum diſpoſita ęqualiter per circuitum diſtincta, horum diſpoſitio Græce Zodiacus latine ſignifer, eo quod in ipſo circulo ſunt ſigna, quæ animalium habent nomina, Zodiacus enim Animal dicitur; Porro ſigna ſunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces; Voluit autem Deus Zodiacum eſſe obliquum Circulum in cœlo ſecundum Theologos, vt per diuerſa tempora horarum ſecundum diuerſitates ſitus terrarum, ac orizontum ſol oriens, vel occidens faceret diuerſas horas diei, quo incitarentur homines ad Deum laudandum, & dum in aliqua parte terræ eſſet meridies, vel circa, in alia eſſet tunc mane ortus ſolis, vt dum iam illi ceſſarent in ſua meridie à laudando Deo, alij exurgerent pro tunc ad Laudandum in ſuo mane, & ſic nunquam eſſet finis laudis diuinę. His pre animaduerſis facilis erit expoſitio, & intelligentia Verborũ Moyſis dictorũ in primo Cap. Gen. fecit Deus duo luminaria, vt eſſent in ſigna &c.

13 Dicendum primo ſi vſurpetur ſignum quantum ad vſum, qui eſt ad ſignificandum, Luminaria illa facta ſunt in ſigna, id eſt in ſignificationem futurorum quorundam effectuum naturaliũ, vt aliqua diſpoſitio in tempore futura ſcilicet ſerenitatis, vel tempeſtatis, ſterilitatis, vel fertilitatis, belli, vel pacis, vitæ vel mortis; Philo de opificio Mundi inquit quod ſunt in ſigna, vt futura præſignificent, nam ex eorum ortu, & occaſu, emiſſione, & occultatione, & alijs motuum differentijs homines de futuris conijciunt, & præſagiunt copiã, vel inopiam fructuum, vel prouentuũ, ſiue peſtem animantium, ſerenum, & nubilum, tranquillitatem aeris, & procellas ventorum, inundationes, & exilitates fluminum, mollitiem maris, & tempeſtatem, horarum anni vices præpoſteras, dum aut æſtas hibernat, aut hyems æſtuat, aut Ver Autumnum refert, aut è contra Autumnus ver nam temperiem, nec defuerunt, qui concuſſionem terræ, & terremotum (vt aiunt) ex cœli obſeruatione prædicerent, aliaque multa euentu certiſſimo, itaut veriſſime dictum ſit in ſigna facta luminaria,

ria, & ſtellas; D. etiam Griſoſth. hom. 6. in Gen. et Beda dicunt Luminaria in ſigna huius vitæ vſibus eſſe deputata; Ex his .n. poſſumus talia dignoſcere; Et enim Gubernator nauis ad horũ curſus ſpectans, & in cęlum videns diligenterque diſcẽs omnia nauigare incipit, Maria tranſit, et in denſiſſima nocte viſa ſtella nauim dirigere, et ſua arte ſalutem nauigantibus dare ſolet; ſic & Agricola ex illis didicit, & videt quando congruit, vt ſemina terræ committat, quando terram paſtinet, et aret, quando falcem acuat, vt fęnum reſecet, et colligat, idem facit, et præſcit medicus ſecundum artem ſuam, et in ſumma non paucas huius vitæ comoditates temporum ſcientia dierum numerus, et anni circulus afferunt.

14 Dicendum ſecundo, quod luminaria non ſunt ſigna ex inſtitutione diuina eorum, quæ ſunt à libero arbitrio pendentia, ſed potius ad illa ſignanda traxit humana fictio, vanitas aſtrologię iudiciariæ; et fallacia diabolica, probatur primo, nam ea, quæ neceſſario, et vniformiter fiunt non ſunt idonea ſigna rerum contigentium, et infinitam varietatem ſubeuntium, ſed vt ſint talia ſigna ſimilem varietatem habere debẽt ſicque ſignorum varietas debet rerum varietati adæquari; ſecundo nemo, nec Angelus quidem hanc ſignificationem intelligere poterit, niſi Deus eam reuelauerit; quis enim ſcire poteſt, quid Deus hoc, vel illo aſpectu, vel concurſu ſtellarum velit ſignificari niſi ipſe mentem ſuam pateſaciat; cum hæc ſignificatio ſit denominatio extrinſeca ab actu diuino, nihil ponens in ipſo ſigno? Itaque inutilis erit illa deſcriptio, et ſuper vacanea; qua Deus (vt fingunt iſti vani aſtrologi) in cęlo velut in tabula quadam deſcripſit omnes euentus etiã liberos ab initio ſæculi vſque in finem futuros, quomodo in membranis per prophetas deſcripſit ea, quæ futura erãt circa Chriſtum, et Eccleſiam vt expreſſe ſentit Origenes apud Euſebium lib. 6. de præparat. Euangelica Cap. 9. cum abſque reuelatione nihil iuuet, et reuelatio ſola ſufficiat; Denique per ſe abſurdum eſt, et ridiculum Deum in Cœlo in aſtris in ſideribus deſcribere, vel deſcripſiſſe quis, quo loco, quibus parentibus naſcetur, quibus nuptijs, honoribus, et opibus potietur, quæ ſcelera commiſſurus, qua morte obiturus, et ſimiles minutias infinitis modis variabiles. Omnis prædictio futurorum abſolute damnatur ab Eccleſia, et ſanctis Patribus, ſiue ſit per aſtra tanquam eorum cauſas, ſiue ſit per aſtra tanquam per ſigna. Nam reuera eandem ſollicitudinem, curioſitatem, deſperationem animoſitatem religionis contemptum, Dæmonum ſocietatem, Apoſtaſiam animis hominum inducit; non enim tã curãt homines ſcire cauſas euentuum, quam præſcire ipſos euentus, quibus præſcitis nihil audent amplius.

15 Dicendum tertio, quod ſi capiatur ſignum quantum ad vſum, qui eſt ad diſtinguendum luminaria, prout mouentur motu primi mobilis diuidunt diem, et noctem iuxta illud Pſalm. 135. qui fecit luminaria magna ſolem in poteſtatem diei, lunam, et ſtellas in poteſtatem noctis; et quatenus mouentur motu proprio diſtingunt tempora dies, et annos præſertim ſol probatur, quia quattuor anni tempora Ver, æſtas, autumnus, et hyems diſtinguntur per motum Solis in Zodiaco prout ad nos accedit, et recedit, ſimiliter diſtinctio eorum fit per eundem motum, quia modo dies creſcunt, modo decreſcunt, aliquando ſunt maiores noctibus, aliquando minores, interdum æquales iuxta duplex ſolſtitium eſtiuale, et hyemale, et etiam duplex Equinoctium vernale, et autumnale; Luna ſuo modo, eſt in ſi-

gnifica-

Digitized by Google

gnificationem temporum, et annorum, et dierum apud Iudæos maxime quo ad ſolemnitates, ſicut apud Chriſtianos eſt ſol; ſi autem quæratur cur Eccleſia magis accepit feſta ſua ſecundum Solem, quam ſecundum Lunam; Reſpondet D. Bonauentura, quia ſynagoga in tenebris noctis ambulabat, et minuenda erat, ideo à luminari, quod præeſt nocti, & quod minuitur in conſumatione accipiebant Iudæis diſtinctionem ſuarum ſolemnitatum; at vero quia Eccleſia ambulat in lumine, vt de illa dicitur Apocal. 12. Mulier amicta Sole, et Luna ſub pedibus eius, ideo Chriſtiani menſes, et dies ſolemnes magis ſecundum Solis motum, quam Lunæ computant.

16 De Cœlorum numero non eſt tam facile diffinitur, quia priſci Philoſophi, et Mathematici vſque ad Ptholemei tempora octo eſſe cœlos ſeptem planetarum, et octauum inerrantium ſyderum cenſuerunt. Ptolomæus et poſteriores Mathematici comperto motu octaui orbis nonum Cęlum addiderũt; ante annos vero 400 præter motum raptus, et motum ab occaſu ad ortum 8 cęli certa obſeruatione deprehenſus ab Aſtrologis alius eiuſdem orbis motus, quem illi trepidationis appellauerunt, per quem ad polum ſidera mouentur, ideo statuerunt alios duos cælos ſupra stellatum nempe primum mobile, et chriſtallinum, ſupra quos ſi empyreum ponas erunt vndecim; Ex ſententia igitur Aſtrologorum, et Mathematicorũ modernorum, quæ nunc ferme in ſcholis recepta est, decem ſunt cœli mobiles, quibus addendum eſt vndecimum, quod Theologi empyreum nominarũt; Quę res nuſquam in ſacris litteris inuenitur determinata, nec numerus Cęlorum in ſacra ſcriptura eſt proditus, nec mirum eſt tot eſſę opiniones Veterum Patrum, vt vnus D. Griſoſth. hom. 4. in Geneſim explicans illa Verba fiat firmamentum &c. non dubitauit affirmare, qui multos cœlos faciunt, diuinis ſcripturis, & doctrinis Eccleſiaſticis aduerſari, ſuaque ipſorum commenta, & figmenta ſequi; Moyſes tantum modo Cœlum tradidit, quod appellauit firmamentum, Nam cum ante dixiſſet in principio creauit Cœlum, & terram; nomine Cœlo, & terrę deſignare voluit totum mundum, cuius opicifium ſummatim poſuit; Quæ ſententia D. Griſoſth. contraria videtur doctrinę omnium philoſophorum, & Theologorum ideo D. Thom. p. p. q. 68. art. 4. in bonam partem illam interpretari voluit dicens non damnari a Griſoſt. qui corpus Cœleſte in multos orbes diſtinguit, ſed Hęreticos quoſdam, & philoſophos, qui extra hunc mundum, & Cęlos nobis ſpectabiles alios eſſe Cęlos, aliosque mundos fabulabantur. Quæ interpretatio quam apte congruat ſententiæ Verborum Griſoſt. Lectoris iudicio relinquitur.

17 De firmamento, quod eſt Cœlum ſtellatum ſacra ſcriptura expreſſam mẽtionem facit, in primo Gen., vbi legitur. Dixit quoque Deus; fiat firmamentum in medio aquarum; & diuidat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diuiſitque aquas, quæ erãt ſub firmamento ab his, quæ erant ſuper firmamentum, & factum eſt ita; Vocauitque Deus firmamentum Cœlum, & factum eſt veſpere, & mane, dies 2. de firmamento plures fuerunt interpretum ſententiæ Origen. hom. 1. in Gen. Philo lib. 1. de Opificio Mundi, Baſil. in Hexam. Griſoſt. hom. 4. in Geneſi Theodoretus q. 11. in Geneſim, & Beda in Hexam. per firmamentum intelliguntur corporeum Cœlum; Damaſc. lib. 2. de fide, & Gloſſa ordinaria dicunt, quod Moyſes per firmamentum intellexit Cœlum ſidereum, de quo po-

Digitized by Google

ſtea dicitur poſuit Deus ea ſcilicet luminaria in firmamento Cœli, Catharinus per firmamentum interpretatus eſt octauam ſpheram, quam ſic credidit appellatam firmamentum; quod in ea ſtellæ inerrantes fixæ, & firmæ ſint, nec varijs motibus moueantur; Alij dicunt, quod per firmamẽtum intellexit Moyſes totum illud ſpacium, quod expanſum, & diffuſum eſt circum terram vſque ad aſtra; quatenus ſcilicet oculorum acies vſquequaque extendi poteſt; Huius ſpacij ſupremam partem tenent cœli, & aſtra; inferiorem vero elementum ignis, & aeris; De ſuprema parte patet, nam luminaria, & ſtellæ, quæ ſunt in diſtinctis orbibus dicuntur poſita in firmamento, vt patet infra, ſed iſta omnia ſidera, & luminaria ſunt in diuerſis orbibus collocata, vt patet etiam de planetis, ergo omnes cœleſtes orbes vbi iſta collocantur debent vocari firmamentum; ſimiliter de inferiori, quod aer vocetur firmamentum probatur, nam vbi nos legimus producant aque volatile ſuper terram 70. autem legunt in firmamento Cœli, conſtat autem aues volare in aere, ergo firmamentum vocatur aer, qui etiam vocatur Cœlum iuxta illud Pſalm. volucres Cœli, & piſces maris & Gen. 7. & Cataractæ Cœli, eſt itaque firmamentum ſpacium expanſum inter Cœlum, & terram, ſic D. Auguſt. lib. 2. ſuper Geneſi ad litt. cap. 4; Durandus in 2. diſt. 14.

18 Alij dicunt, quod per firmamentum intellexit Moyſes totam magnitudinem, vel molem cœleſtem continentem, octo orbes ſcilicet ſtellarum, Saturni, Veneris, Solis, Martis, Mercurij, & Lunæ, & iſti octo Cœli vocantur hoc vno nomine firmamentum ſic vltra alios Magiſter ſententiarum in 2. diſt. 13. Nicolaus de Lira Toſtatus, & Burgenſis hic, ſed quomodocumque accipiatur firmamentum non eſt creatum, ſed factum, ſeu formatum non quantum ad formam ſubſtantialem, ſecundum quam vere fuit creatum, ſed ſecũdum aliquam qualitatem ipſius firmamenti, ita Nicolaus de lira, & Toſtatus in priori expoſitione; Quæ autem ſit illa qualitas in textu non exprimitur; Ideo dicit Salomon Rabbi, quod eſt ſoliditas, de qua dicitur Iob. 37. tu forſitan cum eo fabricatus eſt Cœlos qui ſolidiſſimi, quaſi ære fundati ſunt, & propter hoc ipſum Cœlum vocatum eſt firmamẽtum, quod ſecundum hanc qualitatem dicitur factum ſecunda die ſecundum Lyranum, & Abulenſem, qui etiam dicit in ſecunda explicatione huius loci, quod firmamentum appelletur Cœlum, quia licet firmamentum comprehendat illos octo orbes, tamen quia populus rudis non iudicat plures eſſe Cœlos, ſed vnum, in quo ſunt Sol, Luna, & cętera aſtra ideo firmamentum appellauit hoc nomine Cœlum; Non eſt ſilentio prætereundum, quod ſi teneatur per Cœlum in initio conditum intelligi tantum Cœlum empyreum, & per terram materiam primam informẽ, vel cum aliqua forma corporeitatis imperfecta, de qua poſtea formata ſunt omnia corpora etiam Cęleſtia ſic Alexander de Ales, quem ſecuti ſunt Nicolaus de Lira, & Toſtatus in poſteriori explicatione, ſicque firmamentum eſt factum hac ſecunda die ſecundum formam ſpecificam Cęli ſiderei, in qua productione intelliguntur producti orbes planetarum, qui ſub nomine firmamenti comprehenduntur.

19 Maior difficultas inſurgit ex textu ſcripturali, quid ſcilicet intellexerit Moyſes per aquas ſuperiores, & inferiores; pro reſolutione notandum eſt duas eſſe de firmamẽto principales opiniones, nempe vel quod firmamentum ſit Cęlum ſydereum ſcilicet octauã

ſphe-

Digitized by Google

ſphera cum ſeptem planetarum orbibus, vel ſpatium aereum circum terram diffuſum vſque ad ſydera expanſum; Iuxta primam opinionem Philo, & Ioſephus arbitrantur veras, & naturales aquas eſſe ſupra Cęlum ſidereum. Probant quas enim Moyſes proprio nomine, ac ſimpliciter appellauit aquas, proculdubio veras aquas eſſe arbitrandum eſt; D. Ambroſius lib. 2. Hexam. Cap. 2. duo de hac re ponit indicia, & argumenta, quorum primum quod nõnumquam ingens aquæ vis de Cęlo repente magno impetu deſcendens in tantos imbres reſoluitur, vt flumina, & lacus repente compleantur, & ipſa exũdent Maria; Alterum quod frequenter ſolem cernamus, quaſi madidum, & rorantem; D. Auguſtinus lib. 2. ſuper Geneſim ad litteram Cap. 5. & lib. 11. de Ciuit. Dei cap. vltimo dicens, quomodo autem, & quales aquæ ibi ſint, eſſe eas ibi minime dubitamus; maior quippe eſt huius ſcripturæ auctoritas, quam omnis humani ingenij capacitas; Alij ſecundum eandem primam opinionem putant per aquas ſuperiores intelligendum eſſe nonum Cęlum, quod Chriſtallinum, & primum mobile appellant (ſuppoſito, quod ſint decem Cęli, & vltimum ſiue decimum ſit empyreum) quod ideo à Moyſe nomine aquarum appellatum fuit, quia magnam cum aqua habet ſimilitudinem, & conuenientiam; Vocatur etiam Cęlum chriſtallinum à ſimilitudine chriſtalli, quia chriſtallus de niuibus fit, & lucida eſt, Cęlum chriſtalinum de aquis gelidis factum eſt. Ita Magiſter ſent. in 2. diſt. 14. cum Scholaſticis Liranus, Toſtatus, Burgenſis. Beda vero in Hexam. inquit non eſſe minus facile omnipotenti Deo tenere aquas ſuper Cęlum ſydereum, ſiue liquidas, ſiue modo chriſtallino, ſiue concretas, quam (quod facit quotidie) tenere aquas in ſublimi aere.

20 Iuxta ſecundam opinionem, ſiue qui opinantur firmamentum nihil aliud eſſe, quam ſpatium aereum, quod circum terram vſquequaque diffuſum, & vſque ad ſydera expãſum dicunt aquas, quæ ſunt ſuper firmamentum non eſſe alias, quam quæ in ſublimi aere (quam Philoſphi vocant mediam regionem aeris) generantur, Illuc enim vapores ex terra, & aquis vi, & virtute ſolis elati denſantur, & coguntur in nubes, ex quibus imbres generati, tam large, & comode ad irrigandam, & fœcundandam terram defluunt tanta nonnumquã copia, & impetu, vt videantur illuc eſſe in gẽtes lacus, & flumina, quin etiam Maria, ita docent ex D. Thom. p. parte q. 68. art. 2. ſui Diſcipuli, & Pererius in Gen. De huiuſmodis aquis ſic intellectis ſępe loquitur ſcriptura veluti cum tradit Deum dare pluuiam de Cęlo, aut continere eam in cęlo, cũ inquit Deum claudere Cęlum ne pluat, vel aperire portas eius, Item cum ait Deum aperuiſſe cataractas cęli, & pluiſſe per 40 dies, & 40 noctes, quo fieret diluuium ſic Dauid dicens, qui operit cęlum nubibus, & parat terræ pluuiam, ergo idẽ cęlum eſt, quod regitur aquis, & quod operitur nubibus.

21 Magnum miraculum, ſiue potius mirabile diuinæ omipotentiæ extollitur, & celebratur, quod ſupra Cęlum, hoc eſt in ſublimi aere immenſã aquarum vim contineat, quarum, vel nimia profuſione, vel retentione omnem terrarum orbem perdere facile poſſet, Hoc ſpectauit Iob. Cap. 26. cum dixit; qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erũpant pariter deorſum, & Cap. 12. ſi cõtinuerit aquas omnia ſiccabuntur, & ſi emiſerit eas ſubuertent terram; Huc pariter tendit illud Prouerb. 8. Quando ethera firmabat ſurſum, hæbraice quando nubes firmabat ſurſum, & lib- a-

bat fontes aquarum; quaſi diceret Deus in excelſo aere ſuſpendit, è quibus quaſi è fontibus effundit imbres non tamen ſine modo, & menſura, ſed quaſi librádo, & modificando, ne vide liceret eius modi aquarum, aut nimis parca, aut nimis larga effuſio terris noceat; Plinius quoque hoc aquarum in ſublimi pendentium miraculo commotus, & obſtupeſcens exclamauit; quid mirabilius aquis in Cęlo ſtantibus? ſequitur Moyſes, & factum eſt veſpere, & mane dies ſecundus; vbi non eſt intelligendum quod Deus per totam diem in faciendo quodlibet illorum opus moratus ſit, ſed faciebat ſubito quodlibet, & per totum diem cóſeruabat factum, & deinde dies in quo fiebat illud opus, nominabatur.

22 Vlterius Moyſes in eodem Cap. 1. Gen. proſequens diuinam operationem circa corpora cęleſtia ait. Dixit autem Deus fiant luminaria in firmamento cęli, & diuidant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento Cęli, & illuminent terram, & factum eſt ita; fecitque Deus duo luminaria magna luminare maius, vt præeſſet diei; & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas. Dum Moyſes hic tam excellenter narrat productionem duorum luminarium Solis ſcilicet, & Lunæ. Excitat nos ad aliquot eorum prerogatiuas recenſendas maxime ſolis; Nihil enim eſt omnium, qui aſpectu ſentiuntur præclarius, admirabilius, & diuinæ poteſtatis, ac magnificentiæ illuſtrius Monumentum, quam ſol dux, & moderator cunctorum ſiderum, omniumque caducarum rerum procreator, & conſeruator, & nihil eſt eo, vel aſpectu pulchrius, vel efficacitate potentius, vel vſu, & vtilitate copioſius. Hic namque tenebras fugat, rerum colores, vel facit, vel oſtendit, cuncta exhilarat, omnium animantium oculos inſatiabili, voluptate complet, & mundo ſalutarem, maximeque vitalem, & cunctas naturas augentem nutricantẽ, ſenſumque afficientem calorem largitur. Ex quo factum eſt, vt à viris doctis omnium mortalium parẽs, & altor nominetur.

23 In eo multa ſunt præcipue mira; Inprimis magnitudo ipſius, etenim vniuerſum aquæ ſimul, & terræ globum centies ſexagies ſepties Sol vnus exuperat, ſtellas quoque inerrantes multas excedit; ſiquidem plures non amplius quam centies, & ſepties aquæ, terræque molem ſuperant. Deinde incredibilis eſt in eo copia lucis, vt qui vnus duntaxat penitus fugandis tenebris, reddendoq; diei ſufficiat id, quod cætera omnia ſidera ſimul coniuncta præſtare non poſſunt, quorum item lux præſtantia ſolis præſtringitur, & occultatur; Adde quod Plinius, Auicennas, Albertus, & plures Theologi totius lucis, quæ alijs ineſt quibuſcumque ſideribus ſolem eſſe quaſi fontem, & Auctorem non temerè opinantur. Ad hoc ſol annuo curſu, & vnico ſui ſpatij circuitu principales temporum vices facit, & variat, hiemem dico æſtatem, Ver, & autumnum, & cætera, quæ his neceſſario, vel adiuncta ſunt, vel conſequentia; Dauid in Pſalm. 18. pulchritudinem ſolis comparat ſponſo, qui è Thalamo ſuo ſpecioſiſſimus ſummo ornatu, & decore procedit; Vim autem, et impetum eius cóparat Gigaoti, ſi quidem eius circumuectio tanta celeritate ab extremo oriéte fertur ad extremum occidentem, vt vno integro circuitu diem, noctemque conficiat modo ſub pedibus ab oculis noſtris obliteſcens, & oppoſitas nobis terræ atque aeris regiones longe, lateque occupans nullum orbis locum non ſuo fulgore, et calore perluſtrans.

24 D. Dionyſius Areopagita libro de Diuinis nominibus 4. Cap.; ſolem facit euidentem, et expreſſam diuinæ bonitatis

bonitatis imaginem, tum quia ſol non cogitatione, aut electione, ſed eo ipſo, quod eſt, illuminat omnia, quę pro modo ſuo participationem lucis admittũt, ita diuinum bonum ipſa ſua ſubſtantia omnibus, quæ ſunt pro captu cuiuſcumque totius bonitatis inijcit radios, ſic ille cæleſtis ſanctus. Solis lux eſt incomparabiliter munda, et pura, nihil enim corporeum eſt luce mundius, & purius, ac ne fingi quidem poteſt, nam cum per omnia permiceat etiam ſordidiſſima, omniaque purificet, atque emundet, nulla tamen ſordium contagione inquinatur. Sed vt vno verbo dicam tanta eſt ſolis excellentia inter omnia, quæ patent ſenſibus noſtris, vt per multi quaſi diuinum numen adorauerint, et diuino honore, cultuque affecerint.

25 Hinc Moyſes prouidens facilem hominum fore in hunc errorem lapſum præſertim Hæbreorum, quorum valde lubrica erant ad ſuperſtitiones gentium ingenia præmonuit Hebræos Deuter 4. ne vel Solis, et Lunæ, cæterorumque aſtrorum pulchritudine, et vtilitate cõmoti, vel errore gentium decepti ea ſidera colerent, ac venerarentur, quæ Deus in miniſterium, et vſum cũctarum Gentium, quæ ſub Cælo ſunt condidit; Verum nec monitis ipſius Moyſis, nec Prophetarum documentis Hebræi ab errore cohiberi potuerunt; Legimus apud Ezechielem Cap. 8. Deum Ezechieli demonſtraſſe quoſdam Iudæos, qui ex orientem Solem adorabãt. Legimus etiam in lib. 4. Regum Cap. 23. Ioſiam Regem Iuda proieciſſe de templo, et combuſiſſe vaſa ſacta, et dicata vniuerſæ militiæ cæli, eos quoque de medio ſuſtuliſſe, qui Soli, Lunæ, et duodecim ſignis incensum adolebant; abſtuliſſe præterea equos a Regibus Iuda conſecratos ſoli, currus item ſolis combuſſiſſe.

26 Plinius lib. 2. Cap. 9. De ſecundo Luminare magno nempe de Luna loquens dicit Lunæ nouiſſimum ſidus, terriſque familiariſſimum, & in tenebrarum remedium à natura repertum omnium aſtrorum, vincit admirationẽ, eius varietas torſit ingenia contemplantium; Creſcens ſemper, aut ſeneſcens, modo curuata in cornua, modo æqua portione diuiſa, modo ſinuata in orbẽ, maculoſa, eademque ſubito prænitens immenſa pleno orbe, ac repente nulla; alia per noctem, alia ſera, & parte diei ſolis lucem adiuvans, deficiens, & in defectu tamen conſpicua; Humilis, & excelſa, alias admota Cęlo, alias contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, nunc in auſtrum deiecta, in totum à ſole mutuata luce fulgens; molliore, & imperfecta vi ſoluens tantum humorẽ, atque etiam augens, quem ſolis radij abſumant, Luna afflatu ſuo terras ſaturat, accedenſque corpora implet, abſcedens inanit, ideoque cum incremento eius augentur Conchilia, ſanguis etiam hominum cum eius lumine augetur, & minuitur, frondes quoque, ac pabula vim eius in omnia penetrantem ſentiũt, ferarum occiſa corpora in tabem viſu ſuo reſoluit, ſomnoque ſopitis, torporem contractum in caput reuocat, cunctaque humifico ſpiritu laxat. Iam vero reciprocos Maris æſtus eius curſu, vique cieri, variari, regi ac moderari, & antiquitus, hodieque multis eſt probata ſententia; hic Plinius.

27 Vocatur autem Luna luminare magnum incomparatione ad alia aſtra non quantum ad rem, ſed quantum ad apparentiam, quia præter ſolem nullũ corpus videtur maius, quam Luna, licet ſecundum demonſtrationes aſtrologicas Luna ſit minor quolibet aſtro viſibili ad minus octo vicibus; Propinquitas tamen orbis eius ad nos in comparatione ad alios orbes facit magnitudinem apparentiæ, Luminare autem non eſt

lumen

lumen ipſum, ſed luminis receptivum, atque adeo illud luminare, cui multum dedit de luce, maximè lucet. Cui minus dedit, minus lucet; Luna ſatis apparet, quod per ſe non lucet, & ratio eſt, quia ad ſui completionem modicum ſuſcepit de luce primo creata; at quia eſt aggregatum ex natura; quæ multum eſt apta ad ſuſcipiendum lumen, cum ſit corpus magnum, & denſum, & nobis propinquum; Hinc eſt, quod multum de lumine ſuſcipit, & multum refundit, quando ex ea parte illuminatur, qua ſe nobis opponit; hoc autem eſt quando eſt in perfecta diſtantia à ſole, ita quod ſol eſt in vno hemiſpherio, & luna in alio: Quando autem luna eſt directe ſub ſole illuminatur tantum in parte ſuperiori, & pars inferior remanet obſcura, & tunc ſuſpendit radios ſolares, & Ecclipſatur ſol; & hæc eſt ratio, quare ſcriptura appellet Lunam luminare magnū nō quod luceat ex ſe, vel quod ſit maius, quam ſtellæ, ſed quia magis nos illuminat; vel maiori, quam cæteræ ſtellæ pollet efficacia, & virtute agendi in hæc inferiora, tamen à parte rei aſtra octauæ ſpheræ ſunt longe maiora, quam luna; quia terra comparatione octauæ ſpheræ inſtar puncti indiuiſibilis reputatur. Luna autem minor eſt quam terra, ergo aſtra octauæ ſphæræ ſunt longe maiora.

28 Nicolaus de Lira, & Abulenſis hic dicunt, quod per luminaria intelliguntur ſol, & Luna; Eſſe vero & lucere in firmamento Cœli; quatenus firmamentum dicit aggregationem omnium orbium cœleſtium à concauitate orbis lunæ vſque ad ipſum ſtellatum Cœlum incluſiue, cum enim luna ſit in primo orbe, & ſol in quarto, ſic vere dicuntur eſſe, & lucere in firmamento Cœli; Et ſignanter dixit Moyſes in firmamento Cœli, vt partem illam cæli deſignaret, quæ eſt ſupra cęlum æthereum, ideſt in illa parte, quæ diuidit aquas inferiores à ſuperioribus. Circa factionem horum luminariū varia eſt Doctorū ſententia; Philoſophus 2. Cœli textu 41, & ſequentibus dicit, quod producta ſunt ex aggregatione lucis, vel ſuorum orbium; ſicut enim ſi calor diſperſus in vnum colligeretur fieret intenſior, & fortior, ſic dum natura lucis in orbibus reperta virtute ſui opificis in vnum colligitur ſit, & Luminare conſtituitur; & iuxta luminare maius, & minus eſt ſecundum quod maior, vel minor eſt Lucis aggregatio; ſicque Luna deberet ex ſe lucere, & non tantum dependenter à ſole; Nicolaus de Lira in ſecunda explicatione docet, quod iſtud fieri luminarium intelligitur quantum ad ſuas formas ſubſtantiales, & ſpecificas, & ſecūdum hanc expoſitionem ſol factus eſt ex illa nube lucida, quæ tribus diebus præcedentibus diurno motu fecit diem, & noctem iuxta ſupra dicta.

29 Alexand. Alenſis in 2. p. qu. 52. membro 1, quem ſequti ſunt D. Thomas p. p. q. 70. art. 1. Nicolaus de Lira, & Toſtatus in primum Geneſis in expoſitione priori, quod iſtud fieri non intelligitur quantum ad ſubſtantiam luminarium, nec quantum ad lucem, quæ facta eſt primo die, quia tunc facta fuit lux ſolis, & per conſequens aliorum luminarium, quæ illuminantur à ſole, ſed intelligitur quoad informationem quādam huiuſmodi luminis, quod fuit informe aliquo modo vſque ad quartam diem; in qua fuit formatum, quia tunc accepit à Deo virtutem influendi in hęc inferiora quoad varios eorum effectus; ſenſibiliter enim percipitur, quod radij diuerſorum luminarium Cœli habent varios effectus, & diſtinctos circa hæc inferiora; Hæc opinio ſic exponitur à Peretio; Aſtra non ſunt aliud, quam partes Cœli deńſiores, quæ lucem habent, & tranſmittunt; Cœli autem in principio creati ſunt perfecti ſecundum ſub-

ſtantiam

ſtantiam numerum orbium, magnitudinem, figuram, & aliarum partium denſitatem, aliarumque raritatem; neceſſario efficiuntur aſtra ſecundum materiā ſuam, quæ non eſt alia, quam ſubſtantia Cœli; & ſecundum figuram, magnitudinem, & denſitatem eſſe facta à principio, quid ergo eis deerat? forma nempe, quæ principaliter dat eſſe rei, & nomē; Eſt autem aſtri forma ipſa lux, quæ hoc quarto die illis data eſt Deo partes illas cœli denſiores ſpiſſa luce complente; datus eſt illis præterea proprius motus, nam alio motu cietur, alio alij Planetæ cum ante vno ſolo motu primi mobilis mouerentur, tertio loco data eſt aſtris vis, & potentia varios effectus, atque mirabiles producendi ex motu proprio, & luce cuiuſque aſtri proueniens.

30 Pergit Moyſes dicēs Deum quoque feciſſe ſtellas, quo nomine hic non venit illa prodigioſa ſtella, de qua loquitur D. Euangeliſta Matthęus cap. 2. Hæc enim ſtella noua, & inuſitata fuit planè differens à cęteris, eaſque ſuperans nouem priuilegijs, & quaſi portentis ad hoc ab Angelis efformata, vt Magos raperet in ſui admirationem, illique ipſam nouum quid, & Diuinum præſagire cognoſcerent; Primo enim ſtella hæc ſuperabat cęteras creatione, ſiue productione, quia cęteræ creatæ ſūt quarta Mundi die Gen. 1. 14. hæc vero producta eſt ipſa nocte natiuitatis, noua ergo fuit, & nunquam antea viſa, nec poſtea, ita D. Auguſtinus lib. 2. contra Fauſtum, cap. 5; ſecundo Materia; Hæc enim in cęteris ſtellis eſt cęleſtis; In hac autem erat aerea, Angeli enim ex aere condenſato ſplendorem ei indendo illam efformarunt; tertio loco, cęteræ enim ſunt in Cęlo, hæc vero erat in aere, præibat enim, & oſtendebat Magis viam ex Arabia in Iudæā, quarto motu, quia cęteræ circularem habent motum, hæc vero habebat rectum, recta enim ibat ex oriente in occidentem puta in Bethleem, quinto tempore; Cęteræ enim nocte duntaxat fulgent, per diem enim lux ſolis eas obſcurat; Hæc vero interdiu ſplendente ſole æque fulgebat, ac nocte.

31 Sexto duratione, quia cęteræ perpetuæ ſunt, hæc vero erat temporanea; tantum enim tempore itineris Magorum, quod fuit tredecim dierum durauit, & deinde euanuit, ſeptimo magnitudine, cęteræ enim maiores ſunt terra, & Luna, hæc vero vtraque erat minor, maior tamen apparebat, quia terræ erat propinquiſſima, & Magis vicinior, ſicut Luna maior apparet ſtellis fixis, quia nobis vicinior, cum re vera ijs longe ſit minor, octauo, varietate; ſtella enim hæc aliquando ſe occultabat, vti fecit in Hieruſalem, aliàs vero ſe oſtendebat, eratque Dux viæ; ruſum cum ambulantibus magis ibat, cum quieſcentibus quieſcebat; Denique ſtetit ſuper domum vbi erat puer, ibique quaſi peracto iam oſtēſionis Chriſti officio euanuit; Nil tale habent cęteræ ſtellæ; nono, fulgore, quo cęteras omnes ſtellas vincebat, ita D. Ignatius qui Epiſtol. 14. ad Epheſios de ſtella hac ait, ſtella fulſit exuperans omnes quotquot antea fuerant, lux enim illius fuit admirabilis, & inenarrabilis, & ſtuporem incuſſit omnibus aſpicientibus eam rei nouitas, omnia autem reliqua aſtra vna cum ſole, & Luna chorus fuere ſtellæ illius, ipſa vero claritate ſuperabat omnes, ſic S. Ignatius. Fuit ergo hæc ſtella nouum meteorum ab Angelis ex aere efformatum, & Luce ingenti informatum, ac motum ab Angelo perinde ac columna ignis, & nubis, quę dux Hæbreorum fuit in deſerto in terram promiſſam, puta in eandem Iudæā, ita D. Griſoſt. hic, ſed ad ſtellas ſidereas accedamus de quibus intellexit Moyſes.

32 Stel-

Digitized by Google

32 Stellæ prima diuiſione diuiduntur in ſtellas errantes, & ſtellas fixas. Stellæ errantes ſunt ſeptem quæ ita mouentur, quod nunquam quieſcunt, mouentur etenim duplici motu communi ſcilicet quotidie ab oriente in occidentem cum motu primi mobilis: & motu proprio quo mouentur ab occidente in orientem; vt infra magis videbitur; Stellæ fixæ, ſiue inerrantes ſunt participes ſubſtantiæ, & eſſentiæ Cęli firmamenti, quod nullo motu proprio mouentur ſed ſolum motu eiuſdem Cęli, quod ideo Cęlum ſtellatum communiter appellatur. De numero iſtarum ſtellarum duæ ſunt contrariæ ſententiæ vna eſt ſacrarum ſcripturarum,& alia Aſtrologorum; Diuina ſcriptura multis locis aperte indicat ſtellas Cęli ab homine non poſſe numerari; Etenim Geneſis Cap. 15. promiſit Deus Abrahę multiplicaturum poſteritatem ſuam ſicut ſtellas Cęli, & Arenam maris; Eduxit enim Deus (inquit ſcriptura) foras Abraham (videlicet nocte, cęloque ſereniſſimo,) & dixit ei ſuſpice Cęlum, & numera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum; Erat autem Abraham, vt Ioſeph, & Euſebius Ceſarienſis tradunt iam tunc peritiſſimus Aſtrologiæ, quam didicerat à Caldæis, apud quos natus, educatus, multoſq; annos verſatus fuerat, homines ſanè conceſſu omnium eius ſcientię facile principes, eamque doctrinam Abraham auctore Ioſeph docuit Ægyptios. Idem Hierem. 33. & alibi ſæpe; Idem ſentit Ariſt. lib. de mundo ad Alexandrum, & lib. 2. de Cęlo text. 61. vbi ait ſiderum inerrantium numerum à mortalibus ſciri nõ poſſe, Seneca quoque lib. 6. naturalium quæſtionum Cap. 16. eiuſmodi ſtellarum numerum inueniri poſſe negat.

33 E contra Aſtrologi etiam doctiores deprehenderunt omnes ſtellas inerrãtes viſu notabiles eſſe duntaxat 1022. quas ad 48. imagines, ſeu effigies, ſeu cõſtellationes ſimilitudine alicuius Animalis, vel alterius rei redegerunt; earum quoque ſtellarum magis minuſue lucentium varietatem ad 6. differentias reduxerunt, prima continet ſtellas 15. primæ (vt vocant) magnitudinis, altera 45. Secundæ magnitudinis, 3. 208. Tertiæ magnitudinis, 4. continet ſtellas 474. Quartæ magnitudinis; 5. 217. quintæ magnitudinis 6. 49. Sextæ magnitudinis; Cęterum magis placet ſententia ſacrarum ſcripturarum, quibus ſemper inherendum eſt: Has ſtellas inerrantes inquit Moyſes poſuit Deus in firmamento Cœli non quidem vagantes ſicut ſunt in terra Animalia piſces in aqua, & volucres in aere vt opinati ſunt Iuſtinus Martyr q. 33. ad ortodoxum Origenes contra celſum lib. 5. & lib. 1. Periarchon. cap. 7. Euſebius Emiſſenus, Diodorus Tarſenſis in hunc locum. Procopius, Gazeus in Gen. Cap. 1. & 7. & diſertius omnium D. Griſoſth. hom. 6. & 13. in Gen. & hom. 12. ad populum, is enim inquit; abſit vt cogitemus Deum affixiſſe Cœlo aſtra, cernimus autem ea moueri, & de vno loco in alterum transferri; Dicitur autem Deus ea popoſuiſſe in firmamento quia voluit, & iuſſit, vt eſſent in Cęlo, & per ipſum ſpatia ſua concurſumque ſuum conficerent, ſicuti infrą dicitur Deum poſuiſſe Adam in Paradiſo, hoc eſt vt in Paradiſo commoraretur, & habitaret, & ad populum Antiochenum idem cõfirmat; ait enim Cęlum eſſe fixum, & immobile, ſolem autem cũ cęteris aſtris in ipſo quotidie circumuolui.

34 Poſuit igitur Deus ſtellas in firmamento fixas, & immobiles vt aſſerit Alexander Alenſis 2. p. q. 52. memb. 2. art. 4. & Scotus in 2. diſt. 14. q. 2. ſi enim prima opinio eſſet vera neceſſe eſſet ſentire, vel in Cęlo eſſe plurimum vacui, vel corpus cęleſtę ſcindi rare-

fieri,

Digitized by Google

fieri, & condenſari, vel Cęlum eſſe quoddam corpus fluxum, labile, atque facillime ſolidiori corpori cedens ſimile nimirum, vel aquæ, vel aeri, quæ omnia, & rationi naturæ, & dignitati corporis cęleſtis videntur valde opponi; nam ſi ſtella haberet proprium motum localem, ita quod partem illam, in qua eſt, relinqueret aliquando, & ad aliam partem moueretur; vel eo in loco in quo prius fuit, aliquid ſibi ſuccederet, aut nihil; ſi nihil ergo daretur vacuum, ſi aliquid aliud ſibi ſuccederet, corpus cęleſte eſſet rarefactibile, vel condenſabile, vel poſſet ſcindi, & corpori ſcindenti iterum continuari, vel ſi non ſcinderetur, eſſent duo corpora ſimul in eodem loco; Hæc omnia excludit natura corporis cęleſtis, quod ex ſe ſolidiſſimum eſt, iuxta illud Iob. 37. vbi ſcriptura docet ſolidiſſimos, & tanquam ex ære conflatos eſſe Cęlos, Accedit, cum ſtellæ ſint inæquales in magnitudine, & vna ſuccederet alteri in loco derelicto, vel non poſſet implere illum ſi ſuccedens ſtella eſſet minoris magnitudinis, quam ſtella recedens, vel ſi eſſet maioris magnitudinis ſuccedens, vel neceſſario condenſaretur, vel locus relictus dilataretur, quod vtrumque negatur à corporibus cęleſtibus. Præter numerum, & multitudinem ſtellarum earum magnitudo, & vis in hæc inferiora reddunt eas valde ſpectabiles intellectui, nam magnitudo ſtellarum tanta eſt, vt earum minimæ comparatione terræ vniuerſum aquæ, terræque globum 118. ſua magnitudine excedant; Vis quoque earum in hęc inferiora eſt ineffabilis, argumenti loco ſit exemplum vnius illarum ſtellarum fixarum, quam appellant caniculam immodico ardore infamem, ſed admirandis effectibus valde inſignem, eius enim vis ampliſſima in terra ſentitur. Feruent maria exoriente eodem ſidere, fluctuāt in cellarijs vina, mouentur ſtagna, canes toto eo ſpatio maxime in rabiem aguntur, & alia plurima, quæ breuitatis cauſa remittuntur legenda apud Philoſophos, Aſtrologos, & Medicos, qui tunc temporis incurandis ægrotis plurimum obſeruant.

35 Ariſtotelis, & eius commentator ille 2. de Cęlo, & Mundo, iſte de ſubſtantia orbis dicunt Mundum totum eſſe circularem, hos ſequitur Auicennas lib. ſuo de cęlo, & mundo. Deinde Matematici id confirmant, & verum dicunt, cum enim Cęlum ſit corporum omnium primum ſimpliciſſimū capaciſſimum perfectiſſimum, atque nobiliſſimum globoſam figuram maxime requirit, vt quæ omnium figurarum ſit prima capaciſſima perfectiſſima, & ad velocitatem, & perpetuitatem aptiſſima. Quod ſi hac figura præditum non eſſet Cęlum non poſſent, tam diuerſi motus, & in tam diuerſas partes in cęlis agi, quin ſe ipſos cęli frangerent, atque perrumperent, neque euitari poſſet, quin obuerſiones, ſiue conuerſiones alicubi vacuum exiſteret. Quare non ſunt ſequendi ſcriptores quidam Eccleſiaſtici, qui cęlum eſſe rotondum non modo negarunt, ſed etiam ſacris litteris aduerſari exiſtimarunt, ſic Iuſtinus reſpondens ad q. 130. ad ortodoxos Baſilius hom. 1 ſuper Geneſi in Ambros. lib. 1. in Hexam. Griſoſth. hom. 14. & 27. in Epiſt. D. Pauli ad Hebr. præcipue lactantius lib. 3. diuinarum inſtitutionum cap. 23. & alij; ſed hæc ſententia non tantum non aduerſatur ſacris ſcripturis, ſed mirifice cum eis concordat; Salomon in principio Eccles. 1. Cap. teſtatur dicens cęlum moueri in orbem; oritur inquit ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens girat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem luſtrans vniuerſa in circuitu; pergit ſpiritus, & in circulos

culos ſuos reuertitur; Quibus verbis clariſſime oſtenditur;verum etiam manifeſtius traditur in lib. Eccleſiaſtici Cap. vigeſimo quarto quo loco diuina ſapientia inducitur, ita loquens girum cęli circuiui ſola, ſed græce clarius ex quo legitur; rotundaui, ſeu conglobaui; Hæc ſatis de rotonditate cęli.

36 Non tam facile, & euidenter poteſt ex ſacris litteris colligi Cœlum non à ſe moueri, ſed ab Angelis, eſt tamen plurimorum, & maximorum philoſophorum, & Theologorum conſenſu firmatum,& multis motiuis perſuaſum, etenim orbes cęleſtes diuina ratione, & potentia moueri, & regi immediate immediatione virtutis non tamen immediatione ſuppoſiti, ſed miniſterio Angelorum, quos Philoſophi, Platonici, Deos appellabant oſtenditur euidenter: Sic ijdem Platonici, Stoici, & Peripatetici vniformiter ſenſerunt; nam cum Cœlum ſit corpus ſimplex ideſt non organicum, & in omnibus partibus ſuis ſecundum ſubſtantiam vniforme non poteſt ſe ipſum mouere; non enim poteſt in ipſo diſtinctè ſignari pars, quæ moueat, & altera, quæ moueatur; Et vltra non poſſet reddi cauſa probabilis, cur Cœlum in orbem perpetuo ageretur; Cum eo motu, nec ſibi quicquam aquirat, nec quod habet tueatur, & conſeruet, cur etiam confecto ſemel ſpacio ſuo, & vna integra conuerſione abſoluta deſinat moueri, ſed infinities idem ſpatium repetat, ac remeat. Ad hoc, qui negat Cœlos moueri, nullam profecto relinquit viam, & rationem Philoſophicam, qua cognoſci, ac probari queat Angelos eſſe; nec Philoſophia modo, ſed Theologia etiam hoc docet; Etenim ſententia eſt D. Dionyſij Areopagitæ, D. Auguſtini, aliorumque Patrum omnibus Theologis,Scholaſticis probatiſſima, ita Deum prouidentia ſua hunc mundum adminiſtrare, vt infima regat per media; item inferiora gubernet per ſuperiora, & hæc per ſpiritus: Eſt quoque in ore omnium Theologorum Angelos diuinæ prouidentiæ ad miniſtros Prouincijs, ac Regnis, ſingulisque hominibus eſſe tutores, cuſtodes, & rectores à Deo præfectos, quanto igitur credibilius eſt eos præſidere motui Cœlorum, ex quo pendet rerum ſublunarium ſalus, & incolumitas? ſtet igitur firmum cęleſtes orbes circumuolui per Angelos, qui alias formæ aſſiſtentes, & intelligentiæ à Philoſophis paſſim vocitantur.

37 Tot ſunt intelligentiæ motrices ideſt Angeli, quot ſunt orbes totales totaliter mobiles, quia veriſimile eſt Cœlos moueri à Cuſtodibus, ſed cuilibet Cœlo totali, cum ſpecie differat ab alijs, datur Angelus proprius, quaſi Cuſtos, ergo quilibet globus totalis à propria intelligentia ideſt Angelo mouetur; poſſet vnicus Angelus ex diuina diſpenſatione omnes cęlos mouere, quia poteſt Deus aſſignare Angelo pro ſphera ſuæ actiuitatis totum vniuerſum ergo; tamen ex orbe mobili, & intelligentia mouente non fit vnum per informationem contra Auerroem; Probatur informans magnitudinem, eſt mobile ſaltem per accidens ſecundum ſubſtantiam, nam cum totum mouetur neceſſe eſt, & partes moueri ad motum totius, ſed ſecundum Philoſophum intelligentiæ ſunt immobiles ſecundum ſubſtantiam ſuam, quoniam ſi mouerentur ſaltem per accidens impoſſibile eſſet, vt motu continuo eterno mouerent ſecũdum Ariſtotelem 8. Phyſic. Item nulla virtus mouens tempore infinito eſt in magnitudine teſte Ariſt. 8. Phyſic. ſed omnis intelligentia ſecundum philoſophum 12. met. mouet tempore infinito ergo non poteſt eſſe in magnitudine

pe

Digitized by Google

per informationem.

38 Repugnat intelligentiç informare corpus, aut materiam ſecundum Doctorem ſubtilem quolib. 9. probatur ratione eiuſdem Scoti nulla ſubſtantia completa in ſpecie poteſt eſſe pars, ac proinde informare corpus, ſed intelligētia eſt ſubſtātia cōpleta in ſpecie ſua, ergo non poteſt eſſe pars, & per conſequens non poteſt informare corpus, nec materiam; Item illa informatio eſſet ocioſa; quoniam non eſſet propter motum localem, aut propter cauſalitatem cęli, vel propter intelligere ergo &c. probatur non propter motum localem, quoniam ſufficit mouens, & motum eſſe ſimul ex 7. & 8. Phyſic. ita quod inter ea ſit tactus naturalis, nec etiam propter cauſalitatem cęli, quia talis cauſalitas non eſt vniuoca, ſed eſt æquiuoca, in qua non eſt neceſſe cauſam eſſe formaliter, ſed virtualiter talem, qualis eſt effectus; nec denique propter intelligere, quia intelligere eſt operatio non organica, nec indiget corpore niſi ratione phantaſmatum deſeruientium ipſi operationi; phantaſmata autem ad partem ſenſitiuam pertinent quæ in cęlo eſſe non poſſunt, ergo cum illa informatio non eſſet propter aliquam iſtarum cauſarum ſequitur, quod eſſet otioſa, & fruſtra. Intelligentia igitur vnitur cęlo tanquam motor mobili nam intelligentia vnitur orbi ſecūdum motum, eo quod eſt principium, & determinatum motus, ergo vnitur cęlo, vt motor mobili.

39 Intelligentia mouet cęlum per ſuam voluntatem; hæc eſt enim vis motiua ipſius intelligentiæ, in qua nihil aliud actiuum, vel operatiuum reperitur præter intellectum, & voluntatem, quç in hac re licet ambç ſuo modo concurrant ad motum, tamen intellectus non dicitur ita proprie potentia motiua, ſicut voluntas, quia potentia proprie illa cenſetur motiua, quç immediate efficit motum; voluntas autem eſt immediatior, quia ſtante apprehenſione intellectus non ſequitur motus, niſi voluntas imperet, ſicque inter intellectum, & motum mobilis mediat actus voluntatis: Dices neceſſarium non pendet à voluntario, ſed motus cęli eſt neceſſarius, ergo non ſubiacet imperio voluntatis intelligentiæ. Reſpondetur veram eſſe ſuo modo maiorem propoſitionem de abſolute neceſſario; ſed minor non bene ſubſumitur, niſi de neceſſario ſecundum quid, & ex diuina diſpoſitione, ſecundum quam motus cęli ſubijcitur voluntatis imperio intelligentiæ; Hinc ſequitur cęlum moueri ab intelligentia, ſine labore, & fatigatione, iuxta illud philoſophi 2. de cęlo, vbi dicit, quod cęlum mouetur motu inceſſanti, ſine labore, & faſtigatione; probatur nam labor, & faſtigatio in operando eſt conditio agentis corporei, ſed à Angelus non eſt agens corporeum; ergo in operando non laborat, neque fatigatur. Confirmatur, quia intelligentia eſt in optima diſpoſitione, & delectatione, fatigatio autem, & labor non poteſt eſſe ſine triſtitia, vel ſine labore.

40 Motus Cœli ex parte principij paſſiui eſt naturalis iuxta illud primi de Cœlo vbi Ariſtot. probat Cœlum habere aliquem motum naturalem, quoniam eſt corpus naturale habens in ſe naturā, natura autem eſt principium paſſiuum motus; Idem probatur ratione, nam ea omnia naturaliter Cęlo inſunt, quç ſunt neceſſaria ad efficiendum motum circularem, ergo & ipſe motus circularis eſt ei naturalis; antecedens probatur primo quia Cęlo ineſt figura rotonda, abeſt grauitas, & leuitas, eſt ſubſtantia incorruptibilis, & carens contrario, quç omnia requiruntur ad efficiēdum motum circularem, & naturalem. Item

Digitized by Google

omne ens naturale naturaliter ſe habet ad ſuſceptionem motus, at Cœli ſunt entia naturalia, ergo ſe habent naturaliter paſſiue ad motum circularem; Motus circularis cęlorum extrinſece conſideratus, & quoad eius cauſam efficientem, nec eſt naturalis Cœlo, nec violentus, ſed neutralis. Quod non moueantur Cœli naturaliter effectiue probatur, quia motus naturalis ab intrinſeco prouenit, at Cęli ab extrinſeco mouentur circulariter, ergo &c. Quod non violenter probatur, quia quod violenter mouetur reſiſtit mouenti, at Cęli non reſiſtunt, ergo &c. Quod autem neutraliter ſe habeant, patet ſunt indifferentes ad motum circularem ſeu ſecundū vnam, aut alteram differentiam, puta ad orientem, vel occidentem, ergo Cęli ſe habent neutraliter ad motum circularē.

41 Vnicus eſt primi mobilis motus, iſque naturalis, & localis in concauo Cęli Chriſtallini (ſi ſunt vndecim Cęli) vel in concauo Cœli empyrei immobilis (ſi ſunt tantum 10) hic motus abſoluitur 24 horis, & eſt ab ortu ad occaſum per meridiem, & ab occaſu ad ortum per ſeptentrionem hoc motu mouentur cęteri Cęli, ideo dicitur motus communis factus ſuper polos. Mundi; præter hunc motum communem ſinguli planetarum orbes habent propriū ex occidente, in orientem diuerſo axe, diuerſo tramite, differenti celeritate; orbis enim Saturni periodum ſuum cōficit annis fere 30, Iouis 12, Martis circiter duobus, Veneris, imo, & ſolis vno, Mercurij eodem ſpatio Lunæ 27. diebus, & horis 8. ecce quanta diuerſitas; Denique in ſphera 8, in qua ſunt ſtellæ fixæ triplex animaduerſus eſt motus primus ex oriente in occidentem ſuper polos Mundi, qui 24. horis abſoluitur; ſecundus ex occidente in orientem, qui centum annis putatur conficere gradū vnum; tertius ex Auſtro in ſeptemtrionem, & è contra, quo principium Arietis, & libræ ſphæræ 8. deſcribit paruulos circulos circa principium Arietis, & libræ ſphæræ 8, qui 700 annis peragitur; Multa alia per fiſtulam diopticam recens à quodam Batauo inuentam in Cęlo nuper animaduerſa ſunt prorſus admiranda, de quibus vide apud Aſtronomus modernos; Hi tamen motus locales non ſunt aſtris, ratio influendi in ſublunaria, immo & ſi non mouerentur adhuc poſſent influere; probatur virtus Agendi eſt petenda ab intrinſeco non ab extrinſeco, at motus localis eſt Cęlo ab extrinſeco infertur enim ab intelligentia, ergo ſicut quamuis non moueretur Cęlum adhuc illuminaret, ſic & influeret, licet quieſceret, nec ceſſarent actiones humanæ, quæ ſunt meræ naturales, vt actiones viuentium; non poſſent tamen diu durare, quia ceſſante motu Cœli ſol ſemper adeſſet vni parti, & ſic ex nimio calore ob præſentiam, vel ex nimio frigore ob abſentiam non poſſent diu perſeuerare viciſſitudines temporum, & actiones viuentium.

42 Velocitas motus Cœlorum eſt ineffabilis prorſus humanæ capacitati pro ſtatu iſto; Etenim ſi ſol ſit incomparabiliter vniuerſæ terræ, & maris globo (vt ex cono, ſeu piramide Vmbræ terræ, quæ ad cœlum Martis non pertingit, conuincitur) immo iuxta Aſtronomos contineat eius magnitudinem centies ſexagies ſexies 166. tamen tanta velocitate cum toto ſuo orbe rotatur, vt horæ vnius ſpatio ſupra 100 miriades, ſeu decies centena millia milliarium (millionem vocamus) conficiat; Vnde vna hora ſuo curſu ambitū terræ, æquat quinquagies. Inter ſtellas fixas multæ ſunt quæ 50. 70. 90. vel 100. partibus ſunt maiores vniuerſa terra; & nulla eſt, quæ non ſuperet eam ſaltem 18 partibus, vt Aſtronomi tradunt, & tamen tanta cum orbe ſuo pernicitate cietur,

vt

vt illæ, quæ circa Equinoctialem ſunt ſingulis horis ſupra 40 milliones milliariorum percurrant;ac proinde ambitum terræ conficiant bis millies hora vna; ſi vel vnum ex aſtris iuxta terram tant velocitate per aerem raperetur repente omnia diſſiparentur,montibus radicitus euulſis,& vna cum terra,& mari in puluerem diſtractis,& comminutis;Magna videtur celeritas globi tormento excuſſi; ſed ſiquis bene rationem ſubducat, hic,& ſi vniformiter volet vix centum horis ſemel ambitum terræ conficiet. Experientia enim conſtat vno horæ minuto vix tria milliaria conficere, itaque vna hora percurret milliaria 180 centum horis octodecim millia milliaria, quæ nondum implent ambitum terræ, vt qui iuxta veriorem ſententiam ſit nouendecim millium, & 80. Quare lõge plus ſol vna hora conficit ſpatij, quã globus tormenti quinque millibus horarum abſolueret; Celeritas autem ſtellarum fixarum circa Equinoctialem eſt quadragecuplo maior, quam ſit celeritas ſolis. Hæc & alia plura admiranda leguntur apud Aſtronomes.

§. 43 De Altitudine, & profunditate aſtrorum, ſiue diſtantia ab imo ad ſupremum terminum cuiuſcumque corporis Cęleſtis mirabilia narrantur apud Aſtronomos. Hi enim primo docent terram à concauo firmamenti, ſiue Cęli 8, & ſtellati diſtare 80 millionibus milliarum cum medio millione;Spiſſitudinem vero firmamenti eſſe eandem ſcilicet 80 millionum. Quanta ergo debet eſſe diſtantia ſpiſſitudo, & amplitudo Cæli noni, 10, & empyrei? Secundo docet quodlibet punctum Equinoctialis; & quamuis ſtellam in equinoctiali poſitam ſingulis horis conficere 42 milliones milliarium, & inſuper tertiam partem millionis, hoc eſt tantum quantum eques 40 milliaria quotidie conficiens poſſet 2904. annis conficere, tantum tantum quantum ſi quis vna horabis millies ambitum terræ obiret, & circumcurreret longe plus ſpatij conficit. Inde deducunt, ſi lapis molaris inciperet deſcendere à concauo firmamenti verſus terram opus haberet 90 annis, vt terram attingeret, & decideret etiam ſi ſingulis horis caderet, ac deſcenderet ad 260 milliaria naturaliter non poſſet amplius ſpatij tranſmittere diuide enim 160 milliones (tot enim ſunt à terra ad conuexum firmamenti, vt dictum eſt) in dies, & annos dando cuicumque horæ 200 milliaria, & inuenies ita ſe habere; ſed pergamus ad vtiliora.

44 Corpora cæleſtia (attenta ordinaria Dei potentia) eſſe incorruptibilia in ſuperioribus ſæpe viſum eſt; at quomodo intelligendæ ſunt ſacræ ſcripturæ, quæ videntur oppoſitum definire nundum declaratum eſt; Iob Cap. 14. ait homo cum dormierit non reſurget, donec atteratur Cælum, & Iſaiæ ſi Cæli, ſicut fumus liqueſcent;Dauid in Pſal. 101. opera manuum tuarum ſunt Cęli, ipſi peribunt &c. Matth. 24. Cęlum, & terra tranſibunt &c. Lucæ 21. ſtellæ cadent de cęlo D. Petrus 2. Epiſt. Cap. 3. ſcriptum reliquit cælos igni eſſe reſeruatos in diem Iudicij; & eodem die magno impetu tranſituros &c. ex his, & alijs ſacræ ſcripturę libris liquidò patet, quod cœlum aliquando ſit aliquo modo interiturum, & in aliam,quam nunc habet formam, ſtatumq, redigendum; D. Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. Dei Cap. 24. ſupradictum D. Petri locum expendens affirmat ſuperiores cęlos, in quibus ſunt aſtra ſupremo Mundi incendio neceſſe purgandos, ſiue purificandos, nec ab igne aliquatenus attingendos, ſed aereos duntaxat cælos, & elementa aquæ, & terræ conflagratione illius ignis eſſe renouanda, etenim eodem in loco Petrus ſignificat eoſdem cęlos, igne arſuros,qui olim diluuio pe-

derunt; quis autem neſcit aquas Noetici diluvij exceſſiſſe quidem montes omnes quindecim cubitis veruntamen à cęlis ſidereis longiſſime abfuiſſe? Hác Auguſtini doctrinam fere omnes ſequũtur Scholaſtici, vt videre eſt in eorum diſputationibus hac de re in 4. ſent. diſt. 48, qui cum ſcriptura inquit, fore, vt cęli ſeneſcant, atterantur, liqueſcant, tranſeant, & pereant, cenſent hæc, & alia eius generis, ſi quæ ſunt, non de cęlis ſidereis, ſed de aereis eſſe intelligenda, & interpretanda modo præexpoſito. Quare vt hoc, & alia, quæ in hac quæſtione difficultatem afferre poſſunt vno reſponſo enodentur, & expediantur omnia admonent duplicem cogitari opportere mutationem, & interitum, alterum, quo res mortales corrumpuntur, & abolentur amiſſa natura, quam habebant, qualem interitum negant Theologi Cœlis euenturum, alterum non verum, ſed qui vmbram tantum, & ſimilitudinem habet interitus, qui non eſt aliud, quam vacatio quædam à priori miniſterio, vſu, & opere, & variatio ſtatus, & condicionis.

48 Iuxta hoc fundamentum dicendum eſt ſecundum Theologos, & ſacrarum ſcripturarum interpretes quod peribunt Cęli, non vt Animalia, vt diſſoluantur, & eſſe deſinant, ſed quia in alium ſtatum transformabuntur omnibus, quæ nunc exercent, miniſterijs, functionibus, & effectibus vacuum, etenim hominibus, quorum cauſa ſunt conditi, e terra in cęleſtem, ęternamque felicitatem translatis non erit opus cęli motu, lumine, cęteriſque ſiderum commoditatibus, quibus præſens hæc mortalis vita fouetur, atque ſuſtentatur, retinebunt quidem elementa raritatem, & denſitatem, grauitatem, & leuitatem, nam propter has qualitates certum habent ordinem, certaque loca in vniuerſo: Seruabunt etiam qualitates actiuas, velut calorem, ac frigus; humorem, & ſiccitatem, ſine his enim, nec niſi miraculoſe, nec niſi imperfecte, & quodammodo æquiuoce conſtare poſſunt, non tamen hæ qualitates tunc exercebunt vires, & facultates ſuas, quia tunc nulla futura eſt generatio, nec corruptio; hæc enim perfectioni illius ſtatus repugnant; Ceſſabit autem illarum qualitatum actio Deo ſuſpendente earum vſum, & negante concurſuum ſuum cum illis qualitatibus ad agendum; hoc autem non videbitur incredibile conſideranti idem prorſus euenturum qualitatibus actiuis, quæ erunt in corporibus hominum poſt reſurrectionem glorificatis, ſimile quiddam etiã de cęlis, & aſtris ſentire conuenit: Seruabunt enim lucem, & ſplendorẽ ad illuminandum non ad calefactionem, vel quidpiam producendum; ſed vt à motu ſic ab hac quoque actione vacabunt; Quod vt crederemus aliquãdo futurum præmiſit Deus aliqua harum exempla, veluti cum tempore Ioſue Solis, & Lunæ motus cohibitus eſt; & ignis in fornace Babilonica vim vrendi, aut etiam calefaciendi non exercuit. His dictis audiamus D. Petrum loquentem 2. Epiſt. Cap. 3. v. 10. Cœli magno impetu tranſibunt non quidem amiſſione ſubſtantiæ ſuæ, ſed ceſſatione miniſteriorum ſuorum, ſuique ſtatus renouatione, elementa vero calore ſoluentur, hoc eſt ardore ignis æſtuantia à cunctis ſordibus pręſentis corruptionis velut aurum igne purificabuntur. Ita D. Auguſtinus lib. 20. de Ciuit. Cap. 24. Attamen omnia ex elementis mixta, & compoſita corpora, tam inanima, quam animata præter vnum hominem poſt diem Iudicij omnino interribunt, ſic vt nulla poſt id temporis ſint futura dicẽte D. Petro ibidem terra, & quæ in ipſa ſunt opera exurentur id eſt interibunt ſecundum ſubſtantiam.

De

De operibus, tertiæ, quintæ, & ſextæ diei, hoc eſt de Elementis, & Elementatis inanimatis, & Animatis. Cap. II.

De Elementis, tam in communi, quam in particulari. Art. I.

1 POſt Cœlos, aſtra, & ſidera cęleſtia ſequuntur Elementa, & quę ex ipſis conſtant conſideranda, debitus enim ordo expoſcit; Incipiendo igitur à ſignificato huius nominis elementum notandum eſt nomine elementorum nō venire principium, & initium cuiuscunque rei, quæ ſolent vocari elementa eius latiſſimo vocabulo, ſed ſtricto nomine venire quoddam corpus rationem aliquam ſpecialem habēs, ob quam dici debet elementum potius, quam alia corpora, quæ ratio ſpecialis hac definitione perfectę declaratur; Elementum eſt corpus, in quod alia corpora diuidi poſſunt, in quibus actu, vel potentia continetur, cum tamen ipſum in alia corpora ſpecie diuerſa diuidi non poſſit, ità Ariſt. 2. de Cœlo. Dicitur corpus, vt oſtendatur elementum, de quo agitur, eſſe corpus, vt diſtinguatur à materia, & forma ſubſtantiali, quæ quatenus ſunt principia prima, ex quibus omnia corpora naturalia fiunt, poſſent vocari elementa corporum naturalium; ſed non ad propoſitum, quia elementum proprie eſt corpus naturale conſtans ex materia, & forma; Dicitur; In quod alia corpora (intellige generabilia, & corruptibilia) diuidi, ſeu reſolui poſſunt via generationis, & corruptionis, quatenus ex aſijs corporibus corruptis generari poteſt elementum. Dicitur etiam; In quibus actu, vel potentia ſunt, quia ad hoc, vt aliquid in aliud reſolui poſſit proprie, illud in quod reſoluitur debet actu, vel potentia contineri in eo, quod in ipſum reſoluitur.

2 Vnde licet ex aere fieret ignis tamen ignis non reſoluitur, nec diuiditur in aerem, quia aer non continetur actu, vel potentia in igne; reſolutio autem, & diuiſio eſt in ea, quæ continentur in reſoluto, & diuiſo, ſed elementa (vt infra videbimus) virtualiter continentur in mixto, ideſt in corpore generabili, & corruptibili, ergo reſoluitur in ipſis; Dicitur; Cum tamen ipſum in alia corpora ſpecie diuerſa diuidi, & reſolui non poſſit, quia ſi poſſet non eſſet primum elementum, ſed potius illa alia corpora, in quæ diuidi poſſet, Dicitur; In corpora, & non in res, aut ſubſtantias, quia elementum corporeum quodcumque poteſt diuidi in materiam, & formam, quæ ſunt res, & ſubſtantiæ, non vero corpora, hoc eſt conſtantia ex materia, & forma; Dicitur; Deniq; ſpecie diſtincta, quia poſſunt elementa diuidi in partes ſuas integrantes, quarum quælibet eſt corpus, quia vero non habent partes integrantes diuerſæ rationis, propterea nequeunt diuidi in corpora ſpecie diſtincta. Vnum elementum non poteſt producere aliud elementum diſtinctæ rationis; eſt communis, quia nulla experientia conſtat vllum ex elemētis poſſe vllum aliud producere, quantumuis applicentur, & ſibi inuicem, & alijs quibuſcumque mixtis, & patet ex eo, quod quodlibet elementum, ſi habet vllam actiuitatem generatiuam habet ſine dubio virtutem generatiuam ſui ſimilis, ergo non diſtinctæ ſpeciei; Duo elementa nequeūt producere tertium elementum diſtin-

ctæ rationis. Verbi gratia ignis, & terra aquam, aut aqua, & aer ignem ob eandem immo potiorem cauſam; nam ſi vnum elementum non poteſt generare aliud elemẽtum diſtinctæ ſpeciei, quia habet virtutem generandi tantum ſibi ſimile in natura, ergo multo minus duo elementa diſtinctæ ſpeciei conuenient ad producendum tertium elementum diſtinctæ ſpeciei.

3 Secundum veritatem corpora cæleſtia, & elementa conueniunt in hoc, quod hæc, & illa non tantum componuntur compoſitione metaphyſica ex genere, & differentia, ſed materia, & forma, quæ eſt compoſitio phyſica; de qua re ſatis ſupradictum eſt; multum etiam differunt, nam corpora cæleſtia ſecundum ſe tota, & ſecundum partes ſunt ingenerabilia, & incorruptibilia ſecundum potentiam naturalis Agentis, quia eorum forma ſic prædominatur materiæ; vt non ſinat eam recipere peregrinas impreſſiones corruptiuas. Ideo non inuenitur Agens naturale, quod eá valeat immutare, & tranſmutare; Quod non verificatur de Elementis, quæ quãuis ſecundum ſe tota non poſſunt naturaliter generari, nec corrumpi, tamen ſecundum ſuas partes generantur, & corrumpuntur, vt patet per experientiam; Differunt etiam in figura, quia figura cæli eſt circularis elementorum vero ſingulorum non, vt patebit infra diſcurrendo per ſingula. Alexander Alenſis, D. Thomas, Auerroes, & ſimplicius addunt tertiam differentiam ex parte materiæ dicentes materiam cæli, & materiam ſublunarium eſſe alterius rationis, quæ opinio, quamuis ſit probabilis oppoſita tamen, quæ eſt Doctoris ſubtilis eſt probabilior & verior.

4 Quattuor ſunt elementa, Ignis, aer, aqua, & terra, nec plura, nec pauciora, ſic ſtatuerunt poſt Hipocratem, Plato, Ariſtoteles, & Platonicorum, nec non Peripateticorũ conſenſus vnanimis; probatur primo ex quadruplici primatiarum qualitatum varietate ſcilicet caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & ſiccitatis; e quibus coniugationes quaternæ, multiplici inter ſe fęderis nexu ſociatæ, ac ſingulis elementis accomodatæ efficiuntur, nam terra ſicca eſt, & frigida, aqua frigida, & humida, atque hæc duo elementa licet per humiditatem, & ſiccitatem ſibi aduerſentur per frigiditatem tamen iunguntur; Aer humidus, & calidus eſt, & cum aquæ contrarius ſit calore, ei tamen per humiditatem copulatur. Ignis calidus & ſiccus, aeri reſiſtit ſiccitate, cum quo tamen calore nectitur, & ita fit vt ſingula elementa duo ſibi hinc inde vicina ſingulis qualitatibus, velut quibusdam amplectantur vlnis; Aqua terram frigore, aerem humiditate, aer aquam humiditate, ignem calore, ignis aerem calore, terram vero ſiccitate; At hæc vinculorum varietas, ſine qua Mundi armonia nullatenus cohereret non niſi inter quattuor elementa eſſe poteſt; ſecundo probatur ex quattuor humoribus ſanguine, flauabili, atrabili, & pituita, ſimiliterque ex quattuor temperamentis ſanguineo, bilioſo, melancholico, phlegmatico, quæ omnia quattuor elementis conuenientia reſpondét. tertio probatur ex qualitatibus motricibus, quæ item quattuor cẽſentur, nempe ſumma leuitas, grauitas ſumma, leuitas media, & grauitas media, quæ pariter quattuor elementis applicatæ conueniunt.

5 Vnum totum elementum ab alio tranſmutari non poteſt, vt tota aqua non poteſt conuerti in ignem, nam ad hoc, vt vnum elementum aliud totum in ſe ipſum conuerteret totam ipſius regionem peruadere deberet, quod naturæ ipſius elementi repugnat, ac vniuerſi bono obeſſet, natiua namque ſede

diſce-

diſcederet; ac principia generationis auferret. Conceditur tamen quodlibet elementum ex quouis immediate generari poſſe ſecundum partem, quia tunc non haberent locum prædicta impedimenta, & inconuenientia; Item vbicumque contrarietas reperitur, ibi eſt pugna vſque ad interitum minus potentis, ſed inter omnia elementa eſt cõtrarietas, ergo alterum cum altero pugnans ab ipſo ſuperabitur; ſuperans autem ſibi ſimile producere intendit, & ſic ignis cum aqua contrarietatibus pugnans, eam in ignis naturam conuertet; Similiter aer cum aqua; quod quidem maxime verum eſt de elementis ſimbolis cęteris paribus,nam vbi eſt ſufficiens cauſa actionis, & vnionis, ibi eſt facilis tranſmutatio, hæc autem inter elementa ſymbola potius, quam inter diſſymbola reperitur ergo. Pro clariori notitia notandum eſt, quod illa elementa dicuntur ſymbola, quæ habent cognationem ad inuicem, idest quæ in vna qualitate conueniunt, vt ignis, & aer, diſſymbola vero ſunt,quę in nulla qualitate conueniunt, nec vllam inter ſe habent cognationem, vt ignis, & aqua aer, & terra.

6 Communiſſima fuit ſententia ante Cardanum, & eius ſequaces, & nunc quoque probabilior elementum ignis eximię magnitudinis(cuius figura quoad conuexum, & concauum eſt ſpærica craſſities ſecundum Mathematicos 120578. milliarium) ſitum eſſe proxime ſub concauo orbis Lunæ ſupra aerem velut in propria ſede in hoc vniuerſo ſibi competente eſt Ariſt. in pluribus locis, & Scoti in 2. ſent. diſt. 17. q. 2. & in 4. q. 2. diſt. 47. & probatur ſic, ille eſt locus naturalis corporum ſimplicium, ad quem naturaliter illa feruntur, eorumque partes, ſed partes ignis feruntur ſupra aerem, ergo eius locus naturalis eſt ſupra illum in concauo lunæ maior eſt certa, & minor patet ſenſibus; Ille ignis exiſtens in concauo lunæ mouetur circulatiter ad motum ſphærę eiusdem Lunæ, ita Ariſt. 1. Metheor. quod & ex eo probat, quia cometæ, qui ſecundum ipſum in elementari regione ignis, vel aeris gignuntur, & diuagantur in orbem, duci cernuntur; qui motus, nec illi eſt naturalis, nec violentus, ſed neuter, quia nec eſt ſecundum naturam ſic mobilis, nec cõtra naturam eiusdem, ac proinde dici ſolet præter naturam, ſeu innaturalis, & talem motum in perpetuum durare nullum eſt inconueniens, orbis Lunæ non patitur ab illo igne, qui non indiget pabulo; Calefacit tamen aerem ſibi inferiorem; & facit in illum diuerſas impreſſiones, de quibus in Metheoris. Ignis apud nos exiſtens eſt verus ignis elementaris eiusdem ſpeciei cum ſuperiori, ita exiſtens in materia, vt nullam ſecum admittat formam ſubſtantialem; probatur nam licet hi duo ignes differant ſecundum varia accidentia, vt ſecundum raritatem, & denſitatem, & admixtionem aliorum corporum, vel puritatem, & alia accidentia; quæ ſe tenent ex parte materię,in qua ignis reperitur, tamen in accidentibus ex parte formæ ſe tenentibus non differunt ſcilicet in qualitatibus actiuis, & motiuis, vtrique enim conuenit calor, & motus ſurſum; Cum igitur ex his qualitatibus colligenda ſit identitas eſſentiæ quæ ſe tenent ex parte formæ,non materiæ cõſequenter concludendum eſt, quod sũt eiuſdem rationis & ſpeciei, atque adeo non admittere ſecum aliam formam ſubſtantialem ſpecificam.

7 Nihil eſt eorum, quæ intra Lunæ ambitum continentur, in quo pleniorem, & illuſtriorem rerum cęleſtium, & diuinarum ſimilitudinem, illa, quam in igne cernere licet; Sanctiſſimi (ait D. Dionyſius Areopagita lib. de cęleſti

Hierarch. Cap. 15.) qui de Deo locuti ſunt viri ſummam illam, & nullis obnoxiam figuris ſubſtantiam varie in igne deſcribunt, quippe qui diuinę proprietatis (ſi dici liceat) in rebus viſibilibus plurimas ſeruat Imagines; Nempe enim ignis ſenſibilis in omnibus (vt ita dixerim) eſt, & per omnia ſine vlla ſui admixtione proficiſcitur, & ab omnibus prorſus excipitur; Cumque lucidiſſimus ſit, ipſe tamen non admotam materiam, in qua ſuam vim, ſuumque oſtendat officium, in ſe ipſo occultus atque incognitus manet, neque patet aſpectui, ipſe omnia ſuperat, & ea, quibus inſederit, in ſuum traducit officium, omnibuſque quomodolibet ſibi appropinquantibus ſui conſortium tradit, renouat omnia calore vitali, fulgoribus apertis illuminat; teneri, miſcerique non poteſt diſcernendi vim habet, atque in mutabilis eſt, ſuperiora ſemper petit, & in acumen tendit, agilis, celer, ſublimis, nullaque vi, vt inferiora peteſſat, adigi poteſt; Hæc ſunt verba D. Dionyſij loco citato vbi ad hoc plura alia inuenire licebit.

8 Hic diuina prouidentia maxime elucet, qua rebus mortalibus, & caducis mire conſultum eſt; Nam quia ignis per neceſſarius eſt Mundo, eiuſque vis & vſus per cunctas ferme res, tam naturales, quam humanas permeat, Propterea Deus ne rei tam neceſſariæ vnquã mundo deeſſet copia, facillimam ignis generationem fecit; naturam item dedit igni maxime fertilem, ſuique fœcundam; ſe namque ignis parit, & multiplicat minimis creſcens ſintillis, paruoque ortu, niſi ei deficiat materia in immenſum extenditur, & auidiſſimam voracitatem vndecumque ſine damno ſui paſcit; Quis enumeret tam multa, & varia ignium genera per omnem Mundum a Deo ſparſa? Quantum ignium ſidera, ſol maxime procreant; Quis æſtimaret immenſitatem illius ignis elementaris, quem philoſophi ſub Lunæ orbe collocant? Quam crebri, & multiformes ignes generantur in ſuprema aeris regione? Quantum fulgurum, & fulminum in media? Super terram vero, quis memoret tot, & tam varias ignium formas, tum naturalium, tum artificialium, at ne defectio materiæ copiam ignium minueret, plurima condidit Deus, & quaſi comparauit ad ignem facillime concipiendum, tenaciſſime ſeruandum, copioſiſſime alendum, ampliſſime dilatandum maxime, Idonea velut eſt oleum, cera, pix, ſulphur, & quæ vix numerari queant? lignorum diuerſa genera, & alia pluraque his ſimilia.

9 Inſuper non eſt ſilentio concedendum Deum ad multa edenda miracula ignis miniſterio eſſe vſum; primo ad arcendum primum hominem ab ingreſſu Paradiſi terrificum, & maxime formidabilem ignem in eius loci aditu collocauit Gen. 3. Deinde igne vſus eſt ad vindicanda hominum immaniſſima ſcelera, ſic ſceleratam illam Pentapolim imbre ſulphureo, igneoque funditus deſtruxit, & in omne æuum perdidit Gen. 19. ſic etiam puniuit participes ſeditionis, & rebellionis Dathan, & Abiron aduerſus Moyſen, & Aaron Num. 16. ſic Helias igne cęlitus deuocato duos quinquagenarios peremit 4. Reg. Cap. 1. Poſtea vſus eſt igne ad inſinuandum miſterium aliquod, cuius modi fuit ignis ille viſus Moyſi inflammans rubum, ſed eum minime conſumens Exodi 3. ſic inſinuabant equi ignei, et currus igneus, quo Helias in cœlum eſt ſublatus 4. Reg 2. Ad hæc ad præmonſtrandum Hebræis in deſerto, dirigendumque iter columnam ignis prætulit nocte illis prælucentẽ Exodi 13. Præterea vt ſigno externo demonſtraret Deus placere ſibi ſacrificium, quod ipſi offereba-

Digitized by Google

rebatur igne demiſſo ipſum cremabat, totumque conſumebat, ſic accidit ſacrificio Abel Gen. 4. Dauidis primo Paralip. Cap. 21. Salomonis lib. 2. Paralip. Cap. 7. & Heliæ in monte Carmelo ad remouendum Iudæos ab Idolatria; Ad extremum ingens miraculum oſtendit Deus in igne illo Babylonico, in quem tres illi Iuuenes manibus, pedibuſque colligatis fuerant coniecti, ſcilicet prohibens, ne ignis ille Sanctos Iuuenes, quos circumdabat, & circumplectabatur, vllatenus aduireret, vel moleſtia aliqua afficeret.

10 Aer eſt elementum neceſſarium ad tuendam vitam, & fere nihil eſt eo magis neceſſarium; qui præterquam, quod volatilis naturæ, luminis, vocis, & imaginum, quæ in ſenſus feruntur, vehiculum eſt, vitalem, ac ſalutarem ſpiritum præbet animantibus, eiuſque reciprocatione, ita natiuus calor indiget, vt ea inhibita, & impedita confeſtim oppreſſus intereat; Vnde ſapienter dictum eſt aerem eſſe noſtrorum corporum veluti pabulum; & ſine am biente nos aere nec morbum tolli vllum poſſe, nec ſanitatem conſtare; Quin nec ipſe ignis, ſine aeris afflatu, ſeu ventilatione diuturnus eſſe poteſt; Hinc eſt enim, quod obturato fornacis ore latens flamma paulò poſt extinguitur; nec vero aeris beneficium tollit, aut impedit, quod aer ſit locus conflictus ventorum, & Regnum, in quo quaſi turbulēti ciues tum vltus, ac ſeditiones commouent; Licet enim eorum agitatio, & procella mortalibus interdum officiat; Longe tamen vberior per eos vtilitas importatur, dum nubes excitant, & ad opportunam terrarum irrigationem nubes in aquas ſoluunt, aut eaſdem alterna vice ad ſerenitatem toto Cœlo abigunt; & dum naues ad diuerſarum gentium commercia impetu ſuo vehūt; dum leni aura æſtiuum calorem mitigant; Dum anni partes tempeſtiua viciſſitudine temperant, dum grauioris, ac minus puri aeris ſpiritus purgant, aliaſquè eiuſmodi comoditates prēſtāt; Accedit quod aer calidus, & humidus eſt; Humidus quidem ſummo gradu, calidus non in ſummo, ſed tamen in excellenti; quæ qualitatum coniugatio, cęteris præſtantior videtur. Vnde animantium vita in calido, & humido conſiſtit teſte Ariſt. in libro de Iuuent. & ſeneſt.

11 Aeris elementum eſt intra concauum ignis elementaris, ideoque quoad conuexum eſt figuræ ſphericæ, licet non quoad concauum; Hoc aeris elementum in tres diſtribuit regiones Ariſtoteles 1. Metheor. ſupremam, mediam, & infimam terræ, & aquæ conterminam; Hæc infima regio nobis proxima deſignatur à ſupſicie terrę, & aquę vſque ad certum terminum altitudinis, ad quem perueniat notabilis reflexio ſolarium radiorum, & ſupra quam cogantur nubes, & pluuiæ generentur, itaque vbi extinguitur vis reflexionis caloris, & luminis ſolaris, ibi deſinit tractus huius infimæ regionis aeris; Media regio deſignatur ab hoc termino vſque ad alium, intra quos coguntur nubes, & gignuntur pluuiæ, & generantur glacies. Totum denique aeris reſiduum, quod ſupra iam deſignatam mediam aeris regionem extollitur, & vſq; ad concauam ignis ſuperficiem porrigitur, conſtituit ſupremam aeris regionem; Prima, & ſuperior regio ob ignis viciniam, & propinquitatem pluſquam eius natura poſtulat, calida eſt, & ſicca, & etiam quia attingitur à celeſti vertigine in ea præſertim ſententia, quæ motum cęleſtem ſtatuit cauſam caloris. Infima regio eſt partim calida ob reflexionem caloris, & luminis ſolaris, partim frigida ex propinquitate terræ, et aquæ, nam extremæ regionis ſtatus naturam

Digitized by Google

elementorum vicinorum ſapiunt; Media autem regio abſolute frigida eſt, vt conſtat ex iugis Montium, in quibus nix per totum annum manet, et in eo ſtigore durat perpetuo.

13 Aquæ elementum plurimum comendatur à D. Ambroſio lib. 3. Hexam. Cap. 5. in illo Maris encomio, vbi ait bonum Mare tanquam Hoſpitium fluviorum, fons imbrium, deriuatio alluvionum, inuectio commeatuum, quo ſibi diſtantes populi copulantur, quo præliorum remouentur pericula, quo Barbaris furor clauditur; ſubſidium in neceſſitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, ſalubritas valetudinis, ſeparatorum coniunctio, Itineris compendium, transfugium laborantium, communicatio vectigalium, ſterilitatis alimentum, & alia plura encomia enumerat iſte Sanctus, quæ ob ſtudium breuitatis relinquuntur curioſis legenda; Et quanta ſit aquarum vtilitas teſtantur medici, experiuntur ægroti, Quædam oculos iuvant, quædam ſanguinem ſupprimunt, aliæ neruos rigentes laxant, & molliunt; aliæ vero laxatos aſtringunt, aliæ medentur vlceribus, aliæ viſcerum querelas leuant, & moderantur, Aqua ſtatim ex vaporibus genita per imbres multiplicem vtilitatem nobis affert, aerem enim refrigerat, corpora viuentium reficit, potum animantibus ſuppeditat, terram irrigat, & reddit fructiferam; terra enim ſine aqua prorſus eſſet arida, ſterilis, informis omni gratia, & ornatu deſtituta; & hominum animantiumque habitationi inepta; Elementum aquæ vnicum globum efficit cum terra ex diuina diſpenſatione, alioquin terram ambire deberet; & probabilius eſt aquam elementalem eſſe depreſſiorem terra, quippe quæ intra limites coarctatur ne ſuperfluat Deo ſic diſponente. Qualitatem propriam habet frigiditatem cum temperata humiditate.

13 Dignificant aquas portentoſa facta diuina, & miracula operata in aquis varijs temporibus, & primum ſit generalis illa aquarum eluuio, quæ omnem terrarum orbem aquis, vel celſiſſimos montes 15 cubitos ſupergreſſis altiſſime inundauit. Nilus Aaronis percuſſus virga protinus aquas ſuas vertit in ſanguinem; Mare rubrum ſimili ratione diuiſum, & loco cedens medium alueũ ſuum Hebræis comodauit ad tranſitum ſiccis eorum veſtigijs conſignandum; Iordanis retorto curſu, & ad fontes ſuos refluens Hebræis ſe calcandum, & permeandum exhibuit; Amariſſimæ Aquæ iniectu cuiuſdam ligni in dulces, & potabiles ſtatim mutatæ ſunt; ex petra, & aſini Maxilla repente ad Sampſonis, & Populi Hebræi potum largiſſima ſcaturiuit aqua; Bis pallio Heliæ diuiſus Iordanis prophetarum pedibus tranſgreſſus eſt, ferrumque intra viſcera ſua conditum iuſſu Eliſei extra aquas ipſe ſuas euomuit; In agro hiericuntino fons quondam fuit vber aquis, ſed hominibus peſtilentibus, quæ ſalis aſpergine, & Eliſei benedictione ita ſanatæ, & in melius commutatæ ſunt, vt deinceps hominibus dulciſſimum, ac ſaluberrimum darent potum, & agris fertilitatem, atque amænitatem afferrent; Saluator noſter ſuper Mare tyberiadis ambulauit, non ſecus per liquidas, fluxaſque vndas, quam per ſolidam, firmamque terram ingreſſus; atque in eodem lacu atrociſſimam tempeſtatem ventibus, & fluctibus imperans ſubito compreſſit, vt veriſſime de eo cecinerit Dauid tudo minaris poteſtati maris motum autem fluctuum eius tu mitigas; nota ſunt ex hiſtorijs Eccleſiaſticis hoc loco memoranda, Nauem in quam Beata Martha cum ſorore Magdalena fratre Lazaro Marcella pediſequa, & Maximino à Iudæis impoſiti fuerant velis ac remigio deſtitutam vaſtiſſimo-

que

que Mari ad certiſſimum naufragium commiſſam Deo gubernante Maſſiliam ſaluis omnibus eſſe appulſam; Illud itẽ luculentiſſimum fuit Miraculum cum Beatus Clemens alligata ad collum anchora in profundũ deiectus eſſet Chriſtianis ad litus orantibus Mare ad tria milliaria receſſit, eoque illi accedentes ædiculam marmoream in templi formam, & intus arcam lapideam vbi Martyris corpus conditum erat, & iuxta, anchoram, qua merſus fuerat, inuenerunt.

14 Terræ elementum non caret ſuis prærogatiuis, & quidem ſingularibus, nam & ſi, vt ſitu, ita etiam natura ſua infimum in hoc Mundo locum habeat, ea tamen tam multis, & pręclaris à Deo rebus quaſi dotata, & ornata eſt, vt inter omnes elementaris Mundi partes facile principatum obtineat; Nam ea eſt tam varia facie, & multi formi eius partium diſtinctione, & diſpoſitione, vt viſu nihil pulchrius, aut iocundius eſſe poteſt; Eſt enim terra montibus ſublimiter ardua, vallibus humiliter depreſſa, campis æquabiliter plana, collibus molliter elata, ſpeculus multipharìam caua, tot, tantiſque fluminibus, lacubus, ſtagnis, fontibus ad fertilitatem ſimul, & amœnitatem irrigua Mari partim circumfluo, partim varijs locis magna ipſius pulchritudine, & hominum magna vtilitate interfluo; Virens herbis, decora floribus, fœcunda fructibus, veſtita arboribus, altiſſimis, denſiſſimiſque inumbrata, atque opacata ſiluis, tanta multigenorum Animantium diuerſitate habitata, tanta ædificiorum varietate amplitudine, & magnificentia exornata, tanto mortalium ſtudio diligentia, & artificio tractata, & culta. Nec minus ſunt mira, quæ intra viſcera ſua includit, & occultat ſcilicet immenſos theſauros; pretioſiſſimarum rerum diuitias dico, & delicias, omnemque humani luxus, & faſtus materiam, & metallorum opulentiam; tam varia, tam diues, tam fœcunda tot ſęculis ſub oriens; Cum tantum quotidie orbe toto populentur ignes, ruinæ, Naufragia bella, & fraudes, tantum vero Luxuria, tot mortales conterant; gemmarum, pictura tam multiplex, lapidum tam diſcolores maculæ, interque eos candor; Medicatorum fontium vis &c.

15. Scriptura ſacra Eccleſiaſtici 40 Matrem hominum terram appellauit, non tam, vt comendaret terram, quam vt noſtram deprimeret ſuperbiam, viliſſima omnium mortalium è terra origine ante oculos poſita; Ceterum non immerito Matris nomine, & honore terra diguatur, hæc enim nos naſcentes excipit, natos alit, ſemelq; editos ſuſtinet ſemper, nouiſſime complexa gremio iam à reliqua natura abdicatos tunc maxime, vt Mater operiens etiam monumenta, ac titulos gerens, nomenque prorogans noſtrum, & memoriam extendens cõtra breuitatem æui; Diuina ſcriptura cum de terra loquitur tribus præcipue in rebus Dei potentiam, & ſapientiã admirari, & magnificare ſolet; Primum, quod tantam terræ molem ab initio quodam temporis ex nihilo in vſum hominum condiderit ſic apud Iſaiam Cap. 45. legitur. Hæc dicit Dominus creans cœlos, ipſe Deus formans terram; Ipſe Plaſtes eius non in vanum creauit eam, vt habitaretur, formauit eam. Secũdum cum terra ſecundum naturalem elemẽtorum diſpoſitionem tota ſubſidere, & ſubiacere aquis deberet eius tamen magnam partem Deus ſuper aquas extulit, vt comodum Animantibus præſertim autem homini domicilium, & pabulum exhibere poſſet; iuxta illud Pſalmi 135. qui fundauit terram ſuper aquas, & Pſalmi 23. elementum terræ ipſe ſuper maria fundauit illud, & ſuper flumina præparauit illud; tertium, quod

quod Deus terram tantæ molis tantique ponderis fecerit immobilem, ex quo eſt ab eo condita, nec tranſuerſum quidem vnguem loco ſuo vllam in partem mota fuerit, iuxta illud Pſalmi 92. firmauit Deus orbem qui non commouebitur.

16 Condidit quoque Deus in elemento terræ inter alia, Montes excelſos non caſu, aut neceſſitate materiæ, ſed ad vtilitatem quoque ſtirpium, atque Animantium, nec non, & adornatum, ac decorem terræ; etenim varietas collium, & montium eximiam terræ pulchritudinem, & decorem addunt; Verum ingens, & multiplex eſt montium vtilitas, multum enim montes cōferunt ad ſalubrietatem aeris, ad fertilitatem ſoli, ad maturitatem fructuum, ad coercendos, frangendoſque Maris fluctus, ad furorem ventorum refrenandum, ad generationem fontium, & fluminum, iuxta illud Pſal. 103. qui emittitur fontes in conuallibus inter mediū Montium pertranſibunt aquæ; Multæ item Arbores, multaque animantia non alibi, quam in montibus generari, paſci, & verſari ſolent; Valent præterea montes ad diſterminandas Prouincias & nationes; ſunt enim quidam montes Regnorum, & gentium quaſi limites, & termini, quo arduus, & difficilis trāſitus obſtat, ne aliæ Gentes alias bello appetere, & vexare aggrediātur, quem in vſum videntur Pyrenei Montes inter Galliam, & Hiſpaniam à Deo interpoſiti; Montes ex memorabilibus in ipſis operatis magnum decorem recipiūt; Adam in monte Caluariæ ſepultus eſt ſecundum plures doctiſſimos ſcriptores, Arca Noe ceſſantibus aquis diluuij in montibus Armeniæ reſedit, Loth incendio ſodomæ ſaluatus eſt in monte, Iſaac in monte ducitur à Patre immolandus; In Monte orans Moyſes vincit Amalechitas, legem accipit, loquitur cum Deo, ieiunat bis per 40. dies, veniam Populo impetrat, Elias in Monte Dei fruitur viſione; Chriſtus Dominus in monte tentatur, docet, orat, Apoſtolos eligit, transfiguratur in mōte, moritur, e monte cęlos aſcendit, & ſuper Diſcipulos in monte Syon mittit Spiritum Sanctum &c.

17 Superficies terræ cum Oceani ſuperficie, ſeu aggregatum hoc terræ, & aquæ, quod Mundum terreſtrę vocamus eſt ſphericæ figuræ, atque ob naturalem ſui grauitatem Vniuerſi occupat centrum ſic ſentiunt omnes Philoſophi, Aſtronomi, & Geographi; nec montes quantumuis magni, & excelſi, qui in orbe terreno reperiuntur terræ ipſius rotunditati minime obſtant, cum nullius ſint momenti ad tantam terræ molem, vt obſeruarunt, & demonſtrarunt Aſtronomi. Vnde non difficile admodum ipſius fuit ambitum huius terreſtris mundi certa dimenſione definire, ac totam inſuper ipſius ſuperficiem & profunditatem; in quibus tamen dimēſionibus non conueniunt, qua varietate relicta, id, quod communiter aſſeritur, non erit alienum à veritate affirmare ſcilicet ambitum terreſtris globi eſſe milliarium 5400 Germanicorum, & Italicorum 22320, ac diameter ſeu craſſitudo globi terreni milliarium Germanicorum 1718 Italicorum vero 7556 circiter; Vnde clare conſtat mundi terreſtris ſuperficiem non eſſe immenſam, ſed poſſe totam ab hominibus luſtrari.

18 Vnde ſi terra ipſa eſſet vndique continuata, & ab aquis libera poſſet ab homine pedeſtri, vel equeſtri itinere circum ambiri in 900 diebus, hoc eſt in duobus annis cum dimidio ferè conficiendo quotidie 25 milliaria communia; tota terra diuiditur equaliter in quatuor partes ſeptentrionalem, meridionalem, orientalem, & occidentalem; ſecundo diuiditur in Aſiam, Europam, Afri-

Africam, & Americam. Vel tertio (pro vt ſubiacet ſpheræ Cœleſti) in quinque Zonas, nempe in torridam (antiquis inhabitabilem modernis habitatam) duas temperatas, & duas frigidas, quarum conſtitutio talis eſt, Zona frigida ſeptemtrionalis incipit à polo arctico, & terminatur ad circulum arcticum; A circulo arctico incipit Zona temperata, & terminatur ad circulum Cancri, & dicitur ſeptentrionalis; A circulo Cancri incipit Zona torrida, quæ tranſiens ſub Æquinoctiali linea terminatur ad circulum Capricorni; à quo circulo incipit Zona temperata meridionalis; & terminatur ad circulum antarcticum; à circulo antarctico incipit Zona frigida meridionalis, & terminatur ad polum antarcticum; Zonæ frigidæ non ſunt omnino inhabitabiles, vt putarunt Antiqui ob intenſiſſimum eorum frigus, quod eas quodammodo incultas reddat ob indirectum ſolis, & radiorum eius aſpectum. De qua re per extenſum conſulendi ſunt Geographi; ad quos remittimus curioſum lectorem, nobis ſatis eſt ſic breuiter tetigiſſe.

19 Quamuis omnia corporalia ſint compoſita ex elementis etiam animata, tamen elementa non manent in ipſis formaliter, nec ſecundum formas in ſummo, & perfectas, nec ſecundum formas remiſſas, non ſecũdum formas perfectas alias vnumquodque mixtum in ſe contraria formaliter, & in ſuo gradu perfecto haberet, quod impoſſibile eſt, nedum falſum: cum contraria, niſi in gradu remiſſo ſtare ſimul non poſſint, probatur conſequentia; formas ſubſtãtiales materiales conſequuntur contrariæ proprietates, vt leuitas, et grauitas, et motus contrarij, vt moueri ſurſum, & moueri deorſum, immo vnumquodque violenter moueretur, et violenter quieſceret, quod valde repugnans eſt ſi enim exempl. gratia elementum ignis tenderet deorſum, violenter moueretur, quia naturaliter tendit ſurſum; et elemẽtum terræ tenderet ſurſum violenter moueretur, quia naturaliter tendit deorſum, et idem ſequitur, ſi elementa manerent in mixto ſecundum formas imperfectas; cui additur, quod elementa in tali mixto ſecundum ſuas formas etiam imperfectas haberent ſuas operationes, & effectus formales quamuis imperfectos hoc autem eſt falſum, probatur falſitas, quoniam hoc mixtum, vt iſte lapis nullo modo calefacit formaliter, nec habet effectum formæ ignis, quod eſt ignire formaliter. Conceditur tamen elementa manere in mixto virtualiter eo modo, quo vegetatiuum, et ſenſitiuum ſunt in intellectiuo; nam Anima rationalis exiſtens vnica forma habet virtutem exercendi vegetiuam, & ſenſitiuam; Ideo mixtum dicitur terreum, aqueum, aereum, et igneum non formaliter, ſed virtualiter. Scotus in 2. ſent. diſt. 15.

20 Moyſes nullam mentionem fecit elementorum ignis, & aeris, quia inquit D. Bonauentura ſunt noſtris ſenſibus occulta, et Moyſes ea tantum appoſuit populo videri, quem docebat, quæ ſenſibus apparebant; eandem omnino cauſam reddit D. Thomas. De terra igitur, & aqua expreſſam mentionem fecit 1. Geneſis in 3. die Creationis inquiens. Dixit vero Deus congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum, & appareat arida, & factum eſt ita, & vocauit Deus aridam terram, congregationeſque aquarum appellauit maria; Ita Moyſes loco citato, et Verſu 9. pro cuius intelligentia aduertendum eſt, quod terra in ſuo primo ſtatu duplicem habebat deformitatem, alteram, quia erat inanis, ſeu inuiſibilis, eo quod erat aquis cooperta; Alteram, quia erat vacua, ſiue incompoſita carens decore, quem nunc habet ex plantis, quibus tã-

quam

quam veſtibus exornatur, & decoratur; Hæc autem duplex difformitas fuit à terra hoc die tertio ſublata, prima, cum dicitur congregentur aquæ in locum vnum, vt appareat arida; Altera, cum ſubditur germinet terra herbam virentem; in coronidem huius articuli erit ſermo de prima deformitate, & eius ablatione; ſecunda deformitas, & eius ablatio conſiderabitur in ſequentibus.

21 Primo itaque dicitur congregentur aquæ etc. Vniuerſa enim aqua, (vt inquit Philo de opificio mundi) in totam terram diffuſa erat, omneſque eius partes penetrauerat, quemadmodum ſpõgia humorẽ combibit; Ideo iubet Deus quicquid aquarum collectum in vnum confluere ex omnibus terræ foraminibus, tum aridam emergere abundanti in ea humore relicto, ne omnino exſiccata terra infrugifera, et ſterilis reddatur, vtque tanquam Mater non ſolum alterum alimenti genus cibum, ſed vtrumque ceu natis ſuis cibum, et potum præbeat; Quapropter venis mammarum ſimilibus exundauit, quę per cauernas editę fluvios, fonteſque profunderent. Congregentur aquę etc. In his Verbis inquit D. Griſoſth. hom. 3. in Geneſim vide Lector ordinem, et conſequentiam optimam, quia dixerat in principio terra erat inuiſibilis, et inculta, et quod tenebris. et aquis obtegebatur, et deinde iuſſit die ſecundo, quod eſset firmamẽtum, quod aquarum ſeparationem faceret, vocauitque firmamentum cęlum, nunc pręcipit aquis, quę ſub cęlo, hoc eſt ſub firmamento erant, vt in vnam congregationem conueniant, et faciant apparere locum aridę.

22 Cęterum ſi totum aquis plenum erat, quo modo inquit D. Auguſtinus de Geneſi contra Manicheos Cap. 12. poterant aquæ congregari in vnum? Verum iam ſuperius dictum eſt nomine aquarum materiam illam appellatam, ſuper quam ferebatur ſpiritus Domini; vnde erat Deus omnia formaturus; Nunc vero, cum dicitur congregentur aquæ, quæ ſub Cœlo ſunt in congregationem vnam, hic dicitur, vt materia illa corporalis formetur in eam ſpeciem, quam habent aquæ iſtæ viſibiles, ipſa enim cõgregatio in vnum ipſa eſt aquarum iſtarum formatio, quam videmus, & tangimus: omnis enim forma ad vnitatis regulam cogitur, vis ipſa formæ comendatur nomine vnitatis, hoc eſt enim vere forma, in vnum aliquid redigi, quoniam ſumme vnum eſt omnis formæ principium; & quod dicitur appareat arida; quid aliud dici intelligendum eſt, niſi vt illa materia accipiat viſibilem formam, quam nunc habet terra iſta, quam videmus, & tangimus? Superius ergo, quod nominabatur terra inuiſibilis, & incompoſita, materiæ confuſio, & obſcuritas nominabatur, & quod nominabatur aqua, ſuper quam ferebatur Spiritus Sanctus eadem rurſus materia nominabatur; nunc vero terra iſta, & aqua formantur ex illa materia, quæ ipſis nominibus appellabatur antequam formas iſtas, quas nunc videmus, acciperet, Ita D. Auguſtinus loco cit. & lib. imperfecto; ſuper Gen. ad litteram Cap. 10, & lib. 2. Cap. 11, & contra Aduerſarium legis, & Prophetarum lib. 1. Cap. 13.

23 Si Queras. Cum aquæ eſſent per totum, ſi totũ prius occupauerant aquæ ſcilicet quæ detractæ ſunt, vt terra nudaretur, in quam partem aut locum congregatæ ſunt? ſi enim erat aliquid terræ nudum, quo congregarentur, iam apparebat arida, nec totam abyſſum occupabat, ſi autem totum tenebant, quis erat locus, quo colligerentur, vt terræ ariditas appareret? Reſpondetur, quod per aquam non intelligitur aqua elementalis, ſed materia prima inuiſibilis, & informis, de qua tertia die formatatur

fuerunt elementa ſecundum eam ſpeciem, quam modo habent, vt dictum eſt ſupra, atque adeo non oportet dicere; quod terra eſſet cooperta aquis, & poſtea in vnum locum congregatæ, ſed quod in tali congregatione fuerunt productæ, ita D. Auguſtinus de Gen. contra Manicheos Cap. 12. & lib. imperfecto Cap. 10, & lib. 1. de Gen. ad litt. Cap. 13. & contra Aduerſarium legis, & Prophetarum lib. 5. Cap. 13. Alexander Alenſis 2. p. q. 51; Vel aliter reſpondetur, aquam prius habuiſſe denſitatem ſibi naturaliter conuenientem, ſicut habuit ſitum, & figuram, hoc autem tertio die fuiſſe magis denſam maxima ex parte, atque ita in minori loco contineri potuiſſe; facit huic opinioni fidem ipſum Mare, quod eſt elementum aquæ, quod denſius, & craſſius eſt quam alia quælibet aqua, ita quod denſitas, quam habet aqua naturaliter generata, vt fontium, fluminum, imbrium ea eſt, quæ naturaliter conuenit aquæ, quæ minor eſt denſitate maris, ſicque condenſatione facta recepta eſt in concauitatibus terræ; hæc igitur eſt cauſa ſiccitatis terræ, vt vult D. Auguſtinus vbi ſupra.

24 Hinc non admittitur opinio D. Baſilij hom. 4. in Hexam. D. Thomæ p. p. q. 69. art. 1. ad 2. & aliorum dicentium, quod aquæ in maiorem altitudinem ſunt eleuatæ in loco, vbi ſunt congregatæ, & ſic reliquerunt terram diſcoopertam, & aerem, quem ex loco illo expulerunt in locum, vbi ante erant occupantes terram, atque ita modo aer circundat terram pro ea parte, quæ antea aquis tegebatur; Non admittitur inquam, nam cernimus motum aquæ ſemper fieri in decliuiorem partem, & locum, flumina autem per terram decurrunt in Mare, quod ſi altius eſſet, quam terra profecto in eam, vt in locum humiliorem, & decliuiorem neceſſario defluerent, nam dicere Mare à potentia Dei teneri, ne defluat in terra ineptum eſt, & pueriliis inſcientiæ refugium; ponere ſine cauſa tantum, & tam perpetuum miraculum, certe ſine magno miraculo non poteſt aqua, quæ naturaliter grauior eſt aere, nec non fluxibilis, & labilis ita conſiſtere, vt partes eius ſubliniores terra, ad eam non delabantur, ſicut poſſunt partes terræ ſupra aerem eminentes conſiſtere videlicet propter partium eius firmitatem, & inter ſe ſolidam cõnexionem; Et certe inquit Caietanus, ſi quis dubitat terram, quæ apparet extra aquas eſſe ſuperiorem aquis non tam eget ratione, quam applicationem ad ſenſum. Videbimus etiam littora, & Inſulas aquis eminere, immo Inſulas plures in aqua natare, & multas locum mutare, ergo Inſulæ, terraque ipſa ſunt ſuper aquas, quod etiam patet ex ſacra ſcriptura Pſalm. 23. ipſe ſuper Maria fundauit eam (terram ſcilicet, & Pſalm. 135. qui firmauit terram ſuper aquas, & Pſalm. 106. qui deſcendunt Mare in Nauibus &c. ergo non Mare terra, ſed terra Mari eſt altior.

25 Dices quomodo, ergo dicitur Pſ. 103. ſuper montes ſtabunt aquæ. Reſpondetur ſtabunt, id eſt ſtabant aquæ, cũ ſcilicet (vti illo pſalmo præceſſit) aquę quaſi veſtis amicirent, & tegerent totam terram primo, & ſecundo Mundi die, ſed tertio hoc die ad vocem Dei fugerunt in vnum locum; tuncque Deus in terram fecit aſcendere montes, alibi depreſſit eam in Valles, alibi in planitiem, & Campos reliquit, vti in pſalmo ſequitur, idque fecit Deus tum ad varietatem rerum, tum vt montibus mare, & flumina quaſi muris continerentur, tum vt montes ſuas planities à tempeſtatibus, & turbinibus tutarentur, & ſuas pluuias, & aquas diſtillando fœcundarent campos; Inſuper fecit eodem tertio die cauitates ſub ipſa terra maximas; vti experientia

Digitized by Google

rientia deprehenſum eſt, eaſque impleuit maxima aquarum copia, quæ proinde à multis dicitur baratrum, vel Abyſſus, & per varios meatus cum mari coniungitur, putaturque eſſe Matrix, & origo omnium fontium, & fluminum, vtpotè quibus per venas, quibus terra eſt pleniſſima, aquam quaſi ſanguinem impertit. Cuius indicium eſt, quod vbicumque quis fodiat, ibi plenè ſemper inueniat, vt patet in puteis, quos vbique effodi videmus; Terra enim eſt Mater viuentium, & mixtorum; Vnde ſicut in Animalis, omniſque hominis corpore magna ſanguinis copia eſt in hepate, & corde, indeque per plurimas venas diſpergitur per totum corpus tam ſurſum, quam deorſum. Ita (ait Seneca lib. 3. naturalium quæſtionum Cap. 15.) ingentes illæ cauitates, ſiue voragines ſub terra per cuniculos quaſi venas per totam terram etiam altam, & montuoſam diſperguntur, & certis locis terræ in fontes, riuos, & flumina erumpunt; Quod ergo eſt hepar in homine, hoc eſt abyſſus hæc aquarum in cauernis terræ. Ex hac abyſſo prodiens aqua mixta cũ pluuia tempore diluuij Noe totam terram, omneſque Montes altiſſime oppleuit, & ſuperauit Gen. 7. Hinc rurſus D. Baſilius hic hom. 4. D. Ambros. lib. 2. Cap. 2. & 3. D. Ambroſius in Cap. 3. Abachuc docent omnia flumina, omnesque aquarum confluxus Oceano tandem vniri. Quin, & Mare caſpium, quod ſeparatum omnino videtur, per meatus ſubterraneos vniri Oceano arctico, ſic etiam Strabo, Plinius, & Dionyſius de ſitu orbis.

26 Abulenſis in hunc locum Gen. opinatur terram exſiccatam eſſe à vento quodam vehementer torrefaciente, quem tunc Deus immiſit, & Moyſes indicauit ſupra, cum dixit Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas; ſimili enim ratione exſiccata eſt terra poſt diluuium, vt patet Gen. 8. & inſuper fundum Maris rubri, per quod tranſiturus erat Populus Hæbreus, eodem modo exſiccatum eſſe patet Exodi 14. illis verbis cum extendiſſet Moyſes manum ſuper mare abſtulit illud Dominus flante vẽto vehemente, & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum, diuiſaque eſt aqua. Verum incredibile videtur poſſe ventum aliquem talem, ac tantum fuiſſe omnem terræ faciem altiſſime madefactam, & exſiccatam reddere tam breui tempore; Vel, vt verius dicatur, puncto temporis valeat exſiccare adeo, vt potens fiat plantas, & Animalia procreandi; Dicendum eſt, ergo ſegregationem hanc aquarum factam fuiſſe Dei omnipotentis virtute, vt ſacra ſcriptura multis in locis teſtatur, vt Pſalm. 32. vbi dicitur Cœli formati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum congregans, ſicut in vtre aquas Maris &c. & Pſal. 113. terminum poſuiſti; quem non tranſgredientur, & Iob 38. quis concluſit oſtijs mare, & Cap. 26. In fortitudine illius Maria congregata ſunt; Vbi iſta congregatio aquarum tribuitur ſoli virtuti diuinæ, & non alteri cauſæ; & ſimiliter dicitur fieri repente, quod de tanta mole aquæ ſol repente, neque ventus vrens perficere non poterat. Vt appareat arida; Non dixit (vt obſeruat D. Baſilius hom. 4. in Hexam.) vt appareat terra, ſed arida, nec rurſus eam inextructam, & incompoſitam oſtendat luto refertam, atque nundum aquis denudatam propria forma, facultateque recepta; & ne ſimul telluris exſiccandę ſoli nos cauſam tribuamus terræ ſiccitatem, ortu ſolis vetuſtiorem opifex fecit; vt virtuti eius huiuſmodi ſiccitatem aſſignaremus.

27 Et factum eſt ita, & vocauit Deus aridam terram; ſed non ne, & in principio terra nomen ſuum habuit? cum dictum ſit in principio creauit Deus Cœlum, & terram, Ita eſſe inquit Diuus Auguſtinus lib. 1. ſuper Gen. Cap. 13. & lib.

lib. 2. Cap. 2. at per terram de qua primo fiebat mẽtio intelligitur materia prima, nunc autem intelligitur ipſum elementum terræ; Vel poteſt dici iuxta illam regulam de anticipatione, qua multa, quæ poſt modum contingunt, dicuntur, vel narrantur ante facta quod in principio vocata eſt à Moyſe ſub nomine iſto terræ antequam à Deo illi tale nomen imponeretur, quia ſciebat Moyſes tempore, quo ſcripſit ſic vocari, licet tale nomen fuerit inditum poſt creationem eius, quam tunc referebat, ſicut in alijs multis rebus videmus contigiſſe, vocantur enim nomine, quod poſtea illis imponitur, quia tempore, quo liber ſcribebatur iam illud nomen erat commune; V. gratia tempore Noe aliqua animalia vocantur munda, aliqua immunda non quia tunc talia eſſent, ſed quia tempore Moyſis ſic appellata ſunt. Item Gen. 31. imponitur nomen Galaad, & Gen. 21. cuidam puteo imponitur Berſabee, ſed ante quam imponatur illi hoc nomen eodem nomine appellatur, atque ita de multis alijs exemplis, quæ patent in ſacra ſcriptura, quæ breuitatis cauſa relinquuntur, ſed notandum hic, vt docet D. Bonauentura in 2. diſt. 14. art. 3. q. 2. in expoſitione litteræ, quòd ſacra ſcriptura vocat eam aridam ſecundum proprietatem elementi, ſcilicet ſiccitatem.

28 Congregationeſq; aquarum appellauit Maria. Apud Hebreos, inquit D. Auguſtinus lib. 1. de Geneſi contra Manicheos Cap. 12. Beda, Nicolaus de Lira, Toſtatus in hunc locum cunctas aquarum congregationes, ſiue ſalſas, ſiue dulces erat in vſu appellare Maria, vt Mare Tyberiadis, Mare Galileæ, & tamen ſunt ſtagna, quia idem quod vocatur in Euangelio Mare Genezaret in alio loco vocatur ſtagnum Genezaret; Vel poſt dici, quod ſacra ſcriptura loquitur de Mari in proprio ſignificato; Significat enim ingentem aquarum cõgregationem, quæ & ſalſæ, & amaræ ſunt; Ideo dicitur Mare quaſi amarum; & propterea, nec ſtagna, nec lacus, nec flumina quantumcumque magna aquarum dulcium poſſunt denominari Maria niſi improprie; Dicuntur autem Maria in plurali quod etiam multi rami magni Oceani, quod radicaliter eſt vnum, dicuntur, & ſunt proprie Maria; Pro intelligentia clara nota, quod Mare Oceanũ dicitur quod totam, & vniuerſam terram ambit, diuiditurque in latum, ſeu Vaſtum; Sinuoſum, & Fretum Oceanum ſinuoſũ, ſeu Oceani ſinus ſunt Arabicus (qui etiam Mare rubrum vocatur) Perſicus, Gangeticus, Sarmaticus, ſiue Balticus, Mexicanus, ſeu Hyſpanus, & Adriaticus ſinus enim eſt littus curuũ ad ſinus ſimilitudinem, quod quaſi brachijs Mare cõplectitur ac recipit. Oceani freta duo numerantur Gaditanum, ſeu Herculeum, & Magellanicum; Fretum eſt Maris brachium anguſtum inter duas terras, ſic ab vndarum fremitu vocatum. Ceterum Magnum Mare, ſeu ingens illud Pelagus dicitur Oceanum ob eius velocitatem, quia magna velocitate per interiora Maria diſcurrit per totum orbem, tam veterem, quam nouum; tot nominibus appellatur, quot à vicinis terris, ſeu plagis ſortitur; ab Oriente dicitur Oceanus Indicus, ab Occaſu dicitur Atlanticus, & Magellanicus, à Septemtrione hyperboreus, & Mare glaciale vocatur, ad meridiem vero Meridionalis; Mediterraneum vero appellatur, quòd per Mediam terram ab Oriente in Occidentem protenditur, & tranſit.

De Elementatis, ſeu mixtis inanimatis, & Animatis Vegetatiuis. Art: II.

1 DAri de facto exiſtentiam mixtionis ipſamet oſtendit experientia; Vnde enim corruptio ab intrinſeco, niſi ex qualitatum elementarium intemperie in mixto? Mixtio ſecundũ nominis Etymologiam ſignificat conjunctionem plurium corporum confuſa quadam ratione, quo pacto accidentia in eodem ſubiecto, vt albedo, & dulcedo in lacte non dicuntur miſceri, quia non ſunt corpora, nec quando diuerſa corpora ordinate vniuntur ſcilicet, quæ ſunt vnius rationis ex vna parte; Hæc enim potius eſt quædam iuxta poſitum non mixtio; requiritur enim, vt aliquo modo confundantur; Mixtio eſt triplex impropria, propria, & proprijſſima; Mixtio impropria, per quam multa corpora, vel multæ particulæ eorum confuſa quadam vnione confunduntur ſecũdum approximationem localem immutatis vero, & manentibus omnino eorum ſubſtantijs; & hoc ſiue poſſint adhuc diſcerni, vt eſt mixtio ordei, & frumenti; ſiue non vt farina ex granis ordei, & tritici, Mixtio propria eſt, cum aliqua ita coniunguntur, vt per mutuam actionem, & reactionem communicent inter ſe qualitates, & ad certam temperiem ſe reducant, non tamen aliquod ſubſtantiale tertium diſtinctum reſultat ſic aqua calida, & frigida ad inuicem attemperantur, & ad tepiditatem ſe reducunt, tertia mixtio proprijſſima fit cum ex vnione aliquorum, et ex mutua ipſorum alteratione aliquod tertium ſubſtantiale diſtinctum reſultat, & de hac eſt nobis ſermo in præſenti propoſito; Ad hanc mixtionem tria concurrunt; primum eſt localis coniunctio eorum, quæ miſcenda ſunt, ſecundum eſt mutua eorum alteratio, per quam ſingulorum materiæ diſponuntur in eo gradu, & proportione, quam requirit forma mixti introducenda, ad quam alterationem cõcurrunt ſuo modo quattuor qualitates, tertium eſt introductio formæ mixti.

2 Ex his elicitur, et conficitur clara huius mixtionis definitio Mixtio proprijſſima eſt mutatio ſubſtantialis ad formam mixti ex miſcibilibus congregatis, et per mutuam alterationem diſpoſitis, atque corruptis, in qua virtualiter vniuntur, et continentur, Ly mutatio ſubſtãtialis ſtat loco generis, per ly formam mixti excluduntur generationes elementorum, in quibus elementis miſcibilia non vniuntur, nec continentur, per ly miſcibilibus etc. explicatur terminus à quo, per quem differt à generatione illius mixti, quod nõ fit ex præuia alteratione miſcibilium, ſed ex altero mixto immediate producitur, vt ſunt viuentia ex ſemine genita, quæ generatio non eſt proprie mixtio, Ly in qua continentur, explicat rationem formalem mixti, quę eſt continere non ſecundum ſuas integras formas ſubſtantiales, aut remiſſas, ſed virtualiter tantum ipſa miſcibilia; Mixtio, ſeu generatio mixti eſt duplex, quædam mediata, quædam immediata; prior eſt productio mixti ex mixto talis eſt productio viuentium perfectorum ex ſemine, quod eſt corpus mixtum, vt patet; poſterior eſt productio mixti ex corpore ſimplici immediate, ita quod forma ſubſtantialis mixti immediate ſuccedit formæ ſubſtantiali elementi, ſic forma Cinerum ſuccedit immediate formæ ignis in combuſtione; Mixtio eſt mutatio immo plures dicit mutationes, quod ſit mutatio probatur, quia fit ſucceſſio formarum in mixtione, et ſubiectum habet ſe, aliter per eam nunc, quam prius; quod plu-

Digitized by Google

res dicat mutationes, tam ſubſtantiales quam accidentales; probatur nam primo infert mutationem ſecundum locum elemẽtorum coeuntium in vnum, ſecundo alterationem, tertio corruptionem formarum elementorum, quarto generationem formæ mixti.

3 Mixtio eſt vere, & proprie generatio, cuius terminus formalis eſt forma mixti, terminus vero totalis eſt mixtum ipſum; terminus à quo, qui deſinit eſt forma ſimplex, non tamen omnis generatio eſt mixtio vt patet in generatione elementi ex mixto, quæ eſt ad formam ſimplicem, vt generatio lignis ex ligno. Miſcibilia ſunt corpora illa, quę apta ſunt coniungi, & ad mixtionem concurrere, ad mixtionem in quam, de qua eſt hic ſermo; Ad quæ miſcibilia plures requirũtur condiciones ab Ariſt. p. de Gener. text. 83. prima vt ſint actiua, & paſſiua ad inuicem, ratione cuius materia, & forma ſubiectum, & accidens, ſublunaria, & cęleſtia nequeunt miſceri. Secunda, quod poſſint facile diuidi accomminui in minutas partes, quia ſic facilius poſſunt ad inuicem agere, hinc ferrum, & lapis non miſcentur, tertia vt non ſint magna, & multa, nam ex magna rerum multitudine, vel mole difficile poteſt fieri mixtio, quia difficile alterantur, quarto vt proportionaliter miſceantur, ideſt vt habeant proportionem aliquam ſecundum actiuitatem, & reſiſtentiam, quia ſi actiuitas vnius multum ſuperat reſiſtentiam, alterius non fit mixtio, ſed auctio, vt in nutritione euenit ex alimento, & cum ex ligno fit ignis; Huiuſmodi miſcibilia propria ſunt omnia quattuor elementa, quia vere eis conueniunt omnes condiciones ſupradictę, & experientia conſtat ex commixtione elementorum, & alteratione, tertium aliud generari, quod eſt vnum per ſubſtantiale ad differentiam mixtorum, quæ reſultant ex primis duabus mixtionibus, de quibus ſupra, quæ ſunt mixta per accidens.

4 Mixta ex elementis duplicia ſunt, alia ſunt perfecta, alia imperfecta, perfecta ſunt, quæ productione mediata producuntur; vt mixta ex mixto vt ſunt omnia Animantia, de quibus; Mixta imperfecta ſunt quæ productione immediata producuntur, ſic quod in eorum productione forma ſubſtantialis mixti immediate ſuccedit formæ ſubſtantiali elementi, talia ſunt cometæ, fulgura, tonitrua, fulmina, exhalationes, vapores, venti, imbres, niues, glacies, & ſimilia, de quibus mẽtionem nullam fecit Moyſes in ſua Geneſi ob rationem, D. Thomæ dicentis, quod ea Moyſes non appoſuit, quæ non habent diſtintionem ab elementis, ſed quædam illorum ſpecies videntur. Idem dicendum de mineralibus, & metallis, de quibus mentionem pariter non fecit, quia in manifeſto non ſunt, nec apparent; Clara igitur, & manifeſta, & non ambigua narrauit illi Populo, vt ab omni errore eum auerteret; ſed poteſt eſſe alia ratio, quod Moyſes non omnia, ſed maxime nobilia Dei opera in ſua coſmopœia enarranda ſuſcepit; quocirca ſicut ſilentio involuit generationes montium vallium, camporum, collium, fontium fluuiorum, & lacuum, ita de mineralium productione mentionem non fecit; De metallis, & mineralibus loquens Seneca lib. 7. de naturalibus quæſtionib. ſic ait, quod ſicut in nobis ſunt plurima genera humorum, quædam neceſſaria, vt in oſſibus medullæ in capite cerebrum, aliqua corrupta, vt ſaliua lachrymæ vrina &c. ita in terra ſunt plura humorum genera, quędam, quę in lapides vertuntur, alia, quę maturè durantur, vt omnia metalla, alia, quæ putreſcũt vt bitumina, & ſimilia. Septem ſunt ſpecies, metallorum (ex Iſidoro lib. 4.)

ſine

ſtæ genera ſcilicet aurum argentum, electrum, plumbum, æs, ſtamnum, & ferrum.

5 Mixta imperfecta à Moyſe ob dictas cauſas non memorata in ſua Geneſi vtile, & iocundū putamus ſaltem notiora, & communiora hic aliqualiter, & breuiter contemplari eorum accuratam diſcuſſionem Philoſophis relinquendo; Incipiendo ab eorum origine exhalatione ſcilicet, & vapore dicimus, quod exhalatio ſit halitus terreſtris calidus, & ſiccus e terra virtute ſolis attractus; eſtque duplex, nam ſi terra eſt craſſa, & pinguis attrahitur exhalatio facile combuſtibilis propter materiæ tenacitatem, ob quam actio ſolis intenſius recipitur; Vnde ſurſum magis eleuatur, eſtque materia meteororum ignitorum, ſi vero terra ſit arida, nec habeat partes interſe multum hærentes fit exhalatio non tam facile combuſtibilis, nec tam altè euolat; & hæc eſt materia ventorū; Vapor eſt halitus quidam ſubtilis, rarus, humidus, & calidus ex omnibus aquis, ſiue marinis, ſiue fluuialibus, & ex terra humida, & madefacta vi ſolis, ſiue aliorum ſiderum attractus, & eleuatus; Cometa inter ignea metheora principalem obtinet locum, & eſt exhalatio terreſtris tenax eleuata ad locum, in quo apparet cometa, & inflammata per virtutem, aut ſuperioris partis aeris, aut ignis, aut alicuius planetæ, aut ſtellæ ſiue conſtellationis, & tandiu durat cometà, quam diu durat talis materia inflammata. Cometarum alius habet comam ſuam, à qua & nomen accipit, ex omniparte circumfuſam, & vocatur cometa crinitus, alius non niſi ex vna parte habet comam valde protenſam, ſic vocatur cometa caudatus; Alius habet talem comam protenſam non ita longam, & vocatur cometa barbatus; Effectus cometæ, ſeu ſignificationes eius, primo ſignificat ventos, ſecundò caliditatem, & ſiccitatem, tertio terremotum, quarto ſterilitatem fructuum, quinto inundationes aquarum, ſexto mortalitatem magnam animalium, ſeptimo contentiones, rixas, & bella, octauo mortem Principum, nono mutationes regnorum, decimo variationes legum, & ſectarum.

6 Vera fulgura, & vera fulmina differunt ſicut indicat Seneca lib. 2. natural. quæſtionum; fulguratio inquit ignem oſtendit, fulminatio ignem emittit, illa (vt ita dicam) comminatio eſt commotio ſine ictu, iſta iaculatio cum ictu; illa eſt fulmen non in terras vſque perlatum; hæc eſt fulgur vſque in terras perductum; Fulgur igitur eſt exhalatio ſicca, & calida intra nubem accenſa, & diſperſa abſque notabili impetu parumque durans; Fulmen eſt exhalatio ſimilis accenſa, ſed diutius durans, ac magno impetu deorſum, vt plurimum impulſa. Fulmen ex Scoto 3. Metaph. q. 2, art. 3. habet tres differentias accidentales, nam aliud penetrat, ſeu eſt penetrans, et terrebrans, quale eſt illud, quod cadens ſuper lignum non comburit ipſum, ſed per poros eius trāſit, et hoc eſt valde ſubtile; Aliud eſt diſſipans, quod ſcilicet abſque combuſtione diſſipat, et frangit corpora dura reſiſtentia, in quæ impellitur, et eſt valde conglobatum, et viſcoſum; tertium eſt adurans, quod ſcilicet comburit corpora, quæ ferit, et eſt exhalatio magis ignea, quam flammea; Fulmen penetrativum ob ſuā ſubtilitatem liquefacit gladium intra vaginam, ac pecunias intra peram, et incinerat oſſa intra carnem animalis in tactis vagina pera, et carne, ſecundo fulmen deijcit, ac frāgit corpora alia dura reſiſtentia: tertio relinquit odorem ſulphureum, et fœtidum; quarto, quod animantia, et plantæ a fulmine percuſſa, non niſi cum periculo

riculo comeduntur, ideo dicuntur venenoſa; quinto quod dolio vini combuſto vi fulminis, ac diſſipato vinum remaneat quaſi congelatum, & eodem modo, ac ſi intra vas contineretur; ſexto remouet venenum à venenoſis, quæ percutit, & efficit venenoſa, quæ non erant.

7 Tonitru eſt ſonus ille, quem audimus in aerem, quando generantur fulmina, & oritur, vel ex percuſſione exhalationis accenſæ ad latera nubis, in qua continetur, vel ex eruptione iſtius nubis facta per exhalatiunem, vel ex motu illius exhalationis cum impetu per aerem; Circulus ille ſatis notus ad ſenſum lacteus dictus propter ſimilitudinem, quam in candore habet cum lacte eſt vna pars Cęli aliquantulum denſior alijs partibus, & pluribus minutiſſimis ſtellis, quæ licet non videantur cõmuniter videri tamen poſſnnt beneficio tubæ opticæ. Admirabilis quoque ſemper eſt ſemicirculus ille Iris appellatus, qui tam frequenter in aere apparet varijs coloribus pulchro ordine illuſtratus; ſecundum omnes cauſatur ex reflexione radiorum Solis incidentium, vel in nubem roridam proxime conuertibilem in aquam, quæque nos reſpicit, vt lumen intra ſe recipiat, & ex altera parte aliquantulum opaca, vt poſſit melius repercutere lumen, vt communius dicitur, vel in guttas aquæ pluuialis minutim, & non copioſe cadentes, quæ propter frequentiam apparent cõtinuæ: Iris igitur fit ex reflexione luminis à Sole exeuntis, ideo non fit niſi in parte oppoſita Solis, nec videri poteſt, niſi ab ijs, qui inter ſolem, & partem illam, à qua fit reflexio, reperiuntur. Ad meridiem numquam iridem poſſumus conſpicere in hac plaga mundi exiſtentes, quia numquam poſſumus conſtitui, inter ſolem, & illam partem; Colores autem apparentes in iride non ſunt reales, ſed apparentes, quod ex alijs ſimilibus apparentijs colligi ſolet: ſunt autem præcipui tres puniceus, qui in parte exteriori, & ſuperiori arcus apparet; Viridis, qui in medio ſemicirculo totius arcus cernitur; & purpureus in infima parte interiori. Dicunt vero communiter hàc colorum diuerſitatem oriri ex varia commixtione lucis cum nube, Vniuerſaliter enim varij in aere colores ex tali commixtione lucis conſurgunt cum vapore, & exhalationibus. Itaque cum Iris habeat ſuas cauſas naturales, non eſt dicendum tunc primum eſſe factam à Deo cum eam poſuit in ſignũ, quod amplius non eſſet futurum diluvium, ſed potius fuiſſe ante ex cauſis naturalibus, & tunc poſitam eſſe in ſignum ex Diuino beneplacito eo fere modo, quo ſacramenta habent ſignificare gratiam, quam conferunt, & quo ædera ab hominibus aſſumitur ad tabernam vini ſignificandam.

8 Vapores ſublati in altum, vel ex leuitate ſua, vel ex attractione facta per calorem, aut aliam influentiam occultã Solis condenſantur in nubem, & poſtea reſolvuntur in pluviam, ſeu aquam, quę reducta ad ſtatum naturalem ſuapte proprietate deſcendit deorſum, & ſi deſcendat crebrioribus, & minutioribus guttis vocatur imber, ſi grandioribus nimbus; Nix, vt & pluvia vaporibus in altum eleuatis, & condenſatis fit nubes, quæ nubes ſi congeletur prius quam in pluviam reſoluatur, conuertitur in niuem, quæ eſt alba, & candida non quidem apparenter tantum, ſed veriſſime, cuius cauſa eſt frigus intenſum, Hinc habitantes niuoſa loca ſunt candidi, ſicut è contra habitantes ſub Zona torrida ſunt nigri; Grando fit ex pluvia, quæ dum cadit in terram congelatur tali modo, quali cernitur Glacies; Ros eſt aqua facta ex vapore valde ſubtili eleuato ſupra terram, ſed non ad magnam altitu-

di-

Digitized by Google

dinem, quæ inſenſibiliter cadit, & congregatur in guttulis. Super illas partes ſuper quas videtur, & non reperitur ſuper altos montes, quia vapor, ex quo fit non aſcendit tantum. Pruina non eſt aliud, quam vapor ille ſubtilis, ex quo fieri deberet ros concretus; Vnde ros, & pruina tam inter ſe, quam à pluuia, niue, & grandine probabiliter non diſtinguntur ſpecie. Glacies eſt aqua congelata ex nimio frigore an vero requiratur aliquid aliud eſt dubium.

9 Accedentes ad tractatum mixtorum animatorum ſupponimus ſcientiã, & cognitionem triplicis Animæ vegetatiuæ, ſenſitiuæ, & intellectiuæ, quam Philoſophi cum ſuo Ariſtotile tradunt in philoſophia, & illa conſiderabimus, quatenus tales creaturæ pertinent ad Theologiam, quatenuſq; de ipſis Moyſes locutus eſt in primo Geneſis vbi ſic ait. Et vidit Deus, quod eſſet bonum, & ait germinet terra herbam virentem &c. Ne dum terra inquit germinabat, ne dum, vel ipſa quicquam, vel animãtia viua produxerat, & tamen videre dicitur Deus, quod eſſet bonum cedentibus aquis apparuiſſe aridam, quia videlicet æquus æſtimator vniuerſitatis præuidens, quæ futura erant, quaſi perfecta iam laudabat, quæ adhuc in primi operis exordio ſunt; nec mirum apud quem rerum perfectio non conſumatione operis, ſed ſuæ eſt prædeſtinatione voluntatis; patet etiam manifeſta bonitas, ſeu vtilitas ſegregationis aquarum, ne totam occupent terram propter animalium terreſtrium conſeruationem; ac terræ fruges, et fructus; patet etiam hanc fuiſſe Cauſam ſeparationis aquarum, quam Deus fecit, ne terra impediretur quominus ſuos fructus proferre poſſet; atque adeo dicit ſtatim: germinet terra herbam virentem, et facientem ſemen etc. Ita quod poſtquam Deus diſcooperuit, et aquas congregauit in vnum locum, ita vt terra appareret nuda cępit illam veſtire plantis, et arboribus tum ad ornatum, et pulchritudinem eius, tum ad vſum Animalium, et hominum; hoc patet ex narratione Moyſis: ſed contemplemur hunc diuinum ornatum.

10 D. Ambroſius in Hexameron ait, quod ſingulorum lignorum proprietates, diuerſitas foliorum, cauſæque latentes eorum explicari nequeunt, quare ſcilicet aliqua rotundiora, quædam longiora, alia defluentia, alia nullis ventis labentia ſunt, alia ſemper ſuam viriditatem etiam in hiemis frigoribus, vt laurus, olea, pinus etc. quæ tamen folia ſua ſępe commutant, alia ſemper ſua virentia, nec folium mutant, vt palma, nam folia, quæ primo germinat ea ſine vlla ſucceſſione conſeruat; Deus igitur arboribus ſeptem largitus eſt; primo radicem, quę teſte Ariſtotele lib. de vegetabilibus ſimilis eſt ori Animalis; quia ipſa cibum plantis, & cauſam vitæ adducit, & quanto plus terræ radices arbor infingit, tanto plus trahit humorem, ac creſcit, & vberius fructus reddit; hinc Gloſſa ſuper Oſeam 14. dicit, quod arbores Libani excelſæ quantum in auras ideſt in aera verticem extollunt, tantum radices ad ima dirigunt, vt nulla tempeſtate moueantur. Secundò Deus tribuit arbori corticem qui (vt teſtatur philoſophus) eſt ad ſimilitudinem cutis animalis, tertio dedit ramos, qui de arboris radice, & robore manant, quarto dedit folia, quæ ſunt cooperimentum fructuum, & florum à ſolis violentia, & vehementia, quinto elargitus eſt frondes, quæ nominantur aferendo, quia ferunt virgulta, & vmbras, ſexto quibuſdam arboribus tribuit pro folijs ſpinas, vt patet de Iunipero, ſeptimo dedit fructus pro alimento animalium, & conſeruatione vitæ hominum.

11 Que

11 Quæ germinant, & germinantur in terra, quæ naſcuntur, & viuiſcunt è terra in herbas, olera frutices, & arbores diſtincta ſunt, in quibus multa, & inſignia cernuntur naturæ miracula, & diuinæ ſapientiæ, ac prouidentiæ argumenta, nec ſanè minora in minimis, quam in maximis; Conſiderate dixit Saluator noſter Mat. 6. lilia agri quomodo creſcunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum ex iſtis, ſi autem fænum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur Deus ſic veſtit &c. Rectè autem (inquit D. Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. Dei Cap. 14.) dixit Saluator noſter Deum veſtire lilia agri, vt intelligeremus omnem eorum decorem, ornatum, atque pulchritudinem, nec fortuito, & caſu eis contigiſſe, nec tantum à natura rationis experte illis accidiſſe, ſed præcipue à Deo ſapientiſſimo rerum omnium opifice, & prouidentiſſimo Rectore illis eſſe donata; In herbis autem oleribus, & fruticibus tanta eſt naturarum, virium, magnitudinis, figuræ, foliorum ſeminum, & fructuum varietas cum incredibili pulchritudine coniuncta, vt ea nos vel oculis ſpectantes, vel animo contemplantes pari admiratione atque voluptate afficiamur.

12 Verum breuitati ſtudentes de arboribus tantum, & pauca, & ſummatim dicemus; Ex his primum; & in multa ſæcula perdurans fuit mortalibus alimentum nimirum ab exordio mundi vſque ad diluuium per annos 1656. nō alius quam ex fructibus arborum fuit hominum victus, carnium æſu intra id temporis, vel non conceſſo mortalibus, vel nequam vſurpato; nec tantum ex fructibus arborum fuit hominum cibus, ſed ex earum frondibus etiam cubile, & ex cortice veſtes. Arboribus ædificamus domus intra vrbes, & capacia populorum theatra fabricamus; nec in magna orbis parte aliæ ſunt, quam ex lignis ciuitates, nec amplitudine, nec frequentia, nec magnificentia noſtratibus inferiores; Denique arboribus etiam maria inhabitamus, atque inambulamus, & vt omnis hic terræ, & aquæ globus vſquequaque à nobis obiri, & perluſtrari queat, arborum ſeruitio factum eſt; conſtat item viros ſanctiſſimos, vt tota mente, atque animi impetu diuinis rebus vacarent ſtudioſe ſecreta nemora, lucoſque, & ſyluas quæſiuiſſe.

13 Hinc cogimur ne dum excitamur ad admirandam diuinam prouidētiam in fabrica plantarum, quæ ex terra erumpentes terræ affixæ manent, quarum ſunt plurima genera, & diuerſiſſimæ ſtructuræ. Nihil in his, ſine ſumma ratione conſtat. Omnes partes aptiſſime ad ſuos fines comparatę, radices vt totam plantam (ſiue arbor ſit, ſiue virgultum, ſiue herba) terræ alligent, & ex ea humorem ſugant ad totius, & omnium partium alimentum, mira earum radicum vis, qua etiam vaſtiſſimę, & ramis longe, lateque diffuſæ arbores ita ſe terræ affigunt vt nullus ventorum impulſus eas poſſit proſternere; Cortex inſtar cutis, & veſtis contra frigus, & æſtum, & rerum incurrentium læſiones; Rami ad fructuum multiplicem prouentum; Frondes ad ornamentum, & in primis ad fructuum tutamen, ne ſole, vel imbribus vaſtentur. Fructus ad ſeminis cuſtodiam, et in pleriſque potiſſimum ad hominum, et animantiū eſcam, ideoq; intumeſcunt ſuccoſi ſucco longe maiori, quam ſeminis defenſio poſtulet, vt in pomis, pyris, melonibus, peponibus, alijſque multis fructuum generibus eſt videre; Plantæ carent muſculis, quia non habent motum, vt Animalia, ſed terræ adhærent immobiles; Conſtant itaque fibris rectis, quæ

Eeee om-

omnes poris plenę, per quos alimentum ſugant; omnes omnino partes à primis radicum capillamentis vſque ad foliorum extrema poroſa ſunt, & vim ſugendi habent; & ſuccum attractum aſſimilandi.

14 Frondes, & fructus ex tenui pedunculo pendent, qui in fibras innumeras faceſſit, per hunc omnis ſuccus tranſit, qui deinde per fibrarum poros in totum corpus frondis, & fructibus diffunditur arte ſtupenda. In medulla eſt vis genitalis. Vnde, & Matrix dicta eſt & ea exempta, & ſi arbor fructum proferat, hic tamen ſemine deſtituitur: ſicut radix, caudes, & rami ſinguli tribus conſtant cortice, ligno, & medulla ita fructus cortice pulpa, & ſemine; Succo terræ per radices attracto, & per fibras in caudicem, & per ramos diſperſo, probeque concocto, partes aquoſæ inutiles nutritioni arboris, ſeu lignoſæ ſubſtantiæ extremis oris ramorum formantur in folia, partes aereæ in flores, quod vero craſſum, & probe temperatum partim in ſubſtantiam ligni, partim in fructus, ſicque nihil ibi ſuperflui (ſicut in Animalibus) quod excerni debet; Quæ in altum excreſcunt tamen imbecilla ſunt, vel ſe circa aliquid conuoluunt, vt Lupulus, Hedera, & alia conuoluorum genera, vel capreolos habent, quibus veluti manibus pedamenta apprehendunt, ne corruant, vt vitis labruſca, pepones, cucurbitæ, & alia quædam; Infinitum eſſet omnia diuinæ artis, quæ in plantarum ſtructura elucet, recenſere miracula.

15 Sed hinc inſurgunt tria non contemnenda dubia; primum an Deus actu produxerit plantas. An ſolum dederit virtutem terræ, qua ipſa poſtea produceret plantas, vt affirmat D. Auguſtinus lib. ſuper Geneſim ad litteram Cap. 4. ſecundum dubiũ poſito, quod Deus actu produxerit plantas an terra etiam effectiue concurrerit, vt vult Caietanus, tertio an produxerit omnes ſpecies an aliquas tantum, non enim videtur produxiſſe roſas, & tribulos niſi poſt peccatum Adæ vt ſentit D. Baſilius hom. 4. in Hexameron, & colligitur ex illo Gen. 3. 17. quia comediſti de ligno, ex quo pręceperã tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo ſpinas, & tribulos germinabit tibi; Vnde etiam colligit D. Baſilius roſam tertio die factam fuiſſe, ſine ſpinis, & poſtea in pœnam peccati Adę ſpinas ei annexas eſſe. Quãtum ad primum dubium Caietanus in hunc locum, & Burgenſis ſecuti D. Auguſtinum dicentem terram cauſaliter effectiue hæc produxiſſe, cenſent enim terrã concurriſſe efficienter ad primam herbarum atque plantarum productionem, ita videlicet vt Deus mediante terra tanquam cauſa media efficiẽte eas produxerit; Contraria tamen ſententia eſt communis, & probabilior terram videlicet concurriſſe ſolum paſſiue materiam adminiſtrando. Deumque ſe ſolo plantas efficienter produxiſſe, ſic D. Thom. 1. p. q. 70. art. 1. Abulenſis, Pererius, & Franciſcus Aretinus, & alij, probatur primo, quia hoc eſt magis conforme ſcripturis, quæ non aliter loquuntur de productione plantarum, quam de productione aliarum rerum; ſed aliæ res actu productæ ſunt à Deo ergo, & plantæ, ſecundo probatur illis verbis producat terra herbam virentem, ſine autem miraculo terra non poterat per ſuam virtutem in inſtanti producere plantas, quæ tamen inſtantanee fuerunt productæ (vt recte docet Caietanus.)

16 Item Cap. 2. productio plantarum ſoli Deo tribuitur, ſicut, & productio Cœli, nam dicitur in die, qua produxit Deus Cœlum, & terram, & omne virgultum agri &c. & rurſus plantauerat autem Dominus Paradiſum vo-

lup-

tatis Gen. 2. 8. in quo certum eſt fuiſſe arbores actu Gen. 2. 9. Sed Paradiſus plantatus eſt tertia die ſecundum communiorem ſententiam, produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue, quod ſecundum veriorem ſignificationem dicitur per recapitulationem, vt repetatur productio omnium arborum, tertia die facta; Obijcit D. Auguſtinus Deum tertio die produxiſſe omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priuſquam germinaret Gen. 2. 5. ex quo ſequitur eſſe factas cauſaliter tantum virtute à Deo priuſquam actu orirentur ex terra; Reſpondetur ſenſus Verborum illorum eſt Deum ſingulari quodam modo produxiſſe plantas actu antequam naturali modo naſcerentur ex ſemine, ſicut modo producuntur, vt exponit D. Thomas p. p. q. 69. art. 2. & alij paſſim. Hinc patet reſolutio ſecundi dubij terram nimirum tantum paſſiue concurriſſe materiam ſubminiſtrando, quod eſt contra Caietanum.

17 Si quis quęrat quomodo terra nũc proferat arbores. Reſpondetur Ariſtotilem lib. 1. de Animalib. Plinium lib. 17. & Iſidorum lib. Etymologiarum aſſerere arbores prouenire, aut ex ſemine naturali, aut ex caſu, vel fortuitu de terra putrefacta, aut ex radice plantæ, vel propagine, aut etiam ſurculo, ſiue trunco, vel ramo ab arbore abſciſſo, aut inſito, & conſerto arboris trunco; aliquę autem ſeruntur folijs ſuis, nã folia palmarum apud Babilonicos ſeruntur, atque in arborem proueniunt; Notandũ, quod rationes ſeminales, per quas producuntur animalia herbæ, & plantæ quantum ad aliquid ſunt ſimiles, quia ſicut quædam animalia fiunt per generationem, et ex ſimili, et alia per putrefactionem ſic in plantis, et arboribus contingit, vt oſtenſum eſt; Quantum tamen ad multa ſunt diſſimiles, quia in natura animalium eſt vnus modus communicandi; ea quippe, quæ ex putrefactione naſcuntur, nunquam ex ſemine oriuntur, nam mures, ex putrefactione generati nunquam generant, illi vero, qui generantur ex coitu generant alios mures.

18 Rurſus animalia generata ex cõmixtione animalium diuerſatũ ſpecierum, vt mulus, & mula non generant, ſed ſunt ſteriles, ſed in plantis non ſic, nam illæ eædem herbæ, quæ naſcuntur ex putrefactione ſemina facere poſſunt, ex quibus producuntur aliæ herbæ ſimiles. Item in animalibus eſt alius modus; quia Animal generatum ex ſe non fit niſi ex ſemine determinato, & modo determinato, vt ex commixtione Maris, & feminæ, & quę generantur ex putrefactione non fiunt niſi ex determinata putrefactione; ſed ex herbis, & plantis eſt multiplex modus productionis, & multiplex eſt in eis ratio ſeminalis in vna enim, & eadem planta eſt ratio ſeminalis in radice ramo, et ſemine, id exemplo vitis patet, nam ſiue ponatur radix vitis ſub terra producet palmites, & generabit vinum, ſiue ponantur rami vitis ſine radice, ſiue ponantur grana, & ſemina, quæ ſunt vuis, idem efficietur.

19 Quantum ad tertium dubium. An ſcilicet Deus produxerit omnes ſpecies plantarum. Dicendum eſt, quod Deus tertia die produxit omnes ſpecies plantarũ etiã ſpinas, & tribulos, & alias plantas noxias, & venoſas, neque expectauit donec Adam peccaſset, eſt communior ſententia in quam inclinat D. Auguſtinus lib. 2. ſuper Geneſim ad litteram Cap. 18. & D. Thomas p. par. q. 69. art. 2. ad 2. & probatur primo; quia hoc eſt magis conforme ſacrę ſcripturę, quæ dicit omne virgultum agri productum eſſe à Deo, & Deum die 7. quieuiſſe ab omni opere ſuo, ideſt non pro-

duxiſſe amplius nouas rerum ſpecies, quas tunc non produxerit, vt exponit D. Auguſtinus lib. 4. Cap. 12. ſecundo quia ſpinæ, & tribuli ſunt apta ad vſum Animalium, nec ſunt magis nociua, aut moleſta hominibus, quam ſerpentes, at conſtat fuiſſe ſerpentes ante peccatū; tertio peccatum Adæ non mutauit naturales rerum proprietates, ſed roſam naſci inter ſpinas eſt naturalis quædam proprietas ipſius, ergo circa illam nihil mutatum eſt propter peccatum Adæ.

20 Dices Deus in pœnam peccati dixit Adamo terra ſpinas, & tribulos germinabit tibi, ergo ſi non peccaſſet Adam, terra non germinaſſet illi ſpinas, et tribulos, D. Thomas loco cit. reſpōdet ante peccatum Adæ fuiſſe quidem ſpinas, et tribulos, ſed non fuiſſe illi in pœnam, at poſt peccatum cœpiſſe eſſe illi in pœnam, quia cœperunt etiam naſci in quibuſdam locis, vbi alioquin non fuiſſent nata, maxime extra Paradiſum; et ſic Adamus coactus magno labore illa eradicare, et terram fructuoſam reddere; Itaque hic eſt ſenſus Verborum Dei; Adame, quia peccaſti eijciam te ex Paradiſo, & habitabis in terra ſterili, quæ germinabit tibi ſpinas, et tribulos, quod non feciſſet Paradiſus, in quo eras poſitus. Dices ſecundo quando Moyſes narrat productionem plantarum tertio die factam addit Deum vidiſſe, quod eſſet bonum, ergo non loquitur de plātis noxijs, aut venenoſis, quia illæ non ſunt bonæ. Reſpondetur, omnes Plantæ ſunt bonæ, tum quia ſunt perfectæ in ſuo genere, & entitatiue; et quidditatiue in ſua ſpecie, tum quia ſunt accomodatæ ad finem, ad quem productæ ſunt; Dices omnia producta ſunt propter hominem, ſed plantæ noxiæ, & venenoſæ non proſunt homini, ergo &c. Reſpondetur dupliciter proſunt homini primo, quia proſunt Animalibus, quæ ſunt propter hominem, ſecundo quia licet ob ſint homini ad cibum; proſunt tamen ad medicinam. Vide Baſilium hom. 5. in Hexam.

21 Verba igitur Moyſis talem referunt ſenſum; Germinet terra herbam virentem non actiue producendo, vti vult Caietanus, & Burgenſis, ſed materiam tantum adminiſtrando, quia Deus ſe ſolo actiue, & efficaciter, idque ſubitò produxit omnia germina, et plantas, eaſque iuſtæ, atque perfectæ magnitudinis, modo autem terra ad germina etiam effectiue concurrit, præſertim ſi ſemine ſit imbuta; terra enim per ſemen Pyri producit Pyrum per ſemen Pomi producit pomum, ſe ipſa vero ſine ſemine ſi pluuia irrigetur, et a ſole calefiat producit gramina; & facientem ſemen, quod producat terra herbam quæ poſſit ſemen ad ſpeciei ſuę propagationem facere, ſeu ſeminare; Hic dicit D. Baſilius, quod ſcriptura eorum tantum mentionem facit, quæ natura ſunt præſtantiora, cætera, quæ non habent ſemē (vt patet in gramine, menta, Croco, arudine, vlmis, allijs, populis, et alijs) ſub præſtantioribus includens, & quia plantæ, & Herbæ, quæ habent ſemen ſunt perfectiores illarum ſolum meminit, alijs ſub intellectis. Et lignum pomiferum idest arborem fructiferam (vt habent Hębrea pomum, ergo pro quouis arborum fructu ponitur; Cuius ſemen in ſemetipſo ſit, id quod ſibi ſimile gignendi vim habeat per ſemē, quod habet in ſe ipſo, puta in ſuo fructu, vel folio, vel radice ramis, nam multæ plātæ, vt dictum eſt non habent ſemē proprie dictum, vt patet in ſalice; protulit terra &c. quam non tantum virtutem producendi plantas accepiſſe, vt videtur velle D. Auguſtinus lib. 5. de Gen. ad litteram Cap. 4. & 5. ſed eo ipſo, quod Deus iuſſit, momento terram omnes plantarum ſpecies eaſque adultas multas etiam cum fructu maturo produ-

duxiſſe patet; Dei enim perfecta ſunt opera, ita S.S. Baſilius, & Ambroſius.

22 Hic ſe offerunt duæ difficultates decidendæ prima, quo tempore anni mundus fuerit conditus, ſecunda, quomodo Mundi computandi ſunt anni. Quoad primam difficultatem duæ ſunt celebres opiniones, quarum altera non ab Aſtrologis tantum, & poetis eſt accepta, ſed fere eſt omnium ſcriptorum Eccleſiaſticorum, atque Theologorum conſenſu firmata ſcilicet verno tempore Mundum eſſe conditum. Ita docet Euſebius in omnimoda hiſtoria Athanaſ. q. 17. ad Antiochum, Cirillus Ieroſolimitanus Catecheſi 14. Gregorius Nazianzenus orat. in nouam Dominicam Ambroſ. lib. 1. in Hexam. Cap. 4. Theodoretus q. 72. in Exodum Leo Papa ſerm. de Paſs. Domini. Iſidorus lib. 1. Ethymolog. Cap. de temporibus. Damaſcenus lib. 2. de fide Cap. 7. Strabus, & Rabanus ſuper 12. Cap. Exodi Beda de temporum ratione Cap. 28. & lib. de augmentis Lunæ Magiſter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſiue Scholaſticæ in hiſtor. lib. Geneſis, Magiſter ſent. in 2. diſt. 14. Molina de operibus ſex dierũ. Bannes, & Valentia in p. p. q. 69. art. 2. & plerique al.ij; Cum quibus (vt Lyranus ad Cap. 1. Gen. refert) nulli ex Hebræis conſentiunt.

23 Fundamenta iſtius ſentẽtiæ ſunt, quia Vernum tempus eſt totius anni pulcherrimum, amœniſſimum; rerum omnium præſertim viuentium generationi creationi, & conſeruationi aptiſſimum; eſt namque temperate callidũ, & humidum, quæ ſunt qualitates generationi, ac vitæ, tam ſtirpium, quam animantium valde congruentes; tum quia viget ſignum Arietis, quod Aſtrologi appellant maſculinum fœcundum propitium, atque beneficium, maximeque primordijs opportunum, tum etiam quia germinante tunc terra viteſcentibus Herbis, floreſcentibus arboribus, atque reuiuiſcentibus Animantibus Mundus quodammodo renaſcens, eodem ſe tempore primum à Deo conditum non obſcure declarat; Contra vero autumnus, cum ſit frigidus, & ſiccus, magis corruptioni quam generationi rerum eſt conueniens; Ideoque tunc decidunt folia, cunctaque virore, vigoreque ſuo priuata paulatim flaceſcunt, & ad interitum ferũtur; Cum ergo Dei perfecta ſint opera, credendum eſt produxiſſe mundum in initio præcipue partis anni ſole exiſtente in principio Arietis, atque adeo in Æquinoctio Verno. Adde, quod ſicut Deus menſem Martij tanquam omnium accomodatiſſimum elegit, vt filios Iſrael de terra Ægypti educeret, vt carnem in vtero Virginis aſſumeret, vt morte ſua ſacratiſſima mundum redimeret, glorioſaque ſua reſurrectione illum exhilararet, ſic etiam videtur eum elegiſſe, vt in eo mundum edificaret, & eo vel maxime, quod valde credibile eſt primum Adam, & ſecundum, qui eſt Chriſtus Dominus eodem tempore eſſe formatos, eodemque conditum Mundum, & à Chriſto reparatum; Conſtat autem ſecundum Adam hoc eſt Chriſtum Verno tempore conceptum eſſe, eodemque per mortem ſuam mundum reſtauraſſe.

24 Altera autem ſententia licet multitudine, ac grauitate Authorum inferior ſit quam prima numero tamen, ac pondere argumẽtorum videtur firmior, atque præſtantior hanc docent Philo de opificio Mundi Ioſeph lib. 1. antiquitatum D. Hieronymus ſuper primum Cap. Ezechielis. Nicolaus de Lira in Gen. Cap. 1. & 7. & Exodi 12. Toſtatus in Geneſ. Cap. 1. & 7. & Exodi 12. Picus Mirandulanus lib. 7. aduerſus Aſtrologos Cap. 7. & Pererius in Gen. et opinantur mundi exordium fuiſſe in autumno, vt primus menſis ab orbe

condito fuerit prima Luna Æquinoctio autumnali vicinior, qui menſis ab Hebręis vocabulo Chaldaico dictus eſt Tiſri, quæ vox Caldaice ſignificat initium, vt vel ipſo nomine menſis hic eſſe initium anni exiſtimare ſatis probare videtur. Secundo ſi ſpectemus ordinem naturæ, & generationis rerum naturalium patet, vel Iudicio ſenſuum, tunc enim decerpuntur fructus ex arboribus, decidūt folia, de meſſæ ſegetes, frugeſque conduntur, colliguntur Vuæ, vinumque ex eis expreſſum aſſeruatur; eſſe autem autumnum ſequentis anni principium manifeſtum eſt, cum eo tēpore ſeminatio fiat, & terra mandata ſibi ſemina concipiens, hiſque grauidata procreat radices, quod ſanè quadam ratione reſpondet conceptioni, & generationi Animalium in vtero.

25 Quo circa autumni tempus conceptioni, ac generationi rerum conuenit; ob idque primordijs mundi magis eſt Idoneum, tempus autem Veris magis reſpondet Adoleſcentiæ, & iuuentuti ipſius mundi; Poſtremo in Autumno mundum eſſe factum, vel hoc vno argumento concludi poteſt, quod in exordio mundi, ſicut & alia, ſic etiam Arbores in ſtatu perfecto productę ſunt (Dei enim perfecta ſunt opera, præſertim, quæ ab eo immediate ſunt) hoc eſt cum fructibus iam maturis perfectis, & ad comedendum idoneis; talibus enim in cibum animātium, & hominum protinus opus erat; Non enim hominibus ante diluuium ex vſu carnium, ſed herbarum dumtaxat, at fructuum victus fuit; primo iubente Domino terra produxit lignum pomiferum faciens fructum, iuxta genus ſuum; Deinde dicente primis hominibus recenter creatis ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis Animantibus terræ; hęc, & alia multa videnda in expoſitoribus, quæ breuitatis cauſa relinquuntur ſatis oſtendunt probabilitatem huius ſententiæ.

26 Quantum ad ſecundum difficultatem quomodo computandi ſunt, & quomodo ſcire poſſumus, quot fuerint elapſi anni ab exordio mundi, de qua re quamuis fuerint multæ opiniones de vetuſtate, & antiquitate mundi certo nihilominus tenendum eſt ab exordio Mundi non plures quam quinque millia, & ſexcentos, & ſeptuaginta quinque circiter annos præterijſſe; In quare vix dici poteſt quantum fuerit errans, & cœca Gentilitas, Ægyptij enim pluſquam centum annorum millia numerabant à principio mundi; Caldæi vero pluſquam ſeptuaginta millia annorum conſtituebant, quæ omnia fabuloſa, & mendacia cum ſint vltro prętermittuntur; ſi quis autem voluerit ſcire varias computationes annorum ab ortu mundi vſque ad aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti. Legat Sixtum Senenſem lib. 3. Bibliothecæ. Huius tantæ diuerſitatis etiam Eccleſiaſticorum Doctorum, in computatione iſta annorum Mundi quattuor ſunt. Cauſæ prima eſt magna varietas, & diſcrepantia annorum qui fuerunt à principio Mundi vſque ad ortum Abrahæ, nam in libris Hebręis, & Latinis reperimus ab initio Mundi vſque ad ortum Abrahæ fuiſſe elapſos mille, & nongentos, & quadraginta octo annos, ſed in libris Græcis 70 Interpretum tria millia trecentos, & quattuordecim inuenimus.

27 Secunda cauſa eſt, quia multi ſecuti ſeptuaginta interpretes, & D. Lucam interponunt generationem Cainam inter Arphaxat, & Sale, hoc eſt 30 annos quamobrem a diluuio ad ortum Abrahæ numerant 322 annos; reliqui autem Auctores ſecuti Hebræos, &

& Latinos libros, in quibus generatio Cainam ommittitur numerant tantum 292 annos; tertia cauſa, quia non ſatis conſtat ratio quorumdam temporum, apud omnes V. g. an Abraham natus ſit anno 70 Thare, an vero natus ſit anno 139, quod alij Auctores ex ſcripturis colligunt; ratio item temporum ab ortu Moyſis vſque ad Dauid eſt incerta; 70 etiam anni Captiuitatis Babilonicæ vnde inceperint, & vnde finem habuerint, valde controuerſum eſt; quarta cauſa, quia non conſtat ex ſcriptura quot ſint anni elapſi à fine captiuitatis Babilonicæ, & populi Iſraelitici liberatione vſque ad Aduentum Chriſti; Stat igitur communis ſententia ſupradicta; Dices cum Eccles. 1. arenam Maris, & pluuiæ guttas, & dies seculi quis dinumerauit. Reſpondetur quod per dies ſæculi non intelligit Eccleſiaſtes dies tranſactos ab ortu Mundi vſque ad noſtrum tempus tantum, ſed etiam loquitur de futuris diebus vſque ad finem Mundi, & vſque ad diem Iudicij, qui hinc ſunt nobis prorſus incogniti.

De Paradiſo terreſtri eius ornatu lignis, & fluminibus. Art. III.

1 ET ſi totus Mundus à Deo conditus ſit propter hominem ſpecialem tamen locum fabricauit, & omnibus prærogatiuis ornauit, & decorauit, vt in illo primi Parentes,& poſteri eius, (ſi ſtetiſſent) ſpecialiter deliciarentur; Iſte locus vocatur Paradiſus terreſtris; pro quo notandum eſt, quod Paradiſus in ſacris litteris ſumitur duobus modis, vno modo corporaliter vt in Gen. 2. Plantauerat Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio; alio modo ſumitur ſpiritualiter, vt Lucæ 23. Item ſpiritualiter ſignificat triplicem Paradiſum, primo ſecundum ſenſum Anagogicum ſignificat Sanctiſſimam Trinitatem, nec non beatum Cælicolarum cætum; ſecundo penes ſenſum allegoricum ſignificat Eccleſiæ militantis locū; tertio ſecūdum ſenſum moralem ſignificat amænitatem virtutum in Animā, ſiue bonæ conſcientiæ tranquillitatem; Vniuerſaliter autem ſignificat quemlibet locum amæniſſimum, & ad delectandum hominem iocundiſſimum, ſic accipitur Canticorum, quarto, vbi ſponſus ad ſponſam inquit, emiſſiones tuæ Paradiſus &c. ad iſta tria ſignificata omnia nomina Paradiſus reduci poſſunt, quæ commemorantur in ſacra ſcriptura vt Ezechielis 28. in delicijs paradiſi fuiſti, & Eccleſiaſt. 24. dicit de ſe æterna ſapientia, ego quaſi aquæductus exiui de Paradiſo, ideſt proceſſi de ſubſtantia Patris, in qua eſt vbertimus torrens voluptatis, & Apocalip. 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei; & D. Paulus Apoſtolus 2. Cor. Cap. 12. ait ſe fuiſſe raptum in Paradiſum ibique audiuiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui.

2 Paradiſus terreſtris fuit locus vere corporeus in terra contra Origenem, qui aſſeruit Paradiſum ſpiritualiter tantum eſſe intelligendum, vt docet D. Auguſtinus lib. 2. de Hæreſib. Cap. 43. & Cap. 59.; probatur. Hæc veritas primo ex ſacra ſcriptura, quia Gen. 2. deſcribitur Paradiſus quibuſdam condicionibus, & circumſtantijs, vt patet de arboribus,& de fluminibus quibus quidem circumſtantijs apertiſſime conuincitur corporeum eſſe Paradiſum; Item diuina ſcriptura ſemper eſt interpretāda in ſenſu litterali, & hiſtorico, quando ex tali ſenſu non ſequitur aliquod inconueniens, aut abſurdum, ſuper quē ſenſum ſpiritualis ſenſus eſt fabricandus, vt docet D. Auguſtinus lib. 8. ſuper Gen. ad litteram, & 13, de Ciuitate

Dei

Digitized by Google

Dei Cap. 21. Cumque ſenſus Geneſis ſit Hiſtoricus, oportet ſaluare ea, quæ ſecundum ſenſum litteræ, & hiſtoriæ dicuntur; Item tertio veritas huius aſſertionis canonizata eſt in 6. Sinodo generali Conſtantinop. act. 11. vbi approbat Epiſtolam Sophronij Patriarchæ Hieroſolymitani, in qua Origeniſtæ damnantur, quod Paradiſi plantationem proiecerint extra paternam, & Apoſtolicam traditionem; Vltimo probatur communi ſententia omnium Patrum, tam Græcorum, quam Latinorum, qui Paradiſum, quem Moyſes deſcribit fuiſſe locum corporeum aſſeruerunt, tandem confirmatur vnanimi cōſenſu omnium Theologorum Scholaſticorum præſertim Diui Bonauenturæ in 2. diſt. 17. art. 2. q. 3. D. Thomas p. p. q. 102. art. 1. & Doctoris ſubtilis in 2. d. 17. q. 2.

3 Qui diceret Paradiſum non eſſe aliquem determinatum locum, ſeu aliquam terræ regionem temerarius eſſet, probatur primo ex ſacra ſcriptura Gen. 2. vbi dicitur tulit Deus hominem &c. ſcilicet de loco, in quo condiderat illum ergo non vniuerſa terra erat Paradiſus. Item primus homo eiectus fuit de Paradiſo, & non de tota terra, ergo; rurſus poſuit Deus Angelum ad viam Paradiſi cuſtodiendam, ergo; De loco, ſiue ſitu iſtius Paradiſi difficile eſt determinare; niſi quod D. Iſidorus lib. 14. Ethimologiarum Cap. 3. dicit, quod Paradiſus ſit locus in partibus Orientis conſtitutus, ſed in qua parte adhuc dubius eſt; nam qui ſequuntur Ariſtotelem dicentem 2. Metheor. inter duos Tropicos non poſſe eſſe regionem habitabilem propter nimium calorem (tranſit enim ſol ibi bis in anno) neceſſe habent dicere Paradiſum terreſtrem eſſe extra tropicos verſus Orientem æſtiualem, vel hiemalem. Qui vero defendunt inter duos Tropicos ſub æquinoctiali circulo regionem eſſe temperatiſſimam, vt moderni experientia docent, aſſerunt quoque Paradiſum hunc eſſe in Oriente ſub æquinoctiali; ſicut ſentit D. Bonauentura 2. diſt. 17. ſuper litteram, vbi etiam docet, quod eſt tantæ altitudinis, vt illuc non conſcendant vapores in aere eleuati, ſed ſit ibi aer mundus, & purus idoneus ſtatui perpetuitatis, & propter puritatem aeris ibi eſſe contemperantiā caloris, ſed adhuc dubius eſt, quia etiā ſi ſit in Oriente, & ſub æquinoctiali, quia ſcriptura Canonica ſitum eius in ſpeciali nō certificat prorſus ignotus remanet, eo maxime, quod ſæpe inquiſitus à Coſmographis nullus illorū potuit inuenire, aut de eo mentionem aliquam nobis relinquere, quam reliquiſſet, ſi reperiſſet.

4 Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis à principio; plantauerat, id eſt plantis arboribus, omnibuſque delicijs à ſe creatis inſtruxerat, & adornauerat à principio, id eſt die tertio Mundi, quo die iuſſa eſt terra omnium herbarum, & ſtirpium genera proferre; plantauerat ſpeciali modo, & applicatione, vt eſſet nimiæ pulchritudinis, & incredibilis amœnitatis, nam quæ ſunt præſtantiſſima, & aliquo in genere excellentia ea ſolet ſcriptura Dei appellatione inſignire, quemadmodum igitur ſingulariter Deo tribuitur formatio hominis propter eius dignitatem, ita, & Paradiſi effectio propter incomparabilem eius loci præſtantiam, & iocunditatem; Hunc Paradiſum Deus plantauit, vt homo ibi habitaret, ibique viueret, prout ſibi placuiſſet. Ita Rupertus Abbas lib. 2. de Operibus Trinitatis Cap. 26. & Toſtatus in 13. Cap. Geneſis q. 125. & q. 139. quia vita ſtatus innocentiæ debebat eſſe tranquilliſſima, & iocundiſſima, Ideo D. Auguſtinus lib. 14. de Ciuit. dicit quid timere (noſtri Primi Parentes) aut dolere poterant in tantorum tanta affluentia bonorum, vbi non aberat quicquam quod

bona

Digitized by Google

bona voluntas non adipiſceretur, nec inerat, quod carnem, vel hominis Animam feliciter viuentis offenderet, vel in aliquo moleſtaret &c. nec quia breui tempore Adam in Paradiſo moraturus erat, propterea nō debuit in eo collocari, nam & Lucifer Princeps malorū Angelorum in Cœlo empyreo creatus fuit ex eo mox eiciendus, non enim Deus, quod futurum ſit, ſed quid poſtulet præſens rei ſtatus ſpectat, & æſtimat.

5 Dictum eſt ſuperius Paradiſum eſſe locum vere corporeum, & quia euidenter per ſcripturam apertam probatum eſt, ideo concluditur eſſe de fide, ideoq; clarius confutatur Origenes, qui putauit Paradiſum eſſe tertium Cęlum, in quod raptus fuit S. Paulus, Arbores eſſe virtutes Angelicas, flumina eſſe aquas, quæ ſunt ſupra Cœlum firmamenti. Idem docet Philo Hebræus, & Seleuciani Heretici; in hunc errorē inclinauit D. Ambr. lib. de Paradiſo, ſed eſt excuſandus, quia D. Ambroſius ſupponens Paradiſum Hiſtorialem tantum allegoriam inquirat; quicquid ſit, Origenes cum Seleucianis ſatis cōfutati ſunt; & reuera qualitates iſtius Paradiſi nimis clarè oſtendunt ipſum vere eſſe corporeum; eſt enim ibi omnium bonorum copia, quæ poteſt homini competere ſecundum corpus, eſt ibi ſumma iocunditas; quam atteſtatur fructuum dulcedo, quia ibi plantauerat Deus omni lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue, eſt ibi terræ fecunditas, cum ſine magno labore vniuerſa proferat humus ob irrigationis copiam, nam fons, qui egreditur dę loco voluptatis, irrigat totum Paradiſum; Accedit etiam ſecuritas ex muro, & præſidio appoſitis; nam eſt murus igneus, qui eleuatur quaſi vſque ad Cœlum, vt dicit D. Iſidorus lib. 14. Ethimologiarum Cap. 4. itaut nihil tranſgredi poſſit, & eſt præſidium Angelorum, vt dicit idem Iſidorus, atque his ibi exiſtentibus eſt tanta in eo ſecuritas, vt neque Dæmones, neque Animalia aliqua ingredi poſſunt ad nocendum, & turbandum quietem eorum.

6 Tādem eſt ibi loci ſalubritas, quod longitudo vitæ ibi exiſtentium atteſtatur, nam ſecundum probabilem opinionem ſunt ibi Henoch, & Elia, qui iam diu viuunt; ſalubritas huiuſmodi primo prouenit ex diuina voluntate; ſecundò ex ſumma aeris temperie; tertia ex negatione qualitatum corruptiuarum; quato ex bonitate alimento; quinto propter lignum vitæ, quod ibi à Deo plantatum fuit ad poſſe non mori, vel longiſſimam vitam tribuendam. Latitudo Paradiſi non comprehendit vniuerſam terram, patet ex ſimplici, & litterali narratione Moyſis, Toſtatus in Geneſ. Cap. 13. coarctat non tantum ad vnam ex quattuor partibus principalibus mūdi Europam, Aſiam, Africam, & Americam, verum etiam ad ingentem aliquā Prouinciam; immo exiſtimat Paradiſi longitudinem fuiſſe circiter 12 milliarium ambitum vero eius 36, quia ſi Adā non peccaſſet non fuiſſet futura tanta multitudo hominum, quæ fuit, & eſt poſt peccatum; ſed fuiſſent tantum electi, & iſti non erant in Paradiſo futuri quouſque expleretur hominum numerus, ſed per generationes transferrentur; Quæ tres cum ſit incertiſſima non eſt cur tempus inutiliter conſumetur, quoad celſitudinem Paradiſi certum eſt non pertingere vſq; ad concavum Lunæ, vt voluerunt Rabanus, Rupertus, & Strabus ob incomoda, quæ immūerent.

7 Doctor ſubtilis in 2. d. 17. quęſ. 2. poſtquam oſtendit Paradiſum non attingere globum lunarem, inquit, nec poteſt dici, quod ſit in ſuperiori parte aeris, vt voluerunt Alenſis, & Abulenſis, quia illa inflammatur vehementer

Ffff pro-

propter ignis vicinitatem, nec etiam poteſt attingere vſque ad medium interſtitium aeris, quia locus ille eſt frigidiſſimus perpetuo ſecundum philoſophum, cuius cauſa poſitiua eſt frigiditas nubium in eiſdem locis, & cauſa priuatiua duplex ſcilicet carentia caloris generati per reflexionem radiorum Solis à terra; & carentia caloris cauſati à Sole directe. Cum igitur Paradiſus ponatur locus conueniens habitationi humanæ ſequitur, quod debet eſſe ſuper terram habitabilem; Nec valet argumentum de Diluuio, quia aquæ diluuij inundauerũt miraculoſe ſic aſcẽdentes ad peccatorum punitionem; vbi igitur non inundauerunt, non fuit ibi factum miraculum. In Paradiſo autem cum non eſſent peccatores non debuerunt per miraculum inundare; Cum itaque eluuione aquarum ceteræ omnes terræ obruerentur, peruenerunt aquæ prope Paradiſum, ibique immobiles conſtiterunt ad ſimilitudinem eius, quod in mari rubro, & in flumine Iordanis à Deo factum legimus.

8 Paradiſus adhuc perſeuerat, nec perijt aquis diluuij. Ita Iuſtinus ad orthodoxum qu. 75. 76 & 85. vbi docet Paradiſum nunc exiſtare, & permanſurum vſque ad diem Iudicij, ita etiam alij Patres, Magiſter ſent. d. 17. ſecundi ſent. cum omnibus Scholaſticis, probatur primo Eccleſiaſtici 44. Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, & Gen. 3. dicitur, quod Deus poſuit Cherubim ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, ergo ſignum eſt Deum velle illum perſeuerare ſemper. Hanc ſententiam Sixtus Senenſis lib 5. annot., annot. 36. adeo certam exiſtimat, vt affirmet oppoſitam ſentẽtiam communi omnium Sanctorum conſenſui aduerſari; Confirmatur congruentia, quoniam locus Paradiſi non fuit corruptus peccatis, propter quæ venerat Diluuiũ deſuper ergo non debuit perire diluuio. Ignoratur autem locus Paradiſi, non quia eſt ab hominum habitatione valde diſtans, vt dixerunt Strabus, & Beda; nec difficultas illum inquirendi eſt cauſa talis ignorantiæ, vt alij affirmarunt prout refert Sanctus Thomas lib. 2. ſent. diſt. 17. art. vltimo, nec propter fragorem caſuum aquarum, vt ſcribit D. Baſilius in Hexam. ſed quia nemo noſtrũ illuc peruenit; neque de eo alia habetur cognitio, quam ea, quam tradit ſcriptura, & hoc maxime de interioribus.

9 Nam, & ſi aliquis ad Paradiſum venire poſſet, intrare tamen non poſſet prohibente Angelo Cherubino Cuſtode Paradiſi, atque ita neſciret quid eſſet interius Toſtatus in Gen. Cap. 13. q. 93. & 94; & merito hæc humano generi contingunt abſcondita in pœnam peccati originalis, ſicuti enim Primi Parentes poſt peccatum eiecti ſunt è terreſtri Paradiſo nunquam amplius in illum ingreſſuri, ſic eorum poſteri ab eo ſic repulſi ſunt, vt vbi eſſet omnino neſcirent, & ignorarent; probabiliſſimum eſt Animalia fuiſſe in Paradiſo toto illo tempore, quo Adam fuit in Paradiſo, nam hoc apertiſſimo docet Ioſeph lib. 1. Antiquit. & D. Baſilius hom. de Paradiſo, vbi ſcribit. In Paradiſo omnia erãt auicularum genera, quæ & pulchritudine colorum, & dulcedine concentus incredibiliter oblectabant hominem; erant illic variorum etiam Animalium ſpectacula, ſed erant omnino manſueta obedientia homini, & inter ſe concorditer, & pacifice viuentia, quæ & audiebant inter ſe, & loquebantur ſenſate. Serpens autem non erat tunc horrendus, ſed mitis & manſuetus; nec terribiliter in terræ ſuperficie veluti natans reptabat, ſed ſublimis, & erectus pedibus inſiſtens gradiebatur, & ingrediebatur.

10 Hoc etiam Damaſcenus Cap. 10. do-

docet vbi ſicut omnia Animalia ante tranſgreſſionem homini ſubdita, & ad manum obedientia erant, quia omnium conſtituerat eum Dominus Principem, & Dominum. Serpens autem plus cęteris erat familiaris homini frequenter ad ipſum accedens, & placitis moribus ei blandiens. Quapropter per ipſum præcipue Diabolus primis parentibus venenum inſtillauit; Modo dicendum eſt Henoch, & Eliam in Paradiſo, à quo Adam expulſus fuit, morari, atque victuros vſque ad diem Iudicij, ſic Patres fere omnes, omneſq; Scholaſtici Theologi docent, & præcipue D. Auguſtinus lib. de peccatorum meritis, & remiſſionibus Cap. 3. his verbis; ſi enim Deus Iſraelitarum veſtimentis, & calceamentis præſtitit, quod per tot annos non ſint obtrita, quid mirum ſi obedienti homini eiuſdem potentia præſtaretur &c. & paulò poſt; talem puto habitudinem adhuc in corpore Animali atque mortali etiam illi, qui ſine morte hinc tranſlati ſunt, fuiſſe conceſſam; neque enim Henoc, & Elia per longam ętatem emarcuerunt.

11 In quo poſuit hominem quem formauerat; produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue, lignum etiam vitæ in medio paradiſi, lignumque ſcientię boni, & mali Gen. 2. Vere benignus, vere clemens Dominus Deus erga hominem antequam ipſum formaret, quippe qui amæniſſimam habitationem eidem inſtruxit omnibus delicijs affluentiſſimam; quamuis ſacra ſcriptura ſolum exprimat tria genera arborum in eo productarum; quia homo in Paradiſo manſurus erat alendus tum adhuc non haberet vitam ſimpliciter immortalem, cibus autem hominis in eo ſtatu non erat futurus caro, ſed arborum fructus, atque adeo vt inſinuaret ſcriptura, quod homo in paradiſo præter alia, fructuum copiam haberet, dictum eſt, quod produxit Dominus de humo omne lignum. & licet herbæ virentes ſint ad ornatum terræ, & in ſuſtentationem vitæ, ſicut habetur ſex diebus de illis hic non ſit mentio inquit Alexander de Ales 2. p. q. 58. membro 3. quia intendit hic Moyſes tangere illud genus rei, in cuius differentia datum fuit præceptum, & conſequenter facta fuit tranſgreſſio, & cũ fructus non tantum ſit delectabilis, quo ad viſum, vel guſtum, ſed etiam quoad olfactum; Moyſes tamen non fecit mentionem de delectatione, quæ ab olfactu percipi poterat ex eodem Alenſi, quod de delectabili ſecundum duplicem ſenſum ſit hic mentio ſcilicet ſecundum viſum, & guſtum; viſus enim apprehendit de longe, & diſcernit delectabile in nutrimento, guſtus autem de prope, ſiue per immediationem; Olfactus autem eſt quaſi conſi milium differentiarũ cum guſtu; Tactus autem licet oſtendat differentias rei nutribilis non fuit hic commemoratus, quia ſufficiebat guſtus qui eſt quidam tactus ex 2. de Anima textu 94.

12 Non iudicauit Moyſes immo ſpiritus Sanctus per Moyſem ſufficiens dicere, quod produxit Deus ligna pulchra viſu, vel multa ligna pulchra viſu, ſed præciſe voluit exprimere, quod produxit omne lignum pulchrum viſu &c. primo ad oſtendendam ſpecialem Paradiſi laudem, nam ſicut ad Paradiſi laudem ſpectabat, quod in eo eſſent ligna pulchra viſu, & adueſcendum ſuauia, ita eius ſpecialis, & propria laus exigebat, vt in eo eſſent omnia ligna pulcra viſu alias Adam in eo feliciter victurus, & omnimodã iocunditatem habiturus non habuiſſet complementum ſenſuum, atque adeo potuiſſet appetere aliquod pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue, quod implicat

Digitized by Google

completæ fęlicitati, & perfectæ iocunditati, ſecundo quia ex hoc cognoſcitur grauitas peccati Adæ, & leuitas diuini mandati; ſi enim in Paradiſo non fuiſſet niſi vnum lignum pulchrum, & ſuaue, & de illo vetuiſſet Deus hominibus manducare valde durum fuiſſet viſum mandatum ad ſeruandum; & hominis peccatum leue, & paruum; Verum cũ dicit Moyſes, quod erat ibi omne lignum pulchrum &c. inſinuatur leuitas diuini mandati; quoniam, & ſi vetuerit de illo manducare, erant tamen multa alia ligna pulchra, & ſuauia, de quibus homo comedere potuiſſet, atque adeo non erat eis durum ab illo ſolo abſtinere, patet etiam grauitas peccati hominis, qui cum multa alia ligna haberet, quibus iuſte veſci potuiſſet, de illo, quod Deus vetuerat, voluit iniuſte comedere; Cum dicit Moyſes, quod produxit Deus omne lignum pulchrum viſu, & ad vexendum ſuaue non eſt negandum in Paradiſo exſtitiſſe alia ligna, tam fructifera, quam infructifera; quia ſunt quędam ligna infructifera quidem, quæ tamen habent magnam pulchritudinem, vt ſunt abietes, cupreſſus, Vlmi, & huiuſmodi; quibus carere non debebat Paradiſus, quæ cum ad pulchritudinem ſpectent, atque ornatum, ſuperfluè, & ſuperuacanee non fuiſſent in Paradiſo.

13 Lignum etiam vitæ in medio Paradiſi hębraice legitur lignum vitarum, in quo duplex eſt hębraiſmus, nam & vitarum dictum eſt pro vitæ, & rurſus lignum vitæ conſuetudine linguæ Hebreæ quæ caret adiectiuo poſitum eſt pro lignum vitale ſiue viuificum, quod ſcilicet mirã haberet vim, atque naturam non ſolum ad vitam hominis conſeruandam, ſed etiam perpetuandam, & velut quoddam immortalitatis munere donandum; lignum quoque pro arbore poſitum eſt; Dicitur autem hębraice lignum vitarum, tum quia longiſſimam vitam homini tribueret, adeo quod vna inſtar eſſet multarum vitarũ, quas nunc homines agunt; tum quia fructus illius arboris tres hominis vitas ſcilicet vegetatiuam, ſenſitiuam, & intellectiuam integrè, & perfecte conſeruabat, tum tertio quia non vni tantum Adamo, ſed omnibus eius poſteris (ſi ſtatus ille innocentiæ ſtetiſſet) vitam immortalẽ ſuppeditaſſet; Relictis myſticis expoſitionibus arbor, ſiue lignum vitæ ſecundum ſenſum verum, & litteralem erat vere quædam arbor in Paradiſo, ſicut cæteræ arbores quantum ad veritatem naturę licet in virtute, & ſpecie differret, ita D. Auguſtinus lib. 13. de Ciuitate Dei Cap. 21. vbi ait non nulli totum illum Paradiſum, vbi primi Parentes fuiſſe narrantur ad intelligibilia referunt, tanquam viſibilia ac corporalia illa non fuerint, ſed intelligibilium ſignificandorum cauſa eo modo dicta, & ſcripta ſint; quaſi propterea non potuerit Paradiſus eſſe corporalis, quia poteſt etiam ſpiritualis intelligi; tanquam ideo non fuerint duæ Mulieres Agar, & Sara, & ex illis duo filij Abrahę vnus de ancilla, & vnus de libera, quia duo teſtamenta in eis figurata dicit Apoſtolus Paulus. Hæc diuus Auguſtinus.

14 Qui arbitrantur vim illam, & potentiam ſeruandi hominem ab interitu fuiſſe arboris vitæ naturalem, adeoque effectus ille præſeruandi hominem ab interitu ex propria eius arboris virtute eſſet prouenturus, dicere profecto debent eam arborem extra ordinem fuiſſe omnium aliarum arborum, nec cuiquam earum natura, & ſpecie ſimilem; etenim diuerſa operatio, & effectus naturalis arguunt diuerſam vim, & potentiam efficientem, & diuerſa vis efficiens diuerſam arguit naturam; Cum igitur admirandus ille effectus arboris vitæ in nulla cæterarum arborũ adhuc viſus ſit,

con-

Digitized by Google

cōcluditur arborem vitæ omnibus alijs arboribus eſſe diſſimilem ſic ſentit Vgo de S. Victore in annot. in Gen. & alij. Qui vero extimant (& quidem probabilius) vim illam, & potentiam arboris vitæ ſeruandi hominem ab interitu, & ſeruandi, ſiue faciendi quodammodo immortalem fuiſſe ei ſupernaturalem, hoc eſt non ex natura eius profluentem, ſed extinſece Dei munere conceſſam dicere poſſunt eam arborem fuiſſe alijs ſimilem; potuit enim effectum illum ſupernaturalem per quamlibet arborem eum, vel pomum &c. operari; quoniam principalis cauſa efficiens illum effectum non erat, vel natura, vel aliqua proprietas naturalis illius Arboris, ſed erat diuina poteſtas aſſiſtens arbori, vel per arborem ſic operans, ita D. Auguſtinus lib. 8. de Geneſi ad litteram Cap. 5. & lib. 11. Cap. 40. & lib. 13. de Ciuit. Dei Cap. 20. & Cap 23. vbi ait Adam non immortalitate abſoluta atque indiſſolubili, ſed ligno vitæ à mortis neceſſitate prohibebatur, atque in Iuuentutis flore retinebatur. Idem docent Beda in Gen. D. Bonau. in 2. diſt. 19. in dub. circa litt. dub. 4. & art. 3. q. 1. & diſt. 17. in dub. circa litteram.

15 Dices, ſi illa vis eſſet, vel fuiſſet ſupernaturalis ablata fuiſſet poſt peccatum, & ſic illud lignum non indiguiſſet cuſtodia, ſicut de facto Deus illud cuſtodiuit, & poſt peccatum Dominus homini aditum præcluſit illis verbis, nunc ergo ne forte mittat manum ſuā, & ſumat etiam de ligno, & comedat, & viuat in æternum, emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis (& paulo poſt) & collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ Gen. Cap. 3. 22. & 24. Reſpondetur, quod vis illa ſupernaturalis arbori vitæ aſſiſtens non remanſit poſt peccatum, ſed remanſit altera vis naturalis, quam habebat illa arbor, qua & ſi non potuiſſet corpus hominis perpetuari; potuiſſet tamen naturam illius adiuvare, & vigorare, vt diutius viueret, ideſt longo tempore; Quod, vt homini in miſerijs conſtituto (quales erant Adam, & Eua poſt peccatum) non contingeret, intercluſus fuit ei aditus ad lignum vitæ ne forte ſumeret de eius fructu, & in tantis miſerijs diutius viueret, expediebat enim eum potius mori, quam viuere. Abulenſis in Cap. 13. Geneſis q. 163. negat fuiſſe plures arbores vitæ, nam ſi fuiſſent inquit plures vna, vel illæ fuiſſent intra Paradiſum, vel extra, non extra Paradiſum, ſic enim potuiſſet homo poſt peccatum de illa edens fugere mortem, & fruſtra Deus tanta cuſtodia aditum Paradiſi præmuniſſet; nec intra Paradiſum, nam vnicam ibi deſcribit Moyſes; Pererius autem exiſtimat de facto vnam Deum creaſſe in Paradiſo arborem vitæ, nam à Deo præſcio caſus, & lapſus Adæ quid opus erat plures vna arbore vitæ procreare?

16 Immo Toſtatus loco cit. à q. 297. vſque ad 300. & poſt ipſum Pererius q. vltima de arbore vitæ dicunt, quod Adā dum fuit in Paradiſo non guſtauerit, nec comederit fructum arboris vitæ, tum quia breuiſſimo tempore fuit Adam in Paradiſo, & fructus illius arboris non erat futurus in cibum quotidianum ad hominem alendū, ſed ad modum Medicinæ ad occurendum naturæ defectibus per longa temporum interualla ſumendus; Verum ſi ſtatus ille fœliciſſimus Innocentiæ in omnibus Adæ poſteris perduraſſet probabile exiſtimat idem Pererius numeroſiſſime multiplicato genere humano multiplicatum quoque iri arborem vitæ. Non enim tantæ hominum multitudini vnica arbor, nec ad eius quidem tantum medicinales ſatis eſſe potuiſſet; Dicebatur

Digitized by Google

autem arbor vitæ non quod vitam daret non viuenti, non enim dabat vitam niſi comedenti, nec ex eo, quod hominis vitam foueret, & ſuſtineret, id enim omnium bonorum, & ſalubrium ciborum commune eſt, neque quia multo longiorem vitam faceret ea, qua nunc viuunt homines, hoc enim præſtiterunt homini ante diluuium Herbæ, & arbores etiam, quæ extra Paradiſum erant, cum ante diluuium non eſſet cibus Carnium. Toſtatus in 13. caput Gen. q. 175. cenſet arborem vitæ fuiſſe talem, quod fructus eius vim haberet ſeruandi hominem à morte in omne tempus, & faciendi cum immortalem; Verum Scotus Doctor ſubtilis in 2. diſt. 19. qu. 1. longe diuerſam habet ſententiam, exiſtimat enim arborem vitæ non habuiſſe vim conſeruandi vitam hominis infinito tempore, ſed vſque ad aliquod definitum tempus, quo exacto translatus fuiſſet in vitam ſpiritualem, & omnino immortalem, potentia enim arboris illius finita erat, ergo effectus quoque eius fuiſſet finitus, quantum vero futurum fuiſſet ſolus Deus nouit.

17 Expedita conſideratione ligni vitę quod conferebat mãducantibus poſſe nõ mori aliqua dicenda ſunt de ligno ſeu arbore ſciẽtię boni, & mali, ex cuius eſu Manducantes homines ineuitabilem incurrebant pœnam mortis, quod quidem Lignum poſitum eſt à Deo ad experiendam obedientiam primorum Parentum. Plato (vt plures aſſerunt) cum legiſſet librum Moyſis, & non poſſet intelligere quod aliquod lignũ poſſet eſſe vitale; arborem vitæ appellauit hominem, qui viuit, quaſi ſint aliquæ arbores, quæ non viuunt, ſcilicet illæ, quæ non perueniunt ad vitam rationalem; ſimiliter (referente Toſtato loco citato q. 160. & Pererio lib. 5. in Gen. diſput. de ligno vitæ) cum non poſſet intelligere, quod aliquod lignum eſſet ſcientiæ boni, & mali retulit ad hominem, quem vocauit lignum ſcientię boni, & mali, quod bonum, & malum nouit; quod arboribus non conuenit; ſed relicta inſcitia Platonis; Dicendum eſt non poſſe eſſe in dubio (attentis verbis Moyſis) lignum ſcientiæ boni, & mali non fuiſſe arborem naturalem, & corpoream, quam Moyſes cæteris arboribus ex humo generatis, & in Paradiſo conſitis annumerauit; Deus quoque eius æſum homini mortem comminatus interdixit, ergo ferebat fructus, qui poterant ab homini comedi; Eua item aſpiciens arborem aſpectu pulchrum, fructumque eius ad veſcendum ſuauem decerpſit, comedit, & comedendum dedit viro ſuo, quæ omnia eam fuiſſe veram, naturalem, & corpoream arborem, quam manifeſtiſſime indicant; Hæc arbor ſcientiæ boni, & mali (ex Abulenſi ibidem q. 164.) forte multa alia ligna habebat in ſpecie ſibi ſimilia, quia lignum illud non determinauit ſibi aliquam ſpeciem propriam, ſed poterat eſſe in quacumque ſpecie, cum ſolum requireretur ad illud, quod eſset lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue; at in qualibet ſpecie arborum in Paradiſo inueniebatur iſtud, licet forte in quibuſdam magis, quam in aliјs. Ipſum tamen vnicum erat lignum, quod dictum eſt ſcientiæ boni, & mali; non poteſt tamen, ita determinatè affirmari in qua ſpecie arborum fuit arbor ſcientiæ boni, & mali, cum vnica fuerit, quia non fuit ſic vocatum lignum aliquod, niſi illud, de quo Deus vetuit homini comedere, & tamen vnicum vetuit licet multa eſſent in ſpecie eadem ergo vnicum erat lignum, & vnica arbor ſcientiæ boni, & mali, potuit enim ea arbor fuiſse ficus, vel Pomum &c. vel quęuis aliarum arborum. Cujus autem ſpeciei fuerit Deus ſolus ſcit.

18 Lignumque ſcientiæ boni, & mali,

Digitized by Google

mali, hoc lignum appellatum eſt arbor ſcientiæ boni, & mali, non quod in ea lateret virtus quædam accelerandi vſũ rationis; vel quod eius fructus ſi ederetur ab homine vim haberet augendi ingenium, & eius ſolertiam, ac prudentiam cogitandi, multumque conferret ad percipiendam ſcientiam, (vt ait Ioſephus) ſed eſt ſic dicta ab euentu, & ex eo, quod eum ipſius conſecutum eſt, eſt communis ferè omnium Theologorum ſententia cum D. Auguſtino lib. 8. de Gen. ad litteram Cap. 6. & Magiſtro Hiſtoriarum in Hiſtoria lib. Geneſis Cap. 13. cum Magiſtro ſententiarum in 2. diſt. 17. Secundum quos dicendum eſt ideo dictam eſſe arborem talem ex damno, quod comedentes incurrerent, & experientia diſcerent, quo bono priuarentur, & quibus malis implicarentur, quæ tantum ſpeculatiue agnoſcebant; Per hoc reſoluitur aliud dubium incidens nimirum à quo fuit Impoſitum hoc nomen Arbor ſcientiæ boni, & mali; Toſtatus in Cap. 13. à q. 156. ad q. 158. plura dicit circa hoc ex cuius doctrina colligitur, quod illud nomen illi arbori fuit impoſitum poſt peccatum ex eo, quod Diabolus dixerat Euæ, eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum, & fuit impoſitum ab ipſomet Adam, vel à Moyſe; Ab Adam quidem poterat imponi, quia poſtquam peccauit, & fuit ex Paradiſo expulſus illius Culpæ, & ſui mali memor vocauit ſic illam arborem, quam tangendo, atque de eius fructu comedendo in tantum malum, tantamque cecidit miſeriam; appetendo ſcientiam boni, & mali; ſicut dixerat ei Diabolus, atque ita poſtea Moyſes dictante Spiritu Sancto hiſtoriam Paradiſi deſcribens eam ſic appellauit.

19 Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum. Gen. 2. qui inde diuiditur in quattuor capita; ſenſus eſt vnus ſolus fluuius, non autem quattuor, qui oriebatur in Eden, hoc eſt in loco voluptatis irrigabat Paradiſum, qui tamen inde egreſſus diuidebatur in quattuor Capita, quæ quattuor fluuios efficiebant; Pererius per illum fluuium veriſimiliter putat fuiſſe Tygrim, & Euphratem ſcilicet vbi mixtis aquis vnum in locum circa Meſopotamiam confluunt, & vnius fluminis inſtar aliquanta ſpatia terrarum peragrant, & ille concurſus, & confluxus duorum fluminum fiebat in regione Eden, & vocabulo vnius fluminis, cum ante, & poſt ſint duo diuerſa flumina, quorum fontes, & origines in monte maioris Armeniæ apparent, & extant: Ad irrigandum Paradiſum, quod quattuor modis id fieri potuiſſe intelligi poteſt; primo vt ille fluuius multos ſinus, & anfractus faciens vſquequaque Paradiſum allueret, & irrigaret; ſecundo vt ex eo plures alueí ducerentur, & in omnes partes Paradiſi deriuarentur; tertio vt modo Nili, & Iordanis ſtatis anni temporibus augeſcens, & ſuperfluens Paradiſum inundaret, & irrigaret; quarto vt per ſubterraneos meatus vniuerſam Paradiſi terram humore ſuo perfunderet; vt Magiſter Hiſtoriarum docet loco cit. Cap. 14. & Toſtatus in Cap. 13. Gen. q. 178. Qui inde diuiditur in quattuor Capita, hoc poteſt referri, vel ad locum Eden, vt videlicet in illo egreſſu fluminis ex Eden ſtatim diuideretur in quattuor Capita, aut ad Paradiſum, vt fluuius ille egrediens quidem de Eden vnius eſſet, ſed ingreſſus in Paradiſum diuideretur in quattuor flumina, quibus omnis terra Paradiſi commodius irrigaretur, ſed re vera refertur ad Paradiſum, ſiue ad egreſſum illius fluminis de Paradiſo, vt flumen illud poſtquam irrigaſſet Paradiſum, eius finibus egreſſum poſtea in quattuor fluuios, ſiue in quattuor alia

flu-

flumina diſſectum, atque diuiſum.

20 Incertum eſt autem quanto interuallo poſt egreſſum eius fluminis è Paradiſo eius ſit facta diuiſio; Toſtatus vbi ſupra duos graues teſtes adducit D. Baſilium, & D. Ambroſium, quibus etiam aſſentire videtur Iſidorus affirmantes flumen illud è Paradiſo delapſum in magnam planitiem efficere lacum ampliſſimum, ex quo illa quattuor flumina dimanant, nomen vni Phiſon, ipſe eſt, qui circuit omnem terram Heuilath, vbi naſcitur aurum, & aurum terræ illius optimum eſt, ibique inuenitur bdellium, & lapis onichinus. Hic obſeruandum eſt Moyſem, tam diſtinctè, ac minutatim de fluminibus Paradiſi ſcripſiſſe, atque origines, eorum curſus, terraſque, quas præterlabuntur, earumque terrarum inſignia enarraſſe, vt pateret omnibus Paradiſum eſſe locum corporeum, & terreſtrem non eſſe ſitum ſub concauo lunæ, nec in igne, aut in aere; & vt aliqua ſigna, & inditia daret, in quibus, in qua parte orbis, in quibus regionibus, apud quas gentes conſitus ſit Paradiſus; Ita quod ſi qua extant in ſacris litteris Paradiſi veſtigia, quibus inſiſtendo ad aliquam loci, & ſitus Paradiſi notitiam ſine errore perueniri poſſit, ex profectò hæc Moyſis hiſtoria de quattuor Paradiſi fluminibus potiſſimũ cõtinet; Quocirca circa ea flumina inſiſtendo de vno quoque vidẽdum eſt, primo quid ſit, ſecundo vnde ortum habet, tertio per quas perlabuntur regiones, & quarto de ijs, quæ in vnoquoque flumine habentur inſignia, & notatu digna Iſidorus lib. 13. Ethymologiarum Cap. 1. dicit, quod Phiſon ſecundum aliquos interpretatur caterua, quia decem flumina recipit; alij tradunt interpretari abundantiam, quoniam abundat piſcibus, & quidem maximis anguillis nempe 30 (alias 300) pedum longitudinis, vt lib. 9. Cap. 3. tradit Plinius Solinus dicit; quod phiſon educit anguillas magnitudinis 30 (alias 300) pedum habentes bina brachiã adeo robuſta viribus, vt Elephantes ad potum venientes, quaſi manu rapiunt in profundum.

21 Secundum rem Phiſon negat eſſe Gangem, Pererius lib. 3., tum quia inter Gangem, & alios duos fluuios, & Eufratem intercedit ſpatium ſeptuaginta graduum hoc eſt plus quater millia, & 300. milliaria continens, at ex Moyſis narratione manifeſtum eſt hęc quattuor flumina, vt orta ex eodem capite fuiſſe inter ſe vicina, tum quia Moyſes ait hæc quattuor flumina orta eſſe ex vno flumine Paradiſi, hæc autem quattuor flumina ex remotiſſimis, & inter ſe diſtantibus locis oriri cernuntur; Ideo Pererius putat Phiſon, & Geon fuiſſe fluuios ex ipſo Tygri, vel Eufrate deriuatos, & deductos, qui diuerſum curſum agentes, alter Æthiopiam, alter vero terram Euilath peragrauerit, quo poſito ſequeretur dicta duo flumina Phiſon, & Geon nõ eſſe duo flumina æque facta ab illo flumine Paradiſi, ſicut Tygris, & Eufrates, ſed eſſe alterius fluminis rami, vel brachia; Cui obiectioni cum poſſit facilè ſatis fieri, valde probabilis videtur eſſe hæc opinio Pererij. Nihilominus Phiſon eſſe Gangem habẽtem illas miræ magnitudinis Anguillas eſt communis ſacrorum Interpretum, & Theologorum opinio, & ſententia maxime D. Hieronymi in Epiſt. 4. ad Ruſticum; Strabus, inquit Gangem in Caucaſo monte Indiæ originem habere lib. 15; Moyſes dicit, quod circuit omnem terram Heuilath; Pererius eſtimat terram Heuilath non procul fuiſſe à Palæſtina, atque Syria, & fluuio Eufrati vicinam, quia cum legatur Gen. 25. quod Iſmael habitauit ad Heuilath vſque Sur, quæ reſpicit Ægyptum introeuntibus Aſſirios patet Heuilath a

de-

Digitized by Google

nequaquam pertinere ad Indiam, ſed inter Aſſiriam, & Palæſtinam fuiſse locatam; Magiſter Hiſtoriarum, vbi ſupra, & Toſtatus in Cap. 13. Gen. q. 181. docent Heuilath eſse regionem quandam Indiæ in ſuperiori parte eius ab Oriente incipientem, & longo terrarum tractu diffundentem; Ita docent fere omnes Interpretes.

22 Tria commemorat Moyſes, quod inueniuntur in hoc flumine: vel potius in regione Heuilath ab hoc flumine irrigata ſcilicet aurum optimum, Bdeliū, & lapis onichinus; primo inuenitur aurum, & hoc commune eſt Indiæ, nam in multis partibus Indiæ circum naſcitur, vel inuenitur aurum; eſt etiam ibi Ophir, in qua aurum multum eſt, & Gemmæ; & Salomon mittebat illuc pro auro, vt patet 3. Regum Cap. 9. & 10. Dicit autem, quod aurum terræ illius optimum eſt, quoniam in hoc differt aurum terræ Heuilath ab auro aliarum regionum, quia vbicumque aurum gignitur in mineris ſit purum, quia mixtionem, vel adiunctionem alterius non habet; tamen non eſt omne aurum purum equale omni alij auro, quia perfectio ſpecifica non inuenitur æqualiter in omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei, ſed eſsentia ſpeciei inuenitur in omnibus indiuiduis eiuſdem ſpeciei ſecundum omnimodam æqualitatem, quia conſiſtit in Indiuiſibili, atque adeo aliquod aurum erit melius quam aliud, & tale dicitur eſse aurum terræ Heuilalath. De Bdelio volunt aliqui, quod ſit nomen lapidis, alij Chriſtallum Plinius lib. 12. Cap. 9. dicit, quod Bdelium ſit arbor nigra magnitudine oleæ folio arboris, fructu, naturaque Caprifici, quæ naſcitur in Arabia, in India, Media, & Babilone, & Cap. 10. inquit; Bdelium eſt arbor notiſſima nigra ſimilis oliuæ in folijs; & roboris, cujus gumma reperitur in vſibus Medicinæ, Onichinus autem eſt lapis prætioſus. 70 pro Oniſchino poſuerunt Carbunculus, & Praſinus. Eſt autem Carbunculus lapis pretioſus, & ſicut nomine ipſo præſefert ignei fulgoris tanti, vt noctis tenebras illuminare queat, de quo Plinius lib. 37. Cap. 7. Praſinus autem eſt lapis pretioſus viridis aſpectus, & porracei coloris, vnde nomen habet, nam porrum Græci Praſon vocant. De quo Plinius eodem lib. Cap. 8.

23. Et nomen fluvij 2. Gehon, ipſe eſt qui circuit omnem terram Æthiopiæ Magiſter Hiſt. vbi ſupra hiſtoria in Geneſim dicit, quod Gehon interpretatur Hyatus terræ, vel terreus, & vtrumque ſibi bene conuenit, & competit; nam fluvius iſte alicubi à terra abſorbetur, & alicubi apparet, ſicut, & cætera flumina, quæ exeunt de Paradiſo, vocatur etiam terreus, ideſt turbidus, & luctuoſus, Pererius dicit nec Gehon eſse Nilum, nec Phiſon Gangem, ſed eos fuiſse fluvios ex ipſo Tygri, vel Euphrate deriuatos, et deductos, qui diuerſum curſum agentes, alter Æthiopiam, alter vero terram Euilath peragrauerit etenim ex eo loco, vbi ſimul coeunt Tygris, & Euphrates, & inſtar vnius fluminis mixtis aquis aliquantiſper decurrunt; rurſus facto aquarum diuortio exiſtunt duo principales fluvij propria nomina Tygris, & Euphratis retinentes; Præter hos deriuabantur duo aluei, quorum alterum appellauit Moyſes Phiſon, alterum Gehon, qui recte appellari poſsunt eruptiones, vel aluei Tygri, vel Eufratis, quos alueos Vulgus ramos, ſeu brachia appellat; Hæc opinio Pererij eſt probabilis; ſi objicias ex illa ſententia Pererij ſequitur Phiſon, & Gehon non eſse duo flumina principalia, ſed tantum alterius fluminis rami, vel brachia, quæ non videntur his, quæ ſcribit Moyſes conſentanea, Reſpondetur Moyſen tantum

dicere, quod fundamentalis fluuius Paradiſi diuidatur in quattuor Capita; quattuor autẽ capita vocat ipſos quattuor fluuios; qui vnum hoc flumen Paradiſi in quattuor quaſi ramos, vel capita diuidunt, ſiue ex eo immediate oriãtur, & profluant ſiue non, & ſic Moyſes, & Pererius conſentiunt.

24 Cæterum communis omnium ſententia eſt, Gehon eſse Nilum Iſidorus lib. 3. Ethimologiarum Cap. de Fluminibus inquit Gehon fluuius de Paradiſo exiens atque vniuerſam Æthiopiã cingens vocatus hoc nomine quod incremẽto ſuę inundationis terrã Ægypti irrigat Ge enim græce terram ſignificat. Hic apud Ethiopes Nilus vocatur propter limum quem trahit, qui efficit fęcunditatem. Dices quomodo Ganges, & Nilus, qui remotiſſimi ſunt à Tygri, & Eufrate ex eodem cum ijs fonte, & fluuio Paradiſi naſci poſsunt? Nam Gãges oritur in Caucaſo monte Indiæ, Euphrates, & Tygris in montibus Armeniæ. Nilus ex Montibus Lunæ verſus promontorium bonæ ſpei, vel potius ex lacu quodam Regni Congi, vti notarunt, qui illis temporibus illa loca luſtrarunt, hæ autem origines à ſe inuicem, et conſequenter à flumine Paradiſi remotiſſimæ ſunt; Hæc eſt magna difficultas, cui reſpondet D. Auguſtinus lib. 8. de Gen. ad litteram Cap. 7. Theodoretus, Rupertus, & alij Gangem, & Nilum è terreſtri Paradiſo oriri, ſed ſubterraneis cuniculis, & meatibus abſcondi donec locis iam dictis erumpant, idque Dei conſilio ad occultandum Paradiſum; nec mirum eſt Gãgen, & Nilum ita condi, & remote oriri, Nam, & Mare Caſpium ab Oceano arctico remotiſſimo per meatus ſubterraneos prodire docet D. Baſilius, Strabo, Plinius, Dionyſius de ſitu orbis; Verum mirabile videtur tanto, & tam vaſto ſpatio hoc Paradiſi flumen, vel potius quattuor flumina ſubterra ſe condere, & poſtea tam diſſitis locis exoriri.

25 Pro dictorum intelligenza notandum eſt duplicem eſſe Æthiopiam altera dicitur meridionalis, ſeu occidentalis, altera orientalis; prima eſt in Africa, vbi eſt magnum Imperium illius magni Principis; qui ab Europeis Presbiter Ioãnis vocatur vulgo *Pretegiani*, hanc Nilus fluuios omnium totius orbis nobiliſſimus perfluit, & Ægyptum diuidens fęcundiſſimam reddit ſua inundatione quæ 40. diebus creſcit, & totidem decreſcit à die circiter 17. Iunij vſque ad 6. Octobris, ſicque hic fluuius poſt longiſſimum tractum per Æthiopiam, Africam, & Ægyptum in mediterraneum Mare exoneratur, ita Antonius Maginus in ſua Geografia Africæ, quod poteſt inſeruire ſententiæ dicentium Gehon eſſe Nilum, & interpretari verba Moyſis; Altera Æthiopia eſt orientalis vicina Arabiæ, & Meſopotamiæ Paleſtinæ, & Syriæ de qua in Pſalm. 86. ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Ethiopum, et in cantico Habacuc vidi tentoria Æthiopiæ, ſicque Madianitæ dicuntur Æthiopes cum alijs vicinis populis conſtat argumento Sephoræ vxoris Moyſis, quæ cum eſſet Madianitis Exodi 2. ea tamen in lib. Numer. Cap. 12. vocatur Æthiopiſſa. Item in 2. Paralip. Cap. 14. narrat ſcriptura Zaram Regem Æthiopum veniſſe aduerſus Iudæos cum incredibilis multitudinis exercitu, ſcilicet decies centena millia hominum continente; non eſt autem credibile eos veniſſe ex Æthiopia meridionali; De hac duplici Æthiopia vidẽdus eſt Strabus, vel Strabo lib. 1. Geographie, et Plinius lib. 5. Cap. 7. et facile intellectu eſt ſecundum Pererium non propterea Gehon intelligi debere Nilum, quia Moyſes dicat Gehon circuire terram Neuilath.

26 Nomen vero Fluminis tertij Ty-

gris

Digitized by Google

gris ipſe vadit contra Aſſirios; Hoc nomen Tygris impoſitum eſt huic fluuio à Græcis, et eſt vſitatum apud nos: Ex Hebræo dicitur acutus, et velox, ex eo quod aquę eius ſaporem quendam acutum reddunt, vel à curſu eius velociſſimo apud Danielem Cap. 10. appellatur fluuius magnus; Nomen autem iſtud Tygris, quo nos vtimur à Perſis quoque eſt frequentatum, per quorum terram fluit; Et eſt iſtud nomen impoſitum beſtiæ, & fluuio; Fera enim tygris dicitur propter eius velocitatem, nihil enim æque velox eſt incurſu; Vnde eadem ratione ſignificata nominis in vtroque reperta nempe velocitate nomen idem vtrique pariter impoſitum eſt; Ioſeph lib. 1. antiquitatum dicit, quod fluuius Tygris oritur in Armenia ex eodem fonte quo oritur Euphrates. Idem Plinius lib. 6. Cap. 27. Hic fluuius valde nobilitatus eſt Niniue quondam maxima, & in ſacris litteris celeberrima; Plinius loco cit. dicit quod Tygris influit lacum Arethuſium, deinde alterum tranſit lacum; qui Toſpites appellatur, petit Seleuciam perfundit Meſen, campos cauchos ſeccat, tandem in Mare perſicum ingreditur; Cum dicit Moyſes quod vadit contra Aſſirios, non eſt intelligendum quaſi veniat ab oriente contra occidentem, ſicut plurimi accipiunt eo, quia Tygris exit de Paradiſo, & Paradiſus eſt in oriente, atque adeo Tygris ab orientę verſus Aſſirios fluere putant, ſed non eſt ſię immo Tygris venit ab oriente contra orientem, & aliqualiter contra meridiem, ſed magis contra orientem, & tangit regionem Aſſiriorum in parte occidentali eius ex Iſidoro lib. 14. Æthymol. Cap. 4.

27 Fluuius autem quartus ipſe eſt Euphrates ſic appellatus à Græcis, & à nobis; ex Hebræo vocatur, & interpretatur frugifer; Saluſtius aſſerit Tygrim, & Euphratem de vno fonte manare in Armenia Plinius dicit lib. 5. Cap. 24. & 26. quod Euphrates perlabitur per Meſopotamiam, Seleuciam, & Babiloniam, & in Mare Perſicum ingreditur. Idem tradit Strabo dicens Euphrates fluit ad occidentem per Armeniam, quæ Maior appellatur vſque in Armeniam minorem quam à dextris habet à ſiniſtris vero Liſanam, deinde ad Auſtrum flexus confinijs Capadocum, quę ad dexteram relinquit ad ſiniſtram Comagenorum confinia; rurſumque à ſicincina, & Sophena maioris Armeniæ ad ſiniſtram relicta progreditur in Syriam, atque iterum flexum alium capit in Babilonicos, et Perſicum ſinum; Moyſes de Euphrate nihil dicit, quia erat Iudæis notiſſimus, nam à ſuo principio ex parte Septemtrionis vſque ad eius finē quando Mari Perſico immergitur eſt magis coniunctus terræ Iudæorum, quā aliquis de alijs fluvijs recenſitis, nam tranſit per terram Occidentalem Meſopotamiæ, et vadit Babilonem, tranſitque per mediam Vrbem, et per Chaldæam; Iſtæ regiones ſunt propinquæ ad terram Canaam, et ideo non oportebat de illis facere mētionem; Hæc ſatis ſint de Paradiſo terreſtri, quantum ſpectat ad condicionem habitationis primorū Parentum.

De Operibus quintæ, & ſextæ diei, hoc eſt de Auibus, Piſcibus, & Animalibus terreſtribus. Art. IV.

1\. PRoducant Aquæ reptile Animæ viuentis, & volatile ſuper terrā ſub firmamento Cœli; Poſt tractatum vegetantium creaturarum, ideſt plantarum, tam extra, quam intra Paradiſum terreſtrem, hic debito ſeruato ordine agendum eſt de Creatura ſentiente tan-

tum, id eſt de Animalibus irrationabilibus (ſuppoſita tamen doctrina philoſophica libri 2. de Anima) quæ in triplex genus diſtinguuntur nempe terreſtrium volatilium, & natantium; Terreſtria Animalia nobilitate antecedunt cætera, quia pluribus organis, quam cętera ſunt inſtructa, & quia vim habent generandi intra ſe ſibi ſimilia, quod cęteris omnibus, vel ferè omnibus eſt denegatum; Cætera enim ſolum generant intra ſe oua, ex quibus poſtea generantur Animalia ſuis parentibus ſimilia; Dixi (aut ferè omnibus) quia (vt inquit D. Baſilius hom. 7.) genus piſcium cartilaniginatum, & cætera vti ſunt Delfinus, & Vitulus Marinus eſt viuiparum, ideſt pure vniuocum, quod etiam confirmat Plinius lib. 9. Cap. 13. & 15. ſed vt plurimum piſces ſunt Animalia ouipara; ſecundum nobilitatis locum habent volatilia, eo quod plura organa, & magis diſtincta habent quam piſces.

2 Progrediens, ergo Deus ab imperfectioribus ad perfectiora quinta die producit piſces, & volatilia, & quidem congruenter, inquit Richardus de Mediauilla in 2. diſt. 15. art. 4. quia ſicut eodem die factus eſt ornatus tranſparentis naturę luminoſæ nempe die quarta, Ita eodem die debuit fieri totus ornatus tranſparentis naturæ non luminoſæ, nimirum die quinta, hoc eſt aeris, & aquæ, & vno die debuit fieri totus ornatus naturæ opacæ, ſcilicet terræ; atque ita homo, & Animantia gradientia fieri debuerunt vno die videlicet ſexta, vt infra videbitur. Deus primo loco producit quinta die piſces tanquam natura imperfectiores; ſecundo loco volatilia, ſicut refert Moyſes Gen. 1. producant (inquit) reptile Animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento Cœli reptilia vocat piſces, quia piſces non habent pedes, ſed ventre incubant aquis, quaſi repentes, & remigantes pro horum clara intelligentia notandum eſt ex D. Bonauen. in 2. diſt. 15 in dub. 1. circa litteram, quod in Animalibus differt motus rependi à motu gradiendi; nam motus rependi attenditur ſecundũ Corporis tractionem, Animal enim, quod repit anterius aliquam partem protendens, & cum illa aliquid apprehendens trahit totum corpus ſuum poſt ſe, ſicut patet in Vermibus. Motus vero gradiendi eſt per impulſionem i

4 Quantum igitur ad ea, quæ natant ſe trahunt, & protrahunt anterius, & extendendo ſe anterius quaſi tenendo ſe ad ſoliditatem, vel groſſitiem trahunt totum corpus ſuum, ſicut patet in natantibus; Hinc eſt, quod omnia natantia dicuntur reptibilia; & ſi contingat aliquando gradi, ſicut patet in Cocodrillis, & aliquibus, quæ verſantur in aquis, & in terra, vt ſunt ranæ, denominantur tamen à motu qui eſt eis magis naturalis, ſcilicet qui competit eis ſecundum habitationem in aquis; Volatilia autem non dicuntur reptilia quamuis videantur ſe ferre ſicut piſces in aquis, eſt enim diuerſus modus mouendi, quia impulſu magis mouentur quam tractu; Dum enim auis volat clauditur aer in concauitate alarum, & dum alæ applicantur ad corpus violenter aer propellitur ex parte poſteriori alarum tractu, & ex illo impulſu auis procedit anterius, atque adeo volatilia ſub reptilium nomine non comprehenduntur, nec etiam ſub genere greſſibilium, quia non mouentur virtute pedum, ſed alarum virtute.

4 Vnde Animalium diuiſio hoc pacto ſumi poteſt quantum ad motum, quia Animal, aut mouet ſe anterius trahendo, & ſic reptile, ſiue ſit in aquis, ſiue in terra, quia etiam animalia in terra viuentia ob pedum breuitatem, vt lacertæ, vel carentiam, vt ſerpentes aliqui reptilia ſunt, & reptare coguntur; aut impellendo, & hoc dupliciter aut pedibus,

bus, & ſic eſt greſſibile, aut alis, & ſic eſt volatile; Et ad id, quod dicebatur, quod reptilia ſpectant ad ornatum terræ. Reſpondetur, quod reptile dicitur quatuor modis ſecundum D. Bonauenturam vno modo vi oris, ſicut Vermes; ſecundo, quod ſe trahit vi coſtarum, ſicut ſerpentes; tertio, quod ſe trahit vi penollarum, vt piſces; quarto, quod in mouendo ſe magnam partem corporis applicat terræ, tametſi habeat pedes, ſicut lacertæ, & ſic patet, quæ ſunt reptilia; & quomodo pertineant ad ornatum aquæ, & terræ illius ſimpliciter; iſtius verò ſecundum quid; ſicque interpretanda ſunt verba Moyſis diuinam iuſſionem referentis, dum ait producant aquæ reptile Animæ viuentis, quod addidit, inquit D. Bonau. in 2. diſt. 15. in dubio circa litteram primo; vt comendaret vitam iſtam manifeſtiorem, quæ ineſt Animalibus ſentientibus, & qua ſtirpes carent; conformauit enim ſe vulgo in modo loquendi, qui non æſtimat viuere, niſi ea, quæ ſentiunt, neque tribuit vitam plantis.

5 Deus produxit piſces, & aues ex aqua de piſcibus patet; de Auibus eſt aliqua difficultas, nam Caietanus, & Catharinus putant ex terra productas eſſe. Alij potius ex aqua, vt D. Auguſt. lib. 9. de Geneſi ad litteram Cap. 1. D. Ambroſius, D. Baſilius, Eucherius, Rupertus in Gen. Damaſc. lib. 2. Cap. 9. D. Hieron. Epiſt. ad Oceanum Magiſter ſent. & Scholaſtici in 2. diſt. 15. & hoc probabilius eſt primo propter Auctoritatem tot Patrum, & Scholaſticorum; ſecundo quia idem ſentit Eccleſia in Hymno Veſperarum feriæ 5. Magne Deus potentiæ qui fertili natos aqua, partim relinquis gurgiti, partim leuas in aera; tertio quia eſt magis conforme ſcripturæ citatæ; producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram, quarto, quia multæ ſunt aues, quæ in aquis degunt; quinto, quia piſces, & aues in multis conueniunt, nam vtriſque commune eſt oua parere, carere lacte eminentibus auribus, & veſcica, Dices Gen. 2. v. 19. Dicitur formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus Cœli adduxit ea ad Adam, ergo volatilia de terra formata ſunt. Reſpondetur Moyſen ſupponere ea, quæ Cap. 1. dixerat, ac proinde noluit particulatim, ſed compēdio repetere; alioquin ſenſus integer hic eſt; formatis de humo cunctis Animantibus terræ, & formatis de aqua vniuerſis volatilibus Cœli adduxit ea ad Adam; Vide D. Auguſtinum loco citato.

6 Vel dicatur cum Nicolao de Lyra in hunc locum, quod aues, & piſces nō ſunt de ſola aqua formati, ſed ex quatuor elementis tamen ſola aqua exprimitur propter quandam conuenientiam cum illis; habet enim aqua humorem, & vaporem, per humorem conuenit cum piſcibus, & per vaporem, qui ſurſum eleuatur in aere, conuenit cum auibus. Dices Aues, & piſces ſunt omnino diſpares, & diſſimiles, ergo non videntur facti eſſe ex aqua, ſed tantum piſces. Reſpondetur negando antecedens nam magna eſt auium, & piſcium cognatio, vt recte docet D. Ambr. lib. Hex. Cap. 14. primo, quia aqua qui eſt locus piſcium, & aer qui eſt locus auium ſunt elementa vicina, et cognata propter diaphaneitatem, humiditatem, mollitiem, ſubtilitatem, & agitabilitatem, ſecundo quia tam auibus, quàm piſcibus ineſt leuitas, & agilitas; quod enim auibus ſunt alæ hoc piſcibus ſunt ſquammæ, & pinnæ hinc, & tam aues, quam piſces non habent veſcicam nec lac, nec volatum, aut natationem impediant; tertio ſimilis eſt vtriſque motus, quod enim natatus eſt piſcibus, hoc volatus eſt auibus, itaut piſces videātur eſſe aues aquatiles,

Digitized by Google

tiles, & viciſſim aues videantur piſces aerei.

7 Quarto tam aues, quam piſces caudā ſuum iter, & curſum dirigunt, itaut ab ijs nauigãdi artem præcipue à Miluo homines didiciſſe videantur, inquit Plinius lib. 10. C. 10; quinto multę aues ſunt aquatiles, vt Cycni, anſeres, Aneres, fulicæ, Merguli, Halcyones &c. Dices ſecundo piſces, & Aues ſunt mixta perfecta, ergo non ex ſola aqua conſtat, ſed etiam ex terra; Reſpondetur, vt ſupra cum Nicolao de Lira piſces dici à Moyſe ex aquis, ſicut & aues tãquam ex materia, non quod ex aqua ſola ſoleant, aut poſſint naturali via, & ratione procreari, aut generari, ſed quod in illis præpolleat aqua, non quidem quantum ad grauitatem, ſed quantum ad humiditatem, & frigiditatem, & ratione temperamenti piſcium, quod eſt planè aqueū, & quod aqua ſit naturalis eorum locus habitationis, generationis, & conſeruationis, extra quam nec gigni, nec bene habere, nec naturales actiones ſuas exercere, nec vitam tueri queant. Primi illi piſces proxime à Deo ex ſola materia aquæ generati ſunt; additis tamē ei materiæ reliquorum elementorum formis, & qualitatibus ſimilia dici poſſunt de auibus. Vide Nicolaum de Lira in hunc locum.

8 Creauitque Deus cete grandia ex Hæbreo legitur creauit Deus dracones, eodem autem nomine Draconis terreſtres atque Marini appellantur neque enim cete ac maximi piſces aliud videntur eſſe in aquis quam Dracones, & Serpentes in terra, ſicut legimus in Pſalmo 148. Dracones, & omnes abyſſi, & Ezechielis 38. de Pharaone rege Ægypti loquens, Draconi (inquit) qui eſt in Mari aſſimilatus es, & Cap. 29. ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum per cete igitur non vna aliqua ſpecies piſcium intelligitur, ſed omnes grandioris formæ, & vaſtiores corporis piſces. Dicta autem ſunt grandia, quia non ita in alijs ſicut in piſcibus inueniuntur, quæ tam prodigioſam, & vix credibilem corporis molem habeāt; Balenæ namque (vt Baſilius, & Theodoretus habent) cum ſupra aquam dorſum efferunt ingentis inſulæ ſpeciem exhibent. Plinius lib. 3. cap. 30. ſcribit Balenas Maris Indici quaternum iugerum eſſe; Piſces ducentorum cubitorum; Anguillas vero in Gange (vt ſupra dictum eſt) 300 pedum, & lib. 32. Cap. 1. tradit alios piſces 600 pedum longitudinis, & 360 latitudinis in Arabicum flumen intrare.

9 Ex quibus probabiliter colligitur maiora eſſe in aquis, quam in terra, animalia, quod & veterum teſtantur Hiſtoriæ; & noſtris temporibus experientia confirmat, vt vbertas materiæ aqueę habilitatesque ad quantamvis extenſionem, ita eſſe ſuadeat; Addit Moyſes (& omnem animam viuentem atque motabilē) ne forte, quæ ſunt aquarum animantia, quæ non rependo, ſed natando, vel pedibus ambulando incedunt, & inter volatilia ita pennas habent, vt omni vſu volandi careant, putaret quiſque aliquod genus volatilium, ſiue aquatilium animantium in hoc Domini verbo eſſe prætermiſſum; Nullum igitur Genus exceptum eſt, vbi cum cetis grandibus creata eſt in aqua omnis anima viuens eorum ſcilicet, quæ produxerant aquæ in ſpecies diuerſas hoc eſt reptilium, in natatiliū, & inuolatilium genere, ſed eorumque nullo aptæ inceſſui fixa lapidibus inhærent, vt ſunt plurima concharum genera.

10 Benedixitque eis dicens creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris &c. Veriſſimum eſt, quod Dei benedicere eſt bene facere; bene fecit autem.

Digitized by Google

tem piſcibus, & auibus hoc ipſo quod tribuit eis appetitum, vim, & potentiam generandi ſibi ſimile, vt cum non poſſint ipſa in ſe indiuidua ſemper manere, ſed moriantur, maneant ſaltem in prolibus, & filijs, & ita quaſi æternitatem quandã emulentur; omnis enim res appetit ſui cõſeruationem, & perpetuationem. Vnde explicans ſubdit, creſcite (non magnitudine hanc enim iuſtam in prima ſua creatione acceperunt) ſed vt hæbraice explicatur, fructificate, ſiue prolificate, vt numero multiplicemini; & vos ò piſces replete aquas Maris, quod euentus, & factum clarè probauit; Maior eſt enim fętura piſcium, quam auium, & auium maior eſt quam ſit Animalium terreſtrium; Hinc probatur vulgata opinio, & à ſapientibus confirmata multo vberiorem, & copioſiorem eſse piſcium, quam cęterorum Animalium generationem, cuius ſatis manifeſtum ſignum eſt ingens plurificatio ouorum, quæ in piſcibus inuenitur quo licet intelligere piſcium quã aliorum Animalium multitudinem, & varietatem eſſe maiorem; Quod etiam teſtatur Ariſt. lib. 3. de generat. Animalium Cap. 11. Hinc etiam fit, vt multi formiora ſint, quæ in humore gignuntur, quam quæ in terra; humor enim naturam habet ad effingendum, efformandumque habiliorem, quam terra.

11 His conſentanea ſcribit Plinius lib. 9. Cap. 2. nam cum dixiſſet, quæ ſunt in aquis, & plura, & maiora terreſtribus, ſubdit, cauſa (inquit) euidens eſt humoris luxuria; Quibus conſonant, quæ Dauid cecinit Pſalm. 103. Hoc Mare magnum, & ſpacioſum manibus illic reptilia, quorum non eſt numerus. Cęterum de piſcium multitudine ſcribens Plinius lib. 9. & 32. nec non Iſidorus lib. 12. Ethymol. Cap. 7. affirmant cunctorum aquatilium ſpecies eſſe 144. Toſtatus dicit piſcium ſpecies eſſe 110. Diodorus in Cathena dicit diuinam benedictionem datam eſſe ſuper producta ex aquis, & non ſuper terræ naſcentia, quoniam animalia phantaſia, & ſenſu conſtantia plantis ſunt digniora, hominique propinquiora & ideo benedicuntur Genadius in eadem cathena dicit, quod vt oſtenderet Deus maiorem apud ſe Animãtium (intellige anima ſenſitiua) quam inanimatorum curam habere; quia propter Animalia ſunt plantę ideo animantibus benedixit; tum etiam quia plantę, & ſemina perſeuerant agriculturæ labore adiupta. Animantiũ vero mutua inter ſe coitione: Theodoretus q. 17. in Gen. inquit, quod Deus cum voluit terram omnibus fructibus herbis, & arboribus plenam reddidit; Animalia vero bina condidit, merito igitur eis benedixit, vt fęcunditate ſua, alia quidem maria, alia lacus, alia flumina, alia vero aerem, alia demum terram implerent.

12 Nicolaus de Lira in hunc locum dicit, quod ideo benedicuntur animalia, & non plantæ, quia arbores factæ ſunt in Cibum Animalium, & ideo ſufficit benedixiſſe digniora; Rupertus lib. 1. de operibus Trinitatis Cap. 51. ait quod ideo Herbam, lignumque pomiferum non benedixit Deus, quoniam & ſi herba, lignumq; pomiferum multiplicetur; differt tamen ratio pro diuerſa eſſentiarum qualitate; Etenim herbam virẽtem eadem terra quæ germinat, multiplicat; & ſemen illis ipſa importat, & cadentia recipit, & ideo multiplicandæ poſteritati ſolum ipſorum eſſe ſufficit; Verum reptilibus, ſeu volatilibus ſi nullus fuiſset appetitus nõ ipſa creſcerent, & non ſtetiſset eorum genus, cum ergo initium exiſtendi accepiſſent, oportuit Creatoris Imperio naturalem illis medullitus inſeri amorem, vel appetitum, vt maſculus ardens ad ſemen ingerendum. Fœmina

nihi-

nihilominus auida foret ad recipiendũ hoc illis benedictio cõtulit; Nec benedictio eſt omnibus impartita Animalib. ſed ſolũ perfectis, & ſicut piſces in maxima multitudine repleuerũt aquas Maris, ita Aues ſuo modo repleuerunt aerẽ.

13 Ecce elementum aeris, & elementum aquæ, & elementum terræ, vt patebit in ſequentibus habent ſuũ ornatum, Quare elementum ignis caret ſuo ornatum. Reſpondet Alexander Alenſis 2. p. q. 53. mem. 2. quod licet ignis pertineat ad mediam naturam inter Cçlum, & terram tamen non habuit ornatum diſtinctum, nec ſecundum ſui partem ſuperiorem, quæ dicitur olimpium Cœlum, nec ſecundum inferiorem, quæ dicitur Cçlum Igneum, quia non eſt locus vbi poſſint viuere Animalia, ſi enim animalia in ſuperiori Aeris parte viuere nequeunt, quæ dicitur Ether (vt docet D. Auguſt. lib. 1. cõtra Manicheos) eo quod Vapores ad ipſum aſcendere non poſſunt, & nulla ſit ibi commixtio, & ideo nec poſſunt ſaluari, quia res ex eiſdem ſaluatur, ex quibus generatur multo minus in Cçlo olimpio, vel igneo non poterunt ſaluari ob fortiorem rationem, ideo illæ partes ignis carent ſuo ornatu; Item natura ignis eſt deſtruere alienum corpus, quod deſtructibile eſt, & quod fertur de Salamandra, & alijs beſtiolis, quod naſcantur viuant, & conſeruentur in igne. Reſpondetur, quod ignis non eſt locus naturalis alicuius rei, quamuis per breue tempus poſſit aliquid in ipſo conſeruari, quod patet ex Galeno in libro de ſimplicibus medicinis, & ex Ariſtotele lib. 5. de Hiſtoria Animalium Cap. 19. circa finem lib. 2. de Generat. Animalium Cap. 3. & libro 2. Meteor. Capit. & lib. 2. de Gen. & corrupt. tex. Com. 21. Reſtat ergo, quod ipſa lux in vtroque Cœlo eſt corporis ſui ſufficiens ornamentum; & ſicut Cœlum aqueum, ſiue Chriſtallinum nullum habet ornamentum præter ſui perſpicuitatem luminoſam, nec Cœlum Empyreum habet ornatum corporeum præter ſuam lucem; Hoc idem dici poteſt de Cœlo æthereo; Cœlum enim æthereum habet ſuam perſpicuitatem non luminoſam, quæ ſatis eum ornat.

14 Dixit quoq; Deus, Producat terra animam viuentẽ in genere ſuo iumẽta, & reptilia &c. Recte proceſſit Deus & ſuo ordine in fabrica huius mundi, nam poſt irradiatum ſideribus Cœlum, poſt impletum volatilibus aerem, qui ob viciniam Cœli nomen meruit, & poſt locupletatas ſuis animãtibus aquas, quæ & ipſe aeri ſunt magna naturæ vicinitate coniunctç, vnde ex illis ſumpſit imbres, niues, gradines, &c. hujuſmodi Cõſequẽs erat terrã quoq; ſuis Animantibus, hoc eſt ex ſe materialiter genitis impleri, nam & ipſa perſpicuam habet cognationem cum aquis, vtpotè, quæ ſine earum ſucco, & irrigatione non ſolum fructificare, ſed nec ipſa conſiſtere poſſit D. Petro atteſtante qui ait, quia Cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam conſiſtens Verbo Dei. Supremam itaque manum huic vniuerſo fabricando, & exornando exhibiturus Deus primo loco terreſtria Animalia, quç rationis expertia ſunt producit tanquam ea, quæ ſola deſiderabantur ad complementum totius ſuppellectilis, quæ in huius vniuerſi domicilio ad vſũ, & oblectationem hominis præparabatur. Vnde ſubdit ſcriptura, Dixit quoque Deus producat terra. Miniſtrando ſcilicet materiam, vel fiant, ſeu producantur de terra Animalia viuentia, ſic quod voluntas Dei erat ibi pro cauſa efficiente, terra vero erat materialis cauſa in potentia obedientiali, & non naturali, quia potentia naturalis præſupponit rationem ſeminalem, nulla autem talis eſt in terra, nec in aqua, nec in aere ad formanda animalia; non enim poſſibile

eſt

eſt talia elementa capacia eſſe tantę virtutis, vt per ſe Animalia cuiuslibet generis generare queant.

15 Diſtinguit hoc loco Moyſes tria Animantium terreſtrium genera hoc eſt iumenta, quo nomine comprehenduntur omnia magis domeſtica, & familiaria homini, vt canes, æqui, boues, oues, & alia huiuſmodi; Deinde beſtias, quod vocabulum ſignificat agreſtes, & feras animantes, quæ imperium humanum ferre omnino reluctant, vt Leones, Pantheræ, Tygres &c. Denique reptilia, in quibus continentur tam ea, quæ nullos habent pedes, vt ſerpentes, quam quæ habent, ſed ad modum breues, & exiguos, quibus parum ex terra elato corpore mouentur, vt formicæ, & lacertæ, & (vt clarius, & diſtinctius de productione Animalium terreſtrium loquamur) dicamus, quod hac ſexta die creatę, ſeu productę sũt omnes omnino Animalium terreſtrium ſpecies, quæ perfectæ ſunt, & homogeneæ, ſiue vniuocæ, ideſt quæ per commixtionem Maris, ac feminæ ex vna tantum ſpecie naſci poſſunt, ita paſſim docent Interpretes, & Scholaſtici; Probatur quia hoc requirebat perfectio vniuerſi; Deus enim hiſce ſex diebus Vniuerſum hoc perfecte condidit, & exornauit vnde ſequitur eum hiſce ſex diebus omnia; ideſt omnium rerum ſpecies creatas eſſe, atque etiam hinc ſequitur.

16 Verum illud ſcripturæ dictum, quod Deus die 7. ceſſaſſet ab opere ſuo, ſic intelligitur ſcil. à nouarum ſpecierum productione; in quarum numerum non conueniunt Animalia, quæ ex congreſſu diuerſarum ſpecierum generantur, vt mulus ex equa, & Aſino, Lyncs ex Lupo, & ceruã, Tytirus ex hirco, & oue, & ex Leena, & Pardo Leopardus; Hæc inquam non neceſſe eſt dicere hoc die ſexto eſſe creata, atque de facto non omnia hæc eſſe creata certum eſt, ita Rupertus, Molina, & alij, licet Pererius contrarium ſentiat; Probatur hoc aſſertum primo, quia in Africa indies oriuntur nouæ monſtrorum ſpecies, & plures deinceps orientur, atque oriri poſſunt ex noua aliarum, & aliarum ſpecierum, ſiue animalium commixtione, quæ eſt præter naturam, & adulterina; ſecundo probatur, quia hæc animalia ſufficienter cenſentur creata, quando aliæ ſpecies creatæ ſunt, ex quarum cõmixtione poſtea erant naſcitura. Hoc eodem die ſexto omnes beſtiæ venenoſæ, vt ſerpentes, & ſibi inuicem inimicæ, ac Carniuoræ, vt Lupus, & ouis creatæ ſunt, adeoque cum hac Inimicitia; & anthipatia creatæ ſunt; hæc enim anthipatia eſt illis naturalis; Itaque ante peccatum Adæ natura lupi erat Inimica oui, eique necem intuliſſet, Dei tamen prouidentia cauiſſet ne id fieret antę ſpeciem iam propagatam, & multiplicatam, vt illa non intercideret, ita D. Auguſtinus lib. 3. de Geneſi ad literam Cap. 16. & D. Thomas p. par. q. 96. art. 1. ad ſecundum; Non deſunt tamen aliter ſentientes.

17 Homini tamen non nocuiſſent ſi non peccaſſet; quandoquidem etiam poſt peccatum Adæ pluribus, & probatis exemplis ſcimus Leones, & varias beſtias ferociſſimas hominibus non nocuiſſe; immo beneuolum obſequium præſtitiſſe; poterant ergo, & iſta creata nihil nocere, ſi cauſa non extitiſſet, vel terrendorum, puniendorumque vitiorum; vel probandæ perficiendæque virtutis, quia & exempla demonſtrandam ſunt patientiæ ad profectum cæterorum; et ipſe ſibi homo tentationibus certius innoteſcit, et iuſſe ſalus illa perpetua, quæ amiſſa eſt per voluptatem fortiter recipitur per dolorem; In animalibus cum non ſint vitia vindicãda, nec virtus probanda, non eſt cur nõ admittamus inter illa illam naturalem

Digitized by Google

antipathiam etiam ante peccatum Adę; quia per huiuſmodi peccatum natura animalium non eſt mutata, vt quibus nunc naturale eſt comedere aliorum Animalium carnes, tunc vixiſſent de herbis. Quare cum id naturale illis ſit non eſt, quod miraculum ſine neceſſitate admittamus, quo id fuerit, et fuiſſet impeditum.

18 minutiſſima animalia quæ de viuorum corporum vitijs, vel purgamentis, vel exhalationibus, aut Cadauerum tabe gignuntur, vt pediculi cimices, pulices, tinea, vermes, qui ex corporibus mortuis gignuntur, vel quæ de corruptione lignorum herbarum, vel fructuum abſurdiſſimum eſt dicere tūc actu creata fuiſſe; Conceditur tamen ipſa virtualiter in illis animatis fuiſſe creata, quatenus illis iam inerat quædam vis naturalis, & quaſi diſſeminata materia, & quodammodo initiata primordia futurorum Animalium; quæ de corruptionibus talium corporum pro ſuo quoque genere, & differentijs erant exortura per adminiſtrationem ineffabilem omnia mouētis, & incōmutabilis Creatoris; Si autē fiat ſermo de Animalibus, quæ ex elementis per cauſas naturales oriri poſſunt, vt ſunt muſcæ, culices, veſpæ, & alia ſimilia, quorum omnium non poſſumus rectè dicere Deum nō eſſe Creatorem, ineſt enim omnibus quoddam naturæ ſui generis decus, vt in his bene conſideratis maior ſit admiratio, & laus vberior omnipotentis artificis, qui omnia in ſapientia fecit. Creauit enim minima corpore, acuta ſenſu animantia, vt maiori attentione ſtupeamus agilitatem muſcæ volantis, quam magnitudinem iumenti gradientis, ampliuſque miremur opera formicarum, quam opera, vel onera Camelorum.

19 Vnde D. Auguſtinus in Pſalm. 148. ait Vnam beſtiolam breuem minutiſſimam conſidera, quam volueris, ſi conſideres ordinem membrorum ipſius, & animationem vitæ, qua mouetur per ſe, fugit mortem, amat vitam, appetit voluptates, deuitat moleſtias, exerit ſenſus diuerſos, viget in motu congruo ſibi; Quis dedit aculeum culici, quo ſanguinem ſugat? quam tenuis fiſtula eſt, quæ ſorbet, quis diſpoſuit iſta? & quis fecit? expaueſcis in minimis lauda magnum. Hæc D. Auguſtinus; Dices quid opus erat vt tā multa Animalia Deus faceret, ſiue in aquis, ſiue in terra, quæ hominibus non ſunt neceſſaria; multa etiam perniciosa, & immunda Reſpondet D. Griſoſt. hum. 7. in Geneſim, quod non ſit omnino malum, vel inutile quicquid à Deo cōditum eſt, manifeſte oſtendunt ea Moyſis verba, & vidit Deus, quod eſſet bonum in ſingulis rerum productionibus replicata, eſſet enim nimis operoſum, ſi vellemus admirabiles reſpectus diuinæ ſapientiæ, potentiæ, & bonitatis in his producendis Animalibus, ego vere fateor me neſcire, quare ranæ, aut muſcæ creatæ ſunt, aut vermiculi; Video tamen omnia in ſuo genere pulchra eſſe, quamuis propter noſtra peccata multum nobis videantur aduerſa; non enim animalis alicuius corpus, & membra conſidero, vbi non menſuras, & numeros, & ordinem inueniam ad vnitatem concordiæ pertinere, quæ omnia vnde veniant non intelligo, niſi à ſumma menſura, & numero, & ordine, quæ in ipſa Dei ſummitate incommutabili, atque æterna conſiſtunt.

20 Sed audiamus Damaſcenum lib. 2. de fide Cap. 25. docte, & piè hanc difficultatem abſoluētem; Eduxit etiam terra (inquit) Mundi opifice mandante omnimoda genera Animalium, reptilium, ferarum cicurum, ac pecorum, vniuerſa quidem ad opportunam hominis vtilitatem, ſed horum hæc ad ci-

bum,

ſum, vt ceruos eues, capras, & huiuſmodi, hæc ad miniſterij vſum, vt camelos, boues, equos, & id genus, illa vero ad voluptatem, vt ſimias, & diuerſa ſpecies auium: ſed & plantarum, & herbarum, hæ quidem fructiferæ ſunt, æſuique accommodatæ, hæ odoriferæ, & floridæ nobis ad delectationem tributæ, vt roſa, & huiuſmodi, hę ad morborum curationem, non eſt enim animal, aut planta, in qua operationem quandam hominum viui conducẽtem non impoſuerit conditor rerum, ac opifex. Hæc Damaſcenus.

De Productione primorum Parentum Adami, & Euæ, quoad eſſe ſubſtantiale, tam corporale, quam ſpirituale. Cap. III.

De formatione Adæ quantum ad Corpus. Art. I.

1 FAciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram Gen. 1. Ver. 26. D. Gregorius Niſſenus de Creatione hominis Cap. 2. Nundum (inquit) magna hæc, & præcioſa res homo Mundi Dominus aderat, nec enim decuerat prius exiſtere Principem, quam illa, quorum gereret principatum; ſed vbi cuncta ei ſubijcienda parata ſunt, iam conſequẽns erat apparere Rectorem; Quia igitur quoddam Regni domicilium futuro Regi creator vniuerſitatis effecerat in hunc Mundum hominem protinus introduxit, vt quorundam miraculorum ſpectator exiſteret, quorundam vero dominatum principaliter obtineret, quatenus per ea, quibus vteretur, intelligeret largitorem; per ea vero, quæ pulchra, & magnifica contemplatur, ineffabilem ſui factoris poſſet inueſtigare potentiam; Propterea nouiſſimus in hunc mundum poſt creaturam introductus eſt homo, vt nõ viliſſimus in extrema parte proiectus, ſed quem decebat genitum mox eſſe Rectorem; Nam ſicut quidam optimus inuitator non prius in domum pranſorem, quam præparet epulas introducit; ſed omnem apparatum inſtruens, domumque congruenter exornans diſcubitum quoque, & menſam, & cętera; tunc ad præparatas iam delicias conuocatum inuitat; Iuxta hunc modum diues, & copioſus noſtræ conditor, educatorque ſubſtantiæ bonis omnibus replens habitaculum mundi huius, & magnas has epulas variaſque diſponens ſic introduxit hominem dans ei opus eximium cuſtodiẽdi mãdatum, quo non appetitu rerum non ex tantiũ, ſed præſentium poſſeſſione gauderet.

2 Iſtum Dominum, iſtum rectorem pluribus, & eximijs excellentijs exornauit; quarum prima eſt; quia eſt prima Mundi increati ideſt Sanctiſſimæ Trinitatis imago, & eius infinitæ artis, & ſapientiæ teſtimonium, & opus perfectiſſimum, Creati vero Mundi homo eſt finis compendium, vinculum, & nexus, omnes enim rerum ſpiritualium, & corporalium gradus in ſe habet, & nectit homo, ideoque eſt, & vocatur Micocroſmos, atque à Platone vocatur Horizon vniuerſi, quia diſterminat, & in ſe coniungit ſuperius Hemiſphęrium puta cœlum, & Angelos, atque inferius puta terram, et bruta; homo enim partim Angelis, partim brutis eſt ſimilis; ſecunda quia per Chriſtum hominem omnes pariter creaturæ, quæ in homine quaſi in micocroſmo continentur erant Deificandæ, tertia quia prop-

ſic hominem, & cum homine vti mundus eſt conditus ita, & in reſurrectione renouabitur, quarta ſummum fidei miſterium ſcilicet Sanctiſſimæ Trinitatis, & indiuiduæ vnitatis primum in productione hominis reſeratum eſt, quod poſtea in eiuſdem hominis regeneratione puta in Baptiſmo aperte declarandum, & profitendum erat, nam illa verba faciamus almam Trinitatem ſignificant, vnitatem vero indicant illa verba dixit Deus fecit Deus.

3 Quinta animalia, & plantæ ex terra, & aqua generatæ dicuntur, at ſolus Deus corpus hominis finxit, & figurauit, illique Animam rationalem à ſe ex nihilo creatã indidit ſexta homo factus eſt à Deo rector, & Princeps omnium animalium etiam maximorum totius mundi quaſi Rex; ſeptima aſſignauit Deus homini ad habitandum, & ſe oblectandum Paradiſum delitijs, omnique rerum copia inſtructiſſimum, octaua creauit Deus hominem tanta integritate animi, & Innocentia præditum, vt & mens ſubiecta eſſet Deo, ſenſus rationi, corpus animo, et omnes animantes hominis imperio ſubderentur; hinc factum eſt, vt nudus non erubeſceret, nona Adam congrua ſua ſingulis animalibus nomina impoſuit; vnde elucet ſumma eius ſcientia, et ſapientia, vt et ipſæ animantes quaſi agnoſcerent, et profiterentur ſe pro Rege, ac Domino habere hominẽ. Decima corpus habuit immortale, vt ſcilicet, (ſi Deo pateret) longiſſimo tempore mortuus actu non fuiſſet in terra, ſed eo peracto in cœleſtem vitam translatus fuiſſet. Vndecima Deus Adamum inſigniuit prophetiç dono cum dixit. Hoc nunc os ex oſſibus meis. Duodecima Deus ſçpe ſub ſpeciẽ humana apparuit, et cum eo ſæpe locutus eſt, et conuerſatus.

4 Ex his colligitur, ideo Deum ſex die non coniunxiſſe hominis facturam, ſeu condicionem cum alijs animalibus terreſtribus, vt oſtenderet nobilitatem huius creaturç ſuper alias ob ſpecialem prærogatiuam animæ rationalis, ita D. Auguſtin. lib. imperfecto de Gen. Cap. 16. Alexander Alenſis 2. p. q. 55. memb. 1. D. Bonauentura in 2. diſt. 16. in dub. circa litt. dub. 1. Colligitur ſecundo, ideo in productione hominis Deum locutum in prima perſona faciamus, vt ex modo loquendi oſtenderet ſe facere velle perſonam potentem loqui ad ſuã Imaginem, quod alijs animantibus hoc naturaliter competere non poterat, ita Alexander Alenſ. et D. Bonau. locis citatis; vel ideo in alijs animalibus, et plantis producendis ſermo fuit in tertia perſona, & in hominis formatione in prima perſona, quia natura reliquorum animalium, & plantarum eſt terra, & de potentia materiæ diſpoſitæ educitur forma; non ſic autem de Anima hominis, quæ inter formas altiſſimum gradũ tenet, non enim poteſt educi de potentia materiæ, ſed à Deo poſt creationem inducitur; Et quia ſecundum regulam philoſophi illud dicitur generare compoſitum, quod formam coniungit materiæ; & cum Deus ſolus Animam creare poſſit, & ſolus creatam formaliter corpori vnire ipſe proprie hominem producere dicitur; & ſi dicamus, quod vnus homo gignit alium, accipimus large prout miniſtrat materiam, & virtutem diſpoſitiuam, ſcilicet vim organizativum, ſed generatio hominis nunquam fieret, niſi Deus animam ſupernaturaliter crearet, & formaliter corpori vniret.

5 Nam duo ſunt ſuper potentiam naturalium cauſarum in hominis generationem ſcilicet animæ creatio, quia nemo creat, niſi Deus, & formalis vnio, ſcilicet vt anima corpori vniatur, ita vt ſit forma ſua, & illud vegetet, ſenſificet, & rationem tribuat; ſi enim anima ſeparatetur

Digitized by Google

raretur à corpore per mortem, licet poſtea poſſet permiſſione diuina corpori relicto applicari, vt motor, ita vt illud corpus moueret, tamen non poſset etiā Deo permittente ſeipſam corpori vnire formaliter, & illud viuificare, ſi Deus ſua potentia eam non vniret, nec etiam Angelus poſſet; Quare reſuſcitare mortuum, cum ſit corpori Animam vnire formaliter, eſt potentiæ infinitæ. Expreſſit ergo Deus ſuam actionem ſupernaturalem dicens faciamus etc. ita Liranus hic, et Toſt. in 1. Geneſ q. 27. alij docent, quod ideo dixit Deus faciamus, vt ſignificaret ſe quaſi cū ratione quadam, et conſilio, et quadam deliberatione ad creandum hominem acceſſiſſe ſcilicet, vt ea re ſignificaret, quod creādum erat, id omnibus rebus antea creatis longe præſtantius futurum, nimirum conſilij rationis, prudentiæ, et ſapientiæ particeps, quod cæteris rebus corporeis conceſſum non fuerat, Cum ergo homo inter viſibilia omnia dignitate præcellat, propter quem condita ſunt omnia Cœlum ſol, cætera aſtra, terra, aqua, reptilia, volatilia, terreſtriaque animalia omnia, ideo tanto conſilio, tantaque circumſpectione opifici opus fuit, ita Origenes hom. 1. in Gen. Griſoſt. hom. 8. Beda in hunc locum.

6 Alij dicunt, quod propterea inducitur Deus quaſi conſultabundus ad creationem hominis accedere, vt ex eo liceret exiſtimare quantæ molis futurū erat hominem non tam condere, quam conditum in ſanctitate, et fœlicitate; quam a Deo acceperat conſeruare, & eam iterum reſtituere; Nam qui hactenus de ſingulis dixit, fiat, & factum eſt, nunc autem tanquam à circuitu terræ, Cœli, et Maris laxabundus reſederit, et inter reſpirandum in mentem illi venerit adhuc vnum deeſſe, quod deceret, et oporteret fieri, faciamus, inquit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ita Rup. Abbas lib. 2. de operibus Trinit. Cap. 1. Poſtremo dici poteſt, vt docent Origen. hom. 1. in Gen. Griſoſt. hom. 8. Ambroſ. lib. 6. Hexam. Cap. 7. & D. Auguſtinus lib. Imperfecto de Gen. Cap. 16. lib. 3. de Gen. ad litt. Cap. 10. & lib. 16. de Ciuit. Dei Cap. 6. quod ideo dictum eſt faciamus, vt verbo illo miſterium Sanctiſſimæ Trinitatis indicaretur in trinitate Perſonarum, at quæ ſubſtantiæ identitate, nam illud faciamus, & illud ad noſtram clare indicant multitudinem, & diſtinctionem perſonarum, at vero illud dixit Deus, et illud item creauit Deus hominem ad imaginem, et ſimilitudinem ſuam ad imaginem Dei creauit illum ſubſtantiæ vnitatem apte declarant.

7 Cum dixit Deus faciamus non eſt locutus locutione vocali, ſeu organica, quia oportuiſſet, quod eſſet alius, ad quem talis locutio fieret, et qui natus eſset accipere cognitionem per locutionem; ſed tunc non erat aliquis eiuſmodi; nam inter perſonas non eſt locutio aliqua, et à fortiori non eſt locutio vocalis; Inter Angelos quoque non eſt locutio vocalis, nec ad eos eſse poteſt, quia illi non ſunt apti ſic cognitionem accipere, cum non habeant ſenſum auditus, neque organa aliqua; cum ſint ſubſtantiæ incorporeæ, locutio autem vocalis ad ſolum hominem fieri debet, quia ipſe ſolus eſt, qui per eam capit alienos conceptus; Cæterum hic locutio non fuit facta ad hominem, quia nūdum fuerat conditus, ſed per illud dicere ſignificatur aliquid mentale, cui applicantur illa, quæ his verbis ſignificantur, ita Toſtatus in Geneſim Cap. 13. q. 306. & 307. dicit quod illud ponitur ad ſignificandum conſilium Dei, de iis, quæ pertinebant ad hominē, licet enim Deus non conſilietur, quia eget conſilio, & in eo non habet locum dubitatio, neque inquiſitio, neque inuentio, ſed

eſt

eſt in eo cognitio tota, et plena, et ſemper manens; tamen homines circa res magnas conſiliantur, et non capiunt, quomodo aliquis intelligens, aut ratione vtens poſſit aliquid arduum rectè facere ſine conſilio, introducit ſcriptura Deum circa res magnas, vel vt conſiliantem, et potiſſimè circa ea, vbi aliquibus malum illaturus eſt aut pœnam.

8 Dicendum igitur cum Alexandro de Ales 2. p. q. 55. memb. 2. D. Thoma 1. p. q. 31. art. 4. ad 2. Nicolao de Lira hic, & Toſt. loco cit. quod iſta locutio eſt nomine diuinarum perſonarum inter ſe; vox enim hæc (faciamus) eſt vel patris ad filium tanquam conſiliarium ſuum, vel totius Sanctiſſimæ Trinitatis, ac proinde trium perſonarum ſe ipſas ad hoc inſigne opus inuitantium, quamvis propter originis dignitatem patri attribuatur, & applicetur quaſi loquenti ad alias perſonas, & non eſt quaſi locutio facta ad Angelos. Dicit ergo faciamus in plurali ad denotandum pluralitatem diuinarum perſonarum; Hominem; Homo hic non eſt idea hominis abſtracti, & vniuerſalis, qui ſit cauſa, & exemplar omnium ſingularium hominum, vt ex Platone voluit Philo; non etiam homo hic eſt animus hominis quaſi dicat, Animum hominis ornemus noſtra Imagiue puta gratia, vt explicat D. Baſilius, et Ambroſius; ſed homo eſt ipſe Adam primus homo, parenſque cæterorum omnium, in Adamo enim, et per Adamum Deus fecit, et creauit cæteros homines.

9 Faciamus hominem etc. Philo in lib. de opificio Mundi, et in lib. de profugis dicit Deum locutum eſſe cum Angelis; quippe qui homini creando etiam nauarunt operam ſuam; affirmat enim Animum hominis creatum eſſe à Deo, corpus autem, et partes animæ alenus, & ſentientis ab Angelis eſſe formatas. Idque ſumpſit Philo ex Platonis Thimęo, in quo Deus inducitur creato hominis animo loquens cum diis ſecundis ideſt Angelis, eiſque mandans, vt opificium eius imitati procreent ipſi cęteras animantes, hominiſque corpus forment; Hanc interpretationem D. Griſoſt. Hom. 8. in Gen. D. Baſilius hum. Theodoretus q. 20. in Gen. D. Cirillus aduerſus Iulianum lib. 1. D. Ambroſius lib. 6. Hemar. Cap. 7. D. Auguſtinus lib. 3. de Gen. ad litt. Cap. 16. & lib. 16. de ciuit. Cap. 8. Nicolaus de Lira hic & Toſt. in Gen. Cap. 13. q. 306. vt maxime impiam deteſtantur, & vt maniſeſtè falſam, & abſurdam ac diuinæ ſcripturæ euidenter contrariam valide confutant; primo Angeli non poterant concurrere ad Creationem animæ ex Scoto in 4. ſentent. diſt. 1. q. 1. quæ cũ ſit incorporea, & ſpirituales creatur de nihilo, quod requirit virtutem infinitam propriam ipſius Dei, nec ad formationem corporis humani, cum Deus ipſe de limo terræ formauit ipſum, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, ergo in formatione corporis Adæ non eſt locutus cum Angelis.

10 Secundo perſonas illas, cum quibus loquebatur Deus non fuiſſe Angelos à parte demonſtrat Moyſes per hæc Verba ſubiungens creauit Deus hominem, & Exodi 5. in die (inquit) quo creauit Deus hominem; ſimiliter per alia verba ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; Non enim Angelus eſt idea, & exemplar hominis; & in ſacris litteris nuſquam reperitur hominem ad imaginem Angeli eſſe factum, ſicut non ſemel legimus hominem dici imaginẽ, ad imaginem, & ſimilitudinem Dei eſſe factum. Poſtquam enim dixit faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, eundem fecit, ſicut dicit ſcriptur; ideo mox ſubiecit, & creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimili-

Digitized by Google

militudinem ſuam; & Cap. 5. in die qua creauit Deus hominem ad ſimilitudinem Dei fecit, & Cap. 9. ad imaginem quippe factus eſt homo, ergo non ad imaginem Angelorum; Concedimus etiam in Angelis reperiri Imaginē Dei, & ipſos eſſe factos ad imaginem, vt ſatis viſum eſt in ſuperiori libro; & quidem potiori modo, Angelica enim natura eſt præſtantior (ſubſtantialiter loquendo) quam natura humana.

11 Stat ergo veritas, quod corpus Adæ primi hominis fuit conditum, & formatum à Deo, non ab Angelis, vel alia creatura. Vnde dicit D. Auguſtinus lib. 9. de Gen. ad litteram Cap. 15. formare, vel edificare coſtam, vt mulier eſſet vſque adeo non potuit niſi Deus, vt nec illud quidem Carnis ſupplementum in corpore viri, quod in illius coſtæ locum ſucceſſit ab Angelis factum eſſe crediderim; ſicut nec ipſum hominem de terræ puluere; Hæc aſſertio eſt de fide certa contra quoſdam Philoſophos, & Hæreticos, qui exiſtimarunt res corporales à Deo fuiſſe productas mediantibus Angelis, vt ſupradictum eſt; & confirmatur ex D. Aug. lib. 3. de Trin t. Cap. 8. & 9. vbi generatim docet nullas res naturales ab Angelis fieri poſſe, niſi per accidens, ſi nimirum per motum localem applicentur actiua paſſiuis, quod longo ſermone probatur in præcedenti libro; Dices eiuſdem eſt potentiæ, & amplioris reformare corpora mortuorum ex puluere, & formare ex puluere, vtrobique enim videtur eſſe potentia paſſiua, vel obedientia materialis tantum; primum autem fiet miniſterio Angelorum, ſicut dicitur, ergo videtur, quod & ſecundum fieri poſſit, atque adeo, quod corpus primi hominis potuit formari de Luto miniſterio Angelorum; Dices ſecundo corpus Adę fuit tempore ſex dierum ſeminaliter in quattuor elementis, ergo ſi Angeli cognouerunt proportiones elementorum, quæ requirebantur ad productionem corporis humani; conſtat, quod miniſterio eorum poterant coaptari, ſeu compingi in tali proportione, relinquitur, quod etiam poterant corpus primi hominis formare.

12 Reſpondetur ad primum; quod non eſt ſimile de formatione, et reformatione; nam in pulueribus, ex quibus erit reformatio, erit quædam aptitudo, ſiue appetitus ad hoc; quod ſimul vniātur in corpore, et vlterius ad vnionem cum Anima, quæ quidem aptitudo non erat in pulueribus, vel in luto, ex quibus, vel ex quo formabatur corpus primi hominis; Reſpondetur ſecundo, et melius cum Doctore ſubtili in 4. diſt. 43. q. 3. art. 3. et q. 4. art. 1. & 2. quod collectio cinerum, ſeu partium corporum fiet vtique miniſterio Angelorum in corporum reſurrectione; ſed corporis formatio, quoniam fiet in inſtāti, fiet immediate virtute diuina, nam Angelus non poterit illam formam ſubſtantialem inducere in materiam in momento, et ſine præuijs diſpoſitionibus, atque adeo ita ſoli virtuti actiuæ diuinæ ſuberit productio ſecunda, ſicut eidem ſoli ſubeſt prima hominis productio.

13 Ad ſecundum dicitur, quod & ſi Angeli ſciant proportiones elementorum, quæ requiruntur ad formationēm corporis humani, & elementaria materialia humani corporis debita formatione compingere, tamen corpus humanum formare nequeunt; illam enim harmoniam, & diſpoſitionem, qua aptū eſt ad ſuſceptionem Animæ rationalis perficere non poſſunt formando organa, & inſtrumenta operationum vitalium, quod neceſſario requiritur ad cōpletam formationem in ordine ad finē ſuum; quod verificatur de Angelis tam bonis, quam malis, quia omnibus ineſt

ſua

ſita vis, & virtus naturalis, nam in malis Angelis naturalia poſt peccatum remãſerunt integra, & quod circa formationem corporis primi parentis negatum eſt Angelis negatur à fortiori cuilibet alteri creaturæ inferiori, nam vt docet D. Thom. 1. p. q. 91. art. 2. ad tertium inſtar miraculi fuit, quod in materia limi, id eſt terræ, & aquæ immediate introducta fuerit forma humani corporis cũ ſuis diſpoſitionibus requiſitis, Quare hoc non ab Angelis, aut alio agente naturali, ſed à ſolo Deo fieri potuit; Et hæc ſatis de cauſa efficiente corporis primi parentis.

14 Cauſa formalis modus ſiue modo exeũdi in eſſe eiuſdem corporis, an ſcil. corpus Adæ per creationem, vel aliter productum fuerit ex infra dicendis notum fiet; obſeruandum iuxta Alexandrum de Ales p. 2. q. 76. memb. 1. quod iu productione rerum poteſt multiplex eſſe defectus in principijs, vno modo poteſt eſſe defectus, quia neutrum eſt aliquo modo, vt quando tam materiale quam formale principium ſimpliciter non eſt; ſecundo, & ſi principia aliquo modo ſint, tamen non ſunt ſufficientia; & hæc inſufficientia poteſt eſſe ex parte principij formalis tantum, vel tantum ex parte principij materialis, vel ex parte vtriuſque ſcilicet materialis, & formalis; In ſufficientia autem ex parte principij materialis poteſt eſſe nedum, quia nulla eſt materia, ſed quoniam res materialis, de qua aliquid educi debet eſt imperfectæ quantitatis reſpectu rei educendæ; ſicut fuit coſta Adami reſpectu corporis Euæ; ſi contingat defectus priori modo hoc eſt ſi neutrum dictorum principiorum aliquo modo eſt, vt in prima productione Cœli, & terræ ſic Creatio, ſic eſt creatio proprie, in principio creauit Cœlum, & terram; ſi autem defectus contingat ſecundo modo, tunc eſt creatio ſecundum quid, ſicut modo primo fuit creatio ſimpliciter; cum enim Deus formauit corpus Adæ de limo terræ tunc fuit creatio ſecundum quid, de qua dicitur Eccleſiaſtici 18. Deus creauit de terra hominem, & informatione Euæ de coſta Adæ de qua inquit D. Auguſtinus lib. 9. ſuper Geneſim ad litt. natura quippe mulieris creata eſt, quamuis ex viro, qui iam inerat.

15 Obſeruandum eſt ſecundo, quod quando aliquid educitur in eſſe ſecundum legem propagationis naturalis neceſſaria eſt ſufficientia in principijs, & quantum ad principium materiale, & quantum ad principium formale. Vbi autem aliquid ineſt cum defectu horum duorum, vel alterius eſt potius modus creationis, quam naturalis propagationis, vel eductionis ex eis, & tunc non poteſt eſſe eductio, niſi ab aliquo, qui poteſt creare; Poteſt ergo dici ad difficultatem, quod corpus Adæ fuit creatum, quia in limo erat defectus principij actiui, non enim habuit limus, vnde corpus humanum ex eo fieri poſſet; ſecundo poteſt dici corpus Adæ creatum quemadmodum ſcriptura illud dicit eſſe creatum, cuius materia creata eſt; Vel tertio poteſt dici creatum ratione eductionis formæ in eſſe, ſicut dicitur Gen. 1. creauit Deus cete grandia; fuit itaque creatum non creatione ſimpliciter, ſicut ſubſtantiæ ſpirituales, ſed creatione ſecundum quid; Maioris tamen potentiæ fuiſset (ſi effectus reſpiciatur) ſi corpus Adæ fuiſset creatum creatione ſimpliciter, quam eſſe creatum creatione ſecundum quid ſcilicet ex limo.

16 Si autem reſpiciatur diuina potentia in ſe, cum ſit indiuiſibilis, et non ſuſcipiat magis, et minus non eſt maior in vna creatione, quam in altera; Hæc creatio ſecundum quid, ſeu eductio primi hominis pertinet ad completionem

nem vniuerſi; hæc autem eductio, ſeu modus educendi differens fuit ab alijs ſecundum ſpeciem, vt oſtendit Alexander de Ales vbi ſupra membro 3. præter quam quod non fuit eductio rei tantum ſingularis, immo quodammodo generalis, eo quod in ipſo corpore completo ſua perfectione ſcilicet anima rationali erat ſeminaliter totum genus humanum; Vnde ratione modi educendi differebat ab alijs ſecundum ſpeciem; & ratione, qua educebatur res non omnino ſingularis, ſed quodammodo vniuerſalis non immerito debet dici eſse de complemento vniuerſi; Hactenus de cauſa formali quantum ad cauſam materialem certum eſt corpus Adę non fuiſse formatum de natura cœleſti, ſicut innuit hic textus ſacer, qui dicit Gen. 2. formauit, igitur Dominus Deus hominem de limo terræ Alex. Alen. 2. p. q. 77. memb. 1. art. 1. ad vltimum D. Thom. p. p. q. 91. art. 1. ad 2. & D. Bonauen. in 2. diſt. 17. art. 2. q. 1. nec debuit pure de natura Cœleſti formari; debebat enim homo ſubijci, vt per humilitatem ſubiectionis terreſtris aſcenderet, vnde Diabolus ceciderat per ſublimitatem elationis, atque adeo debuit ſolidari corpus conſtitutum ex materia inferiori, vt ſe ipſum pulueremrem reputans Deo per omnia ſe ſubijceret.

17 Vnde, et ſcriptura maluit eum dicere de limo terræ productum, vt ex hoc homo proficeret, & aſcenderet per humilitatis meritum. Scimus tamen cum D. Bonau. vbi ſupra qu. 2. & Richardo in 2. d. 17. art. 2. qu. 1. quod fuit aliquorum opinio præter quattuor elementa aliquid etiam de materia Cęleſti venire in compoſitionem humani corporis, et hoc velut medium, et quoddam vinculum, per quod incorporeus, et immortalis animus cum terreno, et mortali corpore copuletur, atque colligetur; quę tamen opinio eſt falſa, quia incorruptibile, & ingenerabile (ſicut eſt virtus cęleſtis non poteſt proportionari, vt cum elementis poſsit conſtituere aliquod vnum per eſſentiam informabile vna compoſitiua; Dices Philoſophus lib. 2. de generat. Animalium dicit, quod in ſemine triplex eſt calor ſcilicet cęleſtis, igneus, & animalis, ſed accidens non eſt ſine ſubiecto, ergo in ſemine eſt aliqua ſubſtantia cęleſtis, atque adeo à ſimili aliquid de ſubſtantia cœleſti eſt de compoſitione humani corporis. Reſpondetur Ariſtotilem appellare calorem, qui eſt in animantibus cęleſtem non natura ipſa, ſed quadam proportione, et ſimilitudine, habet enim proprietates quaſdam, & effectus calori ſiderum correſpondentes.

18 De facto corpus Adæ formatum eſt ex quattuor elementis, dicitur tamẽ de terra, vel humo formatum primo ob prædominium terrę, & quia plus eſt de terra in compoſitione huiuſmodi corporis; ſecundo quia terra eſt viliſſimum elementum, ideo ad humiliationem, & cohibitionem elationis dicitur homo factus de terra limoſa, quæ eſt viliſſima; tertio quoniam in terra reperiũtur omnia alia elementa, nã ex ferro, & lapide per excuſſionẽ ſolet excuti ignis, & tamen ferrum, & lapis de terra naſcuntur. Aquarum quoque naturam venis terreis in eſſe terrarum foſſores indicant, et puteorum ſcaturigines, aerem etiam permixtum eſſe, ex eo cognoſcere poſſumus, quod cum fuerit humectata tellus, et temperiem ſolis acceperit, mox vapores exhalat largiſſimos, An vero elementa ſecundum æqualitatem molis fuerint in corpore Adę obſeruandum eſt cum Alexandro Alenſi loco cit. memb. 2. art. 1. et D. Bonau. q. 3. quod ſecundum Medicos duobus modis dicitur æqualitas miſcibilium in mixto ſcilicet à pondere, et à iuſtitia, æqualitas à iu-

Digitized by Google

ſtitia attenditur in comparatione miſcibilium ſecundum debitam proportionem, et exigentiam formæ introducendæ, et hæc æqualitas reperitur in humano corpore, quia nobilior debet eſſe eius proportio, et harmonia miſcibiliū, quāto ad meliorem formam diſponitur.

19 Hæc tamen æqualitas non eſt æqualitas punctualis, ſed latitudinem habet, & gradus, & hoc ſecundum diuerſos ſtatus; eſt autem triplex ſtatus ſcilicet Innocentiæ, miſeriæ, & gloriæ; ſecundum ſtatum innocentiæ, qui eſt ſtatus medius congruebat corpori humano primorum parentum, æqualitas media, quæ à diſcordia, & repugnantia miſcibilium erat aliena actu per intrinſecum auxilium Animæ gubernantis, & per extrinſecum adiutorium alimenti nutrientis, erat tamen hæc ęqualitas impoſſibilis ob inæqualitatem, ſiue ob defectum virtutis contentiuæ, vel etiam ob defectum alimoniæ; nullus tamen horum defectuum fuiſſet in homine, ſi non præceſſiſſet mandati transgreſſio. Secundum ſtatum miſeriæ, qui eſt ſtatus imperfectus debetur humano corpori, æqualitas, ſed diminuta, quæ permiſcet habet inęqualitatu, & diſcordiæ miſcibilium non ſolum poſſibilitate, ſed etiam quadam neceſſitate; ſecundum vero ſtatum gloriæ qui eſt perfectus debetur humano corpori æqualitas perfecta à iuſtitia, in qua non cadit diſcordia miſcibilium, nec repugnantia, neque actu, neque potentia.

20 Æqualitas à pondere tribus modis ſumi poteſt, vno modo quando miſcibilia adæquantur, & quantum ad quantitatē molis, & quantum ad quantitatem virtutis, & hæc duo ſunt incompatibilia, ne dum ſecundum rem, ſed etiam ſecundum intellectum, cum elementum, quod plus habet de materia minus habeat de ſpecie, & è conuerſo, nam ſicuti eſt impoſſibile, quod verum aurum æquetur argento in quātitate, & valore, ita impoſſibile eſt elementa actiua, & paſſiua æquari ad inuicem æqualitate ponderis in aliqua mixtione, atque ita iſta æqualitas non fuit in corpore Adæ, ſecundo modo ſecundum adæquationem miſcibilium in quantitate moli tantum, & eiuſmodi æqualitas eſt etiam impoſſibilis, tum quia corpus illud non eſſet durabile, quia elementa actiua ſtatim paſſiua cōſumerent, ſi enim adæquarentur in ſubſtantia, adeo actiua excederēt in virtute, vt potius eſſet conſumatio, vel conſumptio, quā mixtio; nec ſolum corpus illud non eſset durabile, immo non eſſet nec graue, vel leue; cū motus grauis, vel leuis ſequatur prędominans quantum ad quantitatem molis, atque adeo corpus illud nec quieſceret, nec moueretur, ſi enim quieſceret in terra, tunc terra vinceret, ſi quieſceret in aere, aer prædominaretur, ſi moueretur ab aere in ignem, ignis haberet prędominium, ſi vero moueretur ad terram, terra tunc eſſet vincens, atque ita diſcurrendum de ſingulis motibus ad ſingula elementa, quæ omnia arguunt impoſſibilitatem.

21 Item cum quædam elementa magis habeant de materia magis comprimuntur, & quædam magis de forma ſiue ſpecie magis extenduntur, quare non poteſt eſſe æqualitas molis, ſed de neceſſitate inæqualitas; tertio modo dicitur æqualitas à pondere æqualitas à quantitate virtutis, quæ adhuc non eſt in rerum natura poſſibilis, tum quia ſi eſſet omnimoda Æqualitas virtutum, virtus vnius tantum reſiſteret, quantum virtus alterius ageret, atque ita non eſſet prædominatio, & conſequenter nec mixtio, tum quia ſi daretur eiuſmodi ęqualitas, corpus illud careret operatione calidi, & frigidi, & aliarum qualitatum elementarium, atque fruſtra

eſſet

eſſet ex diuerſis conſtitum; Quomodocumque ergo accipiatur æqualitas à pondere non potuit nec debuit eſſe in corpore Adæ, & hoc ſatis apparet cum corpus Adæ magis eſſet graue quam leue, & magis idoneum ad agendum, quam ad patiendum. Fuerunt qualitates in corpore Adæ in maxima æqualitate proportionis quam ſupra appellauimus æqualitatem iuſtitiæ per comparationem ad naturales actus ipſius animæ; Vnde corpus illud ita nobiliſsimè fuit complexionatum, quod nobilius complexionari non potuiſſet; Qualitates tamen in illo non fuerunt in æqualitate virtutis, ſeu æquiparantiæ; nec in aliquo mixto in tali ęqualitate eſſe poſſunt.

22 Hanc æqualitatem ſecundum iuſtitiam accepit Adam in ſtatu Innocentiæ à diuina iuſtitia, ea ſcilicet, qua Deus ſecundum ſe iuſtus dicitur, quæ eſt ſuæ bonitatis condecentia, ita Alexander Alenſis loco cit. art. 3. Secuta vero transgreſsione præcepti diuini eadem æqualitas à corpore Adæ ab eadem diuina iuſtitia ſublata fuit; & proinde inæqualitas ſecuta; non quidem aliquid in eo efficiendo, ſed ob eius demeritum illam conſeruare deſiſtendo, nec vlterius impoſterum præſtando, quæ æqualitas nunquam amplius eſt ei reſtituta nec etiam per adeptionem gratiæ, quoniam vt habetur Rom. 9. ſtipendium peccati mors, & hoc iuſto Dei iudicio ſcilicet, quod primus homo peccando iuſtè fuit ſubiectus neceſsitati moriendi; Ad caſum autem ab æqualitate, & carentiam ipſius ſequitur diuiſio, & pugna ipſorum mixtorum in corpore ipſius, quæ pręparant, & diſponunt ad diſſolutionem, & animę à corpore ſeparationem, quibus executum eſt decretum diuinæ iuſtitiæ de pęna debita peccato, & hæc ſufficiant pro cauſa materiali.

23 De cauſa finali ſatis certum eſt, quod corpus, quatenus eſt corpus ſimpliciter non informatum, neque motum ab Anima nullo modo habere pro fine voluptatem, ita Alexander Alenſis p. 2. q. 78. membro 1. nam vt docet D. Anſelmus de conceptu Virginali Cap. 4. Nil pęnam ſentit, & voluptatem, niſi quod habet voluntatem, atque ita nihil eſt voluptuoſum, & delectabile corpori ſimpliciter, ſed ſolummodo rei habenti voluntatem; Vnde corporis Adæ, vt talis non eſt voluptas carnalis finis. Si ſumatur finis proprie prout definitur, cuius gratia ſunt alia, & quod eſt primum in intentione, & vltimum in executione, Anima non fuit finis corporis Adæ, ſi autem accipiatur finis improprie, ſic poteſt dici anima ſiue potius vnio corporis cum Anima fuiſſe finis corporis illius, nam materia eſt propter formam ita Alenſis vbi ſupra memb. 2. & D. Thomas p. p. q. 91. art. 3.

24 Plures cauſæ finales aſsignari poſſunt corpori humano; vna cauſa (inquit Gregorius Nazianzenus) quare Deus colligauit Animam corpori eſt, vt per agones certaminum, quę ſunt aduerſus terrena cęleſtis gloriæ hæreditatem petat, & ſicut aurum igne præſentis vitæ erumnarum probetur examine, quo virtutis præmia non ex dono Dei tantum ſperet, ſed vt vere virtus ſummum ei bonum ſit, ſi eam opere, & labore conquirat, vt à Creatore nobis naturaliter inſitum videatur bonum, à nobis autem voluntate noſtra, ac propoſito excultum, & liberi arbitrij motu exterius propagatum; Alia cauſa, inquit idem Nazianzenus) quare Deus colligauit Animam corpori eſt, vt hanc deteriorem ſubſtantiam corporis ſecum traheret, & ſurſum in ſupernis ſedibus collocaret, & complementum gloriæ ipſius Animæ quodammodo dependet ex corporis gloria corpus Adæ tam in

Digitized by Google

natura inſtituta, ſiue in ſtatu innocentiæ, quam in natura lapſa, ſiue in ſtatu peccati verum corpus fuit quoad ſubſtantialia, & eſſentiam ſuam nulla ſubſtantiali mutatione facta. Fuit corpus animale hoc ſenſu, quod in vtroque ſtatu, cibo, potu, & alimentis indigebat, vt viuere poſſet, ſicut cætera animalia, ita docet D. Auguſtinus lib. 14. de Ciuit. Cap. 15. de Ciuit. dicens cibus erat ne eſuriret, potus ne ſitiret, lignum vitæ ne illum ſenectus diſſolueret, & vere decuit eiuſmodi corpus eſſe animale, magis quam ſpirituale ad manifeſtãdam ſapientiam conditoris, quæ ex hoc manifeſtatur multipliciter primo ex ordine producendi ab imperfecto ad perfectum; imperfectum enim præcedit perfectum; & prius eſt, quod eſt animale; deinde quod eſt ſpirituale; ſecundo propter ordinem meriti ad præmium, in corpore enim animali ſtatus viæ aſſignatus eſt, vt in exercitio virtutum ſibi homo pararet meritum cui in ſtatu gloriæ, & ſpirituali ſuccederet præmium.

25 Tertio, vt eidem homini oſtenderet ſuam originem eſſe viliſſimam, & inde cognoſceret diuinam ſapientiam, potentiam, & bonitatem, quibus ita nobilitatus eſt; Idem homo conditus eſt à Deo quoad corpus rectæ figuræ; quia ſic ei conueniens fuit propter quattuor; primo quia ſenſus ſunt dati homini non ſolum ad vitæ neceſſaria procuranda, ſicut alijs animalibus, ſed etiam ad cognoſcendum, Vnde cum cætera animalia non delectentur in ſenſibilibus, niſi in ordine ad eſum, & coitum ſolus homo delectatur in ipſa ſenſibilium pulchritudine ſecundum ſe ipſum, & quia ſenſus præcipue viget in facie, alia animalia habent faciem pronam in terram, quaſi ad cibum quærendum, & prouidendum ſibi victum, homo vero habet faciem erectam, vt per ſenſus, & præcipue per viſum, qui eſt ſubtilior, & plures differentias rerum oſtendit libere poſſit ex omni parte ſenſibilia cognoſcere, & cœleſtia, & terrena, vt ex omnibus intelligibilem, & colligat veritatem.

26 Secundo factus eſt homo erectæ figuræ; vt ſenſus interiores liberius habeant ſuas operationes. Cum cerebrum in quo quodammodo perficiuntur non ſit depreſſum, ſed ſuper omnes partes corporis eleuatum; tertio, vt docet Lactantius lib. de opificio Dei, & Gregorius Niſſenus lib. de opificio hominis à Cap. 7. vſque ad 10. oporteret, quod ſi homo haberet pronam naturam, & ſtaturam vteretur manibus loco anteriorum pedum, atque vtilitas manuum ad diuerſa opera perficiẽda ceſſaret; quarto ſi haberet pronam ſtaturam, & vteretur manibus loco anteriorum pedum oporteret, quod cibum caperet ore, & ita haberet os oblungum, & labia dura, & groſſa, & linguam etiam duram, ne ab exterioribus facile lederetur, ſicut patet in alijs animalibus, & talis diſpoſitio omnino impediret locutionem, quæ eſt propriũ opus rationis, ita Alex. Alenſis, vbi ſupra memb. 2. D. Thom. p. p. q. 91. art. 3. ad 3. & Scotus in 4. diſt. 49. q. 1.

27 Poteſt etiam addi quinta ratio, quæ eſt ſatis communis apud Patres, quam etiam habet Ariſt. 2. lib. de partibus animalium Cap. 10. & lib. 4. Cap. decimo, videlicet ad ſignificandum, quod inter omnia animantia ſolus homo eſt particeps diuinitatis, cuius proprium eſt intelligere, & ſapere, de qua re videndus eſt D. Auguſtinus de Gen. contra Manicheos Cap. 17. & ſi dicatur, quod etiam Plantæ habent ſtaturam erectam, ergo ex huiuſmodi rectitudine in corpore humano nulla eſt dignitas in homine. Reſpondetur, quod ſi homo eſt ſtaturæ erectæ eſt ſibi cauſa magnæ dignitatis quia, in ſuperiori parte

te habet potiores potentias, quæ ſunt ſibi peculiaris ratio viuendi animaſtice, & à quibus intellectus accipit media intelligendi, & diſcurrendi, non ſic plātæ, quæ è conuerſo habent nō ſuperius, ſed inferius radices fixas in terra. Vnde habent totum ſuum eſſe vegetabile.

28 Adamum creatum eſſe in perfecta ætate; hoc valido argumento probatur, quod ſtatim, ac creati ſunt Adam, & Eua dixit Deus creſcite, & multiplicamini, quo licet intelligere Adamum, & Euam firma iam ætate ad generandū iam Idonea eſſe procreatos, ſed qua ætate creatus fuerit eſt incertum. Quidam opinati ſunt fuiſſe creatum ætate iuuenili, qua ſcilicet D. N. Ieſus Chriſtus è mortuis reſurrexit hoc eſt inter trigeſimum, & quadrageſimum annos; Quidam vero dicunt creatum fuiſſe ætatis annorum 50, nam ætatem hominis perfectam eo tempore non ante 50 annum fuiſſe futuram exiſtimant ex eo, quod tunc eſſet longiſſima hominis vita, atque adeo ſingulæ ætates longiores erant tunc, quam nunc ſint; Comparatione igitur, & proportione totius vitæ 900 annum ſupergreſſo Iuuenilis ætas primi hominis non ante 50 annum contingere ei potuiſſet; de mole eius corporis Adæ Lucidus lib. 1. de emendatione temporum Cap. 4. putat Adamum proceritate corporis fuiſſe Gigantem, quinnimo omnium Gigantum, qui vnquam fuerunt maximum. Idque probare contendit ex lib. Ioſue Cap. 14. vbi in extremis verbis legitur; Nomen Hebron ante vocabatur Cariat habre Adam maximus inter Enacim ſepultus eſt; Enacim autem fuiſſe Gigantes patet ex Numer. lib. Cap. 13. ſi igitur Adamus, Maximus erat comparatione Enacinorum Gigantum liquet eum fuiſſe maximum Gigantem.

29 Fauent huic opinioni Auctores illi, quos refert Moſes Barzephas in lib. de Paradiſo, à quibus proditum eſt cū Adamus in Paradiſo terreſtri, qui immenſo Oceano interfuſo à noſtro orbe diſiunctus erat, locatus à Deo eſſet, eum poſtea propter peccatum à Paradiſo eiectum ſuis pedibus (tanta erat proceritate corporis) tranſmiſſo Oceano in hunc noſtrum orbem veniſſe, Verum hæc opinio non coheret ſacræ ſcripturæ nam Gen. 6. vbi legitur Gigantes erant ſuper terram in diebus illis; poſtquam enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum iſti ſunt potentes à ſeculo viri famoſi; nec citatus locus Ioſue hanc opinionem iuuat. Nam vocabulum illud Adam non eſt proprium illius hominis, ſed eſt commune; Idem ſignificans apud Hebreos, quod apud Latinos vocabulum homo, vt ſit ſenſus illius loci ſecundum hebraicam veritatem, quæ ad verbum latine tradita ſic habet; Nomen Hebronis olim fuerat Cariatharbe is fuerat homo inter Enacimos maximus. Dicendum eſt igitur de mole corporis Adæ ſimiliter, atque dictum eſt de ætate, eum ſcilicet factum eſſe perfecta corporis magnitudine, quæ ſcilicet naturalis viuentium accretionis terminus eſſe ſolet, & quæ homini in perfecta ætate contingit; Primū enim hominem, vt ſcriptura non obſcure ſignificat, & Patres concorditer confirmant perfectum animo, & corpore, beatumque (quantum nempe hominis in terris viuentis beatitudo eſſe poteſt) à Deo eſſe procreatum, tanquam certum exiſtimandum eſt.

30 Certum quoque eſt corpus Adæ non fuiſſe formatum in Paradiſo terreſtri, neque de terra Paradiſi, ſed foris, & patet, primo quia dicitur Gen. 2. plantauerat Deus Paradiſum in quo poſuit hominem, quem formauerat; Vnde ſi ibi fuiſſet formatus non diceretur, quod poſitus fuit in Paradiſo, quia hoc præſuponit exiſtentiam; ſecundo quia

dici-

dicitur, in quo poſuit hominem, quem formauerat, atque ita formatio poſitionem præcellerat, at non fuit Adam in Paradiſo, antequam ibi poneretur, ergo prius formatus eſt, antequam poneretur in Paradiſo, & per conſequens non eſt formatus in Paradiſo, & ſi eſt poſitus, eſt aliunde allatus, vt poneretur, & eſſet in Paradiſo; ſed cur non fuit formatus in Paradiſo? Magiſter ſentent. in 2. diſtinct. 17. Alexander de Ales 2. parte quæſt. 84. membr. 1. & D. Bonau. in 2. diſtinct. 17. circa litteram Magiſtri Toſtatus in Gen. Cap. 13. quæſt. 134. Reſpondent quod fuit primo ad oſtendendum, quod non manſurus ibi erat ſemper, ſed caſurus inde, hanc tamen cauſam non cognouit Adam, quia non fuit præſcius ſui caſus, ſecundo ad ſignificandum, quod Paradiſus non debebatur homini ſecundum naturam, ſed ex gratia, & liberalitate Dei, tertio vt homo haberet humilitatis incẽtiuum, ne, ex hoc quod vniuerſæ creaturæ erat præpoſitus ſuperbiret.

31 Nec obſtat, quod in Eua concurrebant prædictę rationes, & tamen fuerit creata in Paradiſo; nam Eua ſicut fuit formata ex coſta Adæ, quæ extra fuit creata, ſic mediate, & in ſuo principio fuit creata extra Paradiſum licet immediate ex coſta Adæ, ſicque etiam verificantur prædictæ rationes; Petes vbi ergo Adam formatus eſt ſi non in Paradiſo? Reſpondent Alenſis, & Abulenſis in aliqua parte terræ, in qua tamen nundum conſtat, ſic illi locis citatis. Aliqui tamen dicunt, quod fuit formatus in Ciuitate Hebron, vel apud illam in campo Damaſceno; eſt Campus Damaſcenus, vt dicunt locus quidam campeſtris iuxta Ciuitatem Hebron, quæ non erat, quando Adam formatus eſt, ſed poſtea longo tempore condita fuit eo in loco, in quo formatus fuit Adam, & fuit formatus de terra rubra; quæ in agro Damaſceno, quando ſubtrahitur, creſcit.

32 Corpus humanum non prius prioritate temporis fuit formatum ante Creationem animæ, ſed ſimul ideſt eodem punto temporis corpus, & anima, & homo facta ſunt; Hanc opinionem docent Greg. Niſſenus lib. de Homine Cap. 29. & 30. Damaſcenus lib. 2. de fide Cap. 12. Idemque videtur innuere D. Auguſtinus lib. 1. de Geneſi contra Manicheos Cap. 8. & in Scholis Theologorum eſt recepta ſentẽtia quam docent Alexãder de Ales p. 2. q. 60. memb. 2. art. 1. & 2. D. Thom. p. p. q. 91. art. 3. ad 3. & D. Bonau. in 2. diſt. 17. art. 1. q. 3. & eam licet ex verbis Moyſis elicere, ait enim Deum formaſſe hominem de limo terræ, ſi igitur formando corpus humanum dicitur formaſſe hominem, & corpus non eſt homo ſine anima, efficitur cum formauit corpus, ſimul etiam creaſſe animam, & ita verum eſt formatum eſſe hominem; licet enim, & formatio corporis, & formamatio animæ, & procreatio totius hominis vno, & eodem puncto temporis perfecta ſint, diſtincte tamen & ſeparatim explicanda erant, & prius quidem formatio corporis, quoniam præcedit ordine generationis; Idem enim punctum temporis, ſiue inſtans terminat vltimam diſpoſitionem, & formationem corporis, & incohat, & meritur creationem, & infuſionem animæ rationalis, & hominis procreationem, ſiue generationem. Dices legitur Gen. Cap. 2. v. 7. formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terrę, & (deinde, & poſt) inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Reſpondetur cum D. Thoma p. p. q. 91. art. 4. ad tertium ſcripturam non ideo commemoraſſe in ſpirationem animę in corpus poſt formationem corporis ex limo, quia for-

matio

Digitized by Google

matio duratione temporis fuerit prior, quam inſpiratio, ſed vt clarius explicaret modum formationis illius, quod ſcilicet fuerit facta per inſpirationem animæ in corpus; Adde quod, & ſi non tempore tamē natura fuit prior formatio corporis in genere quidem cauſæ materialis, atque adeo ob hoc etiam potuit commemorari prius.

33 Sed hic parum immorandum, & aliqualiter cōtemplanda mirabilis ſtructura huius magni ædificij, vt inde diuina ſapientia, potentia, & bonitas glorificentur in operibus ſuis; Homo enim tam exquiſito artificio formatus eſt, tanta proportione ſingulæ partes ſunt conformatæ, & ad ſuas functiones, ac fines aptatæ ſunt, vt nulla ars, nulla ſapientia, vel minimum poſſit adijcere, aut emendare; Non poterat homo vnico oſſe conſtare, quia ſe flectere, & membris ſuis ad varios motus, & functiones vti nequiuiſſet; Itaque ex pluribus oſſibus partim maioribus, partim minoribus, partim minutiſſimis conſtructus eſt, quorum ſingula eam habent magnitudinem, figuram, firmitatem, & connexionem, quam corporis robur, facilitas motus, & membrorum vſus poſtulabat; ſcribit Galenus libro de formatione fœtus eſſe in corpore humano oſſa ſupra ducenta; quorum diſpoſitio eſt prorſus indicibilis maxime oſſium minutiſſimorum, quæ certis locis interponuntur ad faciliorem articulorum motum; Hæc oſſa non poterant vna, aliqua, & continua carnis maſſa contegi, nam, & hęc quoque inepta ad motum vſumque membrorum fuiſſet, ſed oportuit varias carnis particulas, quas muſculos vocamus, aptari, & ex illis vario modo diſpoſitis oſſa contegi, corpuſque formari; Sunt itaque etiam muſculi ſupra ſexcentos longi, breues, lati, anguſti, craſſi, tenues, recti, curui, acuti, obtuſi, plani, anguloſi, figura ſimplici, multiplici; alij ſuper alios, iuxta alios, in directum, & obliquum, alij in tranſuerſum ſtupendo prorſus artificio diſpoſiti, quorum beneficio ſingula membra ſuum motum obtinent.

34 Non ſatis erat corpus humanum oſſibus conſtare, et muſculis, ſed calore opus erat, vt poſſet viuere, & ſanguine, quo poſſet ali, & ſpiritus, quo poſſet moueri, ac ſentire. Conſtat enim ſine ſpiritu Animam, nec ſentire, nec corpus ſuum mouere poſſe. Spiritus cum tenuiſſimæ ſit ſubſtantiæ tanquam medium quoddam inter animam ſubtiliſſimam, & corpus craſſum eſt proximum Animæ inſtrumentum, quo motum, & ſenſum efficit, ſine quo etiam alimenti diſtributio fieri nequit. Fabricata eſt igitur diuina prouidentia tria viſcera principalia in homine, quibus hæc perficerentur cor, hepar, & cerebrum. Cor ad totius corporis calorem, & ſpiritum vitalem, hepar ad ſanguinem, & ſpiritum naturalem; Cerebrum ad ſenſum, motum, & ſpiritum animalem; His cætera viſcera, & organa externa ſeruiunt, Hepati ſeruiunt dentes, & ſtomachus ad ſuppeditandum ſanguini materiam, ſeu ſuccum probe ſubactum, quem chilum vocamus, Inteſtina partim ad hunc Chilum per venas meſeraicas ad hepar tranſmittendum, partim ad feculentam ciborum materiam educendam.

35 Deinde hepati quoque ſeruit folliculus fellis, vt chilo in ſanguinem cōuerſo acriorem materiam corpori noxiam attrahat, & excipiat; Lien, vt craſſiores, & feculentas ſanguinis partes ad ſe alliciat; renes, vt ſerum crudum, & redundans ſanguini mixtum exugant probeque colatum per vreteres in veſicam tranſmittant opportuno tempore excernendum, Pulmo ſeruit cordi noua aura crebro attracta, & expirata ad re-

refrigerium, & ſpiritus vitalis recreationem. Porrò ſpiritus gignuntur hoc modo. Cibo concocto optimus eius ſuccus tranſmittitur ad hepar; Fit hæc tráſmiſſio partim vitali ſtomachi compreſſione, partim vi aliarum venarum, quæ in meſenterio poſitæ habent vim ſugendi; hepar corpore fiſtuloſo Chilum excipiens tranſmutat, illum ſua vi in ſanguinem, & ſanguinis tenuiores partes in vaporem, quem ſpiritum naturalem putamus, qui venas, & corporis poros diſtendat, & aperiat &c. ſanguinis partem vnam per venam cauam, quæ ex ipſo oritur tranſmittit ad cor; Ibi calore cordis primum in deſtro, deinde in ſiniſtro ventriculo mire extenuatur, & bonam partem in tenuiſſimum vaporem conuertitur, cuius portio aliqua per arteriam maiorem à corde ad cerebrum tranſmiſſa ibi perplexum retiformem probe elaborata, & clarificata, & temperata efficitur ſpiritus animalis, idoneus, qui ad ſenſum, & motum functiones animanti proprias ſeruiat; reliquam portionem ſpirituum cor per arterias vna cum tenuiſſimo ſanguine in totum corpus diſtribuit, vt illius calorem natiuum conſeruet, & foueat; Hunc ſpiritum vitalem appellamus.

36 Huc breuiter expediendum, quomodo tales ſpiritus per totum corpus diſtribuantur, vt intelligatur, quam admirabili ſapientia, & potentia hæc omnia ſint diſpoſita, & quam ſtulta ſit antiquorum, & recentioru n Atheiſtarum imaginatio, qui opinati ſunt hæc omnia caſu euenire. Corpus humanum conſtat calido, & humido, calor aſsidue humidum abſumit, & in auras diſsipat, vt patet exemplo aquæ ſoli expoſitæ, vel calefactæ, quæ ſenſim tota euaneſcit; Hinc omnia membra, & viſcera exareſcerent, niſi per alimentum fieret inſtauratio; Alimentum propinquum corporis eſt ſanguis, quare hunc per totum corpus diſtribui oportuit, vt omnes partes ex eo ali poſſint; Officina ſanguinis eſt hepar. Itaque ex hepate ducuntur duæ venæ ingentes, altera ſurſum, altera deorſum, quę deinde in varios diuiduntur ramos, & ſinguli rami rurſus in alios minores, & hi in alios, donec tandem in minutiſsimas, & inuiſibiles venulas faceſſant, tendunt, hæ venæ in viſcera, & in muſculos omnes, et in eos terminantur, ſicque ſanguis, et ſpiritus naturalis per totum corpus diffunditur, et nulla ſit particula corporis tam parua, quin ad eam alimentum deferatur.

37 Venarum mira ſtructura, et vis, conſtant enim fibris directis obliquis, et tranſuerſis, directis, vt ſanguinē attrahant, et ſugent, obliquis, vt retineant, tranſuerſis vt vlterius ad muſculos, et extimas vſque partes tranſmittant. Habent vim ſanguinis conſeruandi, qui extra illas erumpens ſtatim putreſcit, et morbos efficit, in pleuritide, contuſionibus, et inflammationibus videmus; Miſcetur ſanguini ſeroſus humor ad faciliorem diſtributionem, qui poſtea, vel calore in halitum diſsipatur, vel ſudore excernitur. Miſcetur, et modicum bilis ad tenuitatem ne craſseſcat, et quaſi coaguletur, miſcetur, et ſpiritus, quem naturalem dicimus, vt poros aperiat, et alimentum inducant, nulla enim eſt corporis particula, quæ alimentum ſuum non habeat in oſsibus, muſculis, viſceribus, neruis, arterijs, membranis, cartilaginibus eſt vis aſsimilatrix, per quam hæ partes ſingulæ alimentum à ſe tranſmiſsum in ſuam naturam, et ſpeciem conuertunt.

38 Sicut hepar omnibus partibus corporis ſanguinem, quo alantur, et ſpiritum naturalem ſuppeditat, ita cor calorem, et ſpiritum vitalem, quo calor natiuus aſsidue foueatur, et ventiletur;

Digitized by Google

tur; in quem finem à corde ducuntur duę arterię, altera ſurſum, altera deorſum, quę rurſus in multos ramos abeũt, et hi rurſus in alios minores, donec in tenuiſsimas veluti fibras terminentur eo prorſus modo, quo venarum genus; Pertingunt arteriarum ramuſculi ad omnes muſculos, et ad viſcera omnia, vt calorem, et ſpiritum illis infundant; Et ſicut in ijs, quę manifeſtè calidum habent ſanguinem, cor aſsidue per ſyſtolem, et diaſtolem ſe ſe agitat, vt per diaſtolem, ſeu dilatationem ſui novum aerem attrahat ad caloris temperiem, et ſpirituum recreationem per ſiſtolam, ſeu compreſsionem ſui fulginoſum vaporem expellat, ita arterię omnes per totum corpus ijſdem momentis mouẽtur perpetua viciſsitudine ſe se dilatando, et contrahendo ob eoſdem fines; Eſtque hęc ventilatio tanti momenti, vt ea probibita (quod interdum per affluxum humorum accidit) ſtatim accendatur febris.

39 Cerebrum ſuppeditat ſpiritum animalem, quia, ſicut ſanguis, & ſpiritus naturalis per arterias, ita diffunditur per neruos; verum quia è cerebro, quod capite continetur non poterant ſufficienter nerui procedere, qui ad omnia viſcera, & muſculos pertingerent; Prouidentia opifex hominis ſubſtantiam cerebri vna cum ſuis membranis à capite per colli vertebras, & per totam ſpinam dorſi protendit, ita vt medulla ſpinalis non ſit aliud, quam continuatio quędam, & productio cerebri; Ne autem ſpiritus euaneſcat, & animal ſubito moriatur, inuolutum eſt cerebrum duplici membrana, altera tenuiore, quę interior eſt, altera duriore, & exteriore, quæ robuſtior eſt, & oſſi cranij proxima, ſimili modo inuoluitur medulla ſpinalis, quod dictum eſt de ſtructura corporis Euæ, & cuiuslibet hominis Maſculi, & fœminæ, tam in ſtatu innocentiæ, quam naturæ lapſæ, & corruptę.

De formatione corporis Eua. Art. II.

1 FOrmauerat iam omnipotẽs Deus Adamum, & poſuerat eum in Paradiſo voluptatis, & erat ibi ſolus Adæ vero non inueniebatur adiutor ſimilis eius Gen. 2. 20. non inueniebatur adiutor futurus ad propagationem prolis, & educationem, ſecundo ad familiæ gubernationem, tertio ad curarum dolorum, & laborum leuamen, quarto ad cęteras vitæ neceſſitates ſubleuendas; ſimilis eius ſimilis inquam in natura, in ſtatura, & in loquela; Deus, vt illi faceret, & daret ſimilem adiutorem diſpoſuit formare fœminam Adæ conuenientem ex ſubſtantia corporis ſui; & quia volebat, quod Adam non videret, quando Deus auferebat partem corporis eius ad formandam mulierem; Immiſit ergo Dominus ſoporem in Adam, quibus verbis notatur illatio, ſeu conſequentia quædam, ac ſi diceretur, quia Adæ non inueniebatur adiutor ſimilis: Ideo Deus immiſit ſoporem in Adam, ad formandam mulierem, ſi enim inuentus fuiſſet adiutor non formaretur de nouo fœmina, atque adeo neque neceſſarium in Adam immitti ſoporem ad formandam mulierem; pro ſoporem in Hæbreo eſt vox tardemah, quæ plus ſignificat, quam ſimplicem ſomnum, ſed ſignificat grauem, & profundum ſomnum, qualis nempe lethargo affectis contingit, 70 vertunt, ecſtaſim ideſt mentis excesſũ; quam lectionem plerique veterum Patrum ſecuti ſunt.

2 Dicit vero immiſit, quia non fuit iſte ſopor, ſeu ecſtaſis naturalis ſomnus procedens nimirum à cauſa naturali; nam naturaliter ſomnus ſolet accidere

ex labore, vel ex repletione cibi, & potus, vt non poſſit repletis venis aſſendere ſpiritus motiuus multiplicatus de corde per venas, vel arteria ad cerebrum, & tunc membra ceſſant à motu, & ſenſu, vel ex magno frigore, vel ex tenebris, iſta enim faciunt dormire, & aliquando morbi, vt lethargia, nihil autem horum adhuc erat in Adam, vt conſideranti patet, quia nundum comederat, cum hoc acciderit parum poſt ſuam formationem, nec laborauerat, nec erat in tenebris, nec frigore, vel morbo; Immiſit ergo Dominus ſoporem idest ſupernaturaliter, quo raptus in ecſtaſim mentis; qua nimirum ecſtaſi mens eius ſoluta, & libera à corpore, & ſenſuum functionibus, ita diuinitus eleuabatur, vt videret ea, quæ gerebantur, & ſpiritu prophetico cognoſceret miſterium per ea ſignificatum, videret inquam mentis oculis coſtam ſibi eximi, & ex ea Euam formari, atque per hoc ſignificari Matrimonium, tum ſuum naturale cum Eua, tum miſticum Chriſti cum Eccleſia, hoc enim ſignificant verba Adę Gen. 2. Verſ. 23. Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, & D. Pauli ad Ephes. 5. 32. ita D. Auguſtinus lib. 9. de Gen. ad litt. Cap. 19. & ſuſe tract. 9. in Ioannem; & D. Bernardus ſerm. 2. de ſeptugeſima.

3 Pro dictorum clariori intelligentia notanda ſunt ſequentia; primum ſomnus non eſt ecſtaſis, & ecſtaſis non eſt ſomnus Toſt. in Gen. Cap. 13. q. 400. quoniam contingunt, quaſi contrario modo, nam ſomnus eſt quies virtutum animalium, quæ ſunt cognitiuæ, & appetitiuæ, cum intenſione naturalium, & quando quieſcunt animales virtutes per quandam colligantiam earum etiam quieſcunt rationales, ſiue intellectiuę, & ideo in ſomno omnis vis cognitiua ceſſat ab actu, & vis naturalis non ceſſat, ſed operatio ſua augetur, & fortificatur; In extaſi autem non eſt ſic formaliter, ſed in aliquo differunt, & in aliquo conueniunt; conueniunt quidem, quia, tam in ecſtaſi, quam in ſomno omnes vires ſenſitiuæ quæ vocantur animales quieſcunt idest ligantur, quia qui eſt in extaſi nihil videt, neque audit ſicut patet de Paulo in raptu, quē Gręci ecſtaſim vocant, non enim videbat, neq; audiebat actuū 9. ſimiliter qui dormit, neq; videt, neq; audit; diſcordant autem in duobus; quorum primum eſt, quia in ſomno ligantur vires animales, & rationales, in ecſtaſi autem non ligantur vires rationales, ſiue intellectiuæ, ſed potius eleuantur, & ad hoc ſolum fit ecſtaſis, vt intellectus ad plura intelligendo perueniat, quam ſufficeret intelligere in vigilia, et hoc eſt, propter quod rapi dicimus huiuſmodi homines rapti, ſcilicet quaſi Anima totaliter extra corpus fiat ad hoc, quod non impedita per immixtionem ad corpus recipiat altiſsima intelligibilia, quæ non ſufficit conſiderare diſperſa exiſtens, ſufficit autem vnita, ſed vnita per hoc, quod abſtrahitur rapta ad illud; ſecundum eſt, in quo differunt, quia in ſomno intenduntur vires naturales in opera ſua, et quātum ad hoc ſomnus eſt vtilis, et intentus à natura tanquam medium quoddam ad perficiendas operationes naturales, quæ ſunt ad conſeruationem corporis, et indiuidui. In ecſtaſi autem non confortantur, ſed debilitantur, quia minores efficiuntur, quam in vigilia.

4 Ratio propter quam fit ecſtaſis, vel raptus eſt, vt anima, quæ diſperſa exiſtēs in multas operationes non ſufficit ad aliquid altiſsimū intelligibile, ſufficiat autem ad illud intelligendum, et recipiendum, quando vnita fuerit; nam propter hoc ligātur in ſomno vires animales, quia in vigilia omnes potentiæ Animæ ſunt ſolutæ, et ſunt in actu; et ideo cum Anima ſit vnicum principium

ope-

Digitized by Google

operatiuum, à quo eſt tota actio per virtutes ſuas cum diſperſa fuerit in multas operationes nullam perfectam reddit; notandum ſecundo quod neceſſarium eſt ad eſſe, & conſeruationem vitæ operationem naturalium virtutum perfici, atque adeo natura ligat aliquando animales, & rationales facultates; relictis naturalibus ſolutis, & quia tunc anima illis ſolis intendit, totus vigor ſuus in illas dirigitur, atque ita operationes redduntur perfectæ; Notandum tertio quod, quoniam perfectio, & intenſio operationum virium animalium non eſt neceſſaria ad conſeruationem vitæ, & eſſe, ideo natura non ligat aliquando vires naturales relictis animalibus, ſicut facit è contrario; quod vtique faceret, ſi ad conſeruationem vitæ, & eſſe neceſſaria eſſet aliqua perfectio in operationibus virium animalium.

5 Quarto notandum, quod ſi natura ſimul ligaret vires naturales, & animales relinquens ſolutas rationales, id eſt intellectum, tunc eſſet operatio intellectus intenſa, quia anima totaliter intenderet ei non diffuſa in operationes naturales & animales, ſed iſtam ligationem non facit natura, tum quia non eſt neceſſaria ad conſeruationem vitæ, & eſſe, immo nec vtilis, ſed potius nociua, & pernicioſa, quia dum eſſent ligatæ naturales virtutes deterioraretur indiuiduum, tum quia hoc facere non potuit, cum repugnet ligatis viribus ſenſitiuis naturaliter ſolutas eſſe rationales, nam intellectio pro ſtatu iſto non eſt in nobis ſine conuerſione ad phantaſmata, à quibus intellectus agẽs abſtrahit ſpecies intelligibiles, & Ariſt. inquit 3. de Anima oportet intelligentem phantaſmata ſpeculari, ac impoſſibile eſt, quod intellectus conuertatur ad phantaſmata, aut poſſit abſtrahere ſpecies intelligibiles ab illis, ligatis interioribus ſenſibus, id eſt phantaſia, & imaginatiua, propter naturalem connexionem, & ordinem potentiarum in agendo pro ſtatu iſto. Cæterum quod natura efficere non poteſt, efficit Deus qui ſolus hanc tertiam poteſt facere ligationem ſcilicet, vt ligatis naturalibus, & animalibus viribus, ſolutus maneat intellectus, & tunc eſt Ecſtaſis, & eſt intellectus valde eleuatus ad intelligendum, eo quod totus vigor animæ collectus eſt ad ſolam intellectionem, & licet talis ligatio non conueniat ſecundum naturam ſcilicet ad conſeruandum eſſe animalis, conuenit tamen ad aliquid, quod eſt ſupra naturam, ſcilicet ad cognoſcenda aliqua, quorum cognitionem Deus iudicat neceſſariam ad bonam habitudinem ſtatus ſpiritualis, & ideo natura non facit talem ligationem tanquam non ſibi neceſſariam; Deus autem facit illam tanquam neceſſariam ad ea, quæ ipſe intendit, & iſtam ligationem vocant Doctores raptum, vel ecſtaſim ſecundum Græcos.

6 Ex his ſequitur primo, quod ecſtaſis non eſt proprie ſomnus, quia in ecſtaſi eleuatur anima ab his, quæ ſunt ſecundum animam vegetantem, in ſomno autem maxime eis intendit, atque adeo non eleuatur, vel abſtrahitur, ſed potius in ſe ipſa colligitur. Sequitur ſecundo, quod raptus dicit quandã alienationem per modum eleuationis, ſomnus autem non eleuat animam, ſed potius incuruat ad ea, quæ ſunt infimi gradus ſuarum operationum nempe ad operationes naturales. In raptu aſcendit ad maximam operationem ſcilicet ad pure intellectiuam, atque adeo tunc dici poteſt, quod rapitur; tertio ſequitur, quod quia raptus potiſſime dicit alienationem, & abſtractionem à ſe, & ideo competit rei, quando non manet in ſolita operatione propria, quia non videtur eſſe in ſe, ſed extra ſe, ita eſt de Anima in ecſtaſi, quando in ea ligantur

Digitized by Google

vires naturales, & animales ſolutis ſolis rationalibus, nam nulla de operationibus neceſſarijs ad vitæ conſeruationē nobis notis exercetur; Nos autem in hominibus ſolas operationes naturales, atque animales experimur, intellectiuā vero tantum in nobis experimur, & non in alijs, atque adeo cum viderimus, quod in aliquo non apparent operationes animales, ideſt ſenſitiuæ, nec naturales iudicamus, quod non ſit anima in corpore illius, quia nulla operatio eius ibi manifeſtatur, & ita eſt in raptu; ſecus autem eſt de ligatione, quæ fit in ſomno, quia ibi non rapitur anima, cum operationes eius manifeſtæ ſint, nam vigorantur ibi operationes naturales, atque adeo vocabitur ligatio, ſed non raptus, aut ecſtaſis.

7 Quomodo autem poteſt fieri, vt maneant ſolutæ vires rationales ligatis ſenſitiuis, quia non fit intellectio niſi per conuerſionem ad phantaſmata, & tamen ligatis ſenſibus interioribus ligata ſunt etiam phantaſmata, ideo neque fiet intellectio per conuerſionem ad phantaſmata ligata; Reſpondetur (vide Toſtatum in Geneſ. Cap. 13. qu. 402.) quod fieri poteſt duobus modis, vno modo per impreſſionem ſpeciei à Deo in intellectu, & hoc ſiue illa ſpecies ſit creata, ſicut in communi ecſtaſi, vt erat de Balaal Numer. 24. & de alijs qui ecſtaſim patiuntur, ſiue per hoc, quod diuina eſſentia ſit illi intellectui forma intelligibilis, ſicut dicitur de Paulo, de quo aſſeritur, quod in raptu vidit diuinam eſſentiam, alius modus eſt, quod fiat per conuerſionem intellectus ad phātaſma non præexiſtens, ſed ad aliud à Deo nouiter creatum, vel formatum miniſterio Angelorum, ſed iſte modus magis pertinet ad reuelationes, quæ fiunt in ſomnis, quæ non vocantur raptus, neque ecſtaſis; ſopor Adæ negari non poteſt, quin fuerit verus ſomnus, tum quia vox Hebrea, & Chaldaica, quę hoc loco eſt, proprie ſignificat ſomnum, tum quia hoc manifeſte indicat Moyſes dicens immiſit Deus ſoporem in Adam, cumq; obdormiſſet &c. & fere eſt omnium Doctorum ſentētia ex latere dormientis Adę formatam eſſe Euam. Toſtatus vbi ſupra qu. 356. & Pererius lib. 4. in Geneſim &c. Cæterum, & ſi hoc verum ſit negare tamen non poſſumus illi ſomno Adæ interueniſſe ecſtaſim; ita vt non modo ſoluta, & libera eſſet mens eius ad naturalem vſum rationis, animique agitationem, ſed etiam diuinitus illuſtraretur, & prophetico ſpiritu impleretur in ipſo ſuo ſomno; & res, quę id temporis gerebantur, cerneret, & quæ in eis latebant miſteria intelligeret, ita D. Auguſt. lib. 9. de Gen. ad litteram Cap. vltimo; ſed quæres cur Deus immiſerit ſoporem in Adam, Reſpondetur, vt ſopor, ſeu ſomnus maior eſſet naturali, nam ſomnus qui naturaliter accidit eſt leuis, & ex quocumque leui motu tollitur, & euigilat dormiens; In ſopore autem à Deo immiſſo non contigit euigilare, quouſque Deus ſoporem abſtulerit, & hoc videbatur hic requiri ad hoc, quod coſta auferretur, licet potuiſſet Deus auferre leniter, vel alio modo non excitando eum à ſopore naturali, Toſtatus vbi ſupra qu. 353. & 356.

8 Cumque obdormiſſet, tulit vnam de coſtis eius; Erat enim Adam raptus in ecſtaſim ſcilicet non vtens ſenſibus corporeis, eratque magis abſtractus, quā dormiens; plura dicuntur ab interpretibus de illa coſta ablata, an fuerit Adamo neceſſaria an ſuperflua; Probabilius dicendum, quod coſta illa fuerit Adæ ſuperflua abſolute, & ſimpliciter, & ſi in eo permanſiſſet proculdubio Adamū deformem, ac monſtruoſum reddidiſſet; Erat igitur ſuperflua illa coſta Adæ, nec tamen deformem Adamum reddidit, quia

quia latebat ſub carne decenter cum reliquis coſtis compoſita, & concinnata, vt nullum redderet deformitatis aſpectum, & quia breuiſſimo tempore eam tulit Adam, eaque detracta deinceps per totam vitam iuſtum coſtarum numerum habuit, nulla ratione dici poteſt Adam fuiſſe monſtruoſum, & imperfecta hominis natura fuiſſe creatum; His adde, quod illa coſta non fuit Adamo ſuperflue generata per errorem naturæ, aut ſuperfluitatem materiæ, ſed Dei voluntate, & conſilio informatione corporis Mulieris ad neceſſarias Adæ coſtas adiuncta, ita Liranus hic, & Toſtatus loco ſupra citato q. 358, & 359, & plures alij dicentes, quod coſta illa, de qua fuit formata Eua, fuit in Adam ſuperflua quantum ad integritatem indiuidui, & neceſſaria ad formationem mulieris; & tamen ſi Adam tot coſtas præciſe habuiſſet, quot nos, fuiſſet coſta illa de perfectione, & integritate indiuidui, quod tamen nemo concedit; ſed omnes fere Doctores dicunt fuiſſe ſuperfluam Adæ. Et ſi dicatur poſita opinione contraria, quod Deus reddidit Adæ aliam coſtam loco ablatæ. Reſpó det Toſtatus dicens, quod hoc non poteſt ſtare, quia ſcriptura dicit, quod repleuit carnem pro ea, & non coſta illa tamen contraria opinio eſt nihilominus probabilis.

9 Corpus Euæ immediate fuit à Deo factum; ſi enim corpus Adæ ſic factum eſt, & non ſecundum curſum naturæ, eo modo, quo filia de Patre, & Matre, oportuit, quod de ipſo fieret opere ſuper naturam, & ita per potentiam mirabiliter operantem; item cum coſta Adæ non fuerit in potentia propinqua, vt de ea fieret corpus muliebre, ſed in valde remota, & nullo modo diſpoſita, & de ea debuerit fieri huiuſmodi corpus ſine mora temporis oportuit, vt fieret illa potentia, quæ ad operandum non indiget tempore, nec diſpoſitione, materiæ, ſed cui perfecte obedit omnis creatura; & habetur à D. Auguſtino lib. 9. ſupra Geneſim ad litteram Cap. 15. 18. & 19. vbi inquit natura mulieris creata eſt quamuis ex coſta virili, quæ iam erat, Angeli autem nullam omnino creare poſſunt naturam, ergo formare, vel ædificare coſtam, vt mulier eſſet, vſque adeo non potuit niſi Deus; à quo vniuerſa ſubſiſtit natura, vt neq; illud quidem carnis ſupplementum in corpore viri, quod in illius coſtæ ſucceſſit locū ab Angelis factum eſſe crediderim, ſicut nec ipſum hominem de terræ puluere (& infra) certiſſime dixerim ſupplementum illud carnis in coſtę locum, ipſius quo fęminæ corpus, & naturam formationemque membrorum circa viſcera ſenſus omnes, & quicquid erat, quo illa, & creatura, & homo, & femina erat non niſi in illo opere Dei factum eſt; quod Deus non per Angelos, ſed per ſemetipſum operatus eſt; Hæc ille, & quidem valde congruenter, quia ſicut mulier de viro fieri debuit, vt oſtenderetur viri præſtantia quantum ad dignitatem principatus, ſiue principij, ſic debuit, & decuit immediate fieri à Deo, vt ſeruaretur primi principij dignitas in genere mulierum. Vnde ſicut Adam, qui erat Pater omnium viuētium a Deo eſt factus, ſic Eua, quæ erat Mater cunctorum viuentium immediate à Deo fieri debuit, non enim debuit Mulier in genere hominum dignitatem perdere, quam habent Animalia vtriuſque ſexus in Genere Animalium; Abeant igitur Heretici Albigenſes dicentes Diabolum omnia corpora creare, & Manichei opinantes corpus ſuapte natura eſſe malum ideo à malo principio factum.

10 An vero formatio corporis Euæ de coſta Adæ dicendum ſit opus miraculoſum; pro reſolutione dicendum eſt, quod miraculum, & mirabile differunt,

quia

ratione miraculū eſt mirabile, & nō è cōtra; Mirabile enim dicitur eſſe illud, cujus cauſa alicui eſt nota, & alicui ignota, ſic Ecclypſis ſolis eſt mirabilis, quia eius cauſa eſt nota Aſtrologo, & Ruſtico eſt ignota, Aſtrologus de Ecclypſi ſolis non miratur, quia ſcit cauſam, Ruſticus miratur, quia neſcit, admiratio enim ex ignorantia procedit; Miraculum vero dicitur eſſe illud, cuius cauſa ſimpliciter eſt ignota; ſic eſt virtus diuina, quæ ſecretiſſime operatur, eſt enim cauſa occultiſſima, & remotiſſima à noſtris ſenſibus, & conſequenter ab intellectu noſtro; & ideo proprie dicuntur miracula, quæ ſola virtute diuina fiunt in rebus illis, in quibus eſt naturalis ordo ad modum contrarium faciendi, Vnde ea, quę etiam natura facit nobis, vel alicui noſtrum occulta, vel etiam, quæ Deus facit, nec aliter nata ſunt fieri niſi à Deo miracula dici non poſſunt, ſed ſolum mira, vel mirabilia, ſicut creatio Cœli, & terræ, & creatio hominis; ſimiliter, & monſtra non dicuntur miracula, ſed mira eo, quod licet fiant contra naturam particularem non tamen fiunt contra naturam vniuerſalem, vt fiunt miracula. Secundo dicendum, quod illa, quæ Deus miraculoſe operatur tribus modis facit, quædam enim facit ſupra naturā, quatenus aliquem effectum producit, quem nullo modo natura producere valet, quod dupliciter contingit, vel quia ipſa forma inducta à Deo a natura omnino induci minime valet, ſicut forma gratiæ, & gloriæ, quā inducit Deus in corporibus electorum, & ſicut etiam incarnatio Verbi Dei; vel quia & ſi talem formam natura in aliquam materiam inducere queat, non tamen in inſtanti, ſicut ad cauſandam vitam natura potens eſt ſuo modo; ſed quod in hoc mortuo natura vitam cauſet hoc natura efficere nequit; naturam enim cauſat vitam vegetantem, & ſentientem diſpoſitiue, ſed vita huius mortui ſolum Deum ſui cauſam agnoſcit; Quædam facit Deus contra naturam, vt quando in natura contraria diſpoſitio ad effectum remanet, quem Deus facit, vt quando conſeruauit illos tres pueros illæſos in camino ignis ardentis remanente virtute comburendi in igne, & quando aqua Iordanis ſtetit remanente grauitate in ea.

11 Alia Deus facit præter naturam quando producit effectum, quem natura poteſt producere; illo tamen modo, quo natura nō poteſt producere, & hoc propter tres cauſas, prima eſt, quia naturæ deſunt inſtrumēta, quibus ipſa operatur, ſicut cum Chriſtus conuertit aquam in vinum Ioan. 2. quod tamen natura aliquo modo facere poteſt, dum aqua in nutrimētum vitis aſſumpta ſuo tempore in ſuccum Vuæ digeſta producitur; ſecunda quia in diuino opere eſt maior multitudo, quam natura facere conſueuit, ſicut patet de ranis, quæ ſunt productæ in Ægypto; tertia quia natura deficit quantum ad tempus, vt inſtantanea, vel momentanea ſanatio infirmi, quæ à natura ſtatim, & ſubito fieri non poteſt, ſed ſucceſſiue, Vnde omnia iſta quoad effectum, & quoad modum, quo ad ordinem, & facultatem totius naturæ creatæ excedunt, ſolus Deus ea facit; His præmiſſis ſoluitur dubium numero præcedenti propoſitum duabus aſſertionibus, quarum prima eſt, quod formatio corporis Euæ de coſta Adæ non fuit proprię miraculum, ſiue miraculoſa, ſecunda aſſertio, corporis Euæ formatio de coſta Adæ fuit mirabilis, ratio primæ aſſertionis eſt, quia ad eſſe miraculi proprie dicti requiritur, quod ſit inſolitum, hoc eſt contra curſum naturæ, quia etiam nunc natura producit coſtas de hominibus per generationem, ergo formatio corporis Euæ de coſta Adæ non fuit miraculoſa.

Digitized by Google

culoſa. Ratio ſecundæ aſſertionis eſt, quia illa productio excedebat humanam facultatem, ſiue eius factura excedebat virtutem admirantis eius, quippe ratio ignorabatur; & ſi dicatur, quod Magiſter aſſerit formationem Euæ de coſta fuiſſe miraculoſam. Reſpondetur Magiſtrum accipere miraculum communiter ſcilicet pro mirabili, quia hæc formatio quantū ad modum fiendi fuit ſupernaturalis, & miraculoſa eo, quod non fuit naturalis, modus propagationis mulieris ex coſta viri, ſicut nec Adæ ex limo, ſed quantum ad proprietates conſequentes naturas inſtitutas non debet miraculo attribui.

12 Expedita cauſa efficiente formationis corporis Euę nunc inquirenda eſt cauſa formalis, ſiue modus eſſendi in fieri, an ſcilicet fuerit per creationem, vel aliter, pro cuius notitia aduertendum eſt, quod aliquid poteſt dici creari tripliciter priori modo proprie, & ſtrictæ, & hoc modo illud ſolum dicitur eſſe creatum, quod de nihilo ſuppoſito ſimpliciter tam quidditatiue & intrinſece, quam ſubiectiue & extrinſece eſt productum; hoc eſt illud, cuius ſubſtantia non fuit realiter præſuppoſita, nec aliud ſibi intrinſecum, vel extrinſecū, ſecundo modo large creatum dicitur illud, quod eſt à ſolo Deo creatum, ſeu productum, ſiue de aliquo ſubiecto præſuppoſito, ſibi extrinſeco, ſiue de aliquo intrinſeco, tertio modo largiſſime dicitur creatū vniuerſaliter omne aliud à Deo, licet à ſecunda cauſa productum non vt ab ipſa cauſa ſecūda ſed vt a prima productum, & hoc modo ens diuiditur in creatum, & in increatum, & omne ens aliud à Deo dicitur creatum non autem primo, & ſecundo modo; Ex his dicendum, quod productio corporis Euę fuit creatio ſecundo modo non autem primo modo, quoniam conſtat huiuſmodi corpus à Deo tantum ſupernaturaliter productum eſſe de aliquo tamen materialiter præſuppoſito, videlicet de materia coſtæ, omne autem ſic productum, ſcilicet à Deo ſolo ſupernaturaliter, & de aliquo materialiter præſuppoſito eſt creatum ſecundo modo non primo; Poteſt etiam dici, quod vocando illud eſſe creatum, quod eſt productum non de aliquo præſuppoſito ordine durationis ipſum præcedente, aliqua pars formæ corporis Euæ fuit creata, & alia non, & hoc patet, quia materia coſtæ prius fuit tempore corpore mulieris, materia autem de nouo creata, & materiæ coſtæ addita ſimul cum corpore eſt creata, ergo pars formæ corporis in materia corporis præſuppoſita introducta non fuit primo modo creata, ſed illa alia, quæ fuit in alia materia concreata nouiter introducta, bene poteſt dici creata primo modo.

13 Sed quæres cur Moyſes dixit; & ędificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam in mulierem non autem formauit, ſeu fecit, aut creauit; Reſpondetur ſcripturam, vt plurimum tranſumptiue vno pro alio vti, interdum enim exprimit creationē per productionem, interdum per factionem, interdum per plantationem, per formationem, generationem, & ædificationem; At quia ſecundum Ariſtotilem omnes transferentes ſecundum aliquā ſimilitudinem transferunt, ad propoſitum poteſt talis congruentia aſſignari; vt dicatur coſtam in mulierem ædificatam ad instar domus, quæ ſecundum Ariſtotilem fit, vt nos defendat ab incomodis, imbribus &c. Ita mulier conſtructa eſt, vt ſit domus, & receptaculum naturaliſſimum naturaliſſimi effectus, naturæ ſcilicet generationis, in quo præſeruetur ab incomodis, foueatur nutrimentis &c. Vide Matthiam Dorine in reſponſioni ad Burgenſem; Vel poteſt dici, quod ſic dictum eſt ad expri-

mendum

mendum modum formationis mulieris, vt dicit Rabbi Salomon, & verum eſt, eo quod ſicut edificium latius eſt, & groſſius eſt inferius, & magis ſubtile ſuperius, ita corpus mulieris groſſius eſt in partibus inferioribus de communi curſu, & ſubtilius, & gracilius in superioribus, & hoc eſt propter debilitatem calidi naturalis in muliere, quæ naturaliter eſt frigida, & ideo maior pars alimenti, de quo fit nutritio, & augmentum remanet in partibus inferioribus, & minor pars ſuperius eleuatur. Contrarium autem eſt in maſculo propter fortitudinem calidi naturalis, & ideo communiter habet pectus latius, ſcapulas groſſiores, & Caput &c. Vide Nicolaú de Lyra ſuper Cap. 2. Gen. tertio poteſt dici, quod ideo dicitur ædificaſſe, quia illa coſta erat, vt materia rudis, de qua fit Domus, in qua per variam diſpoſitionem artificis inducitur forma domus ſic illa coſta erat materia rudis, & per actionem Dei formata fuit in figuram Mulieris, & hæc ſatis de cauſa formali.

14 Videamus modo cauſam materialem, & dicamus reuera mulierem Euam productam eſſe ex viro, & ex coſta eius, nec recurrendum eſt ad interpretationem figuralem myſticam, aut metaphoricam; In quo grauiter errauit in fide, Caietanus Gen. 2. aſſerens Euá non fuiſſe vere productam de coſta Adami, ſed ſcripturam, dum ſoporem Adamo immiſſum, & productionem Euæ de coſta Adami narrat, loqui metaphorice; Ideo de fide tenendum eſt Euam reuera formatam fuiſſe ex coſta Adæ, quod patet expreſſe Gen. 2. vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt eandem ſententiam docet D. Paulus 1. Cor. 11. ſic inquiens Mulier gloria viri eſt non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro, ecce ex ſcriptura clare habemus mulierem ex viro eſſe factam; Accedit ad hæc concors omnium ſanctorum, & Doctorum ſententia, quæ eſt tanti momenti, vt pro Eccleſiæ definitione ſit tenenda.

15 Obſeruandum eſt corpus Euæ fuiſſe formatum de coſta viri remanente eadem numero quantum ad materiam, & formam in corpore mulieris formato, quæ fuerat primo in corpore viri; non enim totum mulieris corpus intelligendum eſt fuiſſe formatum de huiuſmodi coſta, tanquam de aliqua parte ſui integrali modo, quo aliqua nauis facta de ligno alterius Nauis diceretur facta de quolibet ligno eius, & omne totum dicitur factum ex qualibet ſui parte in ipſo actualiter manente; non enim in ea remanſit forma coſtæ, ſed tantum materia præceſſerat in Adá; ſicut nec in viro forma terræ, de qua quidem terra, ſiue de eius limo ipſius corpus legitur eſſe factum, ex quo ſequitur, quod eodem modo eſt intelligendum corpus mulieris eſſe de coſta; & corpus viri de limo terræ, quo de albo dicitur fieri nigrum, vel ignis de aqua, vel de omni alio elemento; ſicut enim nigrum dicitur fieri de albo, quia nigredo introducitur in ſubiecto, in quo præceſſit albedo, & ignis ex aqua, quia forma ignis introducta eſt in materia ſub forma aquæ antea exiſtente; ita conſimiliter in propoſito eſt intelligendum corpus viri fuiſſe formatum de limo terræ, & corpus mulieris de coſta, quia forma corporis viri fuit introducta in materiá terræ ſub forma terræ prius exiſtẽte, & forma corporis mulieris in materia ſub forma coſtæ præcedente, & præexiſtente.

16 Dicit ſacra ſcriptura Gen. 2. immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam cumque obdormiſſet tulit vnam de coſtis eius, & repleuit Carnem pro ea; Igitur Eua facta eſt de coſta Adæ dormientis, & non vigilantis ſecundum Magiſtrum ſent. in 2. ſententiarum diſt. 18.

pro-

Digitized by Google

propter tres rationes prima ne videns ſibi corpus inde conciperet horrorem, & ne pœnam ſenſiſſe monſtraretur Adam in detractione coſtæ, & ſic opus Dei mirabile comendaretur, cum latus aperuit, & partem ſeparauit, ita quod nec à ſopore illum excitaret, nec à quiete contemplationis turbauit, neque lęſit, nec opus fuit dolorem mitigare, quia potuit Deus ſine vllo prorſus dolore, & horrore coſtam à dormiente, ſicut potuiſset etiam à vigilante ſeparare; ſecunda ratio eſt, vt ipſe Adam in ſopore mẽte eleuaretur ad diuina reuelatione prę uidendum multa futura miſteria de Chriſto, & Eccleſia, & Sanctis, qui ex ſuo Matrimonio carnali, & ſpirituali Chriſti Matrimonio procrearentur ſcilicet, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli,& ſic de alijs. Vnde ſtatim cum euigilauit, prophetauit dicens;hoc nunc os de oſſibus meis &c. Tertia ratio propter figurandum miſterium Chriſti, & Eccleſiæ; quia ſicut de Adam dormiente formata eſt Eua,ſic de Chriſto in cruce dormiẽte, ideſt moriente fundata eſt Eccleſia Chriſti per ſacramenta, quæ habent efficaciam à ſanguine Chriſti quia de latere Chriſti in Cruce mortui profluxit ſanguis ſcilicet redemptionis, & aqua ablutionis ſcilicet baptiſmi, & pœnitentiæ, & ex conſequenti omnia ſacramenta habent efficaciam ex morte Chriſti, vide Scotum in 4. d. 2. q. 1. ad vltimum.

17 Coſta in tantam materiæ molem quanta ſufficeret fabricando corpori mulieris, aucta fuit non aliter quam per additionem materiæ, ſiue nouiter creatæ, ſiue alicuius reſoluti in ipſam (vtroque enim modo potuit fieri) potuit enim Deus ipſã nouiter creare, & creatam addere, vel aliud compoſitum ex ipſa materia, & forma in eam reſoluere, & ipſam illi addere; Non eſt tamen intelligendum corpus mulieris ſic formatum fuiſse ex coſta, ſicut ignis generatur ex aqua, vel ſicut corpus Adæ formatum fuit ex materia terræ, quoniam ignis generatur ex aqua, vel è conuerſo,tanquam ex illo, cuius materia eſt totale ſubiectum termini generationis ſcilicet formæ in ipſa materia introductæ conſimiliter corpus viri fieri potuit ex limo terræ, & ſic factum fuit, ſuppoſito, quod huiuſmodi limus terræ, vel eius materia fuerit æqualis quantitatis cum forma corporis introducta, vel eſto, quod aliquantulo minoris quantitatis fuit, ſuppoſito, quod forma terræ requirat materiam dẽſiorem, quam forma corporis; hoc enim dato potuit illa materia licet minor forma corporis viri rareſieri, & ſic ſub maiori forma effici nulla addita ſibi parte; Non ſic autem ex coſta formatum extitit corpus Euę, cum nec eius materia fuerit tota ſubiectum totius formę corporis mulieris, ſed tantummodo partis eius, & ideo corpus ipſum fuit formatum ex materia coſtę tanquam ex parte totius ſubiecti formę formati corporis, alia vero pars eiuſdem ſubiecti, tanquam quid adiecticium, vel acceſſum adhibita eſt, vel immediate, vt ex ipſa ſcilicet,& ex Adami coſta compingeretur corpus Euę, aut mediate, vt ſcilicet illa materia primo conuerteretur in coſtam Adami tãtę molis, vt perficiendo Euę corpori ſatis eſset, ſicque Euę corpus denominatur factum ex coſta Adę, tanquam à nobiliori licet minori parte, quę quidem coſta non fuit nuda, ſed carnibus coopetta. Vnde dixit Adam hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea.

18 Ex quibus Adami Verbis reſultant tria dubia reſoluenda primum eſt quare interpoſuit illam vocem (nunc) nonne ſufficiebat dicere hoc os de oſſibus meis? Reſpondetur illud nunc referri ad formationem primę mulieris ex coſta Adami, vt ſic ſenſus. Hęc mulier

LIII nunc,

nunc, ideſt prima vice ſic formata eſt ex viro ſcilicet; nam quę deinceps futurę ſunt Mulieres, nulla ſic generabitur, sed per naturalem tantum generationē ex mare, & fœmina, ſic D. Grisoſt. hom. 15. in Geneſim. Secundum dubium quare dicitur caro de carne mea, & os de oſſibus meis. Respondetur, quod hoc dixit Adam ad deſignandam veritatem, ſcilicet quod Deus formauerat mulierem de latere viri auferendo ab illo coſtam, atque adeo erat verum, quod erat caro de carne eius, et os de oſſibus eius, atque iſte fuit sensus, quem verbis illis intendebat facere Adam; ideo non dixit pluraliter oſſa de oſſibus, quia ita fuit in veritate ſcilicet, quod vnum de oſſibus Adę ablatum eſt ſcilicet coſta; Adam autem multa ossa habebat; et illud vnum ſuffecit ad formationem mulieris, itaut non opportuit plura ſumere; tertium dubium cum os mulieris factum ſit ex oſſe viri, & caro ex carne; ex quo ergo factus eſt nervus, cartilago & aliæ partes conſimiles? Dicendum, quod illa duo ſunt in latere manifeſte ſcilicet os, & caro, & hæc ſunt quaſi materia partium conſimilium os tanquam fundamentum machinæ humanæ, caro vero aliud extremum, & in his erat poſſibilitas materialis ad omnia fienda non ſecundum naturalem modum generationis, ſed diuinæ formationis, iſte modus non fuit producendi ſimile ex ſimili, ſed indifferenter ſimile membrum ex ſimili, & diſſimile ex diſſimili.

19 De latere Adami formata fuit Eua, & non de alia parte, quia mulier parabatur viro, vt ſocia, & non vt domina, neque vt ancilla, ideo ex loco formationis debuit apparere, ad quem finem formabatur, ſi enim de pedibus formata fuiſſet videbatur ad ſeruiendum facta, ſi autem de Capite ad dominandum, quia hæc ſunt extrema ſcilicet ſupremum, & infimum, vt ergo videatur ad amorem, & ſocietatem creata debuit eſſe de medio ſcilicet de latere, & ita fuit de vna ex coſtis eius, Pelbartus in v. Eua v. 5. dicit quod illa coſta deſumpta eſt ex latere dextro, tum propter figurationem Eccleſiæ, & Chriſti in dextro latere vulnerati, tum propter honorandam Euam conſortem Regni cum Adamo; nam Reges dant dexteram Reginæ Aſtitit Regina à dextris, Pſal. 44. Pererius autem dicit, quod ex ſiniſtro Latere Euam formatam credit, in quod vergit cor humanum propter ſummum amorem, qui inter virum, & vxorem eſſe debet, & propter conſenſionem Animorum, & concordiam voluntatum, & quoniam ſiniſtrum latus infirmius declaratum eſt infirmiorem eſſe ſexum fęmineum, quam virilē; Mares præterea concipiuntur in dextro latere, fœminæ autem in ſiniſtro, quia etiā ignobilius eſt latus ſiniſtrum dextro, nec ſine eius auxilio ſeſe poteſt ſubrigere ac ſuſtentare; Potuiſſet Deus formare primam mulierem ex limo, ſicut formauit primum virum, non tamen ita conuenienter; facta enim eſt ex aliqua parte viri, vt oſtenderetur, quod ſicut originem ſumpſit ex viro, ita debet eſſe viro ſubdita cum præminentijs tamen prædictis. Hactenus de cauſa materiali.

20 Cauſa finalis breuiter quidē neruoſe tamē in principio dicta eſt in principio huius articuli pro complemēto tamen aliqua ſunt addenda, ſi conſideremus tantum ſtatum Innocentiæ Mulier non fuit facta ad ſeruiendum viro, nam ſubiectio Mulieris ſub viri poteſtate in tali ſtatu fuiſſet mulieri voluntaria, & iocunda, atque omni ex parte expers moleſtiæ; ſubiectio enim penalis cum ſuis grauaminibus originem habuit ex tranſgreſſione mandati, atque adeo tantum in ſtatu peccati fuit obligata viro eſſe vero in Adiutorium, & ſociam conueniebat ei ſecundum ſtatu naturæ in-

ſtitu-

ſtitutæ, & ante peccatum; nam fœmina etiam in ſtatu Innocentiæ diceretur adjutorium in quantum conferret ad generationem, & ſocia propter æqualitatem, quam habet ad Virum ſecundum ſpeciem; ſunt enim in eadem ſpecie, & ſpecies dicit vnum gradũ perfectionis, ſub quo eſt tamen quædam inæqualitas participationis, quia tamen illa inæqualitas, non excludit ſubſtantiæ ſpecificæ æqualitatem vocatur mulier ſocia, quia ſocietas dicit æqualitatem; & hoc ſignificauit etiam Deus, quia non dixit ſolum faciamus ei adiutorium, ſed addidit ſimile ſibi, & iſta ſimilitudo ſignificat æqualitatem ſpeciei, in qua eſt æqualitas, & ſocietas; Quod vero fuerit de viro formata non diminuit, ſed potius auget dignitatem; quamuis vera, & præcipua cauſa quare Mulier formata ſit de viro fuerit propter humani generis honorem, vt vnus homo eſſet cum viro principium omnium hominum, ſicut Deus eſt ſimpliciter principium omniũ entium; ſed vltra hanc cauſam fuit etiã propter mulieris dignitatem, nam vult ſcriptura oſtendere dignitatem fœminę; ex eo ſpecialiter, quod non ex limo terræ immediate formata ſit, ſed ex viro, & viri coſta &c.

De Eſſe ſubſtantiali ſpirituali, hoc eſt de Anima rationali primorum Parentum Adami, & Euæ. Art. III.

1 ET inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in Animam viuentem; Notat Magiſter ſententiarum Moyſen vſum fuiſſe tropica locutione, ſeu metaphorica ad exprimendam creationem Animę rationalis, & infuſionem eius in corpore, dum dixit inſpirauit, Inſpirare ex D. Bonauentura in 2. diſt. 17. art. 1 in reſponſione ad primum idem eſt ibi quod ſpiritum facere, & factum corpori infundere, ſimiliter & inſuflare eſt flatum hominis facere, & factum corpori infundere. Itaque ſenſus eſt, Inſuflauit idest flatum hominis, ſiue Animam fecit, flatum nãque facere eſt Animam facere. Vnde Dominus per Iſaiam 7 dicit omnem flatum ego feci, & quemadmodũ quando Deus res produxit verbo non fuit ibi vox materialis, ſic quando inſuflauit, non fecit, nec fuit mediantibus inſtrumentis corporalibus; Pro cuius intelligentia nota primo, quod creatio Animæ rationalis nomine inſpirationis, ſeu inſuflationis nominatur ob plures rationes, quarum prima, vt intelligeretur Animam rationalem cæteris animalibus præſtare, ipſa enim eſt vitæ, gratiæ, ac ſapientiæ Dei particeps, & capax; ſecundo, vt oſtenderetur, quod creatio Animæ rationalis eſt Deo tam facilis, quam facile eſt homini flatum ex ore ſuo mittere; Tertia, vt pateſieret Animam ſimul creari, & infundi in corpus, Deus enim creando eam infundit, & infundendo creat.

2 Secundo nota, quod Deus nominauit faciem dicendo inſpirauit in faciẽ eius ob tres cauſas, quarum prima quia in facie interioris Animi motus innoteſcunt; ſecunda quia in facie maxime apparet vita, quæ per inſpirationem, & diſpirationem oris, & narium fit; tertia quia in facie potiſſimum vigent ſenſus, tam interiores, quam exteriores Tertio nota, quod Anima rationalis appellata eſt ſpiraculum vitæ, quia homo tantiſper viuit, dum ſpirat, ſimulque, vt deficit reſpiratio, etiam vita deſtituitur, & ab Anima deſeritur ſpiraculum vitæ apud Hebręos pluraliter præfertur ſpiraculum vitarum; ratio huius à Doctoribus diuerſimode aſſignatur; quidam enim hanc protulerunt rationem, vt ſi-

Digitized by Google

gnificaretur triplex vita, quam Anima rationalis largitur homini videlicet vegetatiuam, ſenſitiuam, & intellectiuam, aliqui dixerunt, vt inſinuaretur triplex ſpiritus in homine ſcilicet vitalis in corde, naturalis in iecore, ſiue in epate, & animalis in Capite; alij aſſeruerunt ideo pluraliter eſſe dictum, vt manifeſtaretur duplex hominis vita vna corporalis, ſiue naturalis, altera ſupernaturalis, ſiue ſpiritualis; Alij hanc adduxerunt rationem, vt indicaretur hominis vita ſcilicet præſens, quæ temporalis eſt, & altera, quæ ſempiterna eſt; Hinc oriuntur diuerſæ definitiones, ſeu deſcriptiones Animæ à Doctoribus traditæ, de quibus in ſequentibus.

3 Ex dictis facile confutatur opinio dicentium ſpiraculum vitæ fuiſſe Spiritum Sanctum, de quo dicitur Ioan. 6; & 2. Cor 2. ſpiritus eſt, qui viuificat; quam opinionem coufutat D. Auguſtinus lib. 23. de Ciuit. Dei Cap. 23. & 24. ex ipſo contextu nam ſtatim ſequitur, & factus eſt homo in Animam viuentem, non in Spiritum Sanctum viuentem; Hæc expoſitio probatur ex illo Sapientiæ 15. ignorauit eum, qui ſe finxit, & qui inſpirauit illi Animam, & inſufflauit ei ſpiritum vitalem, D. etiam Griſoſt. hom. 12. & 13. & communiter vniuerſi Antiqui Patres interpretantur hunc locum litteraliter de productione Animæ rationalis, & non de infuſione Spiritus Sancti; Videtur etiam hæc opinio repugnare dictis Apoſtoli qui 1. Corin. 15. dicit factus eſt primus homo Adam in Animam viuentem. Nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem, ſed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale; Ibi enim D. Paulus diſcrimen ponit inter primum, & ſecundum Adam Chriſtum, quod ſi ſpiraculum illud, quo primus homo factus eſt in Animam viuentem eſſet quadam ſpecialis gratia etiam primus homo eſſet factus in ſpiritum viuificantem, atque ita non eſſet tale diſcrimen inter eos quale D. Paulus aſſignat.

4 Negare Animam rationalem eſſe pluſquam hæreticum eſt, nã qui negaret Animam rationalem eſſe, innumerabiles errores, quos longum eſſet recenſere, profiteretur; Colligitur autem eſſentia, & exiſtentia Animæ rationalis ex maniſeſtiſſimis eiuſdem actibus; nam ratiocinari, verum à falſo diſcernere ſicut, & bonum à malo, libere velle, interpretari, artes inuenire, & alij id genus actus indicant in homine eſſe aliquod principium, quod in alijs viuentibus non reperitur; Hæc veritas alibi naturalibus rationibus oſtenſa eſt, tanquam fundamentum fidei; ideo non indiget vlteriori probatione, ſed potius declaratione, quæ infra varijs definitionibus, ſeu deſcriptionibus eiuſdem Animæ rationalis fiet, ſed prius eliminanda, & explodenda eſt opinio negantium Euam non habuiſſe Animam rationalem, nam repugnat aperte ſacris ſcripturis, in quibus aperte habetur Euã formatam, ſiue ędificatam eſſe aut creatam eſſe, vt eſſet adiutorium Adamo ſimile ſibi; quomodo ſimile ſibi ſine Anima rationali? Item Eua diſcurrendo cum Dæmone ſub forma ſerpentis propoſuit mandatum diuinum prohibens æſum de ligno ſcientiæ boni, & mali cum comminatione pęnæ mortis; diſcurrebat, loquebatur, & tandem transgreſſa eſt mandatum, quod illi imputatum eſt ad culpam, & ſubiecta eſt varijs pęnis, & præcipue poteſtati viri, quæ omnia, & ſingula non poterant conuenire Euæ, ſi ipſa non habuiſſet Animam rationalem; optime igitur titulus huius articuli ſuprapoſitus ſupponit ambos primos Parentes Adam, & Euã ęque habuiſſe animam rationalem.

5 Anima rationalis ſic definitur, quod ſit Deiforme ſpiraculum vitæ. Dei-

Digitized by Google

forme dicitur, ad differentiam Animæ irrationalis, quæ non eſt deiformis; Dicitur ſpiraculum vitæ ad differentiam Angeli; Angelus enim, & ſi ſpiretur à Deo, vt vita non tamen, vt ſpiraculum vitę reſpectu corporis. Hæc definitio traditur à D. Griſoſt. hom. 2. in Geneſim D. Ambroſio in lib. de Noe Cap. 24. D. Aug. lib. 13. de Trinit. Cap. 24. de qua vide Caſtrum contra Hæreſes V. Anima Hæreſi ſecunda; Ex qua definitione colligitur primo, quod Anima rationalis veniat de foris, & creetur ab ipſo Deo immediate, hoc ſignificat ly Deiforme ſpiraculum, & per conſequens, quod Anima non educatur de potentia materiæ, nec in ipſa contineatur; ſecundo quod Anima eſt forma ſubſtantialis ſpiritualis hominis, in hoc quod dicitur ſpiraculum Dei vbi ſpiritualitas omnimoda ſignificatur ad differentiam Animarum vegetatiuæ, & ſenſitiuæ.

6 Secũda definitio eſt Doctoris ſubtilis in 4. diſt. 49. q. 8. quod ſit pars hominis beatificabilis immediate beatitudinis ſuſceptiua; dicitur pars diſtinguitur ab alijs ſubſtantijs ſpiritualibus nempe ab Angelis, qui cum ſint actus completi in ſuo eſſe, & non ordinabiles ad aliud, non poſſunt eſſe partes phyſicæ; beatificalis beatitudine per ſe, & eſſentiali, quæ conſiſtit in clara Dei viſione, & fruitione ad differentiam corporis, quod eſt quidem pars, & beatificabilis non tamen beatitudine per ſe, & eſſentiali, ſed ſolum per accidens, & accidentali; Dicitur immediate beatitudinis ſuſceptiua, quia Anima rationalis eſt immediatæ ſuſceptiua naturaliter cuiuslibet formæ ſpiritualis, & nullo eget medio, aut diſpoſitione, ita Scotus q. 1. Prol. tertio definitur à D. Aug. in lib. de ſpiritu, & Anima dicente Animam eſſe ſubſtantiam quandam incorpoream rationis participem regendo corpori accomodatam, ſicque Animę naturam delineat perfecte nam ſubſtantiam ab accidentibus, in corpoream à corporibus rationis participem à brutis regendo corpori accomodam ab Angelis illam ſegregat.

7 Poteſt quarto modo ſic definiri Anima rationalis eſt forma ſeparabilis, & vnibilis, & recte, nam his tribus verbis, & eius eſſentia aſtruitur, & differentia à quorumque alio exprimitur; forma ſiquidem dicitur, quia hoc habet cum cæteris Animabus, & formis etiam corporeis commune; ſed ab illis ſecernitur quatenus dicitur ſeparabilis, formæ etenim corporeæ, tam ſubſtanſtantiales, quam accidentales ſeparari naturaliter non poſſunt ſicuti Animam per diſſolutionem naturalem ſeparatur, & ſeparata ſubſiſtit; per hoc veró, quod additur, vnibilis à ceteris omnibus ſpiritualibus ſubſtantijs, & accidentibus diſtinguitur, non enim poſſunt tanquam forma informás corpori vniri, quinto ſic à Caſſiodoro definitur Anima eſt ſubſtantia ſpiritualis à Deo creata ſui corporis viuificatrix, quæ etiam optima eſt, nam illa particula à Deo creata poſita eſt, ne quis Animam Dei ſubſtantiam eſſe credat, dicitur ſui corporis viuificatrix, vt eam à non viuentibus diſtinguat; Doctrinaliter definitur primo per prædicata quidditatiua, dicendo quod ſit ſubſtantia ſpiritualis; ſubſtantia, quia eſt actus corporis ſubſtantialis, & facit corpus ſubſtantiale; ſpiritualis, quia habet operationes ſpirituales intellectiones, & volitiones &c Secundo per proprietates, quia eſt principium ratiocinandi in homine &c.

8 Moraliſſimus Seneca ſic eam definit Anima eſt ſpiritus intellectualis ad beatitudinem in ſe, & in corpore ordinatus, & hæc optima eſt, vt patet conſideranti; tandem Anima eſt omnium ſimilitudo, etenim vt explicat D. Au-

Digitized by Google

guſtinus in lib. de ſpiritu & Anima; Anima autem ſecundum eſſe, aut ſecundum cognitionem cum rebus omnibus quodammodo conuenit; nam conuenit cum ſubſtantijs corporeis inanimatis in eſſe, licet non incorporeitate, nam ſimilis eſt lapidibus per eſſentiam, arboribus per vitam, animalibus per sẽſum, & imaginationem, Angelis, & Deo per intellectum, & intelligentiam; Ex dictis, & alijs definitionibus Animę rationalis traditis; vna omnium fere comprehenſiua ad maiorem expreſſionem ſic aſſignari poteſt, & explicari; Anima eſt ſubſtantia incorporea, immortalis, à Deo de nihilo creata, cũ infunditur corpori ſuo, ad ipsum informandum per ſe, & eſſentialiter ordinata, ſimulque ad perfectam beatitudinem obtinendam per gratiam, & bona opera.

9 In hac definitione primo dicitur incorporea cõtra illos philoſophos, qui dixerunt eam eſſe corpus, vt aerem, vel ignem; ſecundo dicitur immortalis cõtra illos; qui etiam dixerunt cum corpore mori, in perſona quorum dicitur, Eccleſ. 3. 19. hominum, & iumentorum idem eſt interitus, & æqua vtriuſque conditio, quod vt hæreticum ab Eccleſia damnatur; tertio dicitur creata contra Gnoſticos hæreticos, qui dixerunt Animam eſſe naturam Dei, & conſequenter non ipſius creaturam; quarto dicitur à Deo contra Simoniacos, & Menandrianos Hæreticos, qui aſſeruerunt Animas, & alias creaturam ab Angelis factas; quinto dicitur de nihilo contra eos, qui dixerunt factam eſſe ex ſubſtantia Dei; & alios, qui aſſeruerunt factam ex ſubſtantia ſtellari, & contra illos, qui ſuſtinuerunt factam ex traduce, ſiue per generationem corpoream, idest Animam generari ex Anima generantis, cum generatur corpus, ſicut & corpus; & huius ſententiæ dicitur fuiſſe Tertullianum.

10 Sexto dicitur cum corpori infunditur contra origeniſtas, qui dixerunt omnes Animas ab initio mundi creatas fuiſſe, & peccaſſe, & ſecundum varietatem peccatorum in diuerſa corpora infundi, licet enim videatur ſatis rationabiliter poſſe dici, quod Deus ante corpus Adæ animam eius produxerit, vt oſtenderet eam à corpore non depẽdere, nec factam ex traduce, ſed per ſe ſubſiſtere; & vt etiam cum hoc pariter oſtenderet conformitatem eius cum natura Angelica, tam in rationis capacitate, per quam Anima eſt imago Dei, quã in beatitudine, ad quam Anima, & Angelus ordinantur; tamen longe rationabilius videtur aſſerere, quod Anima producta ſit ſtatim in corpore, tum quia Anima, vt perfectio naturalis corpori vnitur, cui naturaliter appetit copulari, adeo vt ab illo ſequeſtrari, & ſine illo eſſe, pœna ſit illi Animæ, tum quia vnitur etiam, ſicut motor mobili, ita quod ſine ipſo: nec mereri, nec demereri poteſt.

11 Ideo non debuit ante corpus produci, ne ante culpam puniretur, & ne abſque corpore priuaretur poſſe mereri; Dicitur ſeptimo in prædicta definitione; ad informandum corpus contra eos, qui putarunt Animam corpori vniri, non vt forma ſubſtãtialis, ſed vt motor mobili, quod reprobatur, & oppoſitum ſtatuitur de fide in Clementina vnica de ſumma Tri[illegible] & fide Catholica; in Concilio Viennenſi; & in Concilio Lateranenſi, vltimo ſub Leone X. ſeſs. 5; Dicitur octauo ad beatitudinem conſequendam contra eos, qui dixerunt Animas conuerti in Dæmones, vel in quæcumque animalia; nono dicitur per gratiam contra Pelagianos; qui opinati ſunt per liberum arbitrium principaliter poſſe aquiri beatitudinem; Decimo dicitur per bona opera contra Luteranos, & Caluiniſtas, qui neceſſitatem bono-

Digitized by Google

norum operum negauerunt aduerſus quos clamat tota Eccleſia Catholica, & ortodoxa.

12 Stabilita veritate de Cauſa efficiente Animæ rationalis, quod nimirum à ſolo Deo producta ſit, & nihil aliud poſſit producere eã, quia tantum Deus poteſt creare, & de nihilo ſimpliciter dare verum eſſe reale, ſecundum communem Theologorum ſententiam maxime Scoti in 4. d. 1. q. 1. Nihilominus fuit ſententia Auicennę 9. Metaph. Cap. 4. (vt referunt Alex. de Ales 2. p. q. 61. mem. 2. D. Thomas p. p. q. 9. art. 3. & D. Bonau. in 2. diſt. 18. q. vltima) dicentis, quod principium cuiuslibet motus qui eſt in Mundo eſt motus Cœli, & cuiuslibet Animæ cuiuſcumque animati principium eſt Anima Cœli; Vnde dicebat, quod omnes virtutes, quæ proueniunt à Cœlo ad mundum iſtum ſunt quattuor; prima eſt aptatrix compoſitionis, & coniunctionis, quæ ſufficit in compoſitione liquabilium; ſecunda dat Animam augmentatiuam; tertia dat animam viuam cuilibet viuo, & vocat animam viuam, animam ſenſibilem, ſiue ſenſitiuam; quarta vero dat Animam rationalem, cuilibet loquenti.

13 Hæc vero omnia fiunt mediante luce, & mediante virtute Cœli, & ſicut ſi quieſceret cor à motu ſuo quaſi in ictu oculi moreretur homo, & deſtruerentur omnia, quæ in ipſo ſunt, & ſicut humanum corpus cõſtitutum ex membris habet vnam Animam, ita Cœlum habet vnam Animam, quæ dicitur Anima mundi, & hæc Anima mundi eſt, quę creat Animas, & ſi ceſſaretur à ſuo motu omnia, quæ in mundi ſunt, deſtruerentur, quam etiam animam appellat datricem formarum; Cæterum hæc opinio Auicennæ eſt falſa; Non enim intellexit Auicennas, quod corporalia facta fuerunt propter Animam rationalem, & non e conuerſo; qua non exiſtente in Mundo motus cœli, & ſuperiorum corporum ceſſaret, ſicut erit poſt vniuerſale iudicium; & ſi in homine eſt principium mouendi non dependet à motu Cœli, ſolus igitur Deus eſt cauſa efficiens Animæ rationalis, non Angelus non intelligentia non Diabolus, & ſi Deus eſſet Anima mundi vera eſſet opinio Auicennæ.

14 Plures Hęretici putauerunt Animam eſſe aut Dei ſubſtantiam, aut ex Dei ſubſtantia; de quibus videndus eſt Alphonſus de Caſtro contra Hæreſes Verbo Anima Hæreſi 3. ſed eorum ſententia eſt falſiſſima; Deus enim ad creaturas ſe habet in ratione efficientis, & finis, at nullo modo ſe habere poteſt in ratione materiæ, & formæ; alias in eò concederetur maxima imperfectio, nẽpe eſſe partem; quod enim ſe habet in ratione materiæ reſpectu alicuius, eſt minus ipſo, immo ordinatur ad ipſum tanquam ad ſuam perfectionem; Vnde Diu. Auguſtinus lib. 7. de Gen. ad litt. Cap. 2. inquit Animæ naturam, vel in deterius commutari poſſe quis ambigit, ac per hoc ſacrilega opinio eſt eam, & Deum credere vnius eſſe ſubſtantiæ; Quid enim hoc modo aliud; quam & ille commutabilis creditur? Credendũ itaque eſt, & intelligendum, neque vllo modo dubitandum, quod recta fides habet Animam ſic eſſe a Deo tanquam rem, quam fecerit, non tanquam de natura, cuius eſt ipſe, ſiue genuerit, ſiue quoquo modo protulerit, ita D. Auguſtinus.

15 Nec obſtat, quod hic dicitur Deũ inſpiraſſe in faciem eius, quoniam illa Dei inſpiratio non fuit corporalis, ſicut locutio non fuit corporalis; cum dixit fiat Lux, fiat firmamentum &c. ſed vt inquit D. Griſoſth. homil. 13. in Geneſim inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, idest corpus illud ex puluere factum rationalem Animam habere iuſſit,

quæ

quę corporeis membris vti poſset; Quod eſt igitur inſpirauit ſpiraculum vitæ? Voluit & imperauit, vt tale corpus haberet vitalem vim, quæ facta Animali in Animam viuentem hoc eſt efficaciter operantem, & ſuam artem membrorum motu oſtendere valet; Hæc veritas definita eſt de fide apud Leonem I. in Epiſt. 91, vel 93. ad Turbium Epiſcopum Cap. 5. & in Concilio primo Bracarenſi Cap. 5. & in Concilio Tolet. 1. in Confeſſione fidei vbi ſic dicitur ſi quis dixerit Animam humanam Dei portionem eſſe, vel Dei ſubſtantiam anathema ſit; Quare non opus eſt, vt in ea corroboranda plures adducantur rationes; ſicut non eſt opus inquirere an Anima producatur de materia, cum eius eſſe ſit neceſſario ex nihilo.

16 Dictum eſt de cauſa efficiente Animæ, & materiali hic inquirenda eſt eius formalis cauſa, ſeu modus, quo exit in eſſe, de quo refert D. Auguſtinus in lib. de vtilitate credendi Cap. 4. quod fuit quidam Lucretius, qui aſſerebat Animam rationalem ex athomis produci, & poſt mortem in athomos reſolui, ſed iſte error eſt adeo contra lumen naturæ, vt indignus ſit aliqua cõfutatione, eo vel maximè, quia Anima rationalis ſit immortalis, manens, & ſubſiſtens poſt mortem corporis, Tertullianus autem ex D. Auguſtino in Epiſt. 157. & in lib. de Hęreſib. Cap. 86. & lib. 10. de Gen. ad litt. Cap. 25. ſenſit Animam per traducem gigni ab Animabus parentum, ſicut corpora à corporibus, atque ita ab Anima Adami propagãtur omnium hominum Animę, atque idem ſenſit Apolinaris, & maxima pars occidentalium ex D. Hieronymo Epiſt. ad Marcellinum, quæ ſententia ſi non eſt hæreſis ſaltem eſt error in fide, & temeraria valde ex Magiſtro ſent. in 2. diſt. 18. vbi ſic ait Catholica Eccleſia Animas in corporibus ſeminatis, atque formatis infundi, & infundende creari docet, & conſequenter, qui hoc negaret proculdubio erraret contra fidem, & Eccleſiam Catholicam ideo ſic docent omnes Catholici; Alexander Alenſis 2. p. q. 60. membr. 3. art. 3. & q. 61. memb. 2. D. Thom. p. p. q. 118. art. 2. D. Bonau. in 2. d. 18. q. vlt. docent, quod Anima rationalis cum ſemine non traducitur, quorum ratio eſt, quia ſequeretur Animam eſſe mortalem, nam cum ſemen humanum facillime corrumpatur efficiaturque generationi inutile, ſicque Animæ in ſemine latentes interirent, quoniam rationes ſeminales, quæ in rebus ſunt, nihilo fortiores, ac firmiores ſunt rebus, in quibus exiſtunt.

17 Reſtat ergo dicẽdum Animas rationales habere eſſe, & habuiſse per creationem non quidem ſimul cum Angelis, vt voluerunt Manichei, & Origeniſtæ cum alijs Hęreticis, quod & ſi non poſſit ex ſcripturis conuinci, tamen conſtat ex Eccleſiæ traditione, nam D. Leo Epiſt. 93. Cap. 10. ita de Priſcillianiſtis qui idem ſentiebant pronunciat; Eos Catholica fides à corpore ſuæ vnitatis abſcidit conſtanter prædicans, atque veraciter, quod Animæ hominum priuſquam ſuis inſpirentur corporibus non fuere; & D. Gregorius Niſſenus in diſput. de reſurrectione, & Anima loquens de Origeniſtis ſic ait; ſi datum fuerit, quod ante corpus Anima viuat neceſse eſt, vt abſurdas ſententias illorum, qui propter vitioſitatem animas in corpora deduci volunt, vires habere putemus, hæc ille, ſed ſic per creationem habent eſse, quod organizatis corporibus a Deo creantur, & creando infunduntur, & infundendo producuntur ſic Catholica Eccleſia; Hinc ſequitur id quod docent Alexander Alenſis 2. p. q. 60. membr. 2. D. Bonauentura in 2. diſt. 17. art. 1. q. 3. Richardus eadem

dem diſt. art. 1. q. 2. & Scotus in 2. diſt. 17. q. 1. & alij, quod Anima Adæ fuit creata in corpore. Quibus non tantum fauet ratio, ſed & ſcripturæ ſuffragatur authoritas, quæ dicit poſt productionem, & formationem hominis Deum ſibi vitæ ſpiraculum inſpiraſſe.

18 Circa cauſam finalem Animæ, quadruplex ratio adduci poteſt cur anima ſit creata; prima ad impletio voluntatis diuinæ, quæ voluit eam creare, illud enim, quod Deus vult oportet impleri, omnia quæcumque voluit Deus fecit; ſecunda eſt finalis reparatio ruinæ Angelicæ. Venit enim Chriſtus ſecundum Apoſtolum reparare, quæ in Cœlis, & quæ in terris ſunt, & in Pſal. 109. iudicabit in nationibus (ſcil. Dominus) implebit ruinas, etiam quamuis Angeli mali reparari nõ poſſint, & boni Angeli non egeant reparatione in ſe tamẽ dum ob ruinam lapſorum Angelorum homines creati aſſumuntur; creſcit gaudium eorum ex numero fruentium, & ſic dicuntur reparari; tertia propter Dei bonitatem, & ſui vtilitatem; Vtile eſt namque ipſis ſeruire Deo, & frui eo. Condita eſt ergo rationalis Anima propter Deum, non quia Creator Deus, & ſumme beatus eius indiguerit officio, qui bonorum noſtrorum non eget, ſed vt ſeruiret ei, cui ſeruire regnare eſt, & in hoc proficit ſeruiens, nõ ille, cui ſeruit; quartam ponit Magiſter ſententiarũ in ſecundo libro dicendo, quod Deus fecit rationalem creaturam, vt ſummũ bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando poſſideret, & poſſidendo frueretur; & D. Auguſtinus dicit, quod Anima rationalis creata eſt, vt Deum videret, amaret, laudaret, & ei ſeruiret, ita quod videre pertinet ad actum, ſiue ad potentiam intellectiuam cuius eſt Deum in enigmate videre, dum eſt in via, & intuitiue, quando erit in patria; amare ad actum voluntatis, laudare ad actum ſermonis, ſeruire ad actum operis exterioris, vt iſtis omnibus fiat proteſtatio primæ veritatis, ſummæ bonitatis, immenſæ Maieſtatis; & æternæ felicitatis.

19 Si ſubſtantiam Animæ inſpiciamus proculdubio confitendum eſt eſſe ſpiritum carens materia, & forma, & conſequenter non eſſe corpus contra quoſdam philoſophos, vt refert Ariſt. 1. libro de Anima Cap. 2; quod tamen mirum non eſt, quod carentes lumine fidei, quod tam abſurdè circa Animam rationalem fuerint opinati, quod dixerint eam eſſe corpus, cum etiam Tertullianus lib. de reſurrectione Carnis in eodem fuerit errore, vt refert D. Auguſtinus lib. 1. ſuper Gen. Cap. 15. & in lib. de Hæreſibus Cap. 86. & ita inſanierit, vt aſſereret etiam ipſum Deum eſſe corporeum; quod ſecundum fidem Catholicam omnino deteſtandum eſt, & abſolute negandum eſt, ne dum Deũ eſſe corporeum, ſed & ipſam Animam eſſe corpoream, concedendum tamen eſt ſecundum doctrinam Ariſtot. primo de Anima Animam rationalem eſſe actũ corporis phyſici, & ad ipſum ſe habere tanquam perfectiuum ad ſuum perfectibile; & in cõpoſitione hominis phyſica Animam vere informare corpus, & eſſe eius formam ſubſtantialem, quæ ſeipſis vniuntur ſine alio medio.

20 Quod vero Anima rationalis ſit forma corporis eſt certum, & definitum de fide per Concilium Vienneſe, & Lateraneſe vltimum ſupracitata; ſic etiam ſentit D. Athanaſius in Symbolo, vbi dicit, quod Anima, & caro vnus eſt homo, ergo Anima vnitur eſſentialiter humano corpori, conſequentia eſt euidens, quia compoſitio ſubſtantialis ex materia, & forma, ex qua reſultat, vnum per ſe nunquam fit, niſi quando forma vnitur materiæ, confirmatur eſt loco Gen. ſæpe dicto, formauit Deus homi-

nem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, ex quibus verbis aperte colligitur, quod Anima hominis illi intrinſece vnitur viuificando illud, eſt igitur de fide, & idem docent Alexan. de Ales. 2. p. q. 63. D. Thomas p. p. q. 76. art. 1. & ſequentibus D. Bonauen. in 2. diſt. 17. art. 1. & diſt. 18. quæſt. vltima. Scotus in 2. d. 18. qu. 1, & in 4. diſt. 43. qu. 2. ſic alij Scholaſtici.

21 In eodem homine vltra Animam rationalem eſt altera forma ſubſtantialis, quæ dicitur forma corporeitatis, ita Doctor ſubtilis in 4. diſt. 11. q. 3, probatur primo, quia Ariſtotelis 2. de Anima dicit, quod Anima eſt actus corporis phyſici, ſed corpus phyſicum habet formam ſubſtantialem, ergo præter animam intellectiuam ponenda eſt forma corporeitatis, ſecundo Cauſalitas cauſæ formalis eſt dare alteri tale eſſe, qualé ſibi competit, & conuenit, ſed Anima intellectiua non eſt formaliter corporea, ergo nõ dat eſſe corporeum, ergo præter eam ponenda eſt forma corporeitatis, tertio omnis forma immediate in materia recepta eſt forma generabilis, & corruptibilis, ſed anima intellectiua non eſt generabilis, nec corruptibilis, ergo non eſt forma recepta in materia, ergo præſupponit aliam, ſed non accidentalem ex primo phyſicorum, ergo ſubſtantialem; quarto in homine mortuo manent eadem accidentia numero, ſicut patet de cicatricibus præſertim de vulneribus Ieſu Chriſti, ergo oportet, quod in corpore mortuo ſit aliqua forma ſubſtantialis eadem numero, ſed hęc non eſt anima intellectiua, ergo eſt alia, maior probatur, quia vnitas poſterioris, ſicut eſt accidens dependet ab vnitate prioris ſcilicet formæ ſubſtantialis, quia ipſa dat eſſe rei, & per conſequens idem eſſe, quinto ſi non eſt in homine alia forma ſequitur, quod corpus Chriſti non fuit idem numero viuens, & mortuum, ſed hoc eſt falſum ergo, probatur conſequentia, quia corporis ſubſtantia non manet eadem numero niſi manente eadem forma ſubſtantiali, ſicut nec aliqua compoſita manet eadem numero niſi manentibus ſui partibus ſubſtantialibus iiſdem numero, ſed Anima rationalis non manſit in Sepulchro, quando quidẽ in morte à corpore ſeparata fuit, & deſcendit ad limbum iuxta articulum deſcendit ad Inferos, falſitas conſequẽtis patet per omnes Sanctos cum de materia iſta loquuntur, Ad inſtar omnium ſit D. Auguſtinus ſerm. de Aſcenſione Domini qui incipit omnia Cariſſimi, & de fide ad Petrum dicens, idem homo in vtero Matris, & pependit in Cruce, & iacuit in ſepulchro, & reſurrexit; & ad Felicianum inquit, illam carnem in Sepulchro non deſeruit, quam in vtero formauit.

22 Dices ex D. Thoma p. p. qu. 76. art. 4. vnius entis eſt vnicum eſſe, ergo vnica forma, quia forma dat eſſe rei, ergo in eodem compoſito non ſunt plures formæ. Reſpondetur cum Doctore ſubtili loco cit. v. ad rationes, vnius entis eſt vnicum eſſe totale concedendo, ſecus de partiali; totius enim compoſiti eſt vnum eſſe, & tamen includit multa eſſe partialia; ſicut totum ens eſt vnum ens, & tamen multas includit entitates partiales, & cum infertur, ergo vnica forma; totalis completa, & vltima conceditur; cum hoc tamen non obſtat vnitati entis pluralitas formarum partialium, hæc ſolutio eſt ad mentem Ariſt. 4. Metaph. in fine vbi dicit ſolam vltimam formam eſſe abſolute formam, & actum intermedias autem eſſe materias; Dices ſecundo, ſi darentur plures formæ ſubſtantiales in vno eodemque compoſito ſecunda forma ſubſtantialis daret eſſe accidentali, quia adueniret enti in actu, & ſic non diſtingueretur à for-

for-

Digitized by Google

forma accidentali, Reſpondet Scotus quod aduenit enti in actu completo per vltimam formam eſt accidentale non aliter; Dices tertio generatio eſt mutatio totius in totam nullo ſenſibili manente, in quo differt ab alteratione ex 1. de Generat. ergo cum generatur animatum nullum ſenſibile, quod præfuit, manet, & idem eſt de corruptione; Reſpondetur Ariſtotilem loqui de generatione Animati, et totali, vt comprehendit tam vltimam, quam præcedentem formam corporeitatis, quia vtriuſque productio ad generationem animati requiritur, neque eſset adæquate generans, qui ſolam vltimam introduceret, Dices quarto ſic ſic ſequeretur carnem viuam, et mortuam eſse vniuocam quod eſt aperte falſum. Reſpondetur quoad formam Carnis eſse vniuocationē, quatenus autem altera caret Anima non eſt vniuocatio.

23 Plures olim errarunt circa numerum Animarum, quod nimirum animæ non multiplicarentur ad multiplicationem corporum, nec de hac re D. Auguſtinus auſus eſt certò definire, vt patet in lib. de quantitate Animæ Cap. 32. & in lib. 3. de libero arbitrio Cap. 21. dicit nullum eſse periculum in fide ſic, vel aliter loqui, dummodo nihil aſseramus tanquàm omnino certum; Verum eſt tamen quod poſtea; Idem D. Auguſt. in Epiſt. 28. ad Hieronymum expreſse affirmat ſingulas animas eſse in ſingulis hominibus; Comentator 3. de Anima com. 5. & 36. aſserebat, quod in omnibus hominibus eſset tantum vnus intellectus. Manichei etiam aſserebant vnā tantum eſse in omnibus Animā non ſolum hominibus, ſed etiam pecoribus, & plantis, ita refert Epiph. lib. 2. contra Hæreſes Cap. 6. Alij dicebant multiplicari quidem Animas non tamen ſecundum multiplicationem corporum, ſed dari trāſmigrationem, et circulum Animarum in diuerſa corpora ſic Pitagoras ex D. Auguſtino ſerm. 143. & alij apud Gaſtrum lib. 2. contra Hæreſes Verbo Anima Hæreſi 8.

24 Aduerſus hos, et alios huiuſmodi errores eſt concluſio certa de fide ſcilicet Animas multiplicari ad multiplicationem corporum, ita quod etiam ſeparatę à corporibus maneant diſtinctę, iſta concluſio habetur expreſse in ſexta ſinodo generali cōſtantinopolitana actione 10. & 11. & etiam in Concil. Later. vltimo ſub Leone X. ſeſſ. 8. vbi ſic dicitur damnamus aſserentes Animam intellectiuam mortalem eſse, aut vnam eſse in omnibus hominibus; probatur etiam ex ſcripturis ſacris, dicitur Ezechielis 18. omnes Animæ meæ ſunt, ſicut Anima Patris, ita Anima filij, et Sapientiæ 3. iuſtorum Animæ in manu Dei ſunt; et Apoc. 6. cum dixiſset Ioannes vidi animas interfectorum propter verbum Dei etc. ſubdit, et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, ex quibus teſtimonijs aperte colligitur, quod ſingulorum hominum beatorum ſunt ſingulæ Animæ; & quid querimus ſi habemus claram definitionem fidei?

25 In homine eſt tantum vna Anima, quæ eſt formaliter rationalis, vegetatiuam, & ſenſitiuam virtualiter continens & Ariſt. 2. de Anima vbi ait, vegetatiuū eſſe in ſenſitiuo, et hoc in intellectiuo, ſicut figura ſuperior in inferiori, libro quoque primo reprehendit Platonem ponentem plures Animas in vno, eſt D. Auguſtini lib. de Eccleſ. dogmat. Cap. 15. multiſque alijs in locis D. Thomæ p. p. q. 76. art. 4. et Doctoris ſubtilis in 4. diſt. 44. q. 1. et eſt communis; probatur primo ſi plures Animæ eſſent formaliter in homine ſequeretur hominem non eſse vnum per ſe, ſed per accidens, ſed conſequens eſt falſum, ergo conſequentia probatur compoſitum ex corpore organico, et vegetatiua facit vnum

Mmmm 2 per

per ſe, et idem de ſenſitiua, ergo adueniens intellectiua faceret vnum per accidens; probatur ſecundo, ſi ſenſitiua eſset formaliter in homine re diſtincta ab intellectiua poſset manere ſeparata intellectiua, et functiones ſuas exercere, et idem eſset de vegetatiua corrupta ſenſitiua, ſed conſequens eſt falſum, et impoſſibile etc.

26 Dices primo corruptibile, & incorruptibile differunt genere 10. Metaph. Cap. 1. ergo intellectus incorruptibilis non eſt idem ſenſitiuæ, & vegetatiuę, quæ ſunt corruptibiles. Reſpondetur argumentum ſupponere Animam ſenſitiuam in homine eſſe formaliter, & mortalem, quod primo probandum eſſet. Dices ſecundo in homine ſunt tria eſſe hominis, Animalis, & viuentis ergo, & tres Animæ, quia vna Anima dat tantum vnum eſſe. Reſpondetur illa tria eſse, eſse tantum vnum realiter, argumentum autem probat tria eſse formaliter diſtincta, quod falſum eſt. Dictum eſt ſuperius, quod Anima rationalis ſit immortalis eſse pluſquam articulum fidei, & negantem tantā veritatem eſse pluſquam Hæreticum, nihilominus euidentiſſimis rationibus alibi oſtendimus ferè naturali demonſtratione eandem conſonam rationi cuiuſcumque lapide ſapientis, & ſentientis; Videantur de hac re D. Thom. p. p. q. 50. art. 5. & quæſt. 75. art. 5. D. Bonau. in 2. diſt. 19. art. 1. q. 1. Scotus in p. diſt. 8. q. vltima, & in 4. diſt. 43. q. 2. Richardus in 2. diſt. 19. art. 1. q. 1. Hæc veritas eſt primum totius Religionis Chriſtianæ fundamentum; ſi enim Animæ noſtrę ſimul cum corporibus interirent, nos, qui in Chriſto quærimus noſtram ſalutem credendo, miſerabiliores cunctis hominibus, immo cunctis Animantibus eſsemus, vt docet D. Paulus 1. Cor. Cap. 15. ſi vero petatur.

27 Vnde Anima rationalis habeat iſtā immortalitatem ex dono Dei, an ex ſua natura; Reſpondetur ex vtraque parte ex dono quidem Dei, quia à Deo accipit ſuum eſse, & in ipſo conſeruatur, ergo à Deo recipit quicquid conſequitur huiuſmodi eſse, ſicut eſt immortalitas; habet etiam ex natura ſua carente materia, quæ eſt principium corruptionis; Ideo Anima eſt per ſe ſubſiſtens incorruptibilis; nam quod ex natura ſua eſt per ſe ſubſiſtens, & incorporeum ex natura ſua eſt quoque incorruptibile; probatur ex illo Sapientiæ ſecundo, vbi dicitur, quod Deus fecit hominem inexterminabilem, ad imaginem ſuæ ſimilitudinis fecit illum, illa autem inexterminabilitas intelligenda eſt ratione Animæ, quæ eſt ad imaginem Dei. Itē Mat. 10. dicit Saluator, Animam autem non poſsunt occidere, cuius loci textus eſt, quod Anima intellectiua per nullas vires creatas poteſt deſtrui, ex quo ſequitur; quod ex natura ſua ſit incorruptibilis, & conſequenter immortalis.

De Potentijs Animæ rationalis primorum Parentum cum ſuis perfectionibus. Art. IV.

1 EXpoſita natura ſubſtantiali Animæ rationalis videnda ſunt eius potentiæ, quæ cum faciant eandem entitatem realem cum eadem Anima vix poteſt intelligi opinio Sancti Thomæ dicentis p. p. q. 77. art. 6. in corpore potentias emanare ab eſsentia Animæ, & in ipſa eſsentia, tanquam in ſubiecto recipi ſicque eſse accidentia; quia accidentia non pertinent ad realem entitatem Animæ cum poſſint adeſse, & abeſse præter ſubiecti corruptionem, è con-

è contra potentiæ animæ, quibus Anima operatur, & ſine illis non operaretur, pertinent ad entitatẽ realem ipſius Animæ, & conſequenter Anima rationalis non poteſt eſse ſine intellectu, & voluntate; Potentiæ Animæ (generaliter loquendo) ſunt quinque vegetatiua, ſenſitiua, ſecundum locum motiua, appetitiua, & ratiocinatiua; Vegetatiua triplicem habet facultatem nutritiuam, augmentatiuam, & generatiuam; Senſitiua etiam ſubdiuiditur in interiorem, & exteriorem, quarum quælibet quinque retinet facultates; Exterior quidem viſiuam, audituam, olfactiuam, guſtatiuam, & tactiuam; Interior vero imaginatiuam, æſtimatiuam, cogitatiuam, memoratiuam, & per phantaſmata rappreſentatiuam, licet nonnulli quattuor alij tres tantum enumerent. Motiua pariter diuidi poteſt non ſolum ſecundum propenſionem naturalem corporum grauium, vel leuium; talis eſt etiam inanimatorum, ſed etiam ſecundum motum ad diuerſas loci differentias, & ſecundum omnem diuiſionem motus nempe ad ſubſtantiam, quantitatem, qualitatem, & vbi; ad ſubſtantiam per generationem, & corruptionem, ad quantitatem per augmentationem, & diminutionem; ad qualitatem per alterationem; & ad vbi ſecundum omnem loci differentiam; Appetitiua tot habet facultates, quot ſunt inclinationes naturales cuiuſcumque facultatis naturalis vitalis, & ideo poteſt ſubdiuidi ſecundum alia omnia diuiſionum genera.

2 Rationalis potentia diuiditur in memoriam, intellectum, & voluntatem, quæ alias dicitur appetitus rationalis, memoria eſt præteritorum, & præſentium; Intellectus alius agens, alius poſſibilis; Voluntas, ſiue appetitus rationalis, alius iraſcibilis, alius concupiſcibilis; Quattuor ſunt modi viuendi, viuentium tantum, ſic viuunt plantæ, ſecundus viuentium, & ſentientium tantum, ſic conchilia, & alia ſimilia Animalia; tertius viuentium ſentientium, & ſecundum locum ſe mouentium ſic viuunt Animalia perfecta; quartus viuentium, ſentientium, mouentium ſecundum locum, & intelligentium; ſic viuunt homines, & creaturæ rationales; hinc colliguntur tres vitæ, vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis; Duæ ſunt portiones Animæ intellectiuæ ſuperior, & inferior ex Scoto in 3. ſentent. diſt. 15. q. vnica, hæ tamen non ſunt duæ potentiæ diſtinctæ, ſed vna tantum, probatur vtraque pars; D. Auguſtinus 12. de Trinit. dicit quod portio ſuperior vacat regulis æternis; Inferior autem vacat temporali ſecundum regulas æternas; Eadem potentia cognoſcit principia, & concluſionem, aliter nulla eadem potentia cognoſceret concluſionem, cum concluſio non cognoſcatur per ſe niſi ex collatione ad principium, ſed portio Inferior cognoſcit concluſionem, quæ eſt de hoc agibili temporali ſcilicet Deus eſt diligendus ex toto corde; cuius principiũ, & Regulam æternam (ſcilicet omnia præcepta Dei ex Charitate ſunt ad implenda) cognoſcit portio ſuperior, ergo eadem erit potentia intellectiua illius portionis ſuperioris cognoſcentis principium, & portionis inferioris cognoſcentis concluſionem.

3 Secundo probatur ex actu beatifico nulla intelligentia portionis ſuperioris, & inferioris poteſt ſimul, & ſemel habere diſtinctos actus, ac diuerſos, ſed ſi eſsent diſtinctæ, & diuerſæ potentiæ portio ſuperior, & portio inferior poſsent ſimul, & ſemel habere diſtinctos, & diuerſos actus, ergo non ſunt duæ potentiæ. Probatur maior, quia actus viſionis (idem dic de actu fruitionis) beatificæ non eſt niſi vnus

in

in eodem, & eiuſdem rationis, ſed actus beatificus non eſt ſolum in intelligentia portionis ſuperioris, ſed etiam inferioris, quia vtraque eſt beatificabilis, vel damnabilis, & planum eſt, quod intelligentia portionis inferioris non erit damnata ſtante viſione beatifica in intelligentia portionis ſuperioris, ergo &c. Idem dic de fruitione reſpectu voluntatis; Tertio probatur ex ratione habitus; In voluntate portionis ſuperioris, & inferioris eſt vnica numero tantum Charitas; quia ſuppono, quod in vno beato, & iuſto non eſt niſi vnus numero habitus charitatis, ita quod eadem numero charitas eſt in voluntate ſuperioris portionis ad Deum, & eadem ad proximum in voluntate inferioris portionis, ſed hoc non eſset, niſi eſsent eadem potentia, quia in diſtinctis, et diuerſis potentijs non eſt idem numero habitus, ſicut nec vnus, et idem numero actus.

4 Dices potentiæ diſtinguntur per obiecta ex Ariſt. 2. de Anima, ſed obiectum portionis ſuperioris eſt æternum, et inferioris temporale, ergo diſtinguntur, vt duæ potentiæ. Reſpondetur, quod ſi ſunt aliquæ potentiæ, quæ habent diuerſa obiecta ſimpliciter adæquata, ſic quod neutrum contineatur ſub altero, nec ambo ſub tertio illorum obiectorum verum eſt, quod tales potentiæ diſtinguantur, Quando vero res non ſic se habet non est verum; Ad propoſitum quãdo dicitur in minori, quod portio ſuperior, et inferior habent diuersa obiecta, negatur quia ambo continentur ſub vno per ſe obiecto vtriusque portionis, et ita reſpondetur, quod ſunt eadem potentia; licet verſentur circa diuersa obiecta non prima, et adæquata; quo fit, vt licet temporale, et æternum ſint rationes formales diſtinctæ non tamen ſequitur, quod diſtinguantur potentiæ, vt patet de albedine, et nigredine reſpectu viſus.

5 Potentiæ animæ, vt intellectus, et voluntas non diſtinguntur realiter ab anima, nec inter se, ita Doctor ſubtilis in 2. diſt. 16. probat ſic, quia illud ponendum est in natura, quod melius est ſi est poſſibile ex Ariſt. 2. de generat. textu 59. sed paucitas ſine multitudine melior est in natura ſi est poſſibilis, quã pluralitas, ergo ſi poſſunt esse actus diuerſi ab vna essentia ſimplici animæ ſine diſtinctione reali potentiarum illud est ponendum, sed huiuſmodi paucitas est poſſibilis, quia nulla est contradictio, aut implicantia, quod ab vna ſimplici per diſtinctas potẽtias ſola diſtinctione formali diſtinctas actus diſtincti, ac diuerſi oriantur, quia ſtante vnitate in cauſa poſſunt ab ea plures effectus produci, ergo cum vnitate, ſeu identitate potentiarum animæ inter ſe, & cum ea poſſunt ab ea diuerſi effectus emanare, quod vero illa paucitas nobilitatem dicat, patet, aliter enim non competeret enti nobiliſſimo, cui per vnicam eſſentiam operari diuerſa competit.

6 Secundo probatur. Quanto ordinatum ad ſinem immediatius attingit finem, tanto nobilius eſt, ſed anima ordinatur ad vltimum finem, ergo quanto immediatius attingit ipſum, tanto erit nobilior, ſed hoc eueniet ſi ſe ipſa immediate anima non mediante aliquo accidente, vel aliquo realiter à ſe diſtincto operetur, & agat, ergo cum intellectus, & voluntas ſint media, quibus anima attingit ipſum finem, nec erunt accidentia, nec etiam realiter ab ea diſtincta, sed idem cum ea; Confirmatur nam ſi ab ipſa realiter diſtinguerentur, ſequeretur, quod anima non eſſet beata niſi per accidens, ſicut ſubſtantia eſt colorata per accidens. Conceduntur tamen huiuſmodi potentiæ inter ſe, & ab anima formaliter diſtinctæ, prima pars probatur, nam anima per intellectum eſt

po-

Digitized by Google

potentia, & principium cognitionis, & non volitionis, & per voluntatem eſt principium volitionis, & non intellectionis, ergo diſtinguntur formaliter inter ſe, quod etiam ab Anima patet, nam Anima ex ſua ratione formali, nec eſt intellectus, nec voluntas; ergo diſtinguntur formaliter.

7 Primus homo fuit productus perfectus quoad potentias Animæ; Cum enim Dei perfecta ſint opera, quæ ab ipſo immediate emanant, Adam quoque erit vſquequaque perfectus, qui ſecundum corpus fuit formatus immediate à Deo, & ſecũdum animam proprie creatus; idem omnino dic de Eua; De perfectione intellectus eiuſdem primi Parentis patet ex illo Eccleſiaſtici 17. vbi dicitur diſciplina intellectus repleuit eos; Intellectus primi hominis in illo ſtatu innocentiæ quantum ad eſſentiam non fuit perfectior intellectibus aliorũ hominum, alias differret ſpecie ab illis, atque adeo anima illius differret ſpecie ab animabus aliorum, quod eſt falſum; fuit tamen perfectior accidentaliter, modo ſcilicet intelligendi ſpeditiori, & clariori prouenientе à bona complexione, quia ex meliori complexione reſultat magis ordinata phantaſia, & per conſequens meliori ordine ſpecies intelligibiles virtute luminis intellectus agentis recipiuntur in intellectu poſſibili, atque ita qui meliori compleſſione præditus eſt clarius cognoſcit, ac intelligit; ſed primus homo fuit optime cõpleſſionatus quoad corpus, ergo Adam ſtatim conditus habebat ſcientiæ complementum; quia proculdubio decens fuit, vt Deus hominem primum totius generis humani parentem, principium, & ſeminarium ſecundum poſſibilitatẽ naturæ; & exigentiam eius in cognitione perfectum faceret.

8 Itaut ſciens diuinas leges, & ipſas obſeruans Deo placeret, & in via morum bene ambulare, & poſteris ſuis exẽpla recte ambulandi, & ſequendi ſe præbere, & Animalia omnia, quibus erat præfectus, regere, & gubernare valeret, nam ſicut non decet ſapientem Dominum curam rerum ſuarum gubernatori ſtulto, ſed prudenti committere ita decuit Deum facere hominem intelligentem, & vt ſciret, quid vnicuique expediret; Congruum itaque fuit, vt Adam ab exordio ſuæ conditionis haberet ſcientiæ complementum, tum propter comparationem ipſius ad ſuum principium, quod colere debebat, tum propter comparationem ad genus ex ipſo propagandum, quod debebat inſtruere, tum propter comparationem ipſius ad genus animalium ab ipſo gubernandum.

9 Ex ſententia omnium Theologorum Adam creatus eſt à Deo, tam animo, quam corpore vir perfectus, Animi autem perfectio, quantum ad mentem, & rationem ſcientia eſt; Huius autem primas partes tenet ſcientia rerum cęleſtium; quomodo veriſimile erit cęterarum rerum cognitione Adamo conceſsa hanc vnam cęleſtium ſiderum ſcientiam non fuiſse eia Deo tributa? vt vult Caietanus locum Moyſis de impoſitione nominum ab Adamo facta explanans; ſi verum eſt quod Eccleſiaſtici 17. legitur, Deum ſcilicet repleuiſse cor Adami ſcientia, & diſciplina, & oſtendiſse ei magnalia ſua; at ſi defuit ei ſcientia rerum cœleſtium, & elementorum, quomodo repletus fuit ſcientia, & diſciplina? Ad hæc lib. Sapientiæ Cap. 7. legitur, Deum dediſse Salomoni omnium ſcientiam his verbis; Ipſe dedit mihi eorum, quæ ſunt, ſcientiam veram, vt ſcientiam diſpoſitionis orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & conſumationem temporum, viciſſitudinum per mutationes, anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones, naturas Animalium, &

iram

iram beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quęcumque ſunt abſconſa, & improuiſa didici; omnium enim artifex docuit me ſapientia; Ecce quomodo Salomoni data fuit ſapientia vera, id eſt certa, euidens, et perfecta ſcientia orbis terrarum, elementorum, et ſtellarum, et omnium, quæ abſcondita ſunt, et abſtruſa; non igitur earum rerum perfecta cognitio (vt putauit Caietanus) reſeruata eſt; Et ſi Salomoni fuit conceſſa non videtur ipſi Adamo neganda, cum congruentiſſime fuerit ſapientior Salomone.

10 Excepto Ieſu Chriſto Domino noſtro, & eius Sanctiſſima Matre, Adam fuit ſapientior cunctis mortalibus (nomine ſapientiæ hic venit perfecta, & conſumata rerum omnium ſcientia, quę alias doctrinas complectitur, potiſſimè metaphyſicam, cui præter cęteras diſciplinas nomen ſapientiæ conuenire lib. 1. met. docet Ariſt.) nam Adam tribus modis præcellit ſapientia cęteros mortales, primo amplitudine ſcientiæ; habuit enim Adamus ſcientiam omnium rerum naturalium, & non ſolum ſcientiam habitualem, id eſt habitus ſcientiales, vt puta habitum logicæ, phyſicæ, metaphyſicæ &c. ſed etiam habitualem quoad actum primum, id eſt ſpecies intelligibiles omnium quidditatum naturalium, & etiam ſenſibiles in ſenſibus internis omnium rerum ſenſibilium, quod nulli adhuc mortalium contigit, ſecundo præſtantia modi ſciendi nam alij pleraq; norunt probabili tantum ratione, vel non ex cauſis, & effectibus, vel non oſtenſiua demonſtratione, Adamus vero perfectam cuiuſcumque rei, & ex proprijs eius cauſis ductam ſcientiam tenebat, tertio firmitate atque immobilitate ſcientiæ, non enim in ſtatu innocentiæ amitti ſcientia potuiſſet, nam Adamus in illo ſtatu ab omnibus morbis, vitijs incomodis, & defectibus corporis, & ſenſuum, tam interiorum, quam exteriorum vacuus, & liber fuiſſet.

11 Sed huic videtur repugnare, quod de Salomone legitur 3. Reg. Cap. 3. vbi Deus, ita cum Salomone loquitur, dedi tibi cor ſapiens, & intelligens in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit; nam his verbis videtur Salomonem ſapientiorem fuiſſe omnibus hominibus, qui eum antecellerunt, atque adeo, & ipſo Adamo, Toſt. 3. Reg. ſuper 3. cap. q. 7. non dubitauit affirmare Salomonem fuiſſe Adamo ſapientiorem licet ſuper Cap. 2. Gen. alteram partem docuiſſe videatur; Ego tamen potius cum Nicolao de Lira ſuper 3. Reg. Cap. 3. arbitror Adamum omni genere ſcientię, ac ſapientię humanæ pręſtantiorem fuiſſe Salomone, tum quia Adā creatus eſt in ſtatu innocentiæ hoc eſt perfectiſſimo, & ipſe, tam corpore, quam Animo perfectiſſimus, tum etiam, quia perfecta ſcientia rerum naturalium, non tam neceſſaria, aut vtilis futura erat Salomoni, quam Adamo quippe qui primus futurus erat Magiſter humani generis; primuſque omnium diſciplinarum Doctor.

12 Quod autem ſcriptura dicit Salomonem excelluiſſe ſcientia omnes, qui ante eum fuerunt quattuor modis interpretari poteſt; primo Salomonem fuiſſe ſapientiorem omnibus vno tamen excepto, & excepto Adamo, ſecundo comparando Salomonem cum omnibus alijs hominibus, qui proprio ſtudio, & induſtria ſapientiam ſunt adæpti, extra quorum numerum fuit Adamus, qui etiam ſibi inditam diuinitus habuit; namque velimus, nolumus ex illa generali ſententia Dominum noſtrum Ieſu Chriſtum excipere neceſſe

eſt;

Digitized by Google

eſt; tertio comparando Salomonem omnibus regibus, ac principibus, qui præfuerunt Populo Hæbreo, aut etiam quibuslibet gentis hæbreæ, qui doctrina vllo tempore excelluerunt Ieroſolimis, ſic interpretatur Lyranus; & ipſe Salomon 1. Cap. Eccleſ. id videtur approbare, dum dicit; Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientia, qui fuerunt ante me in Ieruſalem, quarto quod ſcriptura loquatur de ſcientia politica, quę eſt prudentia bene regendi populum Hæbreum tam numeroſum, ſicut petierat idem Salomon, vt patet lib. 3. Regum Cap. 3.

13 Supponendo profectum ſcientiæ triplici via fieri poſſe, vel ſcilicet à parte ſcibilium, vel à parte modorum ſciēdi, vel à parte maioris habilitatis ad cognoſcendū, iuxta primum modum ſupponendo etiam quaſdam res fieri curſu naturali, quaſdam ſupernaturali, quaſdam curſu voluntario; Dicendum eſt in earum rerum cognitione quæ fiūt curſu naturali non profeciſſe Adamum quantum ad noui habitus aquiſitionem, accepit enim ſecundum D. Auguſtinum, & Magiſtrum ſent. à ſui exordio omnium generum plenam notitiam proficere tamen potuiſſe, quantum ad alium modum cognoſcendi, & quantum ad perfectiorem habitum ſcientiæ; Quantum ad alium modum proficere poterat, quia quæ nouerat ſimplici notitia cognoſcere poterat experientia, quod nouerat intellectu, cognoſcere poterat, & ſenſu.

14 Proficere etiam potuit quantum ad maiorem habilitatem, quia ex frequenti conſideratione rerum, quas nouerat promptior fuiſſet, & paratior ad iudicandum de eiſdem, quarum habebat cognitionem per habitum innatum, & licet primus homo non haberet tarditatem hebetudinis propter aggrauationem corporis corrupti, habebat tamen ſpiritus eius velocitatem tardiorem, ſeu minorem propter corporis animalis vegetabilitatem, atque ita in cognitione rerum naturalium Adam quodammodo profeciſſet, & quodammodo non, ſi ſteti ſſet; In earum vero rerum cognitione, quæ fiunt curſu voluntario ſiue ſupernaturali, proficere potuiſſet non ſolum quantum ad modum cognoſcendi; ſed etiam aquirendo nouam cognitionem; nec mirū, quia ad hoc, quod cognoſceret Diuina Miſteria indigebat ſuperna illuſtratione, ad hoc vero, vt cognoſceret ſecreta alterius indigebat ipſius detectione, nec talis profectus ſtatui Innocentiæ derogabat, cum etiam Beati Angeli in cognitione diuinorum miſteriorum, ac humanorum ſecretorum proficiant, propter quod dicitur Epheſ. 3. vt innoteſcat principibus, & poteſtatibus per Eccleſiam multiformis ſapientiæ Dei. Ex his ſequitur, quod à generali rerum ſcientia, quam in Adam ponunt Theologi tria rerum genera excipienda ſunt, vnum eorum, quæ vocantur futura contingentia, Alterum eorum, quæ vocantur arcana, vel ſecreta cordium; tertium etiam omniū præſentium indiuiduorum cuiuslibet ſpeciei; V. g. non ſciebat Adam omnia indiuidua piſcium, nec omnem numerum arenæ aut lapidum, huiuſmodi enim nec pertinent ad perfectionem humani intellectus, neque conferebant ad perfectionem, & fœlicitatem illius ſtatus innocentiæ.

15 Licet Adam in ſtatu Innocentiæ potuerit aliqua neſcire, non potuit tamen errare, nec decipi, quia deceptio vltra neſcientiam addit iudicij obliquitatem, quæ in Adam in ſtatu Innocentiæ non fuiſſet, ſic nec paſſio corporalis, quod poteſt ſic explicari; ſicut enim cōtingit dupliciter aliquid pati, aut paſſione illata ab extrinſeco, ſic contingit aliquam decipi dupliciter, aut ita quod

ſe ipſum paralogizet, aut ita quod paralogizetur ab alio, neutrum autem horum in Adam fuiſſet; ſicut enim in eo nulla fuiſſet paſſio intrinſeca, quia virtus animæ regitiua perfectè ſuo corpori præſidebat, & ipſum in ſtatu debito cõſeruabat, vel propter aliam cauſam, ſic nulla fuiſſet deceptio veniens ab intrinſeco, quia iudicium rationis omnibus viribus inferioribus præſidebat, nec ipſæ in contrarium rationi aliquo modo mouebantur, ſed potius ab ea ſufficienter dirigebantur. Præterea quemadmodum pati non poterat paſſione illata ab extrinſeco, ſiue quod nullus eſſet in tempore illo, qui inferret, ſiue quia ſi adeſſet, Diuina virtus eum protegeret, ſiue propter aliam cauſam; ſic etiam in ſtatu illo nemo fuiſſet, qui hominem circumueniret, aut paralogizaret, nam vnuſquiſque locutus fuiſſet, ſincere, & animo aperto, aut ſi fuiſſet, diuinæ inſpirationis reuelatio ſiue per ſe, ſiue per Angelum ei manifeſtando veritatem ne falleretur, ſubueniret, ſicut virtus diuina ſuccurreret, ne in corpore læderetur, atque adeo Adamo ſtante in ſtatu innocentiæ nulla in eo fuiſſet deceptio, & hæc ſatis quantum ad naturalem ſcientiam.

16 De ſcientia ſupernaturali Adæ in ſtatu innocentiæ ſecundum naturalem ordinem (non eſt hic ſermo de ſpeciali Priuilegio diuino) illuſtratus innocentiæ relictis alijs modis dicendi, dicere poſſumus ſecundum doctrinam Scoti in 2. ſent. diſt. 3. q. 9. & aliorum, quod ſicut ſtatus innocentiæ fuit medius inter ſtatum gloriæ, & ſtatum culpæ, ſic homo in ſtatu illo habuit cognitionem de Deo medio modo; nam in ſtatu gloriæ videtur Deum per eſſentiam, in ſtatu culpæ videtur à nobis per ſpeculum, & in enigmate, ex contuitu creaturarum, & in ſtatu innocentiæ videbatur per ſpeciem infuſam; Vnde ſecundum hunc modum dicendi, qui probabilior eſt, ponuntur aliquot concluſiones præuijs tribus ſuppoſitis; Primo ſupponitur ſecundum omnes Theologos, Adamũ habuiſſe altiorem, & excellentiorem notitiam de Deo, quam nos hic habemus, ſed altior cognitione confuſa à tota ſpecie non poteſt eſſe, niſi cognitio diſtincta; nam ſecundum omnes Adam in ſtatu innocentiæ non cognouit Deum in enigmate, hoc eſt obſcure, ſiue confuſo modo, ſed clare, atque diſtincte; nam genus cognitionis, quo in illo ſtatu innocentiæ vſus eſt Adam vſque adeo excellens, & ſublime fuit, vt ſæpe numero mens eius ab omnium vſu ſenſuũ abſtracta, & in extaſim rapta curiæ cœleſti, & Angelorum Choris intereſſet, vt apertiſſimis Verbis oſtendit D. Auguſtinus lib. 9. de Gen. ad litt. Cap. vlt. & D. Gregorius lib. 4. moral. dialogorum Cap. 1.

17 Supponitur ſecundo, quod Adã in ſtatu innocentiæ non habuit cognitionem Dei diſtinctam intuitiuam, quoniam hæc, cum ſit beatifica ponit hominem extra ſtatum viæ. Adam autem in ſtatu innocentiæ erat viator, vel ergo habuit diſcurſiuam, vel abſtractiuam; hoc eſt, vel per medium cognoſcendi cognitum, vel per medium cognoſcendi cognitum, vel per medium cognoſcendi non cognitum; tertio ſupponitur, quod per diſtinctam cognitionem eſſentiæ diuinæ intelligitur hic cognitio quidditatiua, quæ immediate ad eſſentiæ quidditatem, & ad ipſam eſſentiam Deitatis terminabatur, & qua eſſentia cognoſcebatur, qualis eſt cognitio hominis, qua cognoſcitur ſub ratione animalis rationalis. Ex his ſit prima concluſio Adam per ſuam eſſentiam tanquam per medium cognitum cognoſcit Deum eſſe, & alia multa, quæ ratio naturalis creata de Deo attingit; prima pars probatur, quia per eſſentiam effectus

Digitized by Google

ctus cognoſcitur exiſtentia cauſæ præſertim cauſantis, & conſeruantis effectum, ſed eſsentia Adami eſt effectus Dei, ergo per eius exiſtentiam cognitur exiſtentia Dei exiſtentis, & conſeruantis eam iuxta illud Rom. 1. inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. Secunda pars eſt clara, quia Adam habebat rationem naturalem perfectam à Deo creatam; ergo ea, quæ de Deo cognoſcere poteſt ratio naturalis, potuit & Adam; Ea autem eſſe plura oſtendit Scotus in lib. de primo principio per totum, vbi oſtendit quid poſſit de Deo attingere humana ratio naturalis.

18 Secunda concluſio Adam in ſtatu naturæ inſtitutæ ex viribus ſuæ naturæ concurrentibus ſcilicet cauſis naturalibus neque demonſtratione propter quid, neque demonſtratione quia potuit cognoſcere Deum eſse trinum ex Scoto quolib. 14. art. 1. & communis eſt Theologorum conſenſus vide probationem in Scoto loco citato. Tertia concluſio Adam in primo ſtatu non potuit attingere ad Dei notitiam propriam hoc eſt perfectam, diſtinctam, & immediatam (prout immediata cognitio excludit medium cognitum) ex perfectione ſua naturali concurrentibus etiam quibuſcumque cauſis naturaliter motiuis ad cognoſcendum; quoniam omnis cognitio talis requirit ipſum obiectum præſens, vel in propria exiſtentia, ſi eſt intuitiua, vel in aliquo perfecte rappreſentante ipſum ſub propria, & per ſe ratione cognoſcibilis, ſi fuerit abſtractiua; Deus autem ſub ratione propria diuinitatis non eſt præſens alicui intellectui creato vllis ex prædictis modis naturaliter, ſed mere voluntarie, atque adeo nullus intellectus creatus ex perfectione ſua naturali poteſt cognoſcere Deum ſub propria, & immediata cognitione diuinitatis; Quod autem neutro modo Deus ſit præſens intellectui creato patet; quia ſi eſſet præſens primo modo hoc eſt in propria exiſtentia poſset creatura eſse beata naturaliter in viſione Deitatis, quod eſt à fide alienum; quod nec ſecundo modo patet, quia nulla creatura poteſt cauſare aliquid, quod ſit rappreſentatiuum proprium, & per ſe Deitatis ſub propria ratione cognoſcibilis.

19 Quarta Concluſio, Adam per ſuam eſſentiam tanquam per medium cognitum non potuit Deum ſub propria, & diſtincta ratione deitatis cognoſcere, neque tanquam per rationem cognoſcendi non cognitatam, ſeu ſpeciem intelligibilem, prima pars patet ex tertia Concluſione; nam ſi Adam ex viribus ſuæ naturæ quibuſcumque naturalibus concurrentibus non poteſt Deum ſub propria ratione attingere, ſequitur ſtatim, quod per eſſentiam ſuam tanquam per medium cognitum non poteſt Deum ſub propria ratione cognoſcere, ſecunda pars probatur quia eſſentia Adæ ſolum rappreſentat Deũ, vt effectus ſuam cauſam, ſed effectus ſolum eſt ratio cognoſcendi ſuam cauſam, vt cognitus, vt conſtat in eſſentijs aliarum rerum, per quas tantum potuit Adam cognoſcere Deum tanquam per media cognita, ergo eſſentia Adæ ſolum eſt ratio cognoſcendi, vt cognita. Quinta Concluſio Adam, vt cognoſceret Deum propria, & diſtincta cognitione abſtractiua indiguit ſpecie intelligibili rappreſentante diuinam eſſentiam; patet ex dictis, nam ſi non potuit cognoſcere Deum propria, & diſtincta cognitione per aliquod medium cognitum, ſequitur ad huiuſmodi cognitionem habẽdam indiguiſſe aliqua ſpecie intelligibili diuinam naturam rappreſentante, quia talis cognitio non poteſt haberi, niſi vel per medium cognitum, vel per rationem cognoſcen-

di, ergo cum per medium cognitum non poſſit aquiri, ſequitur quod per rationem cognoſcendi, quæ ſpecies intelligibilis dicitur, ſit aquirenda, atque adeo, vt eam haberet Adam indiguit huiuſmodi ſpecie intelligibili.

20 Sexta Concluſio, non eſt irrationabile (vt aliqui Thomiſtarũ volunt) ſed valde rationabile dari ſpeciem diuinæ eſſentiæ diſtinctè licet abſtractiuè rappreſentantem, nam aliquis in raptu videns tranſitorie. Diuinam eſſentiam, ceſſante iſto actu videndi poteſt habere memoriam obiecti ſub ratione diſtincta, ſub qua erat obiectum viſionis igitur per aliquam rationem perficientem intellectum poteſt obiectum eſſe obiectiue præſens intellectui eius, qui tranſitorie in raptu eſſentiam diuinam viderat, ſed talis ratio, per quam obiectum eſt illi præſens, non eſt niſi ſpecies intelligibilis, ergo dari poteſt ſpecies impreſſa diuinæ eſſentiæ; eſt enim euidens conſequentia à facto eſſe ad poſſibile. Antecedens patet ex raptu Pauli 2. Cor. 12. vbi poſt raptum, in quo eſſentiam diuinam viderat, fatetur ſe audiuiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui. Septima concluſio. Adã habuit à principio ſuæ creationis notitiam diſtinctam diuinę eſſentię per ſpeciem impreſſam eodem modo, quo dictum eſt de Angelis ſupra in libro 3. ex Doctore ſubtili in 2. diſt. 3. q. 9.

21 Octaua concluſio cognitio diuinæ eſſentiæ ſibi indita fuit quiditatiua, quia illa ſpecies rappreſentabat diuinam eſſentiam, & naturam intellectui Adæ diſtinctè, atque adeo per illam cognouit Deum quiditatiue cognitione abſtractiua; conſequentia patet; Antecedens vero probatur, quia illa ſpecies rappreſentabat diuinam naturam ſub ratione deitatis, & non ſub aliqua ratione attributali, quia ſub hac abſque alia ſpecie poterat Adam naturaliter Deum cognoſcere, ergo per illam cognouit Deum quiditatiue, ſcilicet ſub ea ratione, qua Deus eſt; Præterea cognitio diſtincta diuinæ eſſentię neceſſario eſt quiditatiua, ſed ex præcedenti concluſione habuit Adam diſtinctam cognitionem diuinæ eſſentiæ, ergo habuit cognitionem quiditatiuam Dei; ſed vlterius inquires quot modis Adam Deum cognouit in ſtatu innocẽtiæ pręter diſtinctam cognitionem, quam habuit per ſpeciem intelligibilem; Reſpõdetur quod quadruplex eſt genus cognitionis, prima eſt cognitio fidei, ſecunda intellectualis, ſiue contemplatiua, tertia per apparitionem in creatura, quarta per apertam viſionem, primum genus eſt gratiæ communis; ſecundum eſt gratię excellentis; tertium eſt gratiæ ſpecialis, quartum eſt gratiæ conſummatæ, ſiue perfectæ, diſtinctio autem iſtorum modorum ſic habetur, omne quod cognoſcitur cognitione intellectiua cognoſcitur per aliquod præſens intellectui; præſens autem intellectui poteſt eſſe per manifeſtationem factam per Verbum; per Verbum dico duplex ſcilicet expreſſionis vocalis, & inſpirationis, id eſt interius, & exterius; quod enim Deus ſit Trinus, & vnus, hoc ego credo Dei filio, qui hoc enarrauit, & prædicauit, & Spiritui Sancto, qui hoc inſpirauit; per manifeſtationẽ in effectu ſit præſens in notitia contemplatiua, ſiue ſpeculatiua; hoc eſt clarum, vel per manifeſtationem in ſigno fit præſens Intellectui in cognitione apparitionis, ſicut Deus apparuit Abrahæ in ſubiecta creatura, quando tres vidit, & vnum adorauit Gen. 19. vel per manifeſtationem in propria luce in lumine proprio, ſeu in ſe ipſo ſit præſens intellectui viſione, qua videtur facie ad faciem, & hæc eſt aperta viſio, quæ tota dicitur merces omnium meritorum.

22 Adam in ſtatu innocentiæ præter hunc

hunc vltimum modum omnibus alijs modis vidit Deum; & relictis ſecundo & tertio tanquam claris, in primo parum immorandum eſt; & dicendum, quod Adam in ſtatu innocentiæ habuit fidem ſaltem per Verbum interius, & inſpirationis, tum quia fides eſt fundamentum ędificij ſpiritualis Hebręorum 11. tum quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, tum quia iuſtus ex fide viuit Habacuc 1; tum quia Adam dum erat in ſtatu innocentiæ dicere poterat cum D. Paulo, dum ſumus in corpore peregrinamur à Domino 2. Cor. 5. ambulantes per fidem, & non per ſpem 1. Cor. 3. tum quia habuit ſpem, & Charitatem cur, ergo non habuit fidem? Dices fides eſt ex auditu illud Rom. 10. quod in Adam non potuit eſse. Reſpondetur, quod ſicut duplex eſt fides ſcilicet infuſa, & aquiſita, ita duplex eſt auditus interior, & exterior, ad fidem infuſam non eſt neceſſarius auditus exterior, nec quoad habitum, nec quoad actum, non enim eſt neceſſarius exterior ad hoc, quod ſit cognitio fidei, ſed quãdoque ſufficit interior; ſicut ſuppoſito, quod aliquis eſset remotus à fidelibus, nec eſſet, qui eum inſtrueret in fide, dũmodo omnino viueret ſecundum dictamen rationis, & ſe ordinaret, atque ſe præpararet quantum poſſet ad bonum, auditu interiori fidem reciperet, & informaretur illis, quæ eſsent ſibi neceſsaria ad ſalutem; Vnde non fuit neceſſarius primo homini auditus exterior ad hoc, quod haberet fidem, ſed inſpiratione interna fidei recepit cognitionem.

23 Sex genera rerum ſupernaturalium fuerunt Adamo cognita, per fidem; primo nouit Adam præmia ſupernaturalia viris bonis Deo ſancte, & pie ſeruientibus fuiſse in Cœlis præparata iuxta illud ad Hebr. 11. accedentem ad Deũ credere oportet, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit; ſecundo habebat ſine dubio fidem, & certam notitiam vltimi finis ſupernaturalis humanę naturæ, ex fine enim pendet ordinatio totius vitæ; & principia practica deſumuntur à fine; tertio nouit ea, quæ ſimpliciter omni homini, & omni tempore neceſſaria ſunt, quibus finem illum cõſequatur; Hæc autem ſunt gratia gratum faciẽs, ſiue Charitas cum alijs duabus virtutibus Theologicis nempe fide, & ſpe, & ſi quid aliud eſt huiuſmodi; hæc autem ſciebat Adam eſſe ſimpliciter Dei dona; Quarto ſatis probabile eſt non latuiſſe Adamum horribilem Angelorum caſum propter eorum ſuperbiam, vt cautus coram Deo in humilitate incederet, iuxta illud Eccleſiaſtici 17. vbi ſcriptura inter alia bona, quæ primis Parentibus Deum tribuiſse narrat, ponit, & hoc, & iudicia ſua oſtendit illis; Quæ iudicia? nimirum, quibus Deus reuelauit illis tranſgreſſionem peſſimorum ſpirituum; & quomodo iudicauerat, & damnauerat eos. Quintò diſtincte, & explicite cognouit Adam per fidem Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, vt tradit Epiphanius in exordio libri aduerſus Hęreſes, quod eſt valde probabile; cum ſancta Trinitas in pluralitate per ſonarum dicitur creaſſe eũdem hominem primum faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram &c. & eo formato coram eo poſtea dixit, Ecce Adam, quaſi vnus ex nobis factus eſt ſciens bonum, & malũ. Sexto, & poſtre no cognouit Adam futuram filij Dei ex ipſius progenie incarnationem, hoc eſt cognouit filium Dei aliquando ſumpturum carnem humanam non quidem, vt morte ſua liberaret hominem à peccato, quia ſic fuiſset Adã ſui caſus, & peccati pręſcius, ſed vt caput eſset humani generis ad ipſum honorandum, & glorificandum; ſicut Ioſeph (inquit D. Bonauent.) Patriarcha præuidit in ſomno futuram exaltationem

nem ſuam, non tamen ſuam venditionem; Hæc de intellectu, & eius perfe-ctionibus.

24 In primis Parentibus ponenda eſt altera potentia Animæ, ſicut & in ſuis poſteris, quæ dicitur voluntas propter libertatem eorum in ſuis operationibus; Voluntas eſt potentia nobilior intelle-ctu; nam maior eſt, qui imperat, quam qui paret; ſed in Regno Animæ voluntas imperat intellectu ergo; Item perfe-ctiores ſunt, & nobiliores habitus voluntatis habitibus intellectus, nam maior eſt omnium Charitas, quæ in voluntate ſubiectatur; tertio conſumatur beatitudo in fruitione, quæ in viſione incohatur, at viſio eſt intellectus, & fruitio voluntatis; Voluntas eſt facultas ſpiritualis Animæ rationalis, qua fertur in bonum à ratione præcognitum, & oſtẽſum, quia nihil volitum, quin pręcognitum; Libertas eſt de eſſentia voluntatis probatur à Scoto ex D. Auguſtino dicente. Voluntas, vel libera dicenda eſt, vel voluntas dicenda non eſt; Poteſtas peccandi nec eſt libertas proprie, nec pars libertatis, quia in Deo, & Angelis bonis eſt libertas, in quibus tamen non eſt poteſtas peccandi; Homo cum primũ ad annos diſcretionis peruenit habet liberum vſum arbitrij, quod patet ipſa experientia, ſi quidẽ nihil tam in noſtra poteſtate eſſe experimur, quam liberas exercere operationes, & ab eis abſtinere; Voluntatis libertas eſt tam reſpectu actuum interiorum tantum, quam reſpectu actuum interiorum, & exteriorum ſimul, quia poteſt libere, & velle, & potentijs exterioribus imperare voluntas.

25 Liberum arbitrium habet plures actus, præcipere, eligere, & arbitrari, ſeu iudicare, eligere tamen eſt actus principalior, quia ab electione formaliter liberum arbitrium dictum eſt liberum, quemadmodum à iudicio, ſeu arbitrio, materialiter arbitrium eſt appellatum; Obiectum liberi arbitrij quoddam eſt neceſſarium, & quoddam contingens; quia in Deo, Angelis, & beatis eſt liberum arbitrium, ſed neceſſarium, quia Deus per naturam, Angelus, & homo beatus per gloriam immutabiliter, & neceſſario vult; homo autem contingenter, quia de neceſſarijs non conſultamus, ſed de contingentibus voluntas, vt efficiens intendens, & producens proprium actum reſpicit, vt obiectum ſolum bonum per ſe, malum autem non niſi, vt illud reſpuit, & deteſtatur, quia proprium obiectum cuiuſcumque potentiæ eſt illud, quod potẽtia per actum proprium intendit. Illud autem reſpe-ctu liberi arbitrij eſt bonum; ſecunda pars patet, quia nunquam eligit malum principaliter, quia repugnat naturæ ſuę, ſed quatenus apparet bonum; Voluntas vero, vt limitata, vt deficiens intendit in malum, & ipſum eligit, quia ſic ſemper deficit ab aliqua circũſtantia neceſſaria bonitati morali; Poteſt actus voluntatis eſſe indifferens, quia poteſt quis V. gr. pro libito eleuare feſtucã de terra, qui actus nec eſt bonus, nec malus moraliter; poteſt etiam, nec diligere, nec odiſſe aliquem, & tunc nec erit amicus, nec Inimicus maxime ſi voluntas non neceſſitaretur aliqua lege ad diligendum Deum, vel proximum, tunc enim ſine peccato non poſſet dari actus neuter.

26 Intendere eſt actus ſolius voluntatis, nam intentio, ſeu intendere eſt in aliud tendere, ergo nulla potentia, quę ad aliud trahitur habet actum, qui dicitur intentio, ſed omnis potentia naturalis non libera quaſi trahitur ab obiecto, & ideo dicitur agere de neceſſitate naturæ, ergo non habet propriam intentionem; Voluntas eſt potentia Animæ receptiua, & productiua volitionis, eſt communis contra Gothfredum, qui dicit actum voluntatis non

pro-

produci à voluntate, ſed à phantaſmate, probatur tum quia in anima ſeparata à corpore non eſt phantaſma, & tamen eſt actus voluntatis, tum quia voluntas eſt potentia formaliter libera, in cuius poteſtate eſt agere, & non agere; tum quia actio voluntatis eſt vitalis, ergo debet eſſe à principio vitali, tum quia actus voluntatis eſt immanens, ergo producitur ab illo eodem principio, in quo tanquam in ſubiecto recipitur; Dices idem non poteſt eſſe principium productiuum, & receptiuum, ſicut nec actiuum, & paſſiuum reſpectu eiuſdem, ſed voluntas recipit ſuum actum, ergo non poteſt illum efficere; Reſpondetur negando maiorem cum omnibus actionibus immanentibus ſit commune ab eodem produci, & in eodem recipi, nec apparet vlla implicatio, quod idem ſit in actu; & in potentia diuerſimode virtualiter, & formaliter, ſic aqua in ſummo calefacta non eſt formaliter frigida, ſed virtualiter, & ideo ceſſante calefactione calefacientis extrinſece facit ſe frigidam formaliter.

27 Cognitio non cauſat efficienter actus voluntatis Scotus in 2. diſt. 25. q. vnica, quia voluntas eſt ſufficiens cauſa ſuorum actuum, maxime ſi habet proprios habitus, ergo non eſt requirenda alia cauſa; Item cognitio, ſeu intellectio eſt in intellectu, ergo non poteſt operari in voluntate; Vide Doctorem ſubtilem loco citato; Dices primo ex Caietano Verbum æternum producit amorem, ergo idem de Verbo creato dicendum eſt. Reſpondetur negando conſequentiam; Verbum namque æternum Patris eſt ſubſtantia per ſe ſubſiſtens habens voluntatem, qua producit amorem, Verbum autem creatum non eſt ſic, ſed purum accidens; Dices ſecundo Imperiũ eſt actus intellectus, ergo phyſice mouet voluntatem; Reſpondetur, negatur antecedens, ſed (vt dictum eſt) eſt potius actus voluntatis ex Scoto q. 4. prol. & in 4. diſt. 49. q. 4. & 2. ſent. diſt. 6. q. 1. conſequentia quoque non valet, actus enim imperans non efficit imperatum. Dices tertio relationes actiui, & paſſiui, mouentis, & moti non poſſunt eſſe in eodem cum ſint oppoſitæ, at ſi voluntas ſola efficeret volitionem, non intellectus, vel obiectum, vel intellectio, aut phãtaſma id ſequeretur ergo; Reſpondetur relationes oppoſitas dicentes depẽdentiam ſimpliciter, vt cauſati ad cauſam non poſſe eſſe in eadem natura ſingulari, & numerica, vel ſuppoſito, oppoſitas vero ſecundum originem poſſe eſſe in eadem natura numerali infinita, ſed non in eadem perſona, vt in diuinis; relationes autem accidentales oppoſitas poſſe eſſe in eodem ſuppoſito, & huiuſmodi ſunt mouentis, & moti actiui, & paſſiui ſaltem rei ſpiritualis Scotus in 2. d. 25. q. vnica, & 9. Met. q. 14.

28 Vrgebis ergo non eſt relatio realis, quæ petit extrema realiter diſtincta; Reſpondetur inter voluntatem producentem, & actum ſuum productum reuera eſſe relationem realem inter extrema realiter, & eſſentialiter diſtincta, licet ambo non per ſe ſubſiſtentia, quia voluntas eſt ſubſtantia, actus vero eius eſt accidens; Dices vltimo materia, & efficiens non coincidunt ex 2. phyſicorum, at voluntas eſt materia volitionis, ergo non poteſt eſſe efficiens. Reſpondetur cum Scoto in p. ſent. diſt. 3. q. 7. intelligi antecedens de materia prima non de ſubiecto in ſe agente; Reſpondetur ſecundo ex eodem 9 Met. q. 14. intelligi de efficiente extra, vt diſtinguitur contra agens, quod non agit in aliud. voluntatis actus fit ab obiecto præcognito præſuppoſitiue, & tanquam à condicione ſine qua non ex Doctore ſubtili in 2. diſt. 26. q. vnica; patet tum

ex

ex eo, quia cum nihil ſit volitum, niſi prȩcógnitum, volitio præſupponit cognitionem, & voluntas intellectum; tum ex eo, quia cauſa ſine qua non eſt illa, quæ non producit effectum, ſed ſine ipſa effectus produci non poteſt; at niſi adſit obiectum præcognitum non poteſt voluntas velle, aut nolle, ergo voluntatis actio fit ab obiecto præcognito præſuppoſitiue, & tanquam à condicione ſine qua non; voluntas igitur eſt cauſa totalis volitionis; quia nihil aliud à voluntate eſt cauſa totalis volitionis, ergo ipſa voluntas eſt cauſa totalis volitionis conſequentia ex ſe patet, & antecedens conſtat ex dictis.

29 Dices Deus, & voluntas eſt cauſa volitionis, ergo non ſola voluntas eſt cauſa totalis volitionis, cum Deus ſit aliud à voluntate; Reſpondetur Deum ſub ratione cauſæ efficientis concurrere principaliter ad productionem cuiuſcumque effectus; immo (ſi illi placet) poſſe cauſare totum effectum, ſicque ſupplere cauſalitatem cauſæ ſecundæ, ſed hic excluditur tantum omnis cauſa ſecunda, dum dicitur ſolam voluntatem eſſe cauſam totalem ſuæ volitionis; Voluntas diuidi poteſt in iraſcibilem, & concupiſcibilem ſecundum Scotum in 3. ſentent. diſt. 34. q. vnica; Iſtæ duę facultates re non diſtinguntur in voluntate ex Scoto citata diſt. 34. tertij vbi dicit non ita diſtingui, ſicut in parte ſenſitiua defectu organi, ſi tamen concedas formaliter, vel ratione ratiocinata diſtingui, non eſt cur multum altercemur; abſolute tamen dicenda eſt voluntas vna potentia quicquid ſit de illis facultatibus eius, an formaliter diſtinguantur necne; liberum arbitrium fuit in primis parentibus in ſtatu innocentiæ eſt de fide, ac expreſſ. habetur Eccleſiaſt. 16. vbi dicitur Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui; nec obſtat, quod Moyſes non faciat mentionem de creatione animæ Euæ; nam non ſinit ſcriptura dubitare; quin Eua animam rationalem æque habuerit, atque Adamus; Id enim non obſcure demonſtrat, cum inducit Deum dicentem faciamus ei adiutoriũ ſimile ſibi; neque enim mulier, aut ſimilis Adamo fuiſſet, aut idoneum ei adiutorium, ſi anima rationali caruiſſet: ſimilitudo quoque vtriuſque corporum ſimilitudinem animarum declarauit. Quomodo etiam Euæ (ſi expers rationis fuiſſet) à Deo eſſet Lex impoſita? vel legis violatæ tam grauis pœna fuiſſet irrogata? nec obſtat dictum philoſophi 2. de generat. Animalium, quod mulier eſt mas occaſionatus, quia non habet veritatem quantum ad primam conditionem mulieris Euæ, quia natura mulieris æque pertinet ad veritatem humanæ naturæ, ſicut natura virilis; vtraque enim ab Auctore naturæ intenta, & producta tanquam æque neceſſaria ad multiplicationem ſpeciei humanæ; Mulier autem dicitur mas occaſionatus, quatenus deficit à ſexu maſculino, quia virtus actiua, quæ eſt in ſemine maris intendit producere ſibi ſimile perfectum ſecundum maſculinum ſexum, & tamen ſæpe euenit, quod producat ſibi ſimile imperfectum nempe ſecundum fęmininum ſexum, quod accidit, vel propter virtutis actiuæ debilitatem, vel propter aliquam materiæ indiſpoſitionem; ſecundum veriorem cauſam dicendum, quod euenit ex diuina diſpoſitione.

31 Si curioſus peteret, an Deus potuiſſet facere animam rationalem primorum parentum, ſiue eorum voluntatem, vel aliquam aliam naturam intellectualem naturaliter impeccabilem: Reſpondetur, quod non ſecundum Doctorem ſubtilem in 2. diſt. 23. q. vnica probatur primo auctoritate Sanctorum Patrum; ſcilicet D. Auguſtini contra

Maxi-

Digitized by Google

Maximinum lib. 3. Cap. 13. vbi ſic ait; quod Angeli peccauerunt, & Dœmones facti ſunt naturæ tribuendum eſt; & cuicumque rationali creaturæ præſtatur, vt peccare non poſſit, non eſt hoc naturæ propriæ, ſed gratiæ Dei; D. Anſelmus quoq; lib. cur Deus homo Cap. 10. lib. 2. in fine Capituli reſpondens Diſcipulo quærenti ab eo, cur non potuit Deus facere naturam impeccabilem per naturam ait, quia ipſam non potuit facere Deum; & D. Hieron. tractatu de Filio Prodigo ait, quod ſolus Deus eſt, in quem non poteſt cadere peccatum; probatur ſecundo ratione à Doctore ſubtili, omnis voluntas, in qua non neceſſario coniunguntur appetere comodum, & appetere recte, poteſt appetere recte, & non recte, ſed in nulla voluntate creata poſſunt illa neceſſario coniungi ergo; minor patet, quia nulla voluntas poteſt appetere ex hoc ſolo, quia appetit, niſi voluntas primi; maior quoque patet, quia ex quo non neceſſario coniunguntur poteſt vnum ab alio ſeparari; Dices voluntas poteſt creari talis, quæ ex hoc, quod appetit, recte appetat, & poteſt creari in tali natura, quod nõ poſſit appetere niſi cõformiter ſuæ regulæ, & per conſequens in appetendo, ſiue ex hoc quod appetit, non poterit non recte appetere. Reſpondetur voluntatem poſſe fieri, quæ in appetendo ex gratia non declinet à regula recte appetendi; quod tamen eidem voluntati naturaliter conuenire non poteſt, cum ſit naturaliter defectibilis.

32 Apud Theologos eſt extra controuerſiam Adam habuiſſe gratiam ante ſuum lapſum, & oppoſitum aſſerere eſſet error in fide ex Concilio Tridentino Can. 1. ſeſs. 5. vbi dicitur; ſi quis non confitetur primum hominem Adam cum mandatum Dei fuiſſet tranſgreſſus in Paradiſo ſtatim ſanctitatem, & iuſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe &c. anathema ſit, idem Can. 2. & ſeſſ. 6. Cap. 7. Quæſtio tamen ſolem[n]is inter eoſdem agitatur circa hoc, An ſcilicet Adam gratiam habuerit in ſua creatione, an poſt; hanc ſecundam partem ſuſtinuerunt Vgo Victorinus lib. 1. de Sacramentis parte 6. Magiſter ſent. in 2. diſt. 20. Alexander de Ales 2. p. qu. 91. membr. 1. D. Bonau. in 2. diſt. 29. art. 2. q. 2. ſed alij plures priorem partem docent; D. Thomas p. p. quæſt. 95. art. 1. cum ſuis Diſcipulis. Doctor autem ſubtilis in 2. diſt. 4. q. 1. cum alijs dicit vtramq; partem eſſe probabilem, fatendum tamen eſt Adamum in primo inſtanti ſuæ creationis habuiſſe diſpoſitionem proportionatam ad recipiendã gratiam; quæ à Deo ei fuit infuſa, quod ex quattuor indicijs recte colligi poteſt, primo Adam creatus eſt perfectus animo, & ratione, & potens ſtatim, vt eſt conditus, vti ratione, & libero arbitrio; ſecundo actus liberi arbitrij, ideſt voluntatis, & intellectus ſunt indiuiſibiles; & vno inſtanti perfici, & abſolui poſſunt; tertio Adam creatus eſt rectus, quæ rectitudo in primis faciebat, vt Adam ratione, & voluntate ſe, ac ſua ſubijceret Deo, & vt primum actum mentis, & voluntatis, quem exerceret, & ſe ad Deum conuerteret; quarto excellentior ratio ſanctificationis, & iuſtificationis eſt iuſtificari, & ſanctificari hominem per proprium actum liberi arbitrij, quam ſine eo. Ex his quattuor concluditur Adamum eo ipſo puncto temporis, quo eſt creatus ſimul, & ipſum actum exercuiſſe fidei, & dilectionis erga Deum, & ipſum Deum gratiam ſanctificantem ei dediſſe cum virtutibus moralibus, & quantum ad habitum, & quantum ad actum.

25 Aliquibus perſonis data fuiſſet gratia abundantior in ſtatu Innocentiæ, quam aliquibus in ſtatu miſeriæ exiſtẽtibus data eſt abundantior, quam data

fuiſset aliquibus in ſtatu Innocentiæ; & forte in ſtatu Innocentiæ data fuiſſet gratia æqualis gratiæ aliquorum in ſtatu miſeriæ; ſed quantum eſt de communi ſtatu ſimpliciter magis abūdaſſet extenſiue in ſtatu Innocentiæ ſecundum proportionem numeri hominum, qui fuiſſent in ſtatu illo, ad numerum hominum pro ſtatu miſeriæ, quia tunc omnes in ſtatu illo gratiam habuiſſent; abundaſſet etiam magis intenſiue, vt aliquibus videtur; Cuius ratio eſt, quia communiter, & vt in pluribus homines perfectius ſe diſpoſuiſſent ad recipiendam gratiam, quam modo; & propter multa in iſto ſtatu impedientia talem diſpoſitionem, quæ in ſtatu Innocentiæ non fuiſſent; & magis diſpoſitis de communi lege Deus abundantius dat gratiam; & vt ſpecialius loquamur notandæ ſunt infraſcriptæ propoſitiones; Prima propoſitio In ſtatu Innocentiæ, qui minimā habuiſſent gratiam longe maiorem habuiſſent, quam plurimi nunc habeant in ſtatu legis Euangelicæ; In illo enim ſtatu nemo ante vſum rationis mortuus fuiſſet, ſed omnes integrum ſuæ vitæ curſum confeciſſent, quinnimo nullus hominum tunc mortem obiuiſſet, atque adeo gratiam, quam quisque ab initio accepiſset per bonum vſum liberi arbitrij multum auxiſset; at in ſtatu legis Euāgelicæ plurimi cum ſola prima gratia moriuntur, vt infantes baptizati ante vſum rationis.

26 Secunda propoſitio; ſi Adam non peccaſset, & filius Dei in ſtatu Innocētiæ non fuiſset incarnatus, vt placet D. Thomæ plus gratiæ datum eſset hominibus in ſtatu legis Euangelicæ propter Chriſti Aduentum, ac meritum, quam in ſtatu Innocentiæ, plus inquam gratiæ non extenſiue, ſed intenſiue; nam (vt nihil Domino Ieſu Chriſto dicam) plus Beatiſs. Virgini, nec non Io: Baptiſtæ, & Apoſtolis tributum fuit; quam vlli hominum in ſtatu Innocentiæ conceſsum fuiſset; ex quo concludi etiam poteſt in ſtatu legis Euangelicæ plus gratiæ infātibus per baptiſmum renatis conferri, quam in ſtatu Innocentiç infantibus generatis datū eſset, & ratio eſt, quia nunc datur infantibus gratia propter decentiam, & dignitatem ac meritum Chriſti, tunc autem data fuiſset propter decentiam, dignitatem, ac perfectionem ſtatus Innocentiæ; Illud autem infinitis partibus apud Deum, quam hoc præponderaſset; Tertia propoſitio ſi Adam non peccaſset, & nihilominus Chriſtus fuiſset incarnatus (vt placet Alexandro de Ales, & Doctori ſubtili) licet probabile videatur plus gratiæ tunc datum iri hominibus, quoniam ad gratiæ copiam, & abundantius hominibus dandam duo ſimul concurrebant, nempe dignitas ſtatus Innocentiæ, & dignitas Chriſti, qui tunc fuiſset incarnatus non vt hominis Redemptor, aut liberator, ſed vt gloriæ eius perfector, atque conſummator; Attamen veriſimilius videtur plus gratiæ dari hominibus in ſtatu legis Euangelicæ propter meritum paſsionis, ac mortis Chriſti, quam in dicto ſtatu Innocentiæ; nam propter ineſtimabilē Domini Noſtri Ieſu Chriſti paupertatem, humilitatem, & patientiam, acerbiſsimoſque Animi, & corporis cruciatus, denique ignominioſiſsimam, atque crudeliſsimam mortem credendum eſt Deum voluiſse, ac decreuiſse maiorem omnium gratiarum copiam largiri, quam daturus erat hominibus in ſtatu Innocentiæ, in quo Chriſtus immortalis, & impaſsibilis fuiſset; Quemadmodum etiam licet qualibet Chriſti actione, quia erat Dei ſimul, & hominis infinitique vigori, ac meriti Redemptio humani generis promerita fuerit eam tamen ſcriptura merito paſsionis, & mortis eius potiſsimum attribuere ſolet.

27 Si

Digitized by Google

27 Si agatur de donis, quæ in ſtatu Innocentiæ habuerunt primi parentes, & poſteri eorum habuiſsent, ſi in illo ſtatu perſtitiſsent per comparationem ad ſtatum culpæ dicendum, quod hoc poteſt intelligi, vel de donis gratiæ gratis datæ, vel de donis gratiæ gratum facientis; de iſtis ſecundis dictum eſt ſuperius; ſecundum dona gratiæ gratis datæ iſti duo ſtatus ſe habent ſicut excedentia, & exceſsa, pro eo quod aliqua dona gratiæ gratis datæ habuit Adam in ſtatu illo, vtpotè iuſtitiam originalem, impaſſibilitatem, & immortalitatem, quæ non habuit aliquis poſterorum eius; & aliqua dona gratiæ gratis datæ habent poſteri eius, quæ non habuit ipſe Adam, ſicut ſunt gratia ſanitatum, operatio virtutum, genera linguarum, & conſimilia, & ratio huius diuerſitatis eſt, quia illa dona expediebant illi ſtatui, & alia competunt iſti; An vero dona gratuita efficaciora fuerint ad merendum ante, vel post lapſum; pro ſolutione notandum, quod efficacia meriti principaliter ex tribus attendi poteſt: videlicet ex difficultate operis, promptitudine voluntatis, & magnitudine Charitatis; Difficultas operis multum facit ad meritum, & adeo facit, vt homo, qui eſt multo minoris Charitatis, quam Angelus poſſit mereri, vt perueniat ad ſublimitatem Angelicam, vt de Ioanne Baptiſta teſtatur Matth. 11. Promptitudo etiam voluntatis plurimum facit, ſed voluntas prompta ſecundum id gratiæ, quod habet apta est ad merita quantacumq.; ſit enim gratia in homine niſi ſit voluntas gratię conſentanea nunquam eliciet opera meritoria, & quanto magis voluntas gratiæ ſubiacet, & conformatur tanto magis homo in operibus exercetur; Magnitudo Charitatis est principalior inter omnia, quæ faciunt ad merita, quia ſecundum illius quantitatem attenditur remuneratio præmij eſsentialis.

28 Si fiat comparatio efficaciæ merendi quantum ad primam condicionem, ſcilicet quantum ad difficultatem operis efficaciora ſunt dona nunc, quā tunc fuerunt: nunc enim magis impugnatur, & in impugnatione probatur virtus, quam tunc, ſicut patet in Martyribus; ſi vero fiat comparatio quoad ſecundam cōdicionem ſcilicet quantum ad promptitudinem voluntatis efficaciora fuiſſent in merendo tunc, quam nunc, pro eo, quod voluntas tunc quaſi cōtinue fuiſset in bonis operibus Deo placentibus ſine retardatione, nunc autem ſiue ex laſſitudine, ſiue ex ſubreptione frequenter ceſsat à bonis operibus, & aliquando intendit in rebus nociuis, aliquando inutilibus, tum propter difficultatem ad bonum, tum propter pronitatem ad malum; Si demum fiat comparatio quantum ad tertiam condicionem ſcilicet ex magnitudine Charitatis poteſt fieri comparatio, aut particularis perſonæ ad particularem perſonam, & ſic ſe habent ſicut excedentia, & exceſſa; ſatis enim probabiliter credi poteſt, quod aliqui ſint nunc, qui habent maiorem Charitatem, & gratiam, aliquibus in ſtatu Innocentiæ ſi Adam ſtetiſſet; aliqui vero minorem, ſicut creditur de perſonis currente tempore Legis Moyſis, & exiſtentibus currente tempore Legis Euangelicæ. Aut poteſt comparari ſtatus ad ſtatum, & tunc non eſt adeo certum, probabilius tamen videtur, quod Deus maiora dona, & munera gratiæ elargitus ſit homini lapſo, quam dediſſet homini ſi in ſtatu innocentiæ permanſiſſet, tum quia homo maiori gratiæ adiutorio indiget, tum etiam, quia decet Deum maius bonum elicere, quam ſit illud bonum ſine malo contingens, tum etiam, quia mediator, & interceſſor pro nobis interpellat

quem decet exaudiri in omnibus pro ſua reuerentia; vnde cum appareat vultui Dei ſemper ad interpellandum pro nobis, & pro nobis in Cruce oblatus fuerit, & quotidie offeratur, valde probabile videtur, quod maius munus gratiæ nobis tribuatur, quam ſi ipſe non fuiſſet incarnatus, & pro nobis oblatus.

29 Occurrit hic decidenda celebris controuerſia, quæ vertitur inter Theologos Scholaſticos; An ſcilicet gratia, quam habuit Adam in ſtatu Innocentię; & quam (niſi peccaſſet ipse) habuiſſent poſteri eius talis fuerit, & fuiſſet, vt nullum admitteret veniale peccatum. Alexander de Ales p. 2. q. 104. membr. 6. D. Thomas p. 2. q. 89. art. 3. D. Bonau. in 2. diſt. 21. art. 3. q. & omnes Thomiſtæ negant in ſtatu Innocentiæ potuiſſe fieri vnum peccatum veniale, ſed neceſſarium primum peccatum fuiſſe mortale; eo quod vires inferiores in primo ſtatu hominis omnino erant ſuperioribus ſubditæ adeo, vt nullatenus in ipſis eſſe potuerit inordinatio aliqua, niſi prius deordinatis viribus ſuperioribus, quia taliter erat homo in ſtatu Innocentiæ inſtitutus iuxta D. Auguſtinum 14. de Ciuit. Cap. 10. & 26. Scotus vero in 2. ſent. diſt. 21. q. 1. Riccardus in 2. diſt. 21. art. 3. q. 1. & plures alij cum omnibus diſcipulis Doctoris ſubtilis ſententiam oppoſitam defendunt; Vnde obſeruandum eſt, primo, quod ſtatus Innocentiæ poteſt ſumi dupliciter, vno modo poteſt accipi Innocentia pro immunitate ab omni culpa, ſecūdo modo pro originali iuſtitia quæ poteſt dici quædam Innocētia, pro quanto ipſa mediante homo in Innocentia ſeruatus fuiſſet, & conſeruari faciliter potuiſſet; & ipſa diuina gratia dici poteſt innocentia, quia facit hominem innocentem, à culpaque immunem.

30 Secundo obſeruandum eſt, quod duplex eſt veniale peccatum, vnum ex opere operantis, & hoc eſt duplex, nam quodam accidit homini ex ſubreptione ſenſualitatis, quodam vero ex aliquo ſubito, & indeliberato motu voluntatis; Alterum eſt ex opere operato, ideſt ex obiecto, vel ex genere, quod ſcilicet ex ſuo genere eſt veniale ob imperfectionem actus, & ex leuitate materię cuiuſmodi eſt verbum ocioſum, vel mendacium iocoſum, ſiue officioſum. Tertio obſeruandum eſt, quod peccatum mortale, & veniale non diſtinguntur per hoc, quod mortale ſit circa finem vt obiectum; Veniale vero circa ea quæ ſunt ad finem tantum, quia vtrumque poteſt eſſe circa finem, & circa media ad finem. Sed in hoc diſtinguntur (vt ad præſens ſpectat) quod peccatum mortale eſt deordinatio oppoſita ordinationi, ſine qua finis obtineri non poteſt; vt eſt obſeruatio præceptorum Dei, quorum deordinationes ipſi obſeruationi oppoſitæ ſunt peccata mortalia; Peccatum vero veniale eſt deordinatio oppoſita ordinationi præceptę, vtili quidem ad finis conſecutionem non tamen neceſſariæ, vt non mentiri iocoſe eſt ordinatio vtilis ad finem, & tamen deordinatio illi oppoſita quæ eſt mendacium iocoſum non impedit omnino hominem à finis conſecutione, quia non aufert coniunctionem hominis cum Deo per Charitatem, ſed cum ea eſt compoſſibilis.

31 Quarto obſeruandū eſt, quod rectitudo eſt duplex habitualis, & actualis; rectitudo habitualis eſt quidam habitus in voluntate hominis recti, & iuſti exiſtens, qui inclinat ad iuſta iuſte volenda; & voluntas per hanc rectitudinem informata, & habituata dicitur habitualiter velle iuſta iuſte; Hanc rectitudinem, ſeu iuſtitiam habitualem, quæ erat iuſtitia originalis habuit Adá

Digitized by Google

in ſtatu innocentiæ, quæ voluntatem eius delectabiliter inclinabat ad iuſte volendum, quæ iuſta erant, & ad odiendum mala, & omnes potentias ſuperiores, & inferiores in ſuis officijs continebat, adeo vt inferiores prompte, & delectabiliter ſuperioribus obedirent, atque eis ſubijcerentur, amplectabaturque hæc rectitudo habitualis in primo homine obſeruantiam omnium ordinationum, & rectitudinum actualium, quæ præcipiuntur tanquam neceſſariæ ad finem obtinendum, vt ſunt decem præcepta legis Decalogi, & alia Eccleſiæ. Itaque ad illam ſummam rectitudinem erat prærequiſita, & neceſſaria obſeruatio cuiuſcumq; ordinationis præceptæ tanquam neceſſariæ ad finem; quia cum deordinatione oppoſita non erat compoſſibilis; ſicut gratia non eſt compoſſibilis cum deordinatione oppoſita ordinationi præceptę, vt neceſſariæ ad finem.

32 Aliter enim cum peccato mortali eſſet compoſſibilis; at ſicut gratiæ peccatum veniale non repugnat, ita nec ſummæ illi rectitudini habituali, quam primus homo in ſtatu illo innocentiæ habuit, repugnabat; Rectitudo actualis illa eſt, quæ actui ſecundo ineſt, qualis eſt illa; quæ dilectioni Dei actuali inhæret; vel actuali obſeruationi legis cujuſcumque, ſicut autem rectitudini habituali non repugnat culpa venialis, ita nec rectitudini actuali, ſed ſtat quempiam elicere actum rectum, ac meritorium, cui culpa venialis annectitur, exemp. gratia; quiſpiam Charitate motus, & ob Deum ſumme dilectum prædicat populo; in actu vero prædicandi oritur actus leuis inanis gloriæ; appetit enim à populo laudari; actus quidem prędicandi rectus eſt actuali rectitudine, ac meritorius, & ſi per accidens ei peccatum veniale coniungatur. Hæc Doctor ſubtilis in 2. diſt. 21. qu. 1. ad primum; His itaque ſic conſtitutis dicendum primo, quod accipiendo ſtatum Innocentiæ, primo modo nullus potuit peccare venialiter, ſic quod poſt primum peccatum remanſerit in eodem ſtatu innocentiæ; potuit bene abſolute, patet quia innocētia primo modo ſumpta eſt immunitas ab omni culpa, ſed nullus poſt commiſſam aliquam culpam licet venialem eſt immunis ab omni culpa, ergo nec in ſtatu innocentiæ ſic acceptæ.

33 Dicendum ſecundò, quod accipiendo innocentiam ſecundo modo videlicet pro originali iuſtitia, vel pro gratia non potuit homo peccare venialiter, peccato veniali ex opere operantis, hoc eſt ex ſubreptione, vel propter imperfectionem ipſius deliberationis quemadmodum ſunt primi motus non primo primi, ſed ſecundo primi, qui ponuntur à Doctore veniales culpæ, quia iuſtitia originalis reddebat ſenſualitatem ſubiectam portioni ſuperiori rationis, adeo quod ſtante illo fęliciſſimo innocentię ſtatu, ex ſubreptione appetitus ſenſitiui non potuiſſet Adam peccare venialiter; Dicendum tertio quod accipiendo innocentiam ſecundo modo potuit primus homo, & quilibet alius peccare venialiter ex obiecto, vel genere in ſtatu innocentię ſic accepto, adeo quod poſt tale peccatum remanſiſſet, in quo erat prius, ideſt cum iuſtitia originali, & gratia, quia donum iuſtitiæ originalis non coniungebat perfectius vltimo fini, quam quęcumque gratia gratum faciens coniungit hunc Viatorem; ſed cum gratia gratum faciente quantumcumque magna in via poteſt ſtare peccatum veniale etiam in perfectiſſimis Viris; Vnde Ioannes in ſua Canonica dixit ſi dixerimus, quod peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, ergo Adam in illo ſtatu innocentię potuit

pec-

peccare venialiter.

34 Dicent Thomiſtæ à ſtatu ſummæ rectitudinis non poteſt aliquis cadere, niſi per peccatum mortale, & peccatum graue, ſed ſtatus innocentiæ erat ſummę rectitudinis ergo; Reſpondetur, quod primus homo à ſtatu innocentiæ non cecidiſset per peccatum veniale accipiendo ſtatum innocentię, ſecundo modo, quia non perdidiſset iuſtitiam originalem, nec gratiam; non enim erat originalis iuſtitia, ita ſumma rectitudo, quin bene ſecum compateretur peccatum veniale. Dicent ſecundò peccatum ex malitia nō poteſt eſse, niſi mortale, ſed primus homo non potuit peccare, niſi ex certa electione, & malitia, quia non ex paſſione, vel ignorantia, quia iſta ſunt pœnalia, nec prçceſserūt culpam, ergo maior probatur, quia omne tale peccatum prouenit ex contemptu; omne autem peccatum ex contemptu Dei proueniens eſt mortale ergo; Reſpondetur, quod peccatum ex certa ſcientia, & electione poteſt aliquando eſse veniale, ſicut ex certa ſcientia, & electione dicere verbum iocoſum, ſiue mendacium officioſum; nam ſicut primus homo peccauit mortaliter, & non ex errore, & ignorantia ſaltem àntecedente, ſed electione, vt docet Scotus in 2. diſt. 22. ita potuit peccare venialiter non ex errore, vel ignorantia præçedēte; Et ad id, quod dicitur ex contemptu falſum eſt; multa enim potuiſset omittere, & tamen ſine contemptu; Dices tertio primum peccatum hominis non potuit eſse, niſi ab hoſte extrinſeco, quia omnia intrinſeca erant ordinata, ſed tentatio ab hoſte non erat, niſi ad mortale ergo; Reſpondetur primum quidem peccatum fuit per tentationem ab hoſte, quę tentatio fuit ad mortale, non tamen oportuit peccare mortaliter, ſed potuit non conſentire, vel ſubreptitie tantum conſentire, & ſic peccare venialiter tantum.

De diuina Imagine, & ſimilitudine in Animabus Adæ, & Euæ. Art. III.

1 Supponitur hic cum D. Auguſtino lib. 12. de Trin. cap. 7. & D. Bonauentura in 2. diſt. 16. art. 2. q. 2. quod Imago Dei ſecūdum ſuum complementum ęqualiter eſt in viro, & muliere, quia imago ſic conſiderata eſt in Anima rationali, & in ſuis potentijs quatenus Deum Trinum, & vnum repreſentant, ſed Anima rationalis ex dictis cum ſuis potentijs æque eſt in fęmina, ſicut in viro; cum dicitur faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram duæ notantur præcipue hominis dignitates in ſua conditione (inquit D. Auguſtinus in Sermone quodam de imagine) prima eſt, quod non fuit conditus, vt aliæ creaturæ; nam de alijs ſolum dicitur fiat lux, & facta eſt lux &c. De homine vero dicitur veluti quodam conſilio facto faciamus hominem ad Imaginem, & ſimilitudinem noſtram; Secunda dignitas eſt, quod fuerit productus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei; Hęc imago ſecundum diuerſas rationes ponitur à diuerſis in Anima rationali; prima quatenus hominis Anima eſt incorporea, & indiuidua, ſicut eſt Deus ipſe, in hac imaginem Dei collocat D. Auguſtinus; ſecunda vt æçerna, & immortalis in hac collocat Origenes, tertia vt eſt intellectu voluntate, & memoria pręditą, in hac collocat D. Damaſcenus, quarta quod ſit liberi arbitrij, in hac ponit D. Ambroſius, quinta, quod ſit capax ſapientiæ, virtutis, gratiæ, & beatitudinis, viſionis Dei, omniſque boni, in qua capacitate imaginem Dei collocat D. Gregorius Niſſenus; Sexta, quod cun-

cunctis Animalibus ſua poteſtate præſit, & dominetur, in hac ſtatuit imaginem D. Baſilius.

2 Septima ſicut in Deo ſunt, & continentur eminenter omnes res, ita quoque aliquo modo easdem continet; cõtinet enim inanimata ſecundum eſſe, plantas ſecundum vegetare, animalia, ſecundum ſentire, & moueri ſecundum locum, rurſus homo intelligendo fit quaſi omnia, vt ait Ariſt: quia omnium rerum imagines, & ſimulachra in phantaſia, & mente ſibi efformat; octaua, hinc homo quaſi eſt omnipotens instar Dei, quia multa arte, omniaque quodammodo diſponit; Rurſus homo est finis omnium creaturarum, vti Deus pariter est earum finis quamuis differēti modo; nona ſicut Anima regit corpus, eſtque tota in toto, & tota in qualibet parte, ita & Deus est totus in toto, & totus in qualibet parte vniuerſi; Decima, & perfectiſſimè ſicut Deus Pater per intellectum ſe cognoſcens producit filium, & cum filio amando eſſentiam diuinam producit Spiritum Sanctum, ita homo intelligendo ſe producit in mente ſua Verbum intelligibile ſui ipſius expreſſivum, ſibique ſimile, atque inde procedit in voluntate eiuſdem amor, ſic enim homo clarè Sāctiſſimam Trinitatem rappreſentat, ita D. Auguſtinus lib. 10. de Trinit. Cap. 10. & lib. 14. Cap. 11. Poteſt autem illud. Ad imaginem; dupliciter intelligi, vno modo de imagine increata, hoc est, quę ſit in Deo; ita, vt Dei natura fuerit tanquam exemplar, ad cuius ſimilitudinem homo ſit conditus, vt ſit hæc sētentia; faciamus hominem talem quales nos; ſecundo modo de imagine creata, quę est in homine, vt ſit hic verborum Dei intellectus faciamus hominē adeo ſimilem nobis, vt ſit ipſe velut quędam imago, & effigies noſtra naturam, vim, ſapientiam prouidentiam in corpore mortali, & in terris rappreſentans.

3 Tres gradus in Imagine excogitari poſſunt, primus quidem perfectiſſimus, quando ſcilicet imago, & immaginatum, ſeu prototypus idem omnino ſunt ſecundum naturam, licet diſtinguātur ſecundum perſonam, ſecundus gradus paulo imperfectior, in quo differunt non ſolum ſecundum perſonam, ſed etiam secundum naturam, tertius denique quando adhuc remotiori rappreſentatione conueniunt diſtinctis non ſolum natura, & Perſona, sed & alijs condicionibus entitatiuis, & relatiuis ad prothotypum, ſiue rappresentatum, aut imaginatum; & ſic primo modo, imago eſt in filio Dei, & quidem perfectiſſime; ſecundo modo eſt in filio hominis; tertio modo, & in ſimulachro ad alterius ſimilitudinem exculpto, quę dicitur remotè imago, vt imago Cęsaris; Ad maiorem huius rei intelligentiam notandum, quod est magnum diſcrimen inter esse imaginem, & esse ad imaginem; Alexander de Ales 2. p. qu. 62. membr. 5 art. 3. dicit quod eſſe ad imaginem, vel ſimilitudinem Dei denotat imperfectam diuinę ſimilitudinis participationem; eſſe autem imaginem Dei, est vndequaque, & perfectiſſime implere rationem rei, cuius eſt imago, & eandem perfecte rappreſentare; adeo quod imago perfecta prototypo adequatur in omnibus, & per omnia; ex quo ſequitur Dei filium vere, & proprie esse imaginem Patris, & nusquam dici ad imaginem, vel secundum imaginem Dei factus, cum ſit perfectiſſima paternæ ſubſtantiæ imago; Illud enim (Ad) ſignificat acceſſum ad aliquid, à quo diſtat aliquo modo, ita docet D. Ambroſius ſuper. 22. Cap. D. Lucæ ſolus Chriſtus eſt ſola imago Dei propter expreſſam in ſe paternę claritudinis vnitatem; Iuſtus autem homo ad imaginē Dei eſt, ſi propter imitandum diuinæ con-

conuerſationis ſimilitudinem Mundum hunc Dei reſpectu contemnat.

4 Item ratio imaginis eſt eſſe rappreſentatiuum totius ſecundum imitationem, quia est hęc differentia inter imaginem, & vestigium, quia vestigium est rappresentatiuum partis directe, & immediate; Vnde ex vestigio cognoscitur pars directe, & totum indirecte, & quaſi coniecturaliter; Per imaginem vero cognoscitur totum directe, & immediate, quia imago distinguitur à vestigio, & non per aliud, niſi quod imago est rappresentatiua totius; Vestigium vero est rappreſentatiuum partis. Dictum est secundum imitationem, quia ſtãte rappresentatione totius, niſi ad ſit imitatio, seu expreſſio, quę conſiſtit, vel independentia essentiali causati ad causam mensurati ad menſuram, vel in ſimilitudine in natura figura &c. non habetur ratio imaginis, duo enim oua habent ſimilitudinem rappresentatiuam, quia tamen non habent rationem imitationis, quia ouum vnũ non est causa alterius, neque mẽsura, ideo vnum non est imago alterius; Plures rationes adducuntur à Patribus, ob quas Deus creauerit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem suam; prima vt prouocaretur homo ad Deum reamandum, qui tantum eum dilexit, vt ſibi eum aſſimilaret; secunda, vt pro tali, ac tanto beneficio ſibi collato pre alijs creaturis magis Deum laudaret, ipſique magis deseruiret; tertia, vt homo magis caueret à culpa, ne imaginem summi Regis suo peccato fędaret; quarta, vt agnosceret ſe hominem esse quid Deo propoſitum ac peculiare; quinta ne cogeretur homo cognitionẽ Dei extra se, & de longinquo quęrere, ac petere, nam per imaginem Dei cognoscit homo, qualis ſit Deus; sexta, vt homo Idoneus fieret ad replendam ruinam Angelorũ, qui etiam ſunt ad Dei imaginem facti; ſeptima, vt vniuerſæ creaturæ corporeæ reuererentur illum, qui ſui conditoris tam illuſtrem imaginem gerit.

5 Non tamen verum eſt hominem eſſe Dei imaginem ſecundum corpus, vt Antromorphitæ ſomniarunt, quorum Anteſignanus fuit Audius ſeu Audæus, ex quo in aliam hæreſim prolapſi ſunt aſſerentes Deum eſſe corporeum, & habere membra corporea, & humanam formam, & figuram in qua apparuit Patriarchis, & Prophetis, vt refert Theodoretus lib. 4. Hiſtoriarum Cap. 10. & Epiphanius hęres. 70. & D. Auguſtinus lib. de Hæreſibus hæreſi 50; mouebantur ex eo quod videatur ſacra ſcriptura tribuere Deo omnia corporis membra, & eorum functiones, & officia, nihilominus tamen ſcriptura Concilia, & Sancti Patres apertiſſime docent Deum eſſe ſpiritum ſimpliciſſimum, & alienum prorſus à corpore, atque ex conſequenti ſimiliter conſtat in homine eſſe imaginem Dei non ſecundum corpus, ſed ſecundum mentem; Profecto ſi Deus eſſet corporeum (quod in primo libro cũ de ſimplicitate Dei eſſet ſermo abunde reprobatum eſt) & Dei imago eſſet in corpore hominis, impreſſã haberent etiam illam Dei imaginem alia irrationabilia Animalia, quæ homini aſſimilantur ſecundum corpus, quod tamen ex ſcriptura non habetur, ſed potius eius oppoſitum; Nam poſtquam Deus creauerat cete grandia, & omnem Animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundum genus ſuum; poſtquã etiam fecerat beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo; ad hominis creationem deueniens Deus dixit faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, vt præſit piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & beſtijs vniuerſæ terræ, omnique reptili, quod mouetur in ter-

ra; De nullo autem Animali dictum eſt quod factum ſit ad imaginem Dei, niſi de ſolo homine.

6 Dicendum eſt ergo, quod ſumpta proprie imaginis ratione nô dicitur homo ad imaginem Dei, nec ſecundum corpus, nec ſecundum partem ſenſitiuam, ſed ſecundum partem intellectiuam, ſiue ſecundum mentem, & rationem, ita paſſim veteres Patres, & Theologi; Imago enim Dei, qui eſt incorporeus, immutabilis, & immortalis non poteſt eſſe in corpore terreno, & mortali, & in horas ſingulas mutabili; Item homo imago Dei dicitur ſecundum illam partem, ſecundum quam particeps eius eſſe poteſt, ſed vt ait D. Auguſt. ſecundum cognitionem, & dilectionem homo eſt Dei particeps, quam quidem participationem ſecundum partem ſenſitiuam, & corporalem non habet, ergo ſecundum corpus proprie non dicitur imago Dei; Præterea homo ſecundum illam partem ad imaginem Dei dicitur eſſe, qua irrationabilibus antecellit, ergo ſecundum partem rationalem, & intellectiuam eſt imago Dei; quia ſecundum eam illis antecellit, ergo non ſecũdum ſenſitiuam, & corpoream; ſed nota, quod quamuis homo ſecundum partem corpoream proprie non ſit imago Dei, per accidens tamen poteſt dici; Eſt enim imago in corpore hominis tanquã in ſigno; vel eſt in eo arguitiue, & ſignificatiue pro quanto corpus humanum eſt ita conformatum, & configuratum, vt euidenter arguat, & ſignificet Animam, quæ in ipſo eſt ad imaginem Dei factam eſſe; Recta namque humani corporis ſtatura os ſublime, & erectus in Cœlum vultus perſpicue indicant Animam eius corporis habitatricem cæleſtem eſſe quoad originem, ita D. Auguſtinus lib. 6. de Gen. ad litteram Cap. 12. & lib. de Geneſi contra Manicheos Cap. 17. & lib. 83. qq. q. 51. vbi ſic ait corpus hominis, quia tale eſt, vt ad contemplandum Cœlum ſit aptius; magis hoc ad imaginem, & ſimilitudinem Dei quam cætera corpora Animalium factum in re videri poteſt, idem alibi ſæpe replicat.

7 Cum imago dicatur relatiue, relatio autem duo dicat nempe terminum ad quem dicitur; & fundamentum, ratione cuius dicitur de ſubiecto; terminus ad quem non eſt ſolus filius Dei, vt aſſeruit Origenes ob illam particulam (noſtram) terminus igitur ad quem iſtius imaginis eſt Deus vnus, & trinus; nam ideo dixit Deus faciamus hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinem noſtrã, vt inſinuaret Sanctiſſimam Diuinarum Perſonarum Trinitatem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, atque tres Perſonæ habent vnam Deitatem; Ideo dicitur ibi in ſcriptura Gen. 1. fecit Deus hominem ad imaginem Dei, ac ſi diceretur, fecit Deus hominem ad imaginem ſuam; cũ autem dicitur poſt, ad imaginem Dei fecit illum, cum prius dictum eſſet ad imaginem noſtram ſignificatur, quod non id agat pluralitas perſonarum, itaut plures Deos, vel credamus, vel dicamus aut intelligamus, ſed Patrem, filium, & Spiritum Sanctum, propterquam Trinitatem dictum eſt, ad imaginem noſtram; & vnum accipimus Deum, propter quod dictum eſt ad imaginem Dei, ita colligunt Patres ex iſtis verbis faciamus hominem &c. Vnde Gregorius Niſſenus orat. in illud faciamus hominem &c. ſcriptum eſt (inquit) faciamus, vt cognoſcas Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; & fecit Deus hominem, vt diuinitatem coniungas, atque vnum eſſe ſcias; Eidem aſſentit D. Ambroſius lib. 6. Hexamer. Cap. 8, & D. Auguſt. lib. 12. de Trinit. Cap. 6. Dixit Deus inquit faciamus hominẽ ad imaginem noſtram, paulo poſt autem dictũ eſt, & fecit Deus hominem ad imaginẽ

Dei; noſtram certe, quia pluralis eſt numerus; non recte diceretur, ſi homo ad vnius perſonæ imaginem fieret, ſiue Patris, ſiue Filij, ſiue Spiritus Sancti, ſed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum eſt ad imaginem noſtrã; atque idem aſſerunt communiter Sancti Patres.

8 Quo ad fundamentum, in quo ſcilicet conſiſtat Imago Dei in Anima rationali Hæbrei (vt referunt Nicolaus de Lira, & Toſtatus hic) dicunt, quod in hoc conſiſtit Imago Dei in homine, quia ſicut Deus replet totum mundum ſic Anima totum corpus; ſicut vnus Deus præeſt vniuerſo Mundo; ſic vna Anima præeſt toti corpori; ſicut Deus non inquinatur ſordibus mundi, in quo eſt, ita nec vlla corporis labe inquinatur Anima; ſicut Deus videt omnia, & à nullo videtur; ſic Anima videt, & non videtur; Denique ſicut Deus nunquam dormit, ſed perpetuo vigilat, non enim (inquit Dauid in Pſalmis) dormiet, nec dormitabit, qui cuſtodit Iſrael, ſic etiã Anima rationalis; ſed hæc aſſignatio fundamenti Imaginis eſt valde accidẽtalis; præterquam, quod huiuſmodi Imaginis aſſignatio non minus Animæ Aſini, quam hominis competere poteſt; Alij plures varias aſſignauerunt in homine rationes Imaginis; Sed exactã, & veram rationem Imaginis nemo illuſtrius aſſignauit, quam D. Auguſtinus de Trinit. lib. 10. Cap. 10. & lib. 14. Cap. 11. vbi docet ea re referre Imaginem Sanctæ Trinitatis hominem, quod intelligat ſe ipſum, & intelligendo ſe producat in corde ſuo Verbum intelligibile; ſui ipſius; & expreſſiuum, & tunc procedat amor; quod mirifice adumbrat duas in Sancta Trinitate proceſſiones, vnam filij per modum verbi intelligibilis; alteram Spiritus Sancti per modum amoris; De qua infra erit clarior, & vberior expoſitio, Interim vide ſuperius n. 2.

9 Cum Anima duplicem habeat portionem ſuperiorem, qua contemplatur æterna, & inferiorem, qua conuertitur ad temporalia, & creata, quæritur in qua portione conſiſtat, ſeu fundetur Dei Imago; Reſpondent Alexander de Ales 2. p. q. 62. memb. 5. art. 5. D. Th. p. p. q. 93. art. 8. D. Bonau. in p. diſt. 3. p. 2. art. 1. q. 2. dicentes, quod Imago Dei conſiſtit in ſuperiori portione proprie loquendo, cum his concordat Scotus in p. diſt. 3. queſt. vltima V. vlterius in ſpeciali, & Richardus in p. diſt. 3. art. 1. q. 2. ſic enim ſcribit D. Auguſtinus lib. 12. de Trin. Cap. 4. in eo ſolo, quod ad contemplationem pertinent ęternorum non ſolum Trinitas cõſiſtit, ſed etiam Imago Dei; In hoc autem, quod deriuatum eſt in actione temporali etiam ſi Trinitas poſſit, non tamen Imago Dei poteſt inueniri; Dicendum eſt, ergo quod Imago eſt in Anima ſecundum portionem ſuperiorem, prout ſcilicet ipſa Anima conuertitur ad Deum; Sed contra hoc videtur eſſe; Idem D. Auguſtinus lib. 14. de Trinit. Cap. 8. non longe à principio, vbi ita ſcribit ecce mens meminit ſui intelligit ſe, & diligit ſe hanc ſi cernimus, cernimus Trinitatem nundum quidem Deum, ſed iam Imaginem Dei; Reſpondetur quod mens fertur in aliquid dupliciter, vno modo directe, & immediate, alio modo indirecte, & mediate; ſi cum aliquis videndo imaginem homini in ſpeculo dicitur ferri in ipſum hominem; Cum itaque Anima meminit ſui intelligit ſe, & diligit ſe, ex eo poteſt dici Imago Dei, nõ quia mens fertur in ſe ipſam abſolutè, ſed prout per hoc vlterius poteſt ferri in Deum.

10 Imago attenditur penes potentias actualiter producentes actus ſuos; Vnde obſeruandum eſt, quod cum in bea-

Beatiſſima Trinitate ſit vnitas eſſentiæ cum Trinitate perſonarum, & origine vnius ab altera vel à duabus; Imago ipſius non conſiſtit in actibus primis tantum, cum ibi non ſit diſtinctio rei, & rei, nec ordo originis, neque cõſiſtit ſolum in actibus ſecundis, quia licet ibi ſit diſtinctio, & origo aliquo modo non eſt tamen ibi conſubſtantialitas Alexãder de Ales vbi ſupra art. 6. & Scotus loco citato. Secundo obſeruandum eſt quod non eſt omnimoda ſimilitudo Imaginis in nobis ad prothotypum, quia in Imagine creata non communicatur fęcunditas ad producẽdũ amorem notitiæ genitæ, quia non communicatur eidem notitiæ genitæ, eadem natura, cum ſit accidens quoddam, & Anima cum intellectu ſit ſubſtantia; in beatiſſima autem Trinitate Pater generans Filium communicat ei eandem naturam, & eandem fęcunditatem producendi Spiritum Sanctum, qui eſt amor; tertio obſeruandum eſt, quod in Imagine creata eſt aliquis ordo inter ſecundam partem Imaginis, & tertiam ex D. Aug. 15. de Trinit. vbi dicit voluntatem de cogitatione procedere, nemo enim vult, quod quid, vel quale ſit, neſcit; & ordo iſte neceſſario ponitur propter ordinem volitionis ad cognitionem, & accipit voluntatem, vt eſt tertia pars imaginis pro actu volendi, quod ex eo patet, quia dicit voluntatem de cogitatione procedere, quod non eſt verum de potentia, ſed de actu volendi; Ex his ergo dicitur, quod Imago conſiſtit in vtriſque ſimul ideſt in actibus primis, & ſecundis videlicet potentijs, & actibus earum, quod idem eſt dicere in potentijs producentibus actus ſuos, & ratione potentiarum eſt conſubſtantialitas, quia potentiæ ſunt idem realiter inter ſe, & cum Anima, & ratione actuum attenditur eorum diſtinctio, & origo.

11 Dupliciter aſſignatur Imago à D. Auguſtino primo modo lib. 5. de Trinit. Cap. 3. & 4. vbi dicit Imaginem eſſe in mente notitia, & amore, vbi per mentem intelligit actum primum, reſpectu vtriuſque actus ſecundi ſcilicet fęcunditatem ad gignendum notitiam & ad ſpirandum amorem, & hoc modo mens habet perfecte rationem parentis, quia includit perfecte vtramque fęcunditatem; & tunc illa duo, notitia, & amor ſunt duo producta ab Anima ordine quodam, & hoc modo eſt in diuinis, quia in Patre non ſolum eſt fęcunditas ad generandum, ſed etiam ad ſpirandum; ſecundo modo aſſignatur à D. Auguſtino lib. 10. de Trinit. Cap. 10. & lib. 14. Cap. 11. in memoria, intelligentia, & voluntate, & accipit ibi memoriam pro actu primo perfecto vtriuſque fęcunditatis, & vt habet rationem perfecti parentis, pro vt diximus de mente; intelligentia accipit pro notitia, & voluntatem pro amore producto; Adeoq; Anima habens actũ primum totalem reſpectu intellectionis, & volitionis, vel aliquid Animæ ideſt intellectus, & voluntas, vt habent obiectum præſens in ratione intelligibilis, & diligibilis, dicitur memoria, & rappreſentat Patrem; ipſa etiam eadem Anima, vel aliquid eius ſcilicet intellectus in quantum recipit notitiam genitam dicitur intelligentia; & intelligentia perfecta, vt eſt ſub illa notitia genita rappreſentat filium, eademmet Anima, ſeu voluntas dicitur perfecta in quantum eſt ſub illo actu volendi perfecto, & rappreſentat Spiritum Sanctum; Accipiendo ergo iſta tria ex parte Animæ vt ſubſunt actibus ſuis; in iſtis in quam tribus eſt conſubſtantialitas ratione illarum trium realitatum, quæ ſunt ex parte Animæ, quoniam potentiæ, & anima ſunt vna res, ſed eſt diſtinctio, & origo ratione actuum, qui

recipiuntur in Anima, atque ita patet, quod imago conſiſtit in actibus primis, & ſecundis ſimul.

12 Quantum ad perfectionem imaginis reſpectu obiecti æterni, ſeu reſpectu Dei, vt obiecti, perfectior reperitur in mente imago, quam reſpectu obiecti temporalis, ſeu reſpectu creaturæ, vt obiecti, nam illa imago eſt perfectior, quæ vltra omnes conditiones prærequiſitas ad imaginem ſcilicet vltra conſubſtantialitatem, diſtinctionem, originem, ſimilitudinem, & expreſſionem; habet etiam ſimilitudinem obiectiuam immediate, & ita eſt circa obiectum æternum, circa vero obiectum temporale mediate tantum, ergo imago circa obiectum æternum eſt perfectior in mente, quam circa obiectum temporale; Actus enim eſt ſimilitudo obiecti, & quando actus eſt in mente reſpectu obiecti æterni; tunc in mente eſt perfecta ſimilitudo obiectiua, quando autem eſt reſpectu obiecti temporalis, tunc eſt ſimilitudo obiectiua imperfecta, & mediata; In homine duplex eſt imago, altera naturalis, altera ſupernaturalis; naturalis eſt illa, quam dupliciter aſſignat D. Auguſtinus, & declaratur ſecundum doctrinam Scoti numero præcedenti. Dicitur naturalis primo, quia conuenit homini à prima ſua conditione; ſecundo quia conuenit homini vniuerſaliter, & inſeparabiliter; tertio quia homini conuenit ſecundum intrinſecas potentias, & naturales; quarto quia non eſt artificialis, alias non eſſet permanens, & vera, ergo eſt naturalis.

13 Pro cuius maiori notitia ſciendum, quod naturale capitur pluribus modis, primo pro omni eo, quod ineſt à natiuitate, ſecundo pro eo, quod eſt productum ſecundum naturam, ſeu per modum naturæ, i. non libere; tertio pro eo, quod poteſt per naturalia aquiri; quarto pro eo, quod non eſt violentum, ideſt cõtra naturalem inclinationem recipientis; quinto pro eo, quod nõ eſt miraculoſum, ideſt contra conſuetum vſũ naturæ; Sexto pro eo, quod nõ eſt caſuale, ideſt præter intentum in agente non intellectuali: ſeptimo pro eo quod non eſt fortuitum, ideſt præter intentum in Agente intellectuali; Hæc imago naturalis in homine peccato perdi non potuit; eſt enim ipſi naturæ intime, & indelebiliter impreſſa, vt perdi non poſſit, niſi perdatur natura, ita contra Origenem docet D. Auguſtinus lib. 2. retr. Cap. 24. vbi retractat id, quod dixerat lib. 6. de Geneſi ad litt. Cap. 27. ſcilicet Adamum peccando imaginem Dei perdidiſſe, quod ait D. Auguſtinus, vt verum ſit, accipiendum eſt non quaſi in Adamo peccante nulla remanſerit Dei imago, ſed quod illa per peccatũ tam deformis effecta eſt, vt reformatione indiguerit; Impia ergo, & ſtolida eſt ſententia Mathiæ Illirici Lutherani dicentis, quod imago Dei in homine per peccatum, corrupta ſit, vt homo ſubſtantialiter ſit transformatum in viuam, & ſubſtantialem imaginẽ Diaboli; Hanc enim eſſe ipſum peccatum originale ipſe cum ſuis impie tuetur, quam impietatem iã reprobauerat D. Dionyſius Areopagita dicens in Angelis, poſt peccatum naturalia remanſiſſe integra, quamuis deturpata; quod fortius concludit de primis parentibus ob potiorem rationem.

14 Altera quoque imago Dei eſt in homine ſcilicet ſupernaturalis, quę alio vocabulo dicitur ſimilitudo Dei iuxta illud faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram; De qua loquentes Origenes lib. 3. Periarchon Cap. 6. & B. Baſilius hom. 10. in Geneſim dixerunt hominem factum eſſe ad imaginem Dei ſecundum dona naturalia mentem ſcilicet voluntatem, memoriam, & liberum arbitrium, ad ſimilitudinem vero ſecundum dona gratuita, & ſupernaturalia,

vt

Digitized by Google

vt ſunt iuſtitia, Innocentia, & ſanctitas; Hæc ergo imago, ſeu ſimilitudo ſupernaturalis ſita eſt in donis gratuitis gratia, & iuſtificatione, qua ipſe diuinæ ſit concors naturæ, quæque in gloria, & vita æterna firmabitur, & perficietur; gratia enim ſanctificans, & iuſtificans eſt Anima Animæ ait D. Auguſt.; In hac gratia conditum eſſe hominem primum Adamum patet Colloſ. 3. 10. & Epheſ. 4. 24. ita paſſim Patres. Hæc imago ab hominis voluntate, eaque peccante deperditur, ſed per gratiam, & iuſtificationẽ reaquiritur; Vnde Apoſt. Epheſ. 4. 23. renouamini inquit ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis: Origenem, D. Baſilium, & alios Patres ſecuti sũt Alex. de Ales 2. p. q. 62. memb. 5. art. 4. D. Thom. p. p. q. 93. art. 3. D. Bonau. in 2. diſt. 16. in dub. 3. circa litteram; Hoc euidẽter patet nã cum homo conſtet ſubſtantia, & accidentibus, & imago potiſſimè attendatur ſecundum ſubſtantiam, ſimilitudo vero ſecundum accidentia, quid prohibet hominem dici ad imaginem, & ſimilitudinem Dei eſſe; quamuis enim in Deo non ſint accidentia ſunt tamẽ perfectiones, & quaſi qualitates noſtris accidentibus correſpondentes, quippe quæ in eo ſunt realiter ſubſtantiæ in nobis accidentia.

15 Sola creatura intellectualis proprie loquẽdo eſt ad imaginem Dei, quia in ſola natura intellectuali reperitur repræſẽtatio per modum imaginis; In alijs autem creaturis inferioribus per modũ veſtigij ſecundum vnitatem, veritatem, & bonitatem; Non eſt tamen in eis expreſsa ſimilitudo Dei; In Angelo autem cum omnia requiſita ad perfectam imaginem inueniantur, de quibus ſupra ſequitur reperiri perfectam rationẽ imaginis; Angelus enim ita eſt capax Dei ſicut homo; immo cũ natura intellectualis magis vigeat in Angelo, quã in homine, & proprie Angelus ſit intellectualis, homo vero rationalis, vt docet D. Dionyſius 6. de diuinis nominibus, ſequitur, quod perfectiorem quoq; imaginem Dei gerat, quam homo; Quod autem Angelus in natura intellectuali excedat hominem patet ex Verbis Ezechielis deſcribentis Angelum primum ſapientia, & perfectum decore; quod non eſſet niſi intellectu, & ſapientia excelleret hominem; ſed obicijes, quod D. Auguſtinus libro 2. de libero arbitrio inquit, quod Animæ rationales ſunt Angelis natura pares, ergo non perfectiori modo Angelus, quam homo eſt natura intellectuali præditus; Reſpondetur quod dictum D. Auguſtini intelligitur quantum ad immediationem recipiendi gratiam à Deo, ita enim nata eſt Anima recipere gratiam immediate, tametſi Angelus ſit nobilior per naturam.

16 Secundo reſpondetur, quod D. Auguſtinus loquitur de paritate quantum ad finem, quia Angeli, & Animæ ordinantur ad eandem beatitudinem, licet vnus altero beatior eſſe queat; Hæc reſolutio quantum ad imaginem fundatam in naturalibus valet proportionaliter in Angelis, & Animabus; ſi ſermo ſit de ſimilitudine; Dicendum, quod ſimilitudo fundata in donis ſupernaturalibus gratiæ, & gloriæ, quæ in vtroque ſunt, habent ſe Angelus, & homo, ſicut excedens, & exceſſum, vt loquimur in Scholis, & docet Doctor ſubtilis in 2. diſt. 1. q. vltima; ſi quidem aliqui Angeli ſecundum gratiam, & gloriam ſunt Deo ſimiliores, quam plerique homines, & è conuerſo, nonnulli homines ſimiliores Deo ſunt, quam multi Angeli; Poteſt tamen ſimpliciter, & abſolute dici hominem eſſe Deo ſimiliorem, quam Angelum, eo quod in ſpecie humana ſit Deipara ſemper Virgo Maria, quæ ſecundum gratiam,

&

& gloriam omnes Angelos longiſſime ſuperat; ac proinde ſimilior Deo eſt, quam ſit vllus Angelorum; Per idem reſolui poteſt dubium de capacitate nempe, quod Angelus eſt capacior Deo ſecundum naturam, quam ſit homo, non autem capacior eſt ſecundum capacitatem gratię, tum initiatæ, tum conſumatæ ob eminentes perſonas D. N. Ieſu Chriſti, & B. V. Mariæ.

17 Dictum eſt in principio cum D. Auguſtino, & D. Bonauentura locis citatis in principio articuli, quod Imago ſecundum ſuum complementum ęqualiter eſt in viro, & muliere conſideratis nimirum actibus primis, & ſecundis Animæ vtriuſque ſecundum ſe; Quoad exercitium autem actuum ſecundorum Vir magis viget ratione, & intellectu, quam mulier; Nam Ariſt. 1. Politicorum oſtendit, quod naturaliter Maſculus debet fęminæ dominari, & vir puero, & Dominus ſeruo, quia regulariter plus viget in Maſculis, quam in fęminis, in viro, quam in puero, & plus in Domino, quam in ſeruo, quia fęmina habet conſilium inualidum; puer imperfectum, ſeruus vèro quodammodo violentum; Dixi regulariter, ſeu communiter, quia ſępe contingit oppoſitū, quia multæ mulieres magis ratione vigent, quam viri; Loquendo de ſimilitudine fundata in donis gratiæ vir, & mulier ſe habent ſicut excedens, & excellum, quia aliquæ fęminæ reperiuntur ſimiliores Deo multis viris, & è contra viri aliqui ſunt multis fęminis Deo ſimiliores; De ſimilitudine autem fundata in donis ſupernaturalibus gloriæ vterque ſexus pariter, ſeu æqualiter eſt ad Dei ſimilitudinem, quia Anima eſt ad imaginem Dei, eo quod capax eſt; ſed in tali vita æqualis capacitatis naturaliter loquendo erit Anima fęminæ ſicut Anima maſculi, ergo æqualiter ſunt ad Dei ſimilitudinem; Confirmatur per D. Auguſtinum 10. de Trinit. Cap. 7. vbi vult, quod in eo quod homo eſt imago Dei non eſt ibi diſtinctio Maris, & fęminæ. Ad quod probandum adducit dictum Apoſtoli, quia nos ſumus Imago Dei provt ſumus filij Dei, & provt induimur Chriſtum per fidem, in quo non eſt Iudæus, neque Græcus, nec ſeruus, nec liber, nec famulus, nec fęmina, ſed omnes vnus ſumus in Chriſto, & omnes renouamur ſecundū Imaginem Dei.

De excellentijs ſtatus Innocentiæ. Cap. IV.

De collocatione Adæ in Paradiſo, de productione Euæ, & amborum immortalitate. Art. I.

1 FOrmato Adamo de limo terræ in campo Damaſceno terræ inquam rubeæ, vt notat Ioſeph lib. 1. Antiquitatum à qua rubea terra nominis appellationem traxit, quia Adám Hæbraicè terra rubra interpretatur. Siue (vt alij dicunt) circa medium terræ habitabilis; quod videtur eſſe Ieruſalem, quæ eſt quaſi vmbilicus orbis; tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſum voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum hoc verbum tulit Deus hominem, tribus modis interpretari poteſt, primo modo interpretatur à Ioſeph Anglo in ſuis floribus ſuper ſecundum ſententiar. diſt. 17. q. 2. difficultate 14. quem ſecutus eſt Pererius lib. 4. in Geneſim, quod Deus interiori motione docuerit Adamum, quo eſſet ipſe iturus, ſcilicet in locum Paradiſi, ſeu ſelui in domicilium ſibi ad habitādum

à Deo

à Deo præparatum; quomodo legimus Math. 4. Dominum noſtrum à ſpiritu ductum fuiſſe in Deſertum, ſecundo modo poſſumus intelligere ſicut Henoc, Abacuc, & Philippum (vt proditum eſt) ſpiritu Dei eſſe abreptos, & in longinqua loca delatos, ita Adam ex eo loco, vbi Adam formatus eſt in locum Paradiſi ſpiritu Dei eſſe translatū, tertio modo illud quoque opinari licet per Angelum humani corporis ſpecie indutum eſſe Adam, quaſi manuductū in Paradiſum ſicut Angelus Raphael ducebat Tobiam, & hoc D. Auguſtino videtur veroſimilius; hoc quidem non caſu, aut fortuitò factum eſt, ſed conſulto, maximaque cum ratione, vt ſcilicet homo tranſeundo à medio orbis terrarum ad extremum orientis (vbi erat Paradiſus) videret, & attenderet quanta Deus fecerit in ſuperficie terræ, & quantum gloria Paradiſi, quam illi præparauerat à regionibus beſtiarum diſtaret; Hinc, nec in inſtanti, nec per aerem fuit in Paradiſum translatus, ſed ſucceſſiue inferius per terram, vt omnia cōſpiceret, & animaduerteret, quod intellige breuiſſimo temporis ſpatio factum fuiſſe; & hanc explicationem magis probat Pererius.

2 Et poſuit eum in Paradiſum voluptatis, idque propter tres rationes, prima, vt homo melius cognoſceret Dei beneficium, dum ſe videret aliunde deductum; ſecunda, vt per hoc Deus oſtenderet hominem non eſſe factum ad habitandum ibi æternaliter, ſed peregrinandum temporaliter; tertia, vt manifeſtaret, quod talis locus non conueniebat ei ex natura ſicut Angelis ſecundum eorum naturalem dignitatem Cœlum empyreum, in quo creati ſunt; ſed ex gratia; & ſi dicatur, quod Deus præſciebat hominis caſum ante eius creationem, ergo non debebat eum in Paradiſum collocare pro tā breuis temporis ſpacio; Reſpondetur cum D. Bonauentura, quod Deus voluit eum collocare in Paradiſum, & ſi præſciret illius caſum propter duas rationes, prima, vt per eiectionem eius ex Paradiſo voluptatis practice experimentaliter, & ſenſibiliter cognoſceret quanta bona amiſiſſet per culpam, ſecunda vt intelligeret quanta eſſet differentia inter eū, qui Domino obedit humiliter, & eum qui eum contemnit; Vt operaretur, & cuſtodiret illum; qui locus à D. Auguſtino lib. 8. ſuper Gen. Cap. 8, 9, 10, & 11. dupliciter explicatur primo, vt ipſe Deus operaretur, & cuſtodiret illum, id eſt hominem, operaretur quidem illum iuſtificando gratijs, & meritis cumulando; & cuſtodiret eum à malis tuendo, ſecundo exponitur, vt homo operaretur Paradiſum non operatione pœnali, nec in ſudore, & labore, quinnimo in delitijs, & voluptate, vel magis, vt ſe in Paradiſo operaretur, ne quicquam ex acceptis ſibi perperam amitteret, & cuſtodiret ſe ita Deo gratum, vt non inde maxima confuſione eijceretur; non enim ab alienis inuaſoribus cuſtodiēdus erat, quia omnes beſtiæ erant ſubiectæ, & reuera erat neceſſaria vigilijs operatio, & cuſtodia ad perſeuerandum in loco tantæ amœnitatis.

3 Hæc amœnitas ex pluribus colligitur primo ex loci quiete, quia alieniſſimus a turbinibus, & tempeſtatibus propter aeris tranquillitatem, & humani temperiem; & in tali quiete Adam & Eua, & poſteri eorum poſſediſſent multa bona, ſi permanſiſsent, & nulla mala pertuliſsent; ſecundo ex luminoſitate, quia ibi fuiſset continua lux ſereniſſima; tertio ex tempore, quia ſemper fuiſſet florida, & fructuoſa æſtas ſine hieme, nam licet ſub æquinoctiali fiant duæ æſtates, & duæ Hiemes, eo quod bis accedit Sol ſuper Zenith, ſcilicet in Ariete, & in Libra, ſed in Paradiſo

diſo terreſtri ſemper fuiſſet æſtas, cum arboribus, & plantis omni iocunditate plenis; quarto ex delectatione omnium ſenſuum; Nam ſi ſteriſſet homo habuiſset in omnibus ſenſibus maximas delectationes. Ita quod in viſu Aſtrorum ſtellarum, & totius pulchritudinis vniuerſi miram accepiſset adæquationem, ſimiliter maior fuiſset delectatio in auditu, in ſonitu foliorum, arborum, & huiuſmodi, quam nunc in dulci cantu; & tunc in guſtu aquæ, quam nunc vini optimi, & in odore minimi floris, quam nunc in Aromaticis, ac in tactu ſpineti, & aſperi, quam nunc in tactu roſæ mollis; horum omnium amœnitas quattuor complebatur, primo conſcientiæ ſerenæ iocunditate, quia bona conſcientia omnia facit iocunda, & delectabilia, & D. Auguſtinus ſuper Geneſim ait Lętitia bonæ conſcientiæ Paradiſus eſt pollens affluentia gratiarum, & deliciarum diuinarum; ſecunda familiari Angelorum conuerſatione, quam quaſi continue habuiſset, vt dicit D. Griſoſt. homil. 15. ad Hebræos 3. ſenſuum, & carnis incorruptione, quæ tunc fuiſset ob perfectiſſimum temperamentum corporum; quarto omnium creaturarum obeditione, ac ſubiectione, & diuini amoris dulcedine iugi, quæ etiam nunc reddit omnia dulcia, inquit Diu. Bernardus, & D. Auguſtin. ait da amantem, & ſcit, quod dico.

4 Collocato Adamo in Paradiſum cum ibi non eſset adiutorium ſimile ſibi ex coſta ipſius dormientis fabricata eſt Mulier Eua, vt longo ſermone dictum eſt ſupra Cap. 3. art. 2. ſic docent D. Baſilius hom. 11. in Geneſim D. Ambroſius lib. de Paradiſo Cap. 4. Magiſter ſentent. in 2. d. 18. vbi cum eo omnes ſcholaſtici, & D. Thom. p. p. qu. 102. quod videtur maxime congruens, & conſentiens ſcripturæ, nam ex narratione Moyſis liquido patet, quod poſtquā introductus eſt Adam in Paradiſum, introducta ad eum fuerunt animalia, & cognita neceſſitate creandi mulierem in adiutorium eius ex latere ipſius formata eſt Eua; ſed hic non eſt reticenda obſcœniſſima opinio Hebræorum, quā refert hic Franciſcus Aretinus ex Toſtato ſuper 13. Cap. Gen. q. 404. Rabbi Salomon, & multi de Hebræis (inquit Toſtatus) dicunt, quod quando Deus præſentauit animalia Adæ, vt videret ſi aliquod competebat ſibi, Adam commiſcebatur carnaliter cuilibet femellæ animalium, ſed nulla placuit &c. Hinc ſecundum abſurdiſſimam iſtam Hebræorum ſententiam ortum habuit neceſſitas formandi Euam, qua formata Adam (dicunt Hebræi) cognouit eam carnaliter, & placuit ei; de qua redibit ſermo in ſequentibus; Facta eſt igitur Eua in Paradiſo; nam certum eſt, quod Adam intra Paradiſum erat, quando formata fuit mulier ex ipſo; Poſtquam enim Moyſes deſcripſit plantationem Paradiſi, dixit, quod tulit Deus hominem, quem formauerat, & poſuit eum in Paradiſum, & cum non fuerit expulſus de Paradiſo quouſque peccauit, & quando formata fuit mulier nundum peccauerat, conſtat, quod in Paradiſo erat, quando Deus abſtulit coſtam, ex qua mulierem formauit.

5 Ex quo ſequitur primo Adā prius fuiſse formatum, & poſterius Euam contra Caietanum, qui turpiter errauit in fide, aſſerens Adamum, & Euam ſimul productos fuiſſe in eodem inſtanti temporis, hęc veritas vlterius probatur ex ſacra ſcriptura, nam Sap. 10. ita legitur. Hæc illum, qui prius formatus eſt à Deo Pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit, & eduxit illum à delicto ſuo, ergo ſi primus fuit Adam formatus, & ſolus creatus non ſimul ex limo terræ cum illo Eua fuit producta. Item ex illo 1. ad Thimot. 2. vbi Beatus Pau-

Digitized by Google

Paulus ait Adam primo formatus eſt, deinde Eua, ergo inter creationem Adami, & Euæ aliqua mora interceſſit; ſed quanta fuerit hæc mora ignoratur, nec certe poteſt affirmari; conſtat tamen formationẽ illius fuiſse intra ſextũ diẽ, nam omnia illa prima Dei opera creationis mundi intra illos primos ſex dies eſse facta teſtatur ſacra ſcriptura Gen. 1. ybi legitur vidit Deus cuncta, quę fecerat, et Cap. 2. requieuit Deus die ſeptimo, ab vniuerſo opere, quod patrarat; alibi iſte error Caietani reprobatus eſt ex communi conſenſu omnium ſacrorum Interpretum; Videndus eſt Alphonſus de Caſtro contra Hæreſes v. Adam, & Eua hæreſi 6.

6 Et adduxit eam ad Adam; Quando Deus ſoporem in Adamum immiſit, et tulit vnam de coſtis ejus, & in locũ ab Adamo aliquantulum ſeparatum illam adduxit, ibique ex ea ędificauit Euam, & ſcientia, & rerum cognitione eius Animam repleuit, ſicut repleuerat Animam Adami, quam ſic perfectam adduxit ad Adam, et hoc ob quattuor rationes, primo quia fœmina erat propter virum, et non vir propter fœminam, vt Apoſt. 1. Cor. 11. ideo non debebat adduci vir ad fœminam, quia adduci vnũ ad alterum eſt eſse vnum propter alterum; ſecundo, quia fęmina formata fuit eo quod non fuit inuentum ſimile Adæ in Animalibus, ſed Animalia ducta ſunt ad Adam, vt videret ſi erat in eis aliquid, quod conueniret ei, ergo et fœmina debebat adduci ad Adam; tertio quia fuit facta in adiutoriũ Viri; adiutorium autem dicitur relatiue ad id, cuius eſt adiutorium, et ad illud pertinet, et non res ad adiutorium, et ideo fœmina ad virum, et non vir ad fœminam; quarto fuit ad oſtendendam traditionem quandam, quia Eua non ſolũ fuit præſentata Adæ, ſed tradita ei, vt eius eſset non quidem Ancilla, ſed eius vxor, et ſocia, ſicut dixit Adam infra Cap. 3; Mulier quam dediſti mihi ſociam etc. Iſta autem traditio non poterat fieri ſine præſentatione quadã; Ideo adducta fuit mulier ad Adam, nam fuit ibi quaſi deſpenſatio quædam; Adam viſa muliere Eua, et cognita eius formatione impoſuit illi nomen dicẽs, hęc vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt. Circa quæ Verba obſeruandum eſt: conſonantiam, et conuenientiam huius denominationis mulieris ex viro, cum reipſa, quæ geſta eſt; quia mulier de viro ſumpta eſt. Verum hoc ſolum in lingua hebræa manifeſte apparet, in qua lingua Vir dicitur. Is, mulier vero vnius ſolum adiectione litteræ appellatur Iſsa vt ſicut mulier ſumpta eſt ex viro, ita nomen mulieris ex viri nomine ductum eſt; veluti ſi latine mulier diceretur Vira, quod ex viro ſumptum ſit.

7 Adam hoc nomine appellauit Euã ad oſtendendum, quod homo præſidebat illi non tanquam ſeruæ, et Ancillæ, ſed tanquam ei, quæ per virum gubernari deberet, atque adeo vir tanquam mulieris caput debuit ei nomen imponere, et ad oſtendendum ſe ſcire, vnde illa erat. Ideo etiam dixit; hoc nunc os ex oſſibus meis etc. Eſt tamen obſeruãdum, quod hæc locutio eſt impropria, Virago latine non ſignificat mulierem de viro ſumptam et deriuatam, ſed magis mulierem prudentem, fortem, magnanimam, virilique animo, et virtute præditam. Hoc igitur nomen Virago prout ab Adamo impoſitum eſt nomen proprium; in quantum vero eſt proprie latinum modo explicato eſt nomen cõmune, ideo ad tollendam omnem ambiguitatem. Idem Adam eidem mulieri impoſuit aliud nomen proprium vocãdo, ſiue appellando eam Eua, quia cuilibet indiuiduo in ſpecie humana damus nomen proprium, vt de quolibet indiuidu o ſciamus diſtincte loqui; erat

Qqqq au-

Digitized by Google

autem Eua indiuiduum ſecundum in ſpecie humana, ideo nomen habere debuit, & tamen nundum habebat, ideo debuit ei imponi, & licet haberet iam nomen ſcilicet virago, hoc tamen ex ſe non erat proprium illius mulieris in lingua ſcilicet latina, ſed erat nomen ſexus ſignificans fœminam, vt dictum eſt; Ideo vltra hoc debuit habere nomẽ proprium, tum etiam quia, & ſi haberet prima mulier hoc nomen virago, vt proprium, non fuit inconueniens, vt haberet aliud etiam proprium, cum ambo acciperentur à duabus rationibus diuerſis.

8 Sed notandum eſt, quod iſta tria nomina ſcilicet fœmina, mulier, & virago in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt; conueniunt in hoc, quod omnia ſignificant ſexum fœmineum, differunt vero, quia fœmina eſt nomen commune, quia ſignificat ſexum in omnibus Animalibus, in quibus eſt diſtinctio maſculi, & fœminæ; licet abſolute melius dicatur de ſexu in humana ſpecie, quam in alijs, Mulier eſt nomen ſexus in ſola humana ſpecie, in qua fœmina vocatur mulier, in alijs autem ſpeciebus vocatur fœmina, ſed non mulier; Virago autem ſignificat ſexum, & in ſola ſpecie humana; ſed ſub ratione magis ſpeciali, quam mulier, quia virago non poteſt dici, niſi quæ de viro ſumpta eſt. Erat autem vterque nudus Adam ſcilicet, & vxor eius, & non erubeſcebant Gen. 2. in fine, quibus verbis duplex illius ſtatus excellentia indicatur, altera continet inæſtimabilem ſimplicitatem Animi atque Innocentiam, propter quam nullus homini ex nuditate ſui corporis pudor accidebat, nulla erat vllius membri obſcęnitas, quia nullus in eis erat obſcænus motus, nulla erat lex in membris repugnans legi mẽtis, nihil in corpore auerſandum, vel pudendum ſentiebatur; Altera excellentia pertinebat ad impaſſibilitatem, & immortalitatem corporis, cum enim nudum eſſet corpus nullis tamen extrinſecis in comodis & moleſtijs pulſabatur, ne dum lædebatur; Pro vtraque excellentia elucidanda infra ſequentia in toto hoc articulo notanda ſunt; Nudus duobus modis dicitur, vno modo quia nullas habet veſtes, ſic homo dicitur naſci nudus, quia tunc nullũ operimentum habet, natura enim veſtes non dat, ſed ſubſtantiam, ſecundo modo, quia non habet ſufficientes veſtes ad tegendum corpus, ſic dicitur Iſaiæ cum videris nudum operi eum, & alibi ſæpe.

9 Adam, & Eua erant nudi primo modo, quia nulla omnino veſtimenta habebant, neque tegumentorum partes, quia Deus eis ſola naturalia dederat; Veſtimenta autem vltra naturam ſunt; Item nuditas dupliciter accipitur vno modo, vt dicit puram negationem, ſic vocatur nudus omnis, qui veſtes non habet, & hoc eſt large dictum, quia ſic etiam lapides vocabimus nudos, & arbores, quia nullas veſtes habent; ſicque Adam, & Eua ante peccatum erant nudi, quia nullas veſtes habebant; alio modo vt dicit priuationem, & tunc dicitur nuditas carentia veſtis, ſcilicet non habere veſtes, & indigere eis, atque ita proprie dicuntur homines nudi, quia veſtes non habent, & omnes homines indigent veſtibus, ſicque, nec lapides, nec arbores, nec Adã, & Eua dicuntur nudi, quia licet non habeant veſtes non tamen indigebant veſtibus; Poſt peccatum neceſſe fuit homines habere veſtes; primo ad tegendum, & tuendum corpus aduerſus Cœli, & aeris iniurias; ſecundo honeſtatis, & verecundię cauſa ad velandum ſcilicet obſcęnitatem quandam membrorum, tertio ad vitium aliquod, & deformitatem corporis occultandum,

quar-

quarto ad ornatum, & pulchritudinem quin etiam (maximo abuſu exterminãdo à ſpecie humana) ad laſciuiam, & libidinem prouocandam; quinta ad diſcernendos varios dignitatis, & poteſtatis hominum gradus; Hæc autem in ſtatu innocentiæ locum non habuiſſent, atque ideo nullus fuit tunc vſus veſtium.

10 Quibus tamen non obſtantibus fuit quædam Hæreſis docens poſt peccatum de nulla re, quæ nobis eſt à natura donata erubeſcendum eſſe; Huius hæreſis Auctores fuere Turelupini, qui ob hanc ſententiam more Cynicorum philoſophorum omnia verenda publicitus nudata geſtabant, & in publico velut iumenta coibant; eiuſdem farinæ fuerant Adamiani, ſiue Adamitæ, qui nude ambulabant,& nudi omnia faciebant dicentes ſuam congregationem eſſe Paradiſum. A Caſtro v. nuditas, Et certe hanc hæreſim natura ipſa redarguit, à qua inſitam habemus quarumdam rerum verecundiam; Quapropter partes illæ poſteriores, & anteriores inferiores corporis humani, per quas mares, & fœminæ in coitu commiſcentur, à verecundia,& pudore ſortitæ ſunt nomen, vt verenda, & pudenda dicantur; Præterea ſicut virtus parit honorem, & inde gloriam, ita vitium parit vituperium, & inde verecundiam; At licet partes illæ inferiores corporis humani ex ſe non magis vitioſæ ſint, quam reliquæ corporis partes; tamen hoc habent, vt teſtimonium referant illius peccati, quod primus homo per inobedientiam commiſit; nam cum Adam poſt habito præcepto (vt infra videbimus) diuino de pomo vetito comedit, reciproca inobedientia punitus eſt, ita vt in ſuo corpore ſuorum membrorum pateretur inobedientiam, quam in membris genitalibus ſtatim expertus eſt; Hæc autem membrorum inobedientia, velut perpetua quædam punctio in memoriam priſtini peccati in nobis omnibus remanſit. Cum enim omnes reliquæ corporis partes ad nutum, & imperium voluntatis noſtræ moueãtur, & quieſcant, ſola membra genitalia nutui voluntatis repugnant, & obedire recuſant; ſi vis leuare manum leuatur illa, ſi vis illam inclinare deorsũ, inclinatur eadem, & ad eundem modũ reliquę omnes corporis partes obediunt voluntati; ſæpe tamen contingit, vt membra genitalia repugnante voluntate erigantur, & eadem aliquando renitente deprimantur, merito igitur pudenda dicuntur, & verenda, quia verecundiam, & pudorem ingerunt; ſic Alphonſus de caſtro contra Hæreſes v. verecundia.

11 Adam igitur ante peccatum, ſiue ſolus ante productionem Euæ,ſiue cum producta fuit, & ei aſſociata, fuit cum ea nudus modo dicto non erubeſcebant, nam multis de cauſis poteſt euenire, vt quis de corporis nuditate non erubeſcat, vel quia non ſit rationis compos, vt pueri, & à mentes, vel quia nimius aliquis timor occupat, & obruit pudorem, vt ſi quis ſentiens ruinam, vel incendium nudus electo profiliat in publicum; vel ob antiquiſſimam regionis conſuetudinem, vt in Braſilia, & alibi nudo ſunt corpore; mos etiam lauandi ſimul in balneis nuditatis pudorem aufert; vel quia corpus amictu gloriæ veſtitum, atque ornatum eſt; Corpora enim beatorum poſt reſurrectionem nuda erunt, ſed quia tunc fulgebunt iuſti, ſicut ſol ea nuditas magno illis decori, & glorię erit; poſtremo in ſtatu Innocentiæ nuditas corporis minime pudenda fuiſſet. Vnde inquit D. Auguſtinus lib. 17. de Gen. ad litteram Cap. 1. nudi erant primi homines; & non confundebantur, nullus erat motus in corpore cui verecundia debere-

tur, nihil putabant velandum, quia nihil ſenſerant refrenandum; quid enim puderet eos, quando nullam legem ſenſerant in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, atque adeo non eſt petenda cauſa, quare non erubeſcerent, immo eſſet petenda ſi erubeſcerent, cũ hoc potius eſſet contra rationem, nam erubeſcere eſt paſſio, & non ſine magna pœna, vt in Adam, & Eua non debuit eſſe pœna ante peccatnm; Dices quare igitur ſcriptura expreſſit, quod erant Adam, & Eua nudi, & non erubeſcebant? Reſpondetur ſcripturam hoc expreſſiſſe, vt innuatur, quæ mala pro peccato acciderint, nam inter cetera contigit erubeſcere, quod eſt pœna grauis, & accidit indigentia veſtium, in quo eſt magna miſeria, quia bona pars miſeriæ occupationis noſtrę eſt veſtes quærere, ante peccatum vero non fuiſſet hæc occupatio quærendarum veſtium.

12 Corpus Adę in ſtatu Innocentiæ erat paſſibile, quatenus paſſio importat receptionem tantum, ſecundum quod ſentire intelligere, & recipere pati dicitur, quod importat perfectionem docente Philoſopho 7. Phyſicorum, quod nõ ſit paſſio illa receptio, quæ eſt diſpoſitio perfecti ad optimum; ſic autem non tantum corpus Adæ erat paſſibile receptiuum, & perfectibile, ſed etiam Angeli ſunt perfectibiles, ſuperiores recipiendo influentias illuminationum à Deo, & inferiores recipiẽdo eaſdem ab Angelis ſuperioribus, Non erat tamen paſſibile, prout importat leſionem, & nocumentum, quæ dicitur paſſio corruptiua, quia in ſtatu innocentiæ non fuiſſet extrinſecum corrumpens, à quo cauſatur paſſio proprie dicta; Corpus Adæ in ſtatu innocentiæ erat impaſſibile, prout impaſſibile importat priuationem neceſſitatis ad patiendum, quia tunc erat in integritate naturæ conditę, ac proinde non erat in eo natura diſpoſita, vel diſpoſſibilis ſcilicet aliqua infirmitate inclinante ad patiendum, ſicut poſtea facta eſt infirmior per peccatum; Corpus Adæ in ſtatu innocentiæ non erat impaſsibile, prout impaſsibile dicit priuationem potentię materialis ſolum, vel potentiæ, quæ eſt paſsibilis, vt illa, quæ habet aliquam inclinationem, ſeu appetitum ad actum; probatur quia cũ natura illa eſset aliquo modo infirmabilis, & vere cõſtaret ex materia, & forma corruptibilia ſequta fuiſſet, quod per lapſum in peccatum fuit etiam de propinquo paſſibilis paſſione proprie dicta, eo quod erat ſuſceptibilis infirmitatis corruptiuæ corporis, & totius cõpoſiti, vt malo ſuo, & poſterorum eius exitus comprobauit.

13 Cauſam mortis Philoſophi attribuerunt neceſsitati materiæ, nam ſi ipſi interrogentur, quare Animal corrumpitur; reſpondent, quia eſt compoſitum ex contrarijs; Medici reſpondent, quia fit continua deperditio in corporibus Animalium; nam vita conſiſtit in calido, & humido, & ſemper calidum depaſcit humidum, adeo vt conſumpto humido, extinguatur, & moriatur Animal, quemadmodum ignis in lucerna conſumit humiditatẽ olei, & conſumpto oleo extinguitur Lucerna; Sancti Patres cauſam mortis principaliter ſumũt ex parte Animæ, & ex parte peccati; vt ſi Adam non peccaſset non fuiſset mortuus, iuxta illud Gen. 2. in quacumque die comederis ex eo, morte morieris; ſed obijcies, quod illo eodem die Adamus nõ fuit corporaliter mortuus; Reſpondetur, quod ad comminationis intelligentiam ſufficit, quod illo die addictus ſit neceſsitati moriendi corporaliter, & temporaliter, & vltra hoc, quod illo tunc inceperit mori; Ab illo enim die inceperunt computari dies mortis temporalis, & corporalis eius; ſicque

inde

indeſinenter, & neceſsario incepit deficere paulatim vita; qua totaliter deficiente ſuccederet mors; Item Rom. 5. per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, et per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, quo in loco Apoſtolus diſtinctè loquitur de morte corporali, quæ à peccatò Adami fuit originata, & ad omnes homines, qui in Adam peccauerunt, deriuata, & Sapientiæ 3. ſcribitur, quod Deus creauit hominem inexterminabilem, id eſt immortalem, ſed inuidia Diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Ideo conſideratur triplex ſtatus humanæ naturæ, primus naturæ inſtitutæ, ſiue innocentiæ, ſecundus ſtatus naturæ lapſæ, tertius eſt ſtatus naturæ glorificatæ; in primo ſtatu homo poterat non mori, in ſecundo ſtatu poteſt mori, & de facto moritur, in tertio poterit non mori, & non poterit mori.

14 Si quæratur ratio quare Adam nõ peccante corpus eius nunquam diſſolutum fuiſſet, nec per cauſam violentam, nec per cauſam naturalem, ſiue intrinſecam, ſiue extrinſecam. Reſpondetur quod hoc prouenifſet ex tribus rationibus, ſiue cauſis, pro cuius reſponſionis notitia eſt aduertendum, quod inter alias vna erat cauſa potiſsima indiſſolutionis, ſiue immortalitatis corporis Adæ proportio mixtorum in conueniẽti æqualitate virtutum elementarium, & harmonia, quæ potius eſſet cauſa pacis, quam pugnæ, iuxta quod exigebat optima complexio, & perfectiſsima vnitas, qualis erat ipſius Adæ; huiuſmodi autem mixtio, & harmonia defectibilis erat, niſi conſeruaretur, & hoc in triplici cauſa, iuxta placita Ariſt. prima propter humidi conſumptionem, quæ remouebatur per eſum fructuum, nam duplex eſt conſumptio humidi ſcilicet radicalis, & nutrimentalis, conſumptio humidi radicalis impediebatur per eſũ ligni vitæ, quod ideo dicebatur lignum vitæ, quia per illud conſeruabatur tale humidum, in quo radicatur vita, conſumptio vero humidi nutrimentalis impediebatur per eſum fructum aliorum lignorum, ſecunda cauſa propter mixtorum pugnam, quæ tollebatur tribus concurrentibus, ſcilic. æqualitate mixtionis in optima proportione, & virtute conciliante contraria, & ad quandam amicitiam reducente contraria, & virtute amicitiam continente, quæ in tali ſtatu inerat per donum gratiæ gratis datæ, tertia cauſa contra mixtorum inclinationem, quæ tollebatur per nobilitatem formæ ſecundum ſtatum innocentiæ, nam Anima rationalis omnino à peccato pura erat, & ideo tam nobilis erat, vt terminaret inclinationem, & naturalem appetitum mixtorum, ſeu miſcibilium, vt nihil aliud appeterent ſub alia forma; Verum reparatio cum iam prædictis, & alijs confortatiuis, & conſeruatiuis non poterat eſſe tanta, quin paulatim ſucceſsiuè claudicaret; Doctor ſubtilis docet, quod antequam corpus hominis fuiſset alteratum alteratione improportionatã trãslatus fuiſſet ad celeſtem gloriam, in qua nec peccare, nec mori potuiſſet, ſic Scotus in 2. diſt. 19. cum D. Auguſtino 12. de Ciu. Cap. 21. contra Pelagium Monacum naſcẽtem, quod Adam foret mortuus, etiam ſi non peccaſſet, et quod mortuus eſſet non ex culpæ de merito, ſed ex conditione naturæ. A Caſtro V. Adam, & Eua Hæreſi 4.

15 Adam in ſtatu innocentiæ debebat comedere loco, & tempore ſuo, tum quia ſibi expreſſe præceptum erat, vt comederet de lignis Paradiſi alijs a ligno ſcientiæ boni, & mali, tum quia ſi Dominus non præcepiſſet, natura bene inſtituta dictaret comedere cibum ne periret fame, quia humidum nutrimentale aliter non poſſet naturaliter conſeruari

nari

Digitized by Google

uari igitur tenebatur comedere, & adimplere præceptum; Præſupponitur hic, quod primò homini fuit datum quadruplex præceptum, primum ad ſuſtentationem corporis ſui de comedo ex omni ligno Paradiſi, cum Dominus illi dixit ex omni ligno Paradiſi comede, nullam mentionem faciendo de carnibus; ſecundum ad multiplicationem ſpeciei per Legem matrimonij, cum dixit creſcite, & multiplicamini, & replete terram; tertium ad probationem obedientiæ de ligno vetito cum dixit; De ligno autem ſcientiæ boni, & mali, ne comedas; quartum ex naturali lege inditum Animæ, vt ſcilicet Deum ſuper omnia, & proximum ſicut ſe ipſum diligeret. Adam enim in illo ſtatu habuiſſet non ſolum generales impetus, & inſtinctus, ſecundum quos Deus mouet totam naturam ad ſui conſeruationem, ſed etiam ſpeciales, ſecundũ quos ſpecialiter mouiſſet eum, & poſteros, & feciſſet in eis impetum ad bonum, & ad ea, quæ ab eis eſſent agenda; Itaque Adam in illo ſtatu præter impetus generales habuiſſet impetus ſpeciales, & ideo ex inſtinctu diuino, & ex ratione, quam habebat, omnia adimpleſſet, quæ maxime ad ſui conſeruationẽ conferre nouiſſet, ſicque præueniſſet totalem deperditionem humidi radicalis.

16 Adam indiguit eſu; an vero indiguerit ſomno, aliqui affirmant dicentes cum Philoſopho lib. de ſomno, & vigilia neceſſe eſſe omne, quod vigilat contingere dormire; alij negant dicentes ſomnum conuenire, ſeu connumerari inter pęnalitates inflictas humano generi propter peccatum primorum parentum. Ita Iſidorus in libro de ordine Creaturarum, & D. Gregorius lib. 8. Moralium, & alij, cauſæ autem ſomni pœnales ſunt; prima eſt oppreſſio ſenſuum teſte philoſopho de ſomno, & vigilia; ſecunda eſt opilatio viarum virtutis ſenſibilis à corde procedentis teſte Auicenna; tertia eſt priuatio organorum naturalis caloris, vt docet Galenus; ſomnus eſt reuocatio caloris exterioris ad interiora; quarta eſt labor vnde Philoſophus de ſomno, & vigilia ait, amplius ex laboribus quibuſdam (ſupple eſt ſomnus) quinta eſt ęgritudo lethargica ſpecialiter; ſexta eſt ætas puerilis, pueri enim ſecundum philoſophum lib. cit. dormiunt vehementer eo quod nutrimentum fertur ſurſum; Pro reſolutione dubij, & conciliatione opinionum notandum, quod ſomnus aliquando poteſt accidere ex cauſa naturali, ſicut ex vaporatione alimenti, vel ex humiditate cerebri; aliquando ex cauſa innaturali, ſicut ex labore, aut ægritudine; hoc ſuppoſito dicendum eſt primò, quod ſomnus accidiſſet in Adam pro illo ſtatu ex cauſa naturali, quia ex quo vitam animalem habebat ea, quæ vitam conſequuntur, ſibi non deeſſent; non accidiſſet autem ex cauſa innaturali, quæ cum ſit pœnalis, non eſt admittenda in Adam in ſtatu ante peccatum; Tandem quies illa, quam habuiſſet Adã in illo ſtatu potius dicenda eſſet ſopor, quam propriè ſomnus, nam ſomnus, & ſopor in hoc differunt, quia ſomnus eſt quies animalium virtutum cum intenſione naturalium; ſopor vero eſt quies Animalium virtutum cum intenſione intellectualium; Vnde quies ſoporis non priuat Animam iocunditate aliqua, quam habebat ex conuerſione, ſiue elatione mentis in Deum; ſicut facit ſomnus.

17 Immortalitas Adæ eſt magis ſupernaturalis, quam naturalis quatenus eam non habuit viribus ſuæ naturæ pro cuius intelligentia notandum eſt, quod eſſe à natura poteſt eſſe duobus modis, vno modo, quod eſt a principio ſuæ natiuitatis, alio modo, quod ineſt per ſua naturalia, hoc modo immor-

mortalitas eſt homini, vel fuiſſet ſupernaturalis; ſed primo modo fuiſſet illi naturalis; ad quam immortalitatem tria ſimul concurrebant, primum virtuoſitas naturæ ipſius Adæ tanquam diſpoſitio remota; Vnde dicit D. Auguſtinus de Ciuit. Dei, quod in Carne eius ſumma ſanitas erat; ſecundum quod concurrebat ad immortalitatem Adæ fuit efficacia ligni vitæ tanquam diſpoſitio magis propinqua. Vnde D. Auguſtinus lib. 14. de Ciuit. Dei dicit, quod cibus adhæſit homini, ne eſuriret, potus ne ſitiret, lignum vitæ ne illum ſenectus diſſolueret; tertium quod concurrebat ad eandem immortalitatem fuit beneficium ſupernaturale, quod fuit triplex, primum fuit originalis iuſtitia, per cuius adiutorium virtus naturalis ipſius Adæ poterat de ligno vitæ reſtaurare illud, quod in Adam conſumptum fuiſſet de radicali humido, & calorem naturalem in virtute ſua conſeruare, vel debilitatem reſtaurare, & elementa in corpore continere, ſicq; poterat corpus ab omni naturali corruptione præſeruare; ſecundum beneficium conditoris erat diuina prouidentia, qua Deus immediate per ſe ipſum, vel miniſterium Angelicum ipſum conſeruaſſet ab omni re violenta; tertium beneficium fuit virtus ſupernaturalis collata ligno vitæ, vt teſtatur D. Aug. 8. ſuper Geneſim dicens illam arborem talem cibum tanquam corporalem præſtitiſſe, quo corpus hominis ſanitate ſtabili formaretur, non ſicut ex alio cibo, ſed non nulla inſpiratione ſalubritatis occulta; ſicque patet immortalitatem, qua Adam poterat non mori magis fuiſſe ſupernaturalem, quam naturalem; ſolet proponi hoc dubium ſic an talis immortalitas ſit à natura, vel à gratia reſoluitur cum diſtinctione gratiæ.

18 Gratia dicitur tribus modis, vno modo communiter, prout comprehenditur quicquid eſt naturalibus ſuperadditum, naturalibus inquam, quæ ſunt de eſſentiali rei conſtitutione, ſicut dicitur ex gratia habere bonum ingenium &c. Alio modo dicitur, quod additum eſt bono arbitrio ad rectitudinē faciens, & diſponens, ſicut dicimus virtutes naturales innocentia mititas pietas &c. tertio modo, quod eſt ſuperadditum tanquam recti faciens, & cōplens, & hæc dicitur gratia gratum faciens; Immortalitas dicitur à gratia primo, & ſecundo modo, tertio modo non ſed à natura. Immortalitas innocentiæ, & immortalitas gloriæ multifariam differunt, primo quantum ad modum, quia Adam poterat non mori, ſed immortalitas reſurgentium, quia nō poterunt mori, ſecundo quantum ad cauſam; nam immortalis innocentiæ prouenicbat ex originali iuſtitia, Cauſa vero immortalitatis reſurgētium erit gratia conſumata, ſiue gloria, per quam redundabit in corpus immortalitas; quę conſiſtit non tantum in poſſe non mori, ſed etiam in non poſſe mori. Vnde D. Auguſtinus in Epiſt. ad Dioſcorum, tam potentem inquit fecit Deus Animam, vt ex eius pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum ſanctis promittitur, redundet in inferiorem naturam, quæ eſt corpus, nō Beatitudo quæ fruētis, & intelligentis eſt propria, ſed plęnitudo ſanctitatis ideſt incorruptionis vigor; tertio quoad eſum, quia loco corporalis eſus ligni corporalis, erit in gloria eius ſpiritualis ligni vitæ de quo dicitur Apoc. 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.

19 Quarto quantum ad eſſe imperfectum, & perfectum, nam immortalitas innocentiæ erat imperfecta, quia erat poſſe non mori, cum qua ſtabat etiā poſſe mori, propter quod illa immortalitas habebat aliquo modo mortalitatem

ēm ad mixtam, quia licet eſſet immortalitas ex eo, quod Adam poterat non mori, nihilominus poterat etiam dici mortalitas ex eo, quod poterat mori; Immortalitas autem reſurgentium erat perfecta propter ſeparationem ab omni mortalitate, quoniam reſurgentes ita poterunt non mori, quod nullatenus poterunt mori, quinto differunt, quia mortalitas Innocētiæ eſt ſicut potentia diſpoſita; immortalitas autem patriæ ſicut potentia, quæ eſt neceſſitas; nam in ſtatu innocentiæ poterat mori homo, & non mori, in ſtatu autem gloriæ neceſſe habebit non mori; ſexta quantum ad locum, quia illa immortalitas Adæ fuit in Paradiſo corporali, immortalitas vero reſurgentium erit in Paradiſo ſpirituali.

20 Potentia non moriendi prius indeterminata facta eſt determinata per additam neceſſitatem, vt vult D. Bonauentura, cum ait immortalitas gloriæ ſuper addit vltra immortalitatem innocentiæ, ſicut dipoſitio, quæ eſt neceſſitas ſupra diſpoſitionem, quæ eſt congruitas; Immortalitatis, & mortalitatis in Adam potentia eſt vna, & eadem; quia eadem eſt potentia vitæ perpetuæ, vel non perpetuæ; potentia diſpoſita, & quæ eſt effecta neceſſitas non eſt vna, & eadem immortalitatis, & mortalitatis, quia immortalitas dicit potentiam viuendi cum virtute in perpetuum continuandi vitam, ſed mortalitas dicit potentiam viuendi cum priuatione illius, ergo non vna,& eadem eſt potentia immortalitatis, & mortalitatis. Potentia immortalitatis,& mortalitatis quodam modo eſt eadem; quia potentia viuendi eſt potentia mortalitatis;& eſt potentia immortalitatis, ergo eſt quodamodo eadem;licet ſit diuerſa propter additionem iam dictam.

De Inſtitutione Coniugij Adæ, & Euæ, & propagatione filiorum. Art. II.

1 IN præterito articulo actum eſt de conſeruatione indiuidui in ſtatu Innocentiæ primorum parentum,in hoc agendum de conſeruatione ſpeciei per propagationem filiorum, ſi in illo ſtatu permanſiſſent, & primo ſe offerunt ponderanda illa verba. Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem ſuam, & adherebit vxori ſuæ Gen. 2. Matth. 19. & Marci 10. quæ Verba dupliciter explicari poſſunt; primo, vt illud quamobrem referatur ad coniunctionem mulieris cum viro ſcilicet,quia mulier eſt os de oſſibus viri, & caro de carne eius; vel quia de latere viri ſumpta eſt propter hanc tantam mulieris cum viro naturæ coniunctionem derelinquet homo Patrem, & Matrem, & adherebit vxori ſuæ, ideſt derelinquet ſæpe homo Patrem, & Matrem propter vxorem, & adherebit vxori ſuæ, ideſt magis debet ſociari cum vxore ſua quam cum parentibus;Ceterum ſecundum hanc interpretationem verba hæc ad ſolum primum hominem pertinerent, in quo ſcilicet tantummodo mulier ex viro ſumpta eſt; ſecundò poteſt illud quamobrem referri ad mulierem, ita vt quaſi demonſtrando vxorem dicat, propter hanc mulierem relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem, & hoc fit quotidie à viris, qui relinquunt habitare corporaliter, vel etiam ſpiritualiter cum parētibus propter vxores,quia maior eſt zelus in vxorem, quam amor filiorum in parentes; Quod autem neceſſitudo parentum ſit poſt habenda propter coniugalem neceſſitudinem. Rupertus Abbas lib. 3. de Trin. & operibus eius Cap. 38. argumento, quod vt

quis Deo ſeruiat, & votis ſe monaſticis aſtringat poteſt non modo licite, ſed etiam laudabiliter parentes, vel inuitos relinquere, at vxorem conſentire ei nolentem nullo modo poteſt deſerere; ſic autem ſcribit Rupertus; Hoc pro lege habetur, vt Patrem, & matrem relinquere liceat poſcente cauſa idonea; vxorem autem nemini, niſi volentem relinquere, nec humana concedit Lex, nec diuina, niſi pro ſola fornicationis cauſa; Et erunt duo in carne vna; quattuor de cauſis coniuges poſſunt intelligi vna caro. Primo quidẽ propter quod inuicem coniunguntur ad agendum vnam vitam communem externam carnalem, ſeu corporalem, cum inter illos ſit omnium rerum communitas, ſecundo propter copulam carnalem, propter quam ſolum dixit D. Paulus 1. Cor. 6. qui adheret meretrici vnum corpus efficitur cum ea, tertio quia propter vnius carnis, ideſt prolis generationem, vna enim caro, ideſt vna carnalis proles ab vtriſque efficitur à femina ſcilicet, & viro materialiter, & effectiue ſecundum Doctorem ſubtilem in 3. diſt. 49. quartò propter vnam communem, & mutuam vtriuſque coniugis poteſtatem corporis, caro enim mulieris eſt etiam viri, & caro viri eſt etiam mulieris; Mulier enim, vt dicit D. Paulus 1. Cor. 7. ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.

5 Benedixitque illis Deus, & ait creſcite, & multiplicamini, & replete terram ſignificat largitionem copiæ, & affluentiæ bonorum, quibus Deus hominem afficit; hoc autem loco indicat maximam fœcunditatem, quæ data eſt homini, qua videlicet citius, & numeroſius genus humanum propagari poſſet, quod in exordio mundi cum vnus tantum vir, & vna fœmina ſint creati; neceſſarium fuit, atque ob eandem neceſſitatem poſt diluuium (vt patet infra Cap. 9. Iterum Deus homini benedixit, & ſimiliter dixit creſcite, & multiplicamini &c. An vero Deus his verbis dederit homini præceptum ineundi coniugium, & dandi operam liberis ſunt qui neganti moti, quod Dominus eadem verba dixerit quinta die creatis piſcibus ſimiliter benedicens creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris, &c. ſed verius eſt eadem verba continere præceptum affirmatiuum, quod non ligat ad ſemper, neque ſecundum omnem condicionem, & circumſtantiam, ſed pro loco tempore, & circumſtantijs alijs debitis, Ita Alexander Alẽſiſp. 2. q. 89. art. 4. ad 3. D. Thom. 22. q. 152. art. 2. ad primum inquit illud præceptum Domini non obligare omnes, & ſingulos homines, ſed tantum ipſam multitudinem; multa enim ſunt multitudini neceſſaria, quibus explendis vnus non ſufficit, ſed opus eſt multitudine, cuius aliquis hoc facit, alius vero aliud. D. Bonau. in 4. diſt. 26. art. 1. qu. 3. ait, quod hoc præceptum fuit affirmatiuum, & fuit iuris naturalis.

4 Sed attendendum, quod ius naturale quædam dictat ſimpliciter, vt Deũ amandum, quædam ſecundum tempus, vt omnia eſſe communia, & hoc creſcite, & multiplicamini, quia quandiu pauci erant, & dictabat ius, quod multiplicanda eſſet proles ad cultum Dei, at ceſſante iſto ſtatu ceſſauit præceptum, & ideo inſtitutio ſecunda tempore legis gratiæ habuit indulgentiam non præceptum eodem modo reſpondet Richardus in 4. d. 26. art. 3. q. 1, 2. & 3. ſimilia fere ſcribit Scotus in 4. diſt. 26. q. 1. v. poſt hæc. Ex dictis ſatis clare patet obſcœnitas, tã antiquorum, quam modernorum Hæreticorum qui vſurpantes verba illa diuina creſcite, & multiplicamini conceſſerunt promiſcuum coitum tanquam licitum, ita ex

Digitized by Google

antiquis Simon Magus, Nicolaitæ, Floriani, VValdenſes, Picarditæ, ſeu Adamitæ, ex recentioribus vero Anabatiſtæ, & alij, quorum Deus venter eſt; Qui omnes ſi conſideraſſent prædicta verba eſſe dicta hominibus coniugatis: tam ante diluuium in principio mundi, quam ſtatim poſt diluuium; non auſi fuiſſent in tantam obſcœnitatem prorumpere; ſicque proprio gladio iugulati manent, nec opus eſt alia confutatione. Videatur Alphonſus à Caſtro contra omnes hæreſes Verbo Coitus Hæreſi prima, vbi doctiſſime aperit tátam turpitudinem.

5 In ſtatu innocentię homines multiplicati fuiſſent per carnalem propagationem, & hoc fide tenendum eſt contra Armenos, qui docent Adam, & Euam, ſi permanſiſſent in iuſtitia, non coituros vnquam, nec humanam ſpeciē per commixtionem propagandam; In quo errore Impius Almaricus Pariſienſis ob plures errores condemnatus in Concilio Lateran. ſub Innocentio III. non ſolum Armenis conſenſit verum etiam ſexuum differentiam nullam fuiſſe futuram affirmauit, à Caſtro contra Hæreſes verbo Adam, & Eua hæreſi tertia Probatur veritas, nam hic dicitur creſcite, & multiplicamini &c. quod niſi per propagationem, & coniunctionem maris, & fœminæ fieri naturaliter non poteſt, & infra Cap. 2. dicitur non eſt bonum hominem eſſe ſolum faciamus ei Adiutorium ſimile ſibi, neque enim ob aliud datum eſt ei adiutorium mulieris in ſexu diuerſo, niſi ad humani generis propagationem, tum etiam colligitur ex illo; erunt duo in carne vna, & per concubitum duntaxat, & carnalem commixtionem naturaliter maſculus, & fœmina fiunt vna caro.

6 Supponitur hic, quod tres ſunt modi generationis, Primus, quando generans, & genitum omnino ſunt diſſimilia in ſpecie, quia generatio, vel productio talis eſt æquiuoca producendi diſſimile, ſicut ſol producit ranam; ſecundus, quando aliquid generat aliud vniuoce, & immediate, vt quando ignis generat ignem; tertius modus quando extat generatio vniuoca mediata tamen, vt per medium, & gradus genitum eſſe habeat, ſicque generatio hominis ex homine de lege communi non eſt ſine commixtione ſeminum, igitur etiam in ſtatu innocentiæ ſexuum commixtio fuiſſet, & quidem per carnalem copulam, nam manente eadem natura in ſpecie manet conſimilis actus; ſed natura humana eſt eiuſdem ſpeciei in ſtatu iſto, & in illo, ſed in hoc ſtatu fit generatio filiorum per copulam carnalem, ergo & in illo ſimiliter fuiſſet per copulam carnalem; De facto tamen primi parentes in Paradiſo ante peccatum non coierunt; ita Magiſter in 2. d. 20. tum quia formata muliere mox tranſgreſſio facta eſt, & ambo eiecti ſunt de Paradiſo, tum quia Deus nundum iuſſerat, vt coirent, & poterat expectari diuina auctoritas, tum etiam quia concupiſcentia tunc non vigebat, non enim erat ante peccatum aliqua pronitas concupiſcentiæ. Vnde facile erat continere, ſed nunc propter difficultatem continentiæ, & pronitatem concupiſcentiæ maioris virtutis eſt virginitatem ſeruare.

7 In ſtatu innocentiæ vir, & mulier per deciſionem ſeminum generaſſent, probatur primo, nemo producit aliquid de ſubſtantia ſua, niſi det ei partem ſubſtantiæ ſuæ, cum dare totam ſit ſolius Dei, ſed partem ſubſtantiæ non dat niſi decidendo à ſe ergo &c. Secundò filius à Patre, & Matre generatur non tantum effectiue, ſed etiam materialiter, ſed quandocumque aliqua duo ſunt materia vnius neceſſe eſt ea ad inuicem vniri, & commiſceri ſecundum ſe tota in

ali-

Digitized by Google

aliquid ſui, illud autem, in quo vniuntur non ſolum habet rationem materialis, ſed etiam efficientis, & tale in propoſito vocatur ſemen; Tertio vir ex ſuo coitu mulierem fœcundaret, ſed hoc non eſſet niſi aliquid impartiretur mulieri, ſed non impartiretur neceſſarium, quia natura illud reſeruat, ergo impartiretur alimenti ſuperfluum, & hoc eſt ſemen, ergo in commixtionem ſexuum fuiſſet ſeminum deciſio; quarto vir, & mulier à primaria conditione habuerunt vaſa ſuſceptibilia, & Idonea ad humoris ſeminarij generationem deciſionem, & commixtionem, & illa ſunt, quæ ſunt organa virtutis generatiuæ, ergo in generatione prolis naturali eſt ſemen decidere, ergo ſi homo tunc generaſſet ſecundum quod competebat naturę in ſtatu innocentiæ fuiſſet commixtio, & deciſio ſeminum.

8 Dices, ſemen eſt ſuperfluum alimenti, vbicumque autem eſt ſuperfluitas, ibi eſt vitioſitas, ſed in natura inſtituta non erat vitioſitas, ergo nec humor ſeminarius; Reſpõdetur, quod duplex eſt ſuperfluitas, ſcilicet reſiduitatis & impuritatis, ſuperfluitas reſiduitatis eſt in ſemine, & hoc modo ſuperfluũ eſt neceſſarium conſeruationi ſpeciei, ſuperfluum tamen indiuiduo; neceſſariũ, quia eſt principium quodammodo generationis, ſuperfluum quia non neceſſarium ad nutriendum; Hæc autem ſuperfluitas non ſonat vitium, ſed eſt inditium completionis naturę, ſicque non repugnat ſtatui innocentiæ; ſuperfluitas impuritatis eſt in illis, quæ per organum ægeſtionis, & alia, quæ deſeruiunt purgationi naturæ, & emittuntur, ſic vrina, ſtercus, ſudor &c. & hæc non fuiſſet in primis parentibus in ſtatu innocentiæ, quia ſonat vitium, & defectum naturæ; Verum aduertendum eſt, quod hæc ſuperfluitas impuritatis quędam enim prouenit ex debilitate virtutis contentiuæ, & conuerſiuæ ſicut ſudor, & hæc eſt vitioſa; Quædam vero, quæ procedit ex nutrimenti qualitate, & puritate, qualis eſt illa egeſtionis, & vrinæ, quæ fit per ſeparationem puri ab impuro, & hæc non eſt vitioſa, & diſconueniens ſtatui Innocentiæ, nec illi repugnans.

9 Potentiæ vegetatiuæ ſunt tres, nempe nutritiua, augmentatiua, & generatiua; generatiua habet tres vires illi deſeruientes ſcilicet ſeminatiuam, immutatiuam, & formatiuam; ſeminatiuæ officium eſt ex alimento ſuperabundanti colligere ſemen, & illud reſeruare in partibus genitalibus; Officium immutatiuæ eſt permiſcere ſemina maſculi, & fœminæ, & contemperare, ſecundum quod expedit formationi cuiuslibet membri in eo, quod generatur, officium formatiuæ eſt ex ſeminibus per mixtis mẽbra omnia in eo, quod generatur, formare, & configurare. Generatiua in homine aliquo modo obediuiſſet rationi, probatur ex D. Auguſtino 9. ſuper Geneſim, & 14. de Ciuit. Genitalia obediuiſſent rationi, vt ſicut modo mouemus ad libitum manus, & alia membra, ſicut placet nobis, ſic in illo ſtatu homo mouiſſet genitalia, & alia membra eodem modo, ſicut ſibi placeret ſecundum dictamen rationis; Nutritiua, & augmentatiua in ſtatu innocentiæ aliquo modo dependebat à ratione, quia ex naturali inſtinctu ſuper addito dictamen rationis homo ita cibis vſus fuiſſet, ſicut ratio dictaſſet, & tanta fuiſſet ibi cibi ſumptio, quanta ſuffeciſſet ad nutrimentum tantum.

10 In hoc ſtatu miſerię poteſt homo dominare nutritiuæ, & generatiuæ, quia poteſt ſe temperare à cibis, & abſtinere à coitu, vel tantum coniuge ordinate carnali copula vtendo; Dices actiones iſtarum potentiarum ſcilicet nutritiuæ, & generatiuæ ſunt naturales, ergo ho-

mo non poteſt ipſis dominari. Reſpondetur, quod quamuis actiones iſtarum potentiarum ſint naturales, ſubſunt tamen dictamini rationi quo admodum earum, & earum exceſſus poteſt à ratione moderari, patet diſcurrendo de nimio eſu, potu & coitu, à quo homo poteſt totaliter continere, & de facto continet; In ſtatu innocentiæ in ſeminum emiſſione fuiſſet delectationis intenſio D. Thom. p. p. q. 98. art. 2. ad tertium Richardus in 2. diſt. 20. art. 1. q. 3. voluerunt, quod fuiſſet tunc delectatio maior, quam nunc, nō tamen immoderata, vt nunc eſt; tanta quidem propter naturalis virtutis perfectionē, & maior quia vis generatiua fuiſſet perfectior, & tactus ſibi conueniētior, & viuacior, & deciſum fuiſſet ſemen perfectius in locis neruoſis, per quæ tranſit conuenientius; Item quia vnaquæque potentia eo magis delectatur, quo facilius ſuū actum exercet, ſicut fuiſſet tunc potentia generatiua.

11 Alexander vero de Ales p. 2. q. 89. & D. Bonau. in 2. d. 20. art. 1. q. 3. dicunt, quod non fuiſſet tunc tanta delectatio quanta modo eſt, quia tunc membra applicata fuiſſent generationi cum parua delectatione, ſicut manus ori nunc applicatur, manus enim, & pedes mouemus dū volumus ad ea, quæ his mēbris agenda ſunt ſine vllo re nutu tanta facilitate, quanta, ſet in nobis experimur, et in alijs videmus; et non credimus ad generationem filiorum, ſi libido non fuiſſet, quæ per excelsum inobedientiæ tributa eſt, obedienter hominibus ad voluntatis nutum ſimiliter, vt cætera, potuiſſe illa membra ſeruire? & eo maxime, quia tunc iuſtitia originali veluti freno quodam cohibebatur, ne toto impetu, & conatu ſe præcipitem in delectabile ſibi obiectum dare; Nunc autem rupto freno velut equus laſciuiens velocius, & impetuoſius currit; fuiſſent enim primi Parentes omnino recti in omnibus ſuis operibus maxime in concubitu, ex qua rectitudine, & iuſtitia nullus pudor, aut verecundia fuiſſet, nec puduiſſet illos concubitus omnibus etiam præſentibus, & cernentibus Principalis cauſa delectationis eſt connaturalis operatio, Delectatio.n. ex 7. & 8. Ethicor. eſt operatio connaturalis non impedita, ideſt delectatio operationem naturalem conſequitur; nā niſi appetitus alicuius in bono quietaretur numquam delectaretur in ipſo; ad quietationem autē in bono per operationem peruenitur, qua ipſum bonum attingitur, quia delectatio eſt quies appetitus in re delectante, qua quiſque per operationem potitur.

12 Itaque hęc tria ſunt delectationis cauſa ſcilicet adeptio boni, cognitio adepti boni, et quietatio in adepto bono, & hæc tria per operationem cauſantur; Ideo operatio connaturalis, et proportionata eſt delectationis cauſa; Intenſio delectationis in comedendo conſurgit ex tribus videlicet ex appetitu naturæ inſtitutæ, ex appetitu naturæ deſtitutæ, et ex appetitu peccati, ex appetitu naturæ inſtitutæ appetitur cibus propter conſeruationem à conſumptione immoderata, ſed ex natura deſtituta appetitur cibus cum quadam anxietate propter reparationem conſumptionis immoderatæ iam factæ, vt patet in appetitu famis; ex vitio autem et peccato appetitur delectatio gulæ; Delectatio in coitu ex tribus intenditur primo in appetitu naturæ inſtitutæ appetentis ſpeciei conſeruationem; ſecundo ex appetitu naturæ deſtitutæ appetentis ſuperflui emiſſionem; tertio ex appetitu vitij appetentis delectationem; prima radix in Paradiſo fuiſſet moderata; ſecunda, et tertia ibi non extitiſſent, fuiſſet tamen naturalis (non curioſitatis) ſenſuum viſus, et auditus

quam

Digitized by Google

quam modo v.gr. oculus Adæ plus delectabatur in aſpectu lucis, et auditus in auditu cantus; ſonori quam aſpectus, et auditus hominis lapſi modo in conſimilibus delectatur ob maiorem perfectionem prædictorum ſenſuum.

13 Delectatio bona, vel mala ex tribus dignoſci poteſt; primo ex parte rationis, nam ſi bonum, in quo quis delectatur, conuenit rationi, eſt delectatio bona, ſi autem diſcordet à ratione, eſt delectatio mala, ſecundo ex parte quietationis erit delectatio bona ſecundum quod appetitus ſuperior aquieſcit in eo, quod conuenit rationi, & tunc erit delectatio mala ſecundum quod appetitus ſuperior, vel inferior quieſcit in eo, quod diſcordat à ratione, & à lege Dei; tertio ex parte operationis; Vnde 10. Ethicorum dicitur, ſicut operationes differunt bonitate, et malitia, ita etiam delectationes conſequentes, et cauſatæ ab operationibus: Delectationes ſunt duplices, quædam ſunt propriæ, quædam ſunt communes, et extraneæ, primæ ſunt, quæ conueniunt homini in quantum eſt homo, quæ conſiſtunt in ſpeculando, diſcurrendo, contemplando, et aliæ ſimiles; ſecundæ vero, quæ conueniunt communiter homini, et animalibus irrationabilibus, quales ſunt delectationes ciborum, et venereorum, delectationes propriæ adiuvant rationem, quia ab ea proueniunt, et ad eam redeunt, et ipſa menſurantur, delectationes vero communes, et extraneæ impediunt, et peruertunt vſum rationis, tum quia ſi ſunt vehementes maxime venereorum, ſunt ex diametro contra ordinem rationis, et conformantur ordini beſtiarum, tum quia excæcant rationem, et intentionem Animi, à ſpiritualibus abſtrahunt, corporalibus alligando, & ita appetitum tranſmutant, & immutant, vt vix aliquid humanitatis in homine relinquant experientia teſte.

14 In ſtatu innocentiæ, mulier in actu carnalis copulę Virginitatem amiſiſset, non tamen propter hoc ab aliqua dignitate cecidiſſet, quia in illo ſtatu Virginitas non fuiſſet prælata coniugio, quamuis modo præferatur. Confirmatur, quia virginem concipere, & parere miraculum eſt, ſed in ſtatu innocentiæ mulier concepiſſet, & peperiſſet naturaliter, ergo operatione carnalis copulæ Virginitatem amiſiſset; Item duo corpora naturaliter non poſſunt eſſe ſimul in eodem loco, ergo nec Maritus intrare in corpus mulieris, nec proles exire de ventre ſine apertione clauſtrorum potuiſset; ſed pro horum intelligentia notandum eſt, quod in ſtatu innocentiæ in actu carnalis copulæ fuiſſent facta in muliere quattuor, primum Clauſtrorum aperitio, ſecundum ſeminis virilis in matricem transfuſio, tertium in ſusceptione illius ſeminis in muliere ſenſibilis delectatio, quartum ſeminis virilis cum ſemine mulieris facta commixtio, ſed non fuiſſet aliqua voluntatis deordinatio, nec in apertione Clauſtrorum fuiſſet pœnalis paſsio, quia ſicut dicit D. Auguſtinus lib. 14. de Ciuitate Dei, ſicut ad pariendum non doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus fœminæ viſcera relaxaret, ſic ad fœtandum, & ad accipiendum non libidinis appetitus, ſed voluntarius naturam vtramq; coniungeret, ita D. Auguſtinus; Delectatio quoque illius copulæ cum integritate mentis conueniret, dicit idem Sanctus.

15 Item Eua, ſeu alia mulier in eodem ſtatu fuiſſet ſine grauitate grauida, grauitate inquam oneris grauante, & pœnam inducente; Item peperiſſet ſine dolore, & fractione, quæ dicit violentiam, non tamen ſine fractione tantum importante ſeparationem, nam potuit membrum illud frangi, à membro naturali ad hoc deputato, ſicque Eua poſt copulam non manſiſſet virgo,

tum

tum quia fracta, tum quia cognita, quorum neutrum fuit in Virgine Matre Dei; ſimiliter ſine dolore fuiſset puerpera, quia exitus pro ſtatu illo aperti fuiſsent ſine dolore, & laceratione per ſolam extenſionem, & laxationem ex eodem D Auguſtino. Pro vberiori dictorum notitia ſciendum eſt, quod in delectatione ſunt tria, primum, eſt fractio, vel apertio membri, vel ſignaculi Virginalis, quod ſecundum D. Thomam 2. 2. q. 152. art. 1. non eſt de neceſſitate Virginitatis integritas membri Virginali, ſed per accidens (inquit ipſe) ſe habet ad eam, ſi violenter frangatur, ita quod quando contra voluntatis propoſitum carnis integritas corrumpitur, nec Virginitas violatur, nec aureola perditur; patet, nam ſi Virgo, vt ſanitatem conſeruandam, vel recuperandam patiatur inciſionem clauſtri pudoris nó perdit Virginitatem. Ideo S. Lucia dicebat Paſcaſio, ſi inuitam me violare feceris, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.

16 Secundo in delectatione carnis eſt emiſſio ſuperflui ſeminis, quæ ſi voluntarie, & ex mentis propoſito qualitercumque eueniat, virginitatem tollit, ſecus ſi violenter, & contra mentis propoſitum, ſiue eueniat vigilando, vel dormiendo, vel ex infirmitate, vel diabolica ſuggeſtione, quãuis caro delectationem experiatur, tertio in delectatione carnis eſt intenſio carnalis libidinis, & talis tollit virginitatem, quę ſecundum D. Thomam eſt propoſitum perpetuum abſtinendi ab omni delectatione venerea; Secundo ſciendum eſt, quod in virginitate eſt aliquod cõpletiuum, & formale videlicet ipſum propoſitum abſtinendi perpetuo a delectatione venerea, & aliquod materiale, quod eſt integritas carnis abſque omni experimento venereæ delectationis, quod eſt valde notandum; Præterea virginitas poſt lapſum duobus modis capitur, vno modo ſtricte, & proprie ſic eſt propoſitum abſtinendi perpetuo à delectatione venerea, & huic debetur aureola, alio modo extenſe, & communiter, & ſic eſt propoſitum abſtinendi ab omni illicito coitu vna cum carnis integritate, ſeu experimento, & ita puellæ incognitæ viris quamvis nubere proponentes, virgines nuncupantur etiam in ſcripturis; Immo quandoque virginitas ſumitur pro inexperientia, & immunitate ſaltem exteriori ab omni concubitu, quamvis mens inuenerea conſenſerit.

17 In ſtatu Innocentiæ vir, & mulier numquam coijſſent niſi cauſa prolis, ita Alexander de Ales 2. p. q. 89. membro 3. D. Bonau. in 2. diſt. 20. art. 1. q. 5. Richardus diſt. 20. q. 2. & ratio eſt quia teſte D. Auguſtino lib. 9. ſuper Geneſim ad litteram Capite 7. Matrimonium tunc ſolum datum fuit in officium, ſed officium Matrimonij fuit in procreanda prole, numquam igitur coijſſent delectationis cauſa; ſi ſic. Vnde ſuum igitur habuiſſent ſolatium? Reſpondetur in multis nam præter interna, & ſpiritualia ſtudia ſapientiæ, & contemplationis diuinæ exercuiſſent etiam agriculturam, ſiue ſeminando, ſiue plantando, & alia huiuſmodi operando, vt experiendo poteſtatem exercitij ſuæ virtutis, ſuum creatorem alacrius, & iocundius laudarent; tamen Adam non eſſercuiſſet terram, & eius agriculturam cauſa indigentiæ, nec cum laboris afflictione, vel pœna, nam afflictio laboris; Indigentia, pœna, & ſimilia non habuiſſent locum in homine pro ſtatu innocentiæ, confirmatur per D. Auguſtinum lib. 8. ſuper Geneſim; poſitus eſt quippe homo in Paradiſo, vt operaretur eundem Paradiſum per agriculturam non laborioſam, ſed delicioſam &c. ob delecta-

Digitized by Google

ctationem, exhilarationem, complacentiam fructuum, & ſolatium.

18 Et ſi obijciatur, quod terra fuit creata bona, ergo non oportebat hominem eam colere arare, ſeminare, plãtare, & alia huiuſmodi operari; Reſpondetur quod licet terra eſſet bona, nec eſſet maledictioni ſubiecta, ſicut eſt poſt peccatum, tamen ſi bene culta fuiſſet, adhuc melior eſſe potuiſſet, ſicque exculta fructus meliores dediſſet, hominique maior delectatio, et voluptatis exhilaratio vberior proueniſſet; Hinc vt dicit Valerius lib. 4. Cap. 3. agricultura antiquitus fuit labor nobilium delectabilis, et plures prædiuites, qui ab aratro arcecebantur vt conſules fierent Romani terram ſterilẽ voluptatis cauſa, et deliciarum verſabant, vir in quolibet actu, quo cognouiſſet vxorem, ſuſcepiſſet ex ea prolem, ita Alexander de Ales D. Bonauentura, et Richardus locis citatis (quia vt dictum eſt) cum matrimonium fuiſſet tunc inſtitutum in officium, quod eſt prolis procreatio, et natura tunc temporis non fruſtraretur ſuo fine, ſequeretur ex quolibet actu prolis procreatio, quã natura in matrimonij officio intendit; Item ordinis cõgruentia exigebat, et perfectio virtutis ad hoc ſufficiebat; exigebat autem hoc exigentia ordinis duplicis ſcilicet virtutis generatiuæ ad rationem, et vtriuſque ad ſuum finem; Vis enim generatiua ordinem habebat ad rationem (ordinem inquam) perfectæ ſubiectionis, atque adeo in actum non exibat, niſi prout ratio dictabat. Ractio autem recta, et ordinata dictat nulla re eſſe vtendum niſi ad id, propter quod eſt; et quia vis generatiua data fuit homini ad prolis generationem, et multiplicationem, et ideo recta ratio nunquam dictaſſet, et vis generatiua nunquam exiſſet in actũ, niſi propter prolis generationem; Igitur nec propter ſolam delectationem capiendam maxime vxore prægnante, quia tunc certus fuiſſet talem coitum non ordinari ad filium generandum aut filiam; ſicque deordinatus fuiſſet, atque adeo peccaſſet.

19 Aderat inſuper virtutis perfectio, quæ ad hoc ſufficiebat; Vis enim generatiua in viro ad generandum erat potens, et ſufficiens, nec habebat impedimentum ſimiliter, et in muliere pro ſuo locu, et tempore; Quare ſi ordinate cognoſceret vir mulierem ſemper ex ea prolem ſuſciperent propter exigentiam duplicis ordinis, et ſufficiẽtiam duplicis virtutis ſcilicet generantis, et concipientis; nec licebat in illo ſtatu primis parentibus continere, quia illis Deus dedit præceptum de prolis generatione Gen. 1. Maſculum, et fœminam creauit eos, benedixitque illis Deus, et ait creſcite, et multiplicamini, et replete terram; in ſtatu innocentiæ oportuit naſci viros ac mulieres; nã ſi viri non fuiſſent geniti; mulieres genitæ multiplicationi ſpeciei ſalua innocentia non vacaſſent ſimiliter ſi mulieres non fuiſſent genitæ maſculi geniti multiplicationi ſpeciei ſalua innocentia non operam dediſsent, idcirco in pari numero multiplicati fuiſsent, quod patet ex hoc, quod vnus vir non habuiſſet niſi vnam vxorem, neque vxor habuiſſet niſi vnum virum; cum inſpiratione Spiritus Sancti dixerit Adam Gen. 2. de viro, & muliere quod erunt duo in carne vna, nulla etiam fuiſſet ſine viro; nec vir ſine muliere, nam omnes multiplicationi ſpeciei operam nauaſſent; quandoquidem primis parentibus dictum eſt non tantum pro ſe, ſed pro tota poſteritate ſi in ſtatu innocentię permanſiſſent, illud Verbum quod ſcriptum eſt Gen. 1. creſcite, & multiplicamini.

20 Ad quod ſequitur quod æqualis fuiſſet multiplicatio virorum, & mulierum, ſic fęminæ genitæ fuiſſent; modus

quo

quo facta fuiſſet iſta æqualitas virorum, & mulier ponitur iſte; Vis generatiua erat perfectè in obedientia voluntatis, & ideo quando voluiſſent parẽtes conceptionem mulieris, tunc imaginarentur ſexum fœmineum, vis enim generatiua conformatur accidentibus, & imaginationibus (cuius rei non deſunt caſus, & exempla) & fortitudine minori agerent in naturam inferiorem corporalem, & tunc decidiſſet ſemen minus calidum, ac forte, & magis aptum fœmineo ſexui, quod natura repoſuiſset in loco matricis magis ad fœminæ generationem, & generaretur ſexus fœmineum. Quando autem voluiſsent generare maſculum ſecundum præſentem imaginationem Virtus generatiua obediens decidiſset ſemen calidius, & virtuoſius aptum ad maſculi generationem, quod natura repoſuiſset in loco matricis apto pro maſculi generatione, qui locus eſt in dextera parte matricis, dicente Auicenna lib. 9. de Animalibus Cap. de Cauſa maſculinitatis; & fœminitatis, quod ventriculus dexter eſt habilior ad faciendum maſculum, quã ſiniſter, quia eſt magis calidus, & ad fęmininum ſiniſter, quia eſt minus calidus. Dices in ſtatu innocentiæ natura non fuiſſet fruſtrata ſua intentione, fœmina autem eſt præter intentionem naturæ cum ſit mas occaſionatus teſte Philoſopho 16. libro de Animalibus, ergo non fuiſſet generata. Reſpondetur quod Philoſophus non vult dicere, quod fœmina ſit præter naturæ intentionem, ſed quod virtus naturæ aliquem defectum habet in productione mulieris reſpectu productionis viri, qui defectus non habuiſſet locum in ſtatu innocentiæ, ita D. Thom. p. p. q. 8. art. 4. ad 3. D. Bonau. in 2. diſt. 20. q. 6.

21 In ſtatu innocentiæ pueri nati fuiſse tunc parui, ſeu paruo corpore propter maternt vteris neceſſitatem, & capacitatem, vt ſic proportionarentur ventri, qui portaſset illos; ſimiliter nati non fuiſsent cum vagitu, quia vagitus ſecundum D. Auguſtinum eſt ſignum plorationis miſeriæ, ad quam naſcimur pro peccatis in pœnam, ſicut & parentibus dolor, & ærumna propter peccatum primorum parentum ſunt inflicta; Item non indiguiſsent balneo, nec inuolutione pannorum, & faſciarum, nec ſedulitate obſtreticum; nec cauere oportuiſſet à frigore, vel labore, vel aere infecto, & ſic de alijs, quæ omnia non habuiſsent locum in ſtatu innocentiæ, vbi non fuiſsent ſtatim in perfectam quantitatem transformati poſt ſuam natiuitatem, nam ab extremo in extremum non tranſitur, niſi per medium, ſed inter purum non eſse, & eſse perfectum medium eſt eſse imperfectum; ſic paruuli tranſeuntes à non eſse ad eſse perfectum in ſtatu innocentiæ mox nati nõ fuiſsent perfecti ſecundum corpus, nec vſum membrorum perfecte habuiſsent, quia ſicut in proceſsu temporis perfectam ſtaturam, ita & perfectum vſum membrorum adepti fuiſsent, & non ſtatim à principio non tamen adeo imperfectum vſum membrorum habuiſsent, ſicut nunc in natura lapſa, vel in ſtatu naturæ lapſæ, quia hoc abſque pœnali incomodo eſse non potuiſset.

22 Dices homo in ſtatu innocentiæ filios eiuſdem dignitatis genuiſset; ſed Adam ſtatim factus habuit perfectum vſum membrorum, & perfectam quantitatem, ergo & nati ex eo ſtatim vtrũque habuiſsent. Reſpondetur Adam habuiſse duplicem dignitatem, vnam, quæ competebat ei ſecũdum quod erat homo innocens, impaſſibilis, & immortalis, & alia huiuſmodi, & hæc ab eo in filios deueniſset; Aliam habebat, in quãtum erat principium totius humanę naturæ; hæc autem incomunicabilis erat, & ad hanc ſpectat, quod ſtatim in principio

cipio ſuæ factionis perfectam habuit quantitatem, & virtutem, & perfectum vſum membrorum, ſic ſunt perfecta omnia, quæ immediate ipſe Deus operatur, eodem modo, & eadem ratione dicendum eſt filios genitos in ſtatu innocentiæ profeciſse in ſcientia; quia propter humiditatem cerebri naturalẽ non habuiſsent immediate phantaſmata depurata, quæ requiruntur ad cognitionem aquiſitam per viam ſenſus. In ſtatu innocentiæ filij fuiſsent nati cum iuſtitia, ſeu gratia ſanctificante, ſeu gratum faciente non quidem transfuſam per originem, quia non poteſt eſse condicio naturalis, vt cum natura transfundatur, ſed ſicuti eſt à Deo, ſemper donum Dei eſt (vt ipſum nomen ſonat) fuiſset tamen omnibus data, non tamen fuiſſent in ea confirmati Scotus in 2. diſtinc. 20. q. 1.

23 Ex cuius doctrina obſeruandum eſt, quod aliquis poteſt dici dupliciter confirmatus, primo perfecta confirmatione, qua quis ita in iuſtitia perſiſtit, vt peccare non poſſit, modo quo creaturę peccare non poſse conuenire poteſt, & hæc confirmatio ſolis Beatis ineſt, nec poteſt conuenire Viatori cuicumque, ergo nec filijs in ſtatu innocentiæ; qui fuiſsent Viatores, ſecundo poteſt dici confirmatus aliquis confirmatione minus perfecta, qua quis ſic in accepta iuſtitia permanet, quod nec peccat, nec vnquam peccabit, ita vt ab ea cadat, licet peccare poſſit; cum prima confirmatione nullnm ſtat peccatum, nec etiã veniale; cum ſecunda vero peccatum veniale eſt compoſſibile; Multi enim ſancti fuerunt in via confirmati in gratia hoc ſecundo modo, qui tamen peccatum veniale habuerunt (excepta glorioſa Virgine Maria) iuxta illud D. Ioannis ſi dixerimus, quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus. Hæc confirmatio non repugnabat ſtatui innocentiæ non tamen fuiſsent ſtatim confirmati filij nati in tali ſtatu, quia filius non recepiſset perfectiorem iuſtitiam, quam Pater, at Pater potuit eam perdere, & perdidit, ergo & filius atque adeo non fuiſset in ea ſtatim confirmatus, nec illa iuſtitia neceſſitabat eos ad bene agendum; Ad hoc igitur, vt filij nati in ſtatu innocentiæ fuiſsent ſecundo modo confirmati in gratia, & originali iuſtitia opus erat, quod primæ tentationi reſtitiſsent, ſicut primus parens in eadem confirmatus fuiſset, ſi primam tentationem viciſset, quia tamen non vicit, ſed miſerabiliter ſuccubuit malo ſuo, & poſterorum peccauit mortaliter, & miſerabilis factus eſt.

24 Omnes electi, qui nunc ſunt, & futuri, naſcituri erant in ſtatu innocentiæ, quia prius non variatur per id, quod poſterius eſt, ſed Deus prius determinauit numerum ſaluandorum, quam præuiderit caſum Adæ, ergo ſiue caderet, ſiue non caderet Adam, non fuiſſent plures electi, quam modo ſunt, ſed omnes electi, qui nunc ſunt nati, tunc fuiſſent, quia omnes prædeſtinati fuiſſent geniti, omnes modo electi ſunt ab æterno prædeſtinati, ergo omnes fuiſſent geniti, maior probatur, quia prædeſtinatio Dei eſt infallibilis, ergo omnis prædeſtinatus cõſequitur ſuam beatitudinem, ſed hanc nullus cõſequitur, niſi prius in eſſe naturali producatur, eſſe enim gloriæ præſuponit eſſe naturæ, minor probatur, quia nullus de nouo prædeſtinatur; ſi obijciatur non eſt identitas numeralis effectus, niſi ſtante identitate agentis, & materiæ ex 8. metaph. Sed non fuiſset identitas agentis, vel generantis electos, quia plures electi ſunt geniti à reprobis, qui tamen non eſsent geniti, nec generati in ſtatu innocentiæ, nec identitas materiæ, nam multi electi geniti ſunt à reprobis parentibus, Patre, & Matre mediantibus

eorum ſeminibus, qui tunc non fuiſſent geniti, ergo nec electi, qui modo ſunt, geniti fuiſſent.

25 Reſpondetur quod non obſtante diuerſitate generantis, ſiue viri, ſiue mulieris, & dato quod reprobi parentes electorum non fuiſſent geniti, tamen ipſi electi idem numero generati fuiſſent; nam videmus, quod vnus ignis numero, qui gignitur ab vno igne, poteſt æque ab alio igne generari; ſic Iſaac genitus ab Abrahamo ſanctiſſimo potuit gigni à Nerone peſſimo viro, quia illud nutrimentum, quod in Abraham eſt in ſemen conuerſum potuit, & in Nerone conuerti, vel fieri, vnde naſceretur Sanctus Iſaac; & fundamentum Scoti ſaluat hanc doctrinam; Dicit enim omnis ordinate volens; primo vult ipſum finem; ſecundo ea, quæ ſunt ad finem, prout magis, & minus ipſi fini approquinquant, Deus autem eſt ordinatiſſime volens, ergo primo vult ſe ipſum, vt finem omnium, ſecundo creaturam, quam in ſe ipſo elegit beatificandum; tertio vult ſibi dare media ad habendam beatitudinem ſcilicet gratiam, & merita, nec aſpicit niſi aſpectu ſecundario, quod ille electus ab iſto homine electo, vel ab illo reprobo generetur, ergo prius electi ad beatitudinem ſunt determinati, quam ad naſci à tali parente, ergo à quocumque naſcantur parente non variatur determinatio ad beatitudinem, quæ eſt prędeſtinatio, ergo prædeſtinati ſunt idem numero non obſtante mutatione ſtatus, aut parentum, à quibus naſcuntur.

26 Hic ſunt duo dubia curioſa decidenda, vnum eſt. An homines in ſtatu innocentiæ fuiſſent cum diuerſitate vultuum; Alterum an voces eſt loquelæ ipſorum fuiſſent diuerſæ, & ratio dubij primi ea eſt, quod diuerſitas vultuum hominum prope infinita, vel ſaltem innumerabilis videtur eſſe pro ſtatu iſto ſignum diuinæ prouidentiæ prouidentis bonum humani generis, & malum illius auertentis, ſine enim tali varietate nec poſset iuſtitia inter homines conſeruari, nec Reipublicæ forma conſiſtere; Finge homines vultu ſimiles, ſicut oues, corui, paſseres, & alia plura eiuſdem naturæ animantia, inter ſe ſunt ſimilia, grauiſſima ſequerētur omnium rerum conturbatio; Neque enim mariti poſſent diſcernere ſuas vxores, neque parentes ſuos liberos; nec creditores ſuos debitores, nec amici ſuos inimicos, nec Magiſtratus maleficos, nec ſubditi ſuos Principes ac proinde omnia plena eſſent adulterijs, inceſtibus, fraudibus, proditionibus, cędibus, omniaque maleficia impune committi poterunt; Qui vis enim poſſet ſe fingere quemlibet, nec vllo indicio facile poſſet deprehendi. Res per ſe eſt manifeſta attentius intuenti; & declarant exempla eorum, qui ſimilitudine vultus confiſi alienos toros, Patrimonia, & Regna inuadere auſi ſunt, interdum felici euentu, interdum irrito conatu ſemper tamen cum ingenti perturbatione, multiſque incomodis, quibus omnibus, & alijs malis caruiſſet ille fœliciſſimus ſtatus innocentiæ, ergo non fuiſſet opus varietate vultuum.

27 Ratio quoque dubitandi in ſecundo dubio videtur eſſe eadem, adeo vt non minus ſono vocis, quam forma vultus homines differant, & inter noſcantur. Cum enim diſtincta notitia ad iuſtitiam, & pacem tuendam, ſit omnino inter homines neceſſaria, non ſolum in vultu, ſed etiam in voce diſcrimen notabile conſtituit prouidentia, vt duplici ſenſu nempe viſu, & auditu tanquam gemino teſte cuilibet de perſona alterius conſtaret; Seorſum horum alterum ſubinde falli contingit, ſed vt vterque fallatur, quando conſentiunt vix fieri poteſt; Sola vultuum diſcretio

tio ſatis non erat, quia ſæpe agitur res in tenebris, ſæpe acies oculorum retuſa, vt ex acte lineamenta faciei non diſcernat; Interdum quoque magna eſt ſimilitudo vultuum, ita vt in ea diſtinguenda oculus decipiatur; Hic ſuccurrit diſcrimen vocis, & ſoni locutionis humanæ, qui ex vultu internoſci non poſsunt, facile cognoſcuntur, & diſcernuntur ex voce; Ecce quanta eſt neceſſitas varietatis vultus, & vocis inter homines pro ſtatu iſto miſerabili, vt quiete, pace, & concordia perfruantur; ſed in ſtatu innocentiæ his non indiguiſsent homines, quos iuſtitia originalis rexiſſet, & cuſtodiſset in pace, & tranquillitate.

28 Reſpondetur ad vtrumque dubium ſimul, quod homines in ſtatu innocentiæ non indiguiſsent varietate vultuum, & vocum, nec eorum notitia ad auertenda mala prædicta, cum non fuiſsent; habuiſsent tamen huiuſmodi varietatem ad decorem, & pulchritudinem, & quodammodo ad complementum ſtatus innocentiæ, pro cuius intelligentia ſummopere notandum eſt inter homines poſse intercedere quadruplicem varietatem, primam ſecundum ſpeciem, ſiue naturam humnam, ſecundam indiuidualem, tertiam ſecũdum gratiam, quartam ſecundum gloriam, ab vnaquaque homines accipere aliquam dignitatem, & pulchritudinẽ, à varietate ſecundum ſpeciem, ſiue naturam non accipiunt ſuam perfectionem inter ſe, cum natura ſit omnibus hominibus communis, & æqualiter conueniens, ſolum recipiunt perfectionem ſecundum naturam propriam ſpecificam, quæ ſuperior eſt omnibus naturis ſpecificis materialibus creatis, quæ perfectio dicitur quiditatiua, & eſsentialis; ſicque quodlibet ens creatum dicitur perfectum ad menſuram perfectionis ſuæ naturæ ſpecificæ. Secundum varietatem indiuidualem, quæ conſiſtit in pluribus circumſtantijs, & condicionibus ſingularibus ſingulariʒantibus naturam humanam homines recipiunt ſpecialem decorem; Iſtæ autem condiciones, ſeu circumſtantiæ aliæ ſunt, quæ intrinſece ſumuntur à perfecta formatione interiori corporis, aliæ ſunt, quæ ſumuntur ab extrinſecam formatione corporis. Certum eſt enim Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum, Adam, & Euam fuiſse homines perfectiſſimos in tota natura humana ſecundum propriam naturam indiuidualem, vtpotè immediate formatos à Deo; Inter circumſtantias exteriores computantur circumſtantiæ vultus, & locutionis. De varietatibus ſecundum gratiam, & gloriam erit ſermo alibi.

De Iuſtitia Originali, & triplici dominio, nempe Dei ſuper hominem; Hominis ſuper ſe ipſum, & hominis ſuper alia Animalia. Art. III.

1 CVm hæc tria dominia fuerint in ſtatu innocentiæ ordinata à Deo tanquam effectus iuſtitiæ originalis, & in ſuo ordine ab ea dependerent; primo de eadem iuſtitia originali agendum eſt, & conſideranda ſequentia primum An auctoritate diuinarum ſcripturarum poſſit euidenter oſtendi hominem fuiſse conditum in iuſtitia originali, ſecundum; Quidnam ſit iuſtitia originalis quiditatiue; tertium; in quo reſideret tanquam in ſubiecto, quarto; Quinam eſſent eius effectus, quinto, an eſſet diuerſa à gratia ſanctificante; an filij Adę eſsẽt naſcituri in ſtatu innocentiæ cum iuſtitia originali; Circa illum

Digitized by Google

ſtatum innocentiæ aliqua prælibanda ſunt, ſex humanæ naturæ ſtatus deſignari poſsunt, quorum alij reuera, aut ſunt, aut fuerunt, aut potuerunt eſse, primus ſtatus eſt ſine gratia, & ſine peccato, quem Scholaſtici appellant ſtatum in puris naturalibus, qui includit meram negationem gratiæ & peccati, & adueniente peccato naturalia huiuſmodi non fuerunt deperdita; nam ſicut in dæmonibus naturalia poſt peccatum remanſerunt integra, ita & in homine; In hoc ſtatu potuiſſet homo operari bonum moraliter, non tamen ſuper naturaliter; Item potuiſset operari malum moraliter; conditus homo in puris naturalibus non fuiſset inimicus Dei, nec filius iræ, nec priuatiue gratiæ Dei indignus, nec gratiæ abſentia ei fuiſset culpa nec mors ſpiritualis; aut defectus alij corporales fuiſsent illi velut culpæ pœna; In hoc ſtatu appetitus rationalis, & ſenſitivus naturali impetu ferrentur ad obiecta ſibi conuenientia, nec ſenſitiuus plene ſubijceretur rationi, & licet in eo ſtatu poſſet homo facere aliquod bonum moraliter, tamen nec omne bonum moraliter facere, nec in bono faciendo diu perſeuerare poſset.

2 Secundus eſt ſtatus hominis per peccatum vitiatus, quem vocant naturæ lapſæ, & ſtatum deſtitutum; includit priuationem gratiæ, & præſentiam peccati, non poteſt agere bonum ſupernaturali dignum vita æterna, ſi adeſt Dei gratia nempe auxilij poteſt agere bonum ſupernaturale dignum de cõgruo, & ſine ipſa bonum morale, non tamen in ipſo faciendo diu perſeuerare; Item homo in iſto ſtatu carens gratia eſt illi culpa, mori & alijs affici eſt pœna, & cum culpa exiſtens eſt Dei inimicus filius iræ, et Dei gratia indignus; In primo ſtatu, ſicut nullum fuiſset meritum diuinæ gratiæ, ita nullum fuiſset demeritum, ſed in ſecundo ſtatu non modo nullum eſt meritum, ſed magnum etiã ineſt demeritum; tertius eſt ſtatus hominis habentis, naturalem integritatem rationis congruentem, qui eſt conſonus rationi, haben que integritatem naturæ, & debitam partium Animæ ordinationem, & appetitus eſset obediens rationi, eique ſubiectus, & ipſa ratio recte ſe haberet ergà Deum, tanquam primũ principium, et vltimum finem naturalem hominis, & licet in eo ſtatu appetitus ſenſitiuus aduerſaretur interdum rationi, & eius mandata trãſgredi conaretur, vi tamen rationis ceu freno quodam repreſsus in officio contineretur, & in hoc ſtatu poſset homo omne bonũ morale proſequi, & omne malũ fugere, & in bene agendo perſeuerare, Iſte tertius ſtatus capax eſset doloris, morbi, & quorumlibet malorum, quæ corpori poſsunt accidere, denique ipſius mortis, item triſtitiæ, timoris, angoris, aliarumque animi perturbationum, & moleſtiarum.

3 Quartus ſtatus eſt hominis iuſtitia originali prædıti, & ornati, qui alias dicitur ſtatus innocentiæ, & ſtatus inſtitutus habens omnes prærogatiuas, & excellẽtias ſuperius dictas, & in hoc articulo recẽſẽdas; quintus ſtatus eſt hominis per gratiã Chriſti à peccato Adæ liberati, et à vitijs ſanati; quem dicunt ſtatum reſtitutum, qui ea ratione prioribus quatuor potior iudicari poteſt, quod faciat hominem gratum, et amicum Deo, et cum fine ſupernaturali eũ facit potentem efficiendi opera virtutum omnium, tam moralium, quam ſupernaturalium, quibus æternam fœlicitatem de condigno promereatur, Sextus eſt ſtatus hominis vſque ad Cœleſtem gloriam, et diuinæ naturæ conſpectum eleuati, et hic ſtatus gloriæ, et beatitudinis appellatur, eſtque omnium valde præſtantiſſimus, continens nempe gratiæ conſumationem, & confirmationẽ,

&

& celeſtis gloriæ omniumq; bonorum poſſeſſionem nullius indigentiam rei, impotentiam peccandi atque moriẽdi, denique clariſſimam Dei viſionem, & ardentiſſimam fruitionem.

4 Quantum ad primum punctum propoſitum an ſcilicet auctoritate diuinarum ſcripturarum poſſit euidenter oſtendi hominem conditum fuiſſe in iuſtitia originali. Reſpondetur, quòd in illo feliciſſimo innocentiæ ſtatu tria erant maxime inſignia, primum fęlicitas hominis, tam ſecundum corpus, quam ſecundum animam; ſecundum perfecta partis interioris ſub Imperium, & poteſtatem ſuperioris ſubiectio; tertiũ immortalitas corporis, ideſt poſſe non mori. Felicitatem corporis ſatis indicauit ſcriptura, cum dicit primos parentes verſatos eſſe in Paradiſo, verſatos eſſe nudos, nudos inquam ab omni dolore, moleſtia, atque incomodo, quod extrinſecus eis poſſit accidere inoffenſos, atque intactos fuiſſe ſignificat; Fęlicitatẽ animi cum dixit hominem fuiſſe creatum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei Principem, ac Dominum animantium à Deo conſtitutum, nec perfecta tantummodo rerum naturalium ſcientia ornatum, ſed etiam diuino prophetiæ ſpiritu afflatum; ſubiectio carnis, & ſenſuum ſub imperium rationis ſignificata eſt à Moyſe cum dixit eos fuiſſe nudos non tamen erubuiſſe; Paulus quidem certe ad Romanos 7. rebellionem carnis aduerſus ſpiritum ex peccato natam eſſe docet; Mortem etiam ex peccato hominis intraſſe in omne genus humanum, nec à Deo eſſe factam, ſed inuidia diaboli promanaſſe in mũdum ad Rom. 5. & Sap. 2. teſtatum legimus. Idque non obſcure indicauit Moyſes cũ ſcripſit Deum Adamo ſi ex arbore ſcientiæ boni, & mali comediſſet pœnam mortis comminatum eſſe quaſi ſi non comederet nunquam eſſet mortuus.

5 Quantum ad ſecundum punctum nimirum quid nam fuerit quidditatiue iuſtitia originalis. Reſpondetur, quod fuerit accidens non ſubſtantia, quia potuit perdi ſine hominis corruptione, nõ fuit quantitas, vel relatio, ergo qualitas, non potentia naturalis, ideſt de ſecunda ſpecie; nec paſſibilis qualitas, ideſt de tertia ſpecie, nec figura, ideſt de quarta ſpecie, ergo fuit de prima ſpecie qualitatis; non potuit eſse actus, aliàs primus homo dormiendo non habuiſset eam; iuſtitia autem originalis fuiſset ſemper in homine vigilante, & dormiente, niſi eam amiſiſset, actus autem non manet, nec poteſt manere ſemper in homine vigilante, & dormiente, ergo erat habitus, & quia diſpoſitio eſt habitus imperfectus, ſed iuſtitia originalis nullam habuit imperfectionem fuit igitur habitus perfectus bonus, & virtuoſus, non quidem Theologicus, vt patet, ergo habitus moralis fuit, & virtus moralis patet, quia omnis habitus appetitivus inclinans ad actum virtuoſum eſt virtus moralis, ſed originalis iuſtitia erat habitus inclinans ad actum virtuoſum, cum faceret appetitum ſenſitivum prompte, & faciliter obedientem rationem.

6 Hæc iuſtitia potuit dici donum naturale, prout naturale dicitur id, quod habetur à natiuitate; Item quod eſt naturæ conſentaneum, quodque eam non deſtruit, ſed ornat, & perficit in operibus naturalibus, non tamen eleuat ad opera ſimpliciter ſupernaturalia; ſimpliciter tamen, & abſolute loquendo iuſtitia originalis fuit donum ſupernaturale, & quid per ſe, & non per accidens, ita quod non eſt pars naturæ, vel naturæ viribus aquiri poteſt, ſed omnino cognoſcitur ex alto prouenire, & à Deo donari, & ab eo effectiue dependere in fieri, & conſeruari; dependere quoque ab ipſo homine meritorie,

rie, vel demeritorie reſpectiue. An vero iuſtitia originalis fuerit vnus habitus, vel plures; Doctores varie reſpondent Molina p.p. q. de operibus ſex dierum diſput. 27. affirmare videtur iuſtitiam originalem includere gratiam ſanctificantem fidem, ſpem, & quicquid cum gratia gratum faciente de lege ordinaria neceſsario eſt coniunctum, includebat etiam cætera dona, quæ in ſtatu innocentiæ partem ſenſitiuam rationi ſubiectam reddebant, & corpus Animæ, illudque à corruptione, dolore, & nocumento præſeruabant; Pererius vero libro 5. in Gen. diſp. de iuſtitia originali dicit, quod iuſtitia originalis non erat aliquis vnus habitus, vel vnũ aliquod Dei donum, quo vnus totus homo rectus, & perfectus euaderet, ſed erat quædam abſoluta complexio, & comprehenſio omnium habituum, quibus homo ſecundum omnes vires, & facultates ſuas rectus, & perfectus reddebatur, & Idoneus ad perfecte, & expedite omnes actiones naturæ ſuæ conuenientes in gradu perfectiſſimo, & heroico.

7 Doctor ſubtilis in 2. diſt. 20. qu. vnica dicit, quod iuſtitia originalis non fuit vnus aliquis habitus, ſed plures adeo, quod iuſtitia originalis includebat primo donum ſupernaturale rectificans ipſam voluntatem in tantum, quod delectabilius, & iocundius valde erat ei adherere Deo, quam appetitui ſenſitiuo, cui erat coniuncta; ſecundo includebat dona ſupernaturalia perficientia appetitus ſenſitiuos, quia non videtur poſſibile, quin viſus de ſua natura, & in ſtatu innocentiæ ferretur citius in pulchrius viſibile, quam in id, quod imperaſset ratio, ſeu voluntas niſi habuiſset aliquod donum, quod magis alliceret, vt obediret rationi, quam traheret pulchrum viſibile, & ita de alijs, atque adeo multa fuerunt talia dona, cum quilibet ſenſus haberet proprium appetitum; Iuſtitia ergo originalis collectiue dicit multos habitus, quorum quilibet eſt iuſtitia originalis, ſed ille, qui eſt in appetitu intellectiuo eſt præcipuus; ſicut in appetitu ſenſitiuo, et intellectiuo ponitur habitus temperantiæ, licet ſis vnus alio principalior; Diui ſiue autem iuſtitia originalis eſt vnus habitus prout accipitur pro habitu moderante voluntatem, cuius præcipuus effectus erat ordinare hominem reſpectu Dei.

8 Quantum ad tertium punctũ Molina conſequenter diceret iuſtitiam originalem non determinare ſibi aliquod vnum ſubiectum, ſed eſſe ſubiectiue in omnibus Animi viribus, ac etiam in corpore cum originalis iuſtitia ſecundum ipſum omnes habitus perficientes omnes Animę vires, ex quibus corpus Animæ ſubdebatur, & à dolore & nocumẽto præſeruabatur comprehenderet; Idẽ debet affirmare Pererius, nam cum docuiſſet iuſtitiam originalem non fuiſſe aliquem habitum vnum, ſed fuiſſe comprehenſionem omnium habituum, quibus totus homo rectus efficitur, & omnes eius potentiæ reddebantur perfectę circa actus ſuos, vel naturales, vel morales, conſequenter docere debet Iuſtitiam originalem non fuiſſe in aliqua vna potentia, ſed in omnibus potentijs Animæ rationalis, in ijs nempe potentijs, in quibus erant habitus, per quos homo ſecundum ſtatum naturæ integrę rectus, & perfectus reddebatur; Secundum vero doctrinam Doctoris ſubtilis loco citato, & D. Bonaucuturæ in 2. diſt. 31. art. 1. q. 2. dicendum eſt iuſtitiam originalem fuiſſe in voluntate, vt in ſubiecto, & hoc accipiendo iuſtitiam originalem pro principaliori analogato; quod ſic probatur; non minus ordinabat, nec erat in ſubiecto ignobiliori originalis iuſtitia, quam iuſtitia

mo-

Digitized by Google

moralis, ſed iſtam expreſſe ponit philoſophus 5. Ethicorum in voluntate ergo &c. Item omnes ſancti dicunt iuſtitiam originalem fuiſſe donum exiſtens in libero arbitrio, ſed non erat in intellectu, ergo erat in voluntate; Deinde iuſtitia originalis principaliter ordinabat ad obediendum Deo, ergo hoc erat neceſſario per voluntatem; quoniam appetitus ſenſitiuus non eſt ille, quo Deo obedimus; ſed voluntas eſt illa, qua conuertimur ad Deum, & illi obedimus, & proteſtamur omnem verum cultum eſſe illi exhibendum.

9 Quantum ad quartum punctum. An ſcilicet iuſtitia originalis ſit habitus diſtinctus à gratia gratum faciente D. Thomas à loco lib. 1. de natura, & gratia Cap. 5. trahitur ad negatiuam; Dicendum tamen eſt iuſtitiam originalem fuiſſe habitum diſtinctum realiter à gratia gratum faciente, ita Scotus in 2. diſt. 29. q. vnica cum communiter Scholaſticis; & quamvis in illo ſtatu innocentiæ de facto neutra ab altera diſſociari, & disiungi potuerit, quod dignitas, & excellentia illius ſtatus requirebat; tamen ſi iuſtitiæ originalis ratio proprie, & præciſe accipiatur non repugnabat eſſe ſine gratia gratum faciente negatiue, repugnabat tamē eſſe ſine ipſa priuatiue; hoc eſt potuit Adam prius habere ſolam iuſtitiam originalem poſtea vero gratiam gratum facientem accipere, quemadmodum opinantur, qui putant Adamum creatum cum iuſtitia originali, & ſine gratia gratum faciente, at vero amiſſa gratia per peccatum mortale non potuit manere iuſtitia originalis, quoniam & ſi propria ratio, propriuſque effectus iuſtitiæ originalis non includat neceſſario, nec exigat gratiam gratum facientem, repugnat tamen priuationi gratiæ, quæ propter peccatum mortale accidit; & quidem omne peccatum mortale iuſtitiæ originali aduerſabatur; nam vt docet Doctor ſubtilis in 2. diſt. 32. ad argumenta 4. quæſt. in ſtatu innocentiæ erant dona ordinata. Ita quod iuſtitiæ originali ſecundum ſuam formalem rationem non repugnabat eſſe ſine gratia, ſed non è conuerſo, & tunc priuatio prioris ideſt iuſtitiæ originalis includebat virtualiter priuationem poſterioris ſcilicet gratiæ gratum facientis; quamquam igitur iuſtitia originalis ſimpliciter, & abſolute potuiſſet ſeparari à gratia gratum faciente, in illo tamen ſtatu innocentiæ ex voluntate, & decreto Dei ſeparari non poterat.

10 Quantum ad quintum punctum. Quinam fuerint iuſtitiæ originalis effectus. Reſpondetur, quod iuſtitia originalis ordinabat principaliter hominem ad Deum; vt ei plenam exhiberet obedientiam, deinde reſpectu ſui, vt faceret potentias inferiores perfecte ſequi motum rectæ rationis, & voluntatis, deinde reſpectu proximi, vt reddere cuicumque, quod ſuum erat ſecundum debitam condilectionem; ſecundus effectus erat reddere hominem immortalem, ideſt potentem non mori, & antequam moreretur, ipſum transferre ad cœleſtem ſtatum; tertius effectus, ſi homo cum iuſtitia originali non accepiſſet gratiam ſanctificantem cum iuſtitia originali, potuiſſet ſe ad illam de congruo ſe diſponere; quartus effectus. Impediebat hominem peccare mortaliter, quia ſi ſeruaſſet eam nullum peccatum mortale incurriſſet non poterat ſe ipſum ſic conſeruare vi ipſius iuſtitię originalis.

11 Per iuſtitiam originalem homo in ſtatu innocentiæ habuiſset ſpecialem Dei aſſiſtentiam; quæ ſexta magna homini bona præſtabat; primo ſeruabat intellectum eius, ne is deciperetur circa ſingularia, et futura contingentia, quæ humana ratione, et ſolertia certo co-

cognoſci non poſſunt; ſecundo continebat voluntatem, ne eliceret actus inordinatos, aut permitteret potentias inferiores eos elicere, vt diecere verbum ocioſum, aut mendacium officioſum, & alia, quæ à Theologis dicuntur peccata venialia ex genere; ſicque tali aſſiſtentia ſuppoſita cõcedimus hominem in tali ſtatu non peccaſset venialiter; tertio arcebat à phantaſia hominis, quæ eam confundere contaminare, & perturbare potuiſsent, ſcilicet coercens potentiam Dæmonis ne viſui obſcena, vel triſtitia ingereret animo; quarto cohibebat appetitum ſenſitiuum, ne ante iudicium rationis ad aliquid appetendum, vel fugiendum commoueretur etiam præſente obiecto admodum delectabili, & ad alliciendum acerrimo; quinto ſeruabat corpus non ſolum à rebus mortiferis, ſed etiam ab omnibus, quæ ei noxa, & moleſta poſſent accidere; ſexto expleto tempore, quod homini Deus ad viuendum in terris præfiniuiſset, tranſtuliſset eum in Cæleſtem patriam.

12 Quantum ad ſextum punctum. An filij Adæ in ſtatu innocentiæ naſcituri fuiſsent in iuſtitia originali. Reſpondetur, quod ſic quoniam rationabile fuiſset, namquamvis originalis iuſtitia cauſata non fuiſset ex principijs naturæ, fuit tamen primis parentibus data non in quãtum erant ſingulares perſonæ, ſed quantum in eis erant ſingulares perſonæ totius ſpeciei virtute, ſiue virtualiter; Vnde in ipſis primis parentibus fuit data toti humanæ naturæ, nam & originale peccatum, quod opponitur illi iuſtitiæ dicitur peccatum naturæ; Non transfunderetur à parente in prolem ſimpliciter loquendo, ſed bene transfunderetur, materia diſpoſita ad ſuſcipiendum eam nam quamvis Adam non transfudiſſet ad poſteros Animam rationalem, nec iuſtitiam originalem, quia hæc duo in poſteris ſicut in primis parentibus per creationem fuiſſent, tamen carnem mundam aptam ad ſuſceptionem Animæ rationalis ornatæ, & fortificatæ ſupernaturali habitu iuſtitiæ originalis transfudiſſent; Et ſi quæratur cur appellata ſit iuſtitia originalis. Reſp. quod ideò donum illud ſupernaturale vocatur iuſtitia, quia erat quaſi quædam naturalis perfectio totius hominis, omniumque facultatum eius, atque optima diſpoſitio, & affectio omnium Animæ potentiarum inter ſe, & in ordine ad ſuos cuiuſque effectus, per quam Deus dicitur feciſſe hominem rectum; Originalis vero nominatur, quod eam ab origine ſua habuiſſet homo, & quod per originalem generationem ex Adamo modo expoſito transfundenda erat in eos poſteros non quidem poteſtate ſeminis, aut vllius cauſe naturalis, ſed immediate à Deo non aliter, quam ipſa Anima rationalis; ſi iterum quæratur; An fuiſsent Adam, & eius poſteri in originali iuſtitia confirmati. Reſpondendum eſt ſicut dictum eſt de gratia gratum faciente.

13 Dominus Deus creator, & conſeruator vniuerſæ creaturæ, de quibus plena voluntatis libertate quocumque modo diſponere poteſt, nec vlla illarum illi contradicere poteſt; erga hominem ita liberaliter ſe exhibuit, & tot, tantaque beneficia ei contulit, vt etiam eorum, quæ in Paradiſo terreſtri ei plenam poſſeſſionem dederit vno ſolo ligno ſibi reſeruato, reipſa oſtendens nullius alterius gratia hoc ipſum ſe facere, quam vt tantorum beneficiorum Authorem agnoſcere poſset; Præcepit igitur illi dicens ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas; In Hebræo legitur, præcepitque Dominus Deus ſuper ipſo Adam dicens etc. quæ verba diligentiſſime ponderanda ſunt; Quam circum-

Digitized by Google

cumſpecte dicatur hoc pręceptum fuiſſe ſuper Adam poſitum tanquam Capite, et origine totius poſteritatis, vt eius circa hoc obedientia, vel delicto penderet omnium aliorum ſtatus vita, & mors; Ideo ſi ſola mulier peccaſſet, totum genus humanum non corruiſſet, ſicut corruit peccante Adamo;Cum illi Deus dicit ex omni ligno Paradiſi comede indulgendo,nó præcipiendo permittit, vt de omni alio à ligno ſcientiæ boni, & mali comedere liberè poſset, ſolum prohibendo,ne comederet de ligno ſcientiæ boni & mali, vt patet ex Verbis Euæ reſpondentis ſerpentis ſic dicentis; De fructu lignorum, quæ ſunt in Paradiſo veſcimur, de fructu autem ligni, quod eſt in medio Paradiſi præcepit nobis Deus ne comederemus &c;

14 Ex quibus verbis apertè etiam colligitur huiuſmodi præceptum non ſoli Adæ datum eſse, ſed etiam Euæ. Adæ quidem immediatè, Euæ autem mediante Adamo, tum quia non eſt recedendum ab ordine litteræ ſine neceſſitate, & tamen prius poſuit Moiſes mandatum iſtud, quam formationem Euæ, tum quia Adam prius collocatus eſt in Paradiſo, & poſterius creata eſt Eua; conueniens tamen erat, ſtatim vt homo introductus eſt in Paradiſum, legem ei, quam ſeruaturus erat imponere, vt quam primum agnoſceret Deum eſſe Dominum ſuum, ſe que eſse illius ſeruum, & iam inde ab initio conſueſcere diuinæ voluntati,eiuſque mandatis obedire, & obtemperare, Deus vetuit homini in Paradiſo manducare de ligno illo, inquit Toſtatus in Gen. Cap. 13. q. 284. non ob aliquam cauſam ex parte ligni,qua in illo eſſet aliquod malum, ſed vt manifeſtaret dominium ſuum ſuper hominem præcipiendo aliquid,quod facere teneretur,& hoc eſt, quod ad ſoles dominos, vel præeminentes pertinet præcipere poſse; Item vt declararet Deus hominem à ſe factũ liberi arbitrij facultate præditum eſse, & fuiſse, & in eius poteſtate atque voluntate fuiſse quodlibet agere, & non agere, ſi enim voluntatis libertate caruiſset Adam, abſurdum, et ridiculum fuiſset ei legem, et pœnam, ac ſupplicium eam non obſeruanti comminari.

15 Item vt daret homini abundantiorem locum merendi; & exercitium virtutis, quod ſi nullum eſset datum præceptum,nihil eſset,in quo ſe excitaret;dato autẽ præcepto fuit locus exercitij ad virtutem; Hoc præcepto inquit Rupertus Abbas lib. 2. de Trinit. Cap. 31. exegit Deus à primo homine fidem ſpem,& charitatem, quarum trium virtutum poſseſsione, cultu, et exercitatione ſumma totius humanę perfectionis continetur; Cæterum ingratus homo tantæ gratiæ debitum Charitatis non rependit, in quo magnitudinem nequitiæ nullus eſt, qui æſtimare poſſit, nec ſpei virtutem habuit infuſam, quia Charitatem nó habens; caret quoque fundamento ſperandi; Vnde probabile eſt etiam fidem claudicare, quia paruipendens præceptum præcipientis illius Maieſtati, et Dominio non credere conijcitur; Quod quidem licet videatur graue pręceptum, quia erat de non edendo de illa arbore, quæ vehementer alliciebat, & rapiebat,nam pulcherima erat ad videndum, & ad veſcẽdum ſuauis leue tamen fuit, tum quia fuit vnicum præceptum prohibitiuum, tum quia arbor illa non erat omnium præſtantiſſima, ſi quidem melior illa, atque præſtantior fuit arbor vitæ, vel iam conceſſa homini,vel iam mox concedenda.

16 An vero hoc præceptum datum primis parentibus comprehenderet poſteros ſuos, itaut ſi Adam ſteriliſſet filij eius tenerentur non comedere de illa arbore; pro huius difficultatis reſolu-

Digitized by Google

tione notandum eſt 5. genera legum diuinarum reperiri; Leges diuinas appello, quæ ab ipſo Deo latæ ſunt hominibus. Eſt enim prima lex, quam Deus cunctis hominibus ſimul cum ipſa natura congenerauit, quæ quidem naturali humanæ mentis lumine, & ipſo rationis iudicio manifeſta eſt, notaque omnibus cunctos pariter obligans, ſecunda eſt lex ſupernaturalis fidei, ſpei, & Charitatis cunctos quidem homines, & omni tempore ſimpliciter obligans non tamen naturali modo, ſed ſupernaturali Dei munere, & gratia hominibus data, tertia fuit lex Moſaica, quam Deus non omnibus, ſed vni tantum Genti Hebræorum tulit, cuius videlicet obſeruantia cæteræ gentes minime obligabantur (intellige de lege Moyſis quãtum ad ceremonialia, & iudicialia eius præcepta) quarta lex eſt diuina nõ quidem omni tempore, nec ſimpliciter obligans, ſed tantum ex inſtitutione poſt Euangelij promulgationem omnes gentes obſtringens, vt eſt lex ſuſcipiendi Baptiſmum.

17 Quinta lex eſt priuata, quã Deus vni, aut alteri, paucisq; hominibus impoſuit, & huiuſmodi generis fuit ea lex, qua Deus interdixit Adę eſum illius arboris ſcientiæ boni, & mali; hac enim lege certum eſt aſtrictos eſſe Adam, & Euam; an vero eorum poſteri, ſi ſtatus innocentiæ permanſiſſet eadem obligati fuiſſent, ex modo promulgandi, atque concipiendi eam legem credo, quod non, ſi enim alios intendiſſet Deus obligare præceptum extendiſſet, vel aliter illud promulgaſſet. In quocunq; enim die comederis ex eo morte morieris; Tria ſunt, quæ homines mouere ſolent ad leges ſibi datas obſeruandas, ſcilicet Legiſlatoris amor, & reuerentia, cuius præceptis, vel ob magna beneficia ab eo accepta, vel ob excellentem eius ſapientiam, & authoritatem, & legitimũ in eos imperium ſe obedientiam deberi dignoſcunt; ſecundum, ſpes præmiorũ quæ legem obſeruantibus ſunt promiſſa; tertium metus ſuppliciorum, quibus præuaricatores, & violatores legis ſubijciendi, & plectendi ſunt, atque hoc poſtremum expreſſum eſt illis verbis in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris; Præmium fuit poſſe non mori; ſi tranſgreſſio inferebat mortem, ergo obſeruantia conſeruabat immortalitatem.

18 Dices ſcimus ex ſcriptura Adam tranſgreſſum fuiſſe mandatum diuinũ, non tamen mortuum fuiſſe eodem die, quo comedit immo ſuperuixiſſe vſque ad 930 annos; Eua vero plus vitam protraxiſſe, nempe vſque ad 940. annos; Relictis aliorum interpretationibus placet illa, quæ exponit, quod in quacumque die Adam peccaret moreretur, ideſt vere inciperet mori, ita D. Greg. hom. 37. in Euangelia dicens temporalis vita, æternæ vitæ comparata potius eſt dicenda mors, quam vita; Ipſe enim quotidianus defectus corruptionis quid eſt aliud, quam quædam prolixitas mortis; atque ita totam vitam appellat vnam mortem ſucceſſiuam, quia in qualibet parte eius eſt defectus corruptionis, ideſt ſucceſſiua reſolutio; & ita potuit dici mortuus Adam quando mori incepit, quia licet mors ſit mutatio inſtantanea, tamen ſicut alterationem; quæ præcedit formæ ſubſtantialis introductionem non dubitauit Ariſtotelis appellare generationem, ita alteratio, quæ paulatim præparat ad interitum nomine mortis appellari poteſt; Incepit ergo Adam mori, quando incepit in eo alteratio ad mortem, tunc enim caruit beneficio ligni vitæ.

19 Sed dubium remanet decidendum; An Deus comminatus ſit Adamo tranſgredienti mortem temporalem tantum an etiam æternam D. Auguſti-

nus

Digitized by Google

nus lib. 13. de Ciuit. Dei Cap. 12. quadruplicem mortem diſtinguit vnam, Animæ, & ad tempus cum Anima peccando ſeparatur à Deo, alteram corporis, & ad tempus, qua ſeparatur Anima à corpore; tertia, quæ ſimul vtramque prædictam complexa eſt ſeparationem dico Animæ à Deo, & à corpore; quarta, qua homo in æternum moritur poſt diem Iudicij ſecundum Animam, & ſecundum corpus, quæ mors ſecunda appellatur, & nouiſſima; Ad dubium reſpondetur dicendo omnes dictas illis Domini verbis eſse comprehenſas, eiſque Adam poſt peccatum fuiſse obnoxium ſcilicet Animæ, & corporis temporalem, & æternum; Et ſi quis dicat mortē eſse homini naturalē ęternā atq; adeo non eſse peccati pœnam; Reſpondetur, quod homo duobus modis conſiderari poteſt vel per ſe, & ſecundum nudam ſuæ naturæ condicionem remoto omni Dei ſuperaddito dono, & hac ratione mors eſt homini naturalis non minus, quam cœteris Animantibus, vel ſecundo poteſt conſiderari homo ea ratione, qua fuit conditus à Deo rectus; Innocens, & potens ſemper viuere, & nunquam mori, ſi non peccaſset, quæ homini non contingerent ex ſuæ naturæ condicione, ſed ex Dei gratia, & beneplacito, & hoc modo conſiderando hominem mors vere fuit homini pęna, niſi enim peccaſset in illo felici ſtatu permanens, à morte fuiſset immunis; Vltra mortem primi Parentes incurrerunt alia mala nempe eiectionem de Paradiſo, & Adæ dictum eſt; In ſudore vultus tui veſceris pane tuo; & mulieri quoque pronunciata ſunt mala ſua, ſcilicet multiplicabo erumnas tuas, & conceptus &c. vt in 5. libro.

20 De ſecundo dominio ſcilicet hominis ſuper ſeipſū ſupra ſparſim in pluribus locis dictum eſt, & infra pariter dicetur, nunc ſatis erit ad hoc tria dubia reſoluere; Primum eſt, an in ſtatu innocentiæ appetitus ſenſitiuus, ita ſubiectus eſset rationi, vt numquam contra præceptum eius inſurgeret, adeo quod iuſtitia originalis omnem rebellionem appetitus ſenſitiui abſtulerit; Reſpondetur affirmatiue ponendo in ſingulis appetitiuis potentijs inferioribus ſingula dona ſupernaturalia, ita vt quilibet per donum ſuum delectabiliter moueretur à voluntate; Pro certo enim haberi debet in illo ſtatu innocentiæ, ita fuiſse motus appetitus ſenſitiui ſubiectos rationi, vt nunquam concitarentur repugnando mādato eiuſdem; alioquin nullum fuiſſet diſcrimen inter ſtatum innocentiæ, ſiue naturæ integræ, & inter ſtatum naturæ lapſæ per Chriſtum reparatę. Secūdum dubium, quomodo fieri poterat, vt in illo ſtatu voluntas rationalis cum naturaliter coniuncta ſit appetitui ſenſitiuo non alliceretur, aut alliceretur eius delectationibus, & ab illis ſeipſam abſtineret ſine vlla difficultate aut moleſtia. Reſpondet Scotus in 2. diſt. 29. q. 1. id propterea accidiſse quia voluntas multum maiori delectatione detinebatur circa obiectum ſuum, quam erat delectatio ſenſibilis, delectabilius enim erat illi, vltimo fini, & ijs, quæ ad finem ipſum ordinabantur, adhęrere, quam oblectamento ſenſuum perfrui, ſic in ea operante iuſtitia originali.

21 Tertium dubium an in ſtatu innocentiæ futuri eſſent in homine motus illi appetitus ſenſitiui, quos vulgo vocamus paſſiones. Reſpondetur cum diſtinctione paſſionum appetitus, nam aliq reſpiciunt bonum, vel abſens, & parabile, vt deſiderium, & ſpes, vel iam paratum, & pręſens, vt gaudium, & lętitia, vel indifferens, vt amor; huiuſmodi paſſiones fuiſſēt tunc in homine ſunt enim motus naturales humani Animi, & ad Animi oblectationem, &

Digitized by Google

lætitiam pertinent, erant tamen ſub rationis poteſtate dupliciter; primo quantum ad eorum excitationem incohationem, continuationem, & durationem, ſecundo quantum ad intenſionem, & remiſſionem, ſicq; fuiſſent homini nullius moleſtiæ, & impedimenti, ſed magno adiumento, & delectamento; Aliæ paſſiones ſpectant malum, vel abſens, & impendens, vt timor, vel etiam præſens, vt triſtitia, & dolor; his paſſionibus caruit Adam ante peccatum.

22 De tertio dominio, hominis ſcilicet in animalia; Poſtquam Moyſes dixerat hominem eſſe factum ad imaginem Dei, apte poſuit proxime datum eſſe ei dominatum in omnes animantes dicēs. Et præſit piſcibus Maris, & volatilibus Cœli, & beſtijs, vniuerſæq; terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra etc. quod quidem conuenientiſſimum erat, vt quem Deus fecit ſibi ſimilem dignitate naturę, etiam dominandi poteſtate, auctoritateque ſimilem ſibi faceret. Non enim dicendum eſt, inquit Rupertus Abbas lib. 2. de operibus Trinitatis Cap. 5. hominem præeſſe piſcibus Maris, & volatilibus Cœli, beſtijs quoque, & reptilibus terræ ex eo tantum, quod ipſe rationalis eſt, & illa irrationabilia, ſed ita omnibus illis præeſt, vt omnium naturas etiam domare poſſit, & ſi fiat ſermo de Dominio quo ad ius, vel habitum homo habuit ius, & poteſtatem Dominij ſuper omnes Animantes iuxta ſcripturam citatam, præſit piſcibus Maris, et Pſalmo 8. gloria, & honore coronaſti eum domine, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum omnia ſubiecisti ſub pedibus eius oues, & boues vniuerſas &c.

23 Congruebat autem hoc dominium homini pro ſtatu innocentiæ, vt docet Alexander de Ales 2. par. q. 73. membr. 2. ea ex parte, qua factus eſt ad imaginem Dei, & qua omnibus præcellebat; iuſtum namque erat, vt ſecundum rationem ſuo Creatori perfecte obediens omnia ratione carentia ſub ſuo contineret poteſtatiuo, imperturbato atque paccato imperio; ſi autem fiat ſermo de Dominio, quo ad vſum, & executionem, ſiue quoad actum, & exercitium, & de homine in ſtatu innocentię dicendum eſt etiam, quod in illo ſtatu pleniſsimus erat, & ampliſsimus huius dominationis vſus in homine, neque laborioſus, neque difficilis; nam nec quantum ad hominem vllum erat impedimentum, nec vlla difficultas; nec vlla in Animalibus repugnantia; fuiſsent autem in ſtatu illo Animalia homini ſubiecta, & obedientia, vt erat pars inferior hominis ſuperiori parte, id eſt rationi, & voluntati ſubiecta, ſicut igitur tunc ratio pleniſsime, atque omnino dominabatur ex ſingulari Dei prouidentia, & cura circa hominem in ſtatu innocentię ita mirabiliter factum eſset, vt Animalia homini non ſolum non nocerent, ſed ſubiecta eſsent, atque obedirent.

24 Si autem loquamur de Dominio quoad ius, & habitum in ſtatu naturæ lapſæ, & poſt peccatum remanſit in homine, quandoquidem homini debetur propter naturę rationalis excellentiam, quam non perdidit homo propter peccatum, nam peccatum non deſtruit bona naturalia, nec ipſam imaginem Dei, ad quam factus eſt, per quam potiſſimum præſit Animantibus, & certe niſi poſt peccatum haberet homo poteſtatem in Animalia, nullo modo eſset homini licitum illa occidere, ſicut illicitum eſt priuata poteſtate hominem occidere, nec facere de eo, quod placuerit, ſicut poteſt de Animalibus; vſus vero, & exercitium huius dominij in ſtatu naturæ lapſæ diminutum & reſtrictum eſt, nam, & paucis Animalium imperare poſsumus, nec his ſine magno

labo-

labore; & vt inquit Vgo de Sancto Victore in ſuis annotationibus ſuper Geneſim; propter peccatum amiſit homo dominium in duo potiſſimum genera Animalium in maxima ſcilicet Animalia vti ſunt Leones, Pantheræ, Tygres, & alia ſimilia, vt intelligeret illa excellenti dominatione, quam à Deo accepit ſe eſse priuatum; & minima & viliſſima Animalia, vt muſcæ, pulices, culices, cimices, & alia huiuſmodi, quæ minus, quam maiora, & ferociora dominari poſsunt, & imperio ſubmitti, vt homo agnoſceret in quantum vilitatem propter peccatum dilapſus eſt.

25 Quod autem aliqua Animalia fuerint poſt peccatum obedientia quibuſdam Viris inſignis ſanctitatis, vel Noe, Eliſeo, Beato Franciſco, & B. Antonio Patauino, & alijs huiuſmodi, hæc obedientia non fuit permanens, & ordinaria; ſed magno miraculo diuina potentia prædictorum Sanctorum merita, & ſanctitatem talibus ſignis, ac miraculis atteſtante. Homo ſi ſtetiſset dominaretur vniuerſæ Creaturæ etiam inſenſibili; eſt tamen notandum, quod duplex eſt dominandi modus quantum ad propoſitum ſpectat, vno modo dicitur quis dominari alicui Creaturę, cum ſuper eam habet iùs in poſſidendo, atque ea pro libito vtitur pro ſua vtilitate, & comodo vti poteſt; Itaque nihil ipſius rei viſibilis vtentis voluntati aduerſatur, & hoc modo dominabatur homo Creaturis inſenſibilibus, quæ ei in actibus, & operibus ſuis deſeruirent, atque eis ſine repugnantia, & difficultate valde liberè vti poterat. Alius modus dominandi eſt cum non ſolum eo, cui dominatur, poteſt libere vti; verum etiam poteſt ei indifferenter præcipere modo vnum, modo aliud ſecundum nutum, & libitum ſuæ voluntatis, & hoc modo non dominabatur Creaturis inſenſibilibus, ſed tantum ſenſibilibus ſecundum quod ſenſibiliter mouentur, & natæ ſunt moueri vide Alexandrum de Ales p. 2. q. 93. membr. 3.

26 Cæterum Creaturæ ſenſibiles, quæ aliquo modo ſunt diſciplinæ capaces, & ſunt illæ, quę habent auditum iuxta memoriam, & quę natę ſunt ad oppoſitas partes moueri obtemperarent ei in omnibus, quæ naturæ non cōtrariarentur; Corpora autem Cœleſtia ſi ſtetiſſent primi parentes non habuiſſent in corporibus cœleſtibus dominiū, ſed potius in illis, quæ illis cōuenirent, præſtitiſsent obſequium; huius etiam dominij poſt peccatum voluit Deus aliquod veſtigium apparere in hominibus, nam elementa, & elementata Heliæ, & Eliſeo parebant, & eidem B. Frāciſco, & alijs ſanctiſſimis viris veteris, & noui teſtamenti; Verum in operibus huiuſmodi elementa, & elementata obediebant Deo diſponenti, vt obedirent etiam hominibus, quod erat opus miraculoſum. An vero in ſtatu innocētię homo non tantum brutis, ſed etiam hominibus dominaturus eſſet; pro intelligentia attende ex Alexandro de Ales 2. p. q. 93. membr. 1. & D. Thoma q. 94. art. 4. quod duplex eſt hominis in hominem dominium, alterum in ſeruos coactum, violentum inuoluntarium, & acerbum reſpiciens ſolum bonum, & emolumentum dominantis, & conſequenter contra naturalem hominis appetitum, vt quicquid agit, & laborat non in ſuam, ſed in alterius vtilitatem cedat; hoc dominium non erat futurum in ſtatu innocentiæ; Alterum vero dominium in liberos, qui ſponte ſua vnum aliquem, vel multos elegerunt, à quo, vel à quibus ſecundum preſcriptas leges regendi dominentur; Hoc dominium eſt voluntarium, & iocundum, vtpotè ab illis vtilitatis ſuæ Cauſa vltro electum, & aſſumptum non ad bonum dominantis tantum, ſed ſubditorum

Digitized by Google

ditorum bonum publicum, & commune.

27 Hoc dominium fuiſset in ſtatu innocentię, nam etiam in Paradiſo cœleſti in Angelis ſanctiſſimis, ſapientiſſimis, & beatiſſimis conſtat alios eſse ſuperiores, alios inferiores, & illos quæ agenda ſunt imperare, & hos iuſſa eorum exequi; Deinde negari non poteſt, quin in eo ſtatu Patres poteſtatem, & imperium in filios habituri fuiſsent, hoc enim natura ipſa poſtulat. Mariti quoque in vxores ſuas affirmante Paulo Virum eſſe caput mulieris, & mulierem ex viro, & propter virum eſse factum; ſtatus autem innocentię non deſtruebat, aut euertebat funditus ſtatum & ordinem naturę. Cur igitur non dixit Deus dominamini hominibus, ſed animalibus. Reſpondetur quoniam hoc imperium in animalia conuenit cuilibet homini ea ratione, qua ad imaginem Dei factus eſt, cunctiſque hominibus ęqualiter competit, at vero imperium hominum in alios homines non vnicuique homini conuenit, ſed quibuſdam tantum certis hominibus, nec illis conuenit, quia homines ſunt, ſed propter eorum, vel dignitatis, vel potentię, vel prudentiæ, vel probitatis excellentiam.

28 Formatis igitur Deus de humo terræ cunctis Animantibus terrę, & vniuerſis volatilibus Cœli &c. adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea, non temere, & abſque cauſa hoc factum eſt, ſed propter futura, Deus enim præſcius quid non multo poſt eſset euenturum, oſtendit nobis quantam ſapientiam condito homini dedit, vt cum prę-uaricatio mandati à Deo dati contingat, non putetur per ignorantiam Adam peccaſse; ſed ſciamus, quod lapſus ille ex deſidia fuerit. In verbis prædictis ſeruauit Moyſes ordinem artis; Iam enim poſita fuerat formatio animalium, & præterierat ſecundum tempus, voluit tamen recolere, quomodo Animalia adducta fuerant ad Adam, & quia non poterant adduci niſi formata eſsent, & iam omiſerat loqui de illis, ideo repetit illud verbum formatis Animantibus, vt res planior fieret, erant enim animalia iã formata ante formationem Adæ. In primis Caietanus in 2. Caput. Gen. cenſuit Animalia non fuiſse reuera adducta ad Adamum, ſed tantum intellectuali quodammodo fuiſse à Deo eius intellectui præſentata, vt ea conſiderans conuenienter eorum naturis nomina imponeret; Verum hæc Caietani ſententia communi omnium Patrum, & Theologorum ſententiæ repugnat, facile enim Caietanus in hiſtoria Creaturarũ enarranda recurrit ad miſticam interpretationem, quæ tamen multa falſa, & paradoxa continet, vt etiam alibi viſum eſt. In propoſito verba ſcripturæ hiſtorialiter intelligenda ſunt; Illa adductio Animalium Adę ceſſit in magnam iocunditatem; Scientia enim Animalium in intellectu Adami excitabatur ad ſingulas Animalium ſpecies, quarum cernebat indiuidua, proprie, & diſtincte contemplandas, & aſpectus illorum animalium ſumma voluptate animum Adami perfundebat, dum illa cognoſcebat experientia, quæ iam cognouerat per ſpecies infuſas.

29 Non fuerunt adducta omnia animalia, id eſt omnia indiuidua omnium Animalium ad Adam, tum quia non erat conueniens, quia adduci omnia magis impediret finem, ob quem adducebantur, qui finis erat, vt Adam videret, & cognoſceret, & imponeret eis nomina, et ſi omnia indiuidua omnium ſpecierum ſimul adducerentur non poſſet Adam illa videre propter multitudinem; atque adeo non fuerunt omnia adducta, ſed vero ſimilius eſt duo tantum cuiuslibet ſpeciei nempe maſculum, & fœminam eſse adducta, nam in

Ani-

Animalibus duæ ſunt differentiæ vna formalis ſecundum ſpeciem, altera materialis ſecundum ſexum, ſicque in illis duobus poterat cognoſcere cætera Animalia omnium ſpecierum, illaque apte nominare; Intellige de Animalibus perfectis, & que generantur vniuoce; non autem de ijs, quæ generantur æquiuoce ideſt ex putri, tum quia talia nullius ſunt dignitatis, tum quia talia Animalia nundum erant, nundum enim alterationes, & corruptiones factæ erant ad generationem talium animalium; Nec piſces fuerunt adducti, quia in ſcriptura ſolum expreſſum eſt, quod Animantia terræ, & volucres Cœli adducta fuerint, ſed nomine eorum non intelliguntur piſces, tum etiam quia extra aquam poſiti confeſtim interijſſent niſi eos Deus ſingulari aliquo miraculo conſeruare voluiſſet. Denique, quia adducta ſunt ad Adam Animalia, vt eis imponeret nomina tanquam ſeruis, quorum famulatu, & obſequio vſurus erat, id quod in piſcibus non euenturum erat.

30 Adduxit Deus Animalia ad Adã ad oſtendendum dominium Adæ ſuper Animalia, nam qui Dominus eſt rei, poteſt vti ea pro voluntate ſua, à fortiori poterit ei nomen imponere; ſecundo fuit ad declarandã perfectam eius ſcientiam Animalium, excellentemque vim, & dignitatem rationis, qua cunctis Animantibus homo antecellit, nam rite imponere nomina res eſt munus non qualiſcumque, ſed ſcientia excellentis, & ſapientia præditi; tertio ad manifeſtandam mulieris excellentiam ſupra omnia Animalia, excepto Adamo, & vt Adam magis diligeret eam; nam ſi Eua fuiſſet formata non viſis alijs Animalibus, vidiſſet quidem Adam Euam pulchram, & excellentem ſecundum naturam, & tamen ignoraſſet an . Alia Animalia eſſent pulchriora Eua, atque adeo eam non amaret, tam ardenter; Cum vero omnia Animalia vidit, agnouit non eſſe aliquid melius, & ideo magis eam amauit; Quare ipſemet dixit; propter hanc dimittet homo Patrem ſuum, & Matrem, & adherebit vxori ſuæ.

31 Et fuit conueniens, quod homo valde amaret fœminam in principio, quia alias ſequerentur inconuenientia, Prima quia nollet vacare proli propter commixtionem: cum enim homo magis, quam alia animalia cognoſcat incomoda, quæ ſunt in commixtione carnali, facile auertiſſet Animum à tali cõgreſſu; Inſuper Eua fuerat, aut futura erat cauſa tantorum malorum; ipſa enim primo manducauit, & dedit, ei & ob hoc perdidit Paradiſi locum, incidit in multas penalitates, & ideo inſurgere poterat ei, tam graue odium contra ipſam, quod occideret eam; vel nollet conuiuere ipſi; Ad hoc ergo debuit præcedere, tam vehemens amor, quod, etiam ſi poſtea accederent magnæ cauſæ ad iram, vel odium, ardentiſſimus amor non ſineret, vt in eam concitaretur, & ita factum eſt, nam quamvis in tanta mala incidendi cauſa fuerit Eua, ſemper tamen eam amauit, & tenerrime dilexit, atque ſociam habuit; Ideo iterum dicendum (cum ſemel ſupra dictum ſit) turpiſſimam eſſe opinionem multorum Iudæorum, quod Adam de facto commixtus fuerit cum omnibus Animantibus, nec vnquam appetitui ſuo ſatis fecerit niſi poſtquam cum Eua concubuit, & ſic expertus eſt tandem eſſe Euam meliorem alijs Animalibus, ſed hoc impudentiſſimum abſurdum eſt potius vilipendendum quam confutandum.

32 De modo adducendi talia Animalia ad Adam eſt ſententia D. Auguſtini lib. 9. de Geneſi ad litteram Cap. 14. dicentis, quod hoc fieri potuit duobus modis, priori modo, vt dicatur,

quod

Digitized by Google

quod cuncta Animalia iſta fuerunt adducta per Angelos de omnibus terræ partibus, & iſtud erat facile, & ſine inconuenienti, ſic enim dicimus factum fuiſſe in diluuio, quando Animalia venerunt ad Noe vt intrarent in Arcam, quia illa ſola venerunt, quæ ab Angelis ducta fuerunt; poſteriori modo per interiorem inſtinctum, & impulſum, quo illuc à Deo rapiebatur; Finxit enim in illa Deus, hoc eſt in ea facultate Animæ ſentientis, quam Philoſophi æſtimatiuam, ſeu phantaſiam viſo, quodam à Græcis dicto phantaſmate repreſentante cuique Animalium conueniens illud eſſe, ſcilicet conuenire ad eum locum, vbi erat Adam, atque eius imperio, & voluntati ſubijci. Fuit quorundam opinio apud Moyſem Barcepham lib. de Paradiſo huiuſmodi impoſitionem nominum non fuiſſe factam, ſed fuiſſe per eam miſtice rationis, & Imperij humani in Animalia excellentiam ſignificatam; ſed aperte aduerſatur ſcripturæ dicenti; Adduxit Deus Animalia ad Adam, vt videret quid vocaret ea, omne enim, quod vocauit Adã Animæ viuentis ipſum eſt nomen eius; appellauitq; Adam nominibus ſuis cuncta animalia &c. clarius non poterat exprimere.

33 Adam ergo per ſcientiam Animalium, quam habebat, & per notitiam plurimarum vocum, quam acceperat, nomina indidit, atque impoſuit. Animalibus ſingulorum naturis rite conuenientia, & congruentia, nec ea quidem vno modo formata, ſed diuerſis ex cauſis petita, vel ex propria differentia ſpecifica, vel ex naturali proprietate, vel ex motu, vel ex figura, vel ex peculiari aliqua operatione, vel ex aliquo ſingulari, & proprio accidente; Noluit ipſe Deus huiuſmodi nomina imponere, ſed voluit Adam honorare, & manifeſtare eius ſapientiam, & imperium, ſingulare. In eo Idiomate Adam nomina impoſuit, quod ipſi tunc habebat ſcilicet illud, quod ei dederat, & tale Idioma erat Idiomam Hebrçum, quod à principio mundi fuit, & erat vnicum in omnibus hominibus, quod ante diuiſionem linguarum non appellabatur Hebræum, erat quippe vna duntaxat lingua communis omnibus hominibus, & vt ſcriptura teſtatur Gen. 11. erat terra labij vnius, & ſermonum eorundem; facta vero diuiſione, quoniam ea lingua, quç fuerat communis omnium facta eſt ſpecialis in ſola familia Hebær, quo viuente contigit diuiſio linguarum diligenter cuſtodita. Idcirco ab Hebçr poſteà dicta eſt Hebræa; quod nomen primum legimus Abrahamo tributum fuiſse Gen. 14. Idem Idioma fuit Adç, & Euç, quia ante diluuium in tota prima ętate, & poſtea vſque ad ędificationem Turris Babel omnium hominum fuit idem Idioma, ergo etiam Adç, & Euç.

34 Accepit autem Adam, & Eua à Deo ipſum Idioma; nam ſicut, & quando Deus formauit Adam dedit in Aniſua habitualem cognitionem idiomatis, itaut non indigeret doctrina, vt ſciret loqui, & reſpondere. Ita cum formauit Euam dedit ei pariter cognitionẽ Idiomatis, itaut nec ipſa indigeret doctrina aliqua, ſed fuit illa cognitio habitualis fixa manens, & indelebilis in intellectu mulieris, atque ita potuit ſtatim ſibi dari preceptum, & continuo tentari, & tentata reſpondere, & omnia alia, quç de ea referuntur, cum plenam haberet Idiomatis cognitionem, & hoc fuit in ſolis Adam, & Eua, qui confeſtim poſt eorum formationem, & creationem habuerunt linguæ cognitionem plenam vltra cognitionem rerum de qua in ſuperioribus dictum eſt; Non enim deneganda eſt Euç plena cognitio rerum tum naturalium, quam ſupernaturalium

Digitized by Google

ralium, quę ipſi competere poterat; licet enim non eſset Caput humani generis ſicut Adam, fuit tamen prima mater cunctorum viuentium: Cęteri autem, qui ab eis nati ſunt acceperunt linguam per inſtructionem à Parentibus; Quemadmodum nos parvuli erudimur in materna lingua.

35 Ex dictis patet excellentia, & præſtantia linguæ Hebraicæ, primo quia non humano placito, vel ingenio excogitata fuit, ſed prorſus diuina auctoritate, & magiſterio; Deus enim hoc idioma Adam, & Euæ mentibus indidit, quo poſſent ſtatim, & inter ſe inuicem, & cum Deo perfecte, quæ ſentiebant eloqui, & eundem Deum bonorum omnium, quibus abundabant Auctorem, & animo, & lingua laudibus celebrare. Secundo ex eius antiquitate habet enim temporis primatum, ſi cum cæteris omnibus linguis conferatur, ita D. Hieronymus Epiſt. ad Damaſum. Lingua autem hæc prima non fuit ab initio mundi vocata hebraica, nam erat vna omnium, & humana locutio vocabatur, quod ea ſola vniuerſum genus humanum loquebatur; tertio, quod Moyſes primus ſcriptor ſacræ ſcripturæ ſcripſerit eam lingua Hebraica pura, & perfecta.

36 Pro quo notandum eſt triplicem linguam hoc loco præter Græcam diſtingui poſſe vnam pure Hebraicam, alteram pure Chaldaicam, tertiam mixtam ex vtraque, quam Syriacam vocant Iudæi. Ante captiuitatem Babilonicam Iudæi vſi ſunt lingua pure Hebraica, at tempore captiuitatis Babilonicæ ceperunt loqui Chaldaice non quidem perfecte, ſed partim Chaldaice partim hebraice. Hinc orta eſt tertia lingua, qua Iudæi poſt captiuitatem Babilonicam vſi ſunt vſq; ad Chriſtum, ac deinceps, & hæc tertia vocabatur, vel Syriaca, vel Hebraica lato vocabolo; Vnde patet linguam Hebraicam dupliciter accipi poſſe primo proprie Hebraice, ſecundo promixta ex hebraica, & Chaldaica ita Beccanus in Analogia veteris teſtamenti De ſcripturis, & traditionibus Veteris teſtamenti Cap. 1. q. 3. Lingua mixta, ſiue Syriaca vtpore vernacula tempore Apoſtolorum D. Paulus ſcripſit ſuam Epiſtolam ad Hebræos. Ita Cornelius à Lapide cũ alijs in principio commentarij in eidem Epiſtola; Idem dic de Euangelio D. Matthęi de qua re vide eundem à Lapide in initio Commentarij in idem Euangelium.

37 Nec mirum eſt gentem Hebręam decoratam eſse hac prærogatiua linguę nobiliſſimæ, cum alijs longe ſublimioribus pręrogatiuis fuerit illuſtrata prout ex ſacris litteris colligere licet; prima fuit, quod poſthabitis, & quaſi deſpectis omnibus alijs mundi nationibus vna gens Hebræa fuerit à Deo electa, vt peculiaris eſſet Dei Populus, & qui eſt Deus omnium peculari ratione illius gentis Deus, ac Dominus eſſet iuxta illud Exodi 19. Vos ipſi vidiſtis &c. ſecunda Prerogatiua; ſolus omnium gentium Populus Iudaicus quõdam habuit veram Dei notitiam, verumque Dei cultum, ac Religionem cęteris omnibus in denſiſſima errorum, & ſpecialiter Idolatriæ caligine iacentibus; tertia In hac ſola gente vſque ab exordio Mundi ad Chriſti aduentum integra Dei fides, & Religio conſeruata eſt; quarta, Penes Iudęos fuere diu ſacri libri, & diuinæ ſcripturæ, quibus altiſſimarum rerum miſteria, & ſecretiſſima Dei conſilia velut conſignata ſeruabantur; quinta, ſæpe numero Deus huic Populo præſentiam ſuam edendis oraculis, reddendis reſponſis, dandis promiſſis, vlciſcendis eius hoſtibus, propulſandis periculis, & faciendis miraculis declarauit.

38 Sexta non raro ad eum Populum ſummis liberandum anguſtijs ad eru-

diendum, & docendum celeſtium rerũ myſteria, ad ſua ei conſilia, & arcana indicanda, denique ad eum magnificandum, atque nobilitandum apud Barbaras nationes Prophetas alioſque eximios viros, & ipſos quoque Angelos miſit, ſeque eius gentis acerrimum eſſe defenſorem, vigilantiſſimum rectorem, ac tutiſſimum protectorem beneuolentiſſimum Patrem clariſsimis ſæpe argumentis demonſtrauit; ſeptima genti huic ſoli legem dedit à ſe conditam, & ſcriptam, qua quid ei agendum eſſet, & fugiendum, quibus ipſe ceremonijs ab ea colendus, quibus item moribus, & inſtitutis eius Reſpublica formanda, & adminiſtranda eſſet ſubtiliter; expreſſeque præſcripſit, octaua quod ex hac vna gente diuerſis temporibus multi prodiere omni genere virtutum, et laudum excellentes, quos nimis longum eſset recenſere; nona, ſolis Iudæis promiſsus eſt Meſsias ex ipſis naturam humanam ſumpturus, cum ipſis in eorum Patria familiariter conuerſaturus, ipſoſque doctrina ſua exemplo vitę frequentiſsimis miraculis, atque innumerabilibus alijs beneficijs ornaturus, & illuſtraturus; decima prerogatiua, Ex Iudæa, & ex Iudæis lex, & doctrina Euangelica profecta eſt ad omnes gentes, & per omnes mundi oras diuulgata, & diſſeminata. Filij namque Iudæorum fuerunt Apoſtoli, qui Eccleſiæ gentium Parentes fundatores, & doctores fuerunt.

De Vniuerſi integritate, & Perfectione, & pulchritudine; Necnon de ceſſatione Diuina ab omni opere, quod patrarat. Cap. V.

De Vniuerſi integritate perfectione, & pulchritudine. Art. I.

1 IN principio huius libri variæ hæreſes de Creatione, & Creatore rerum, & totius vniuerſi recenſitæ, & confutatę ſunt potiſsime illa Manicheorum, & aliorum dicentium Deum non eſſe Creatorem omnium creaturarum, & ponentes duos Deos, ſeu duo principia vnum bonum, à quo bona cuncta procedunt, & alterum malum, à quo cunctæ creaturæ malæ conditæ ſunt, quæ hæreſes à Moyſe dictante Spiritu Sancto exploſæ ſunt illis verbis, viditq; Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, nunc pariter dicendum Deum verum bonum eſſe vnicum omnium creaturarum principium, & Creatorem, & nullam creaturam eſſe malam, ſed non ſolum bonam, ſed valde bonam; Quoniam igitur in viſibilibus Deus non ſolum lumen condidit, ſed tenebras contrarias luci (intellige priuatiue) et non ſolum diem, ſed & noctem oppoſitam diei, et in ſeminibus quæ ex terra naſcuntur non ſolum herbas vtiles, ſed & pernitioſas, & arbores non ſolum fructuoſas, ſed & infructuoſas.

2 Et Animalia non ſolum manſueta, ſed & ſilueſtria, & truculenta, et in illis quę aquę produxerunt, vel ex aquis

pro

Digitized by Google

producta ſunt non ſolum piſces, ſed & cete, & aliæ marinæ beluæ, Item terra non ſolum habitabilis eſt, ſed etiam inhabitabilis, & non ſolum planities ſunt, & campi, ſed colles, & inter aues non ſolum ſunt domeſticæ, & vtiles, ſed etiam feræ, nullumque comodum per ſe afferentes, vt Milui, vultures, & aliæ ſimiles; Præterea in his, quæ terra profert non ſunt tantum iumenta, & innoxia Animalia, ſed etiam ſerpentes, Tygres, Leones, & Pardi; Quin & in aere non ſolum pluuiæ, & venti vtiles, ſed & grandines tonitrua, & fulmina. De quibus cum Moyſes loqueretur ſingillatim de vnoquoque dicebat, & vidit Deus, quod eſſet bonum; & de omnibus ſimul, viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, nec hoc fruſtra, ſed rationabiliſſimè, vt os maledicum contra Creatorem, & Creaturam penitus obſtruatur.

3 Pro dictorum intelligentia notandum eſt, quod ſingulæ res creatæ, vt ab inuicem ſeparatæ ſingulæ habent ſuam ſingularem bonitatem, & vt coniunctę, et vnitæ habent aliam bonitatem; In qualibet re per ſe conſiderata eſt duplex bonitas vna ſubſtantialis, altera accidētalis, bonitas ſubſtantialis conſiſtit in eſſentia ſiue Phyſica, ſiue Metaphyſica, quæ alias dicitur quidditatiua, et ſpecifica, quæ ſalua natura, et ſpecie, nec augeri, nec minui poteſt, nam quidditates rerum omnium ſunt ſicut numeri teſte Philoſopho, bonitas accidentalis duplex eſt vna conſiſtit in proprietatibus, et accidentibus rei, vt ea res hoc modo bona dicatur, cui naturaliter inſunt, vel conueniunt, quæ tamen illi non ſunt neceſſaria, vel eſſentialia, altera bonitas eſt in propria cuiuslibet rei operatione, per quam finem vltimum adipiſcitur, quæ ſi perfecta fuerit, rem quoque, cuius operatio eſt perfectam eſſe, et arguit, et facit: ſecundum has duas bonitates Deus in exordio mundi res omnes fecit non bonas modo, ſed etiam optimas, quippe cuicumque dedit ſuam quidditatem ſpecificam cum omnibus accidentibus, et proprietatibus perfectis.

4 Denique vt tales eſſent per quam idoneæ ad omnes ſuas proportionatas actiones, & munera perfectè obeunda, & explenda; Alteram bonitatem, ſeu perfectionem dedit Deus cunctis creatis rebus, quatenus ſunt vnitæ; nam prout dicit D. Auguſtinus lib. 1. de Geneſi contra Manicheos Cap. 21. & lib. 3. de Geneſi ad litteram cap. vltimo non fruſtra inquit additum eſt valde, quia, & corporis membra etiam ſi ſingula pulchra ſint, multo ſunt tamen in vniuerſi corporis compage omnia pulchriora, nam omnis pulchritudo, quæ partibus conſtat multo eſt laudabilior in toto, quam in partibus, ſic vt in corpore humano ſi laudamus oculos, naſum, caput, manus, pedes, ſi ſeparata à corpore videremus, non diceremus, tam pulchra, quam in illa membrorum commixtione cum loco ſuo poſita in vniuerſo corpore cernūtur (deinde parum poſt) immo tanta eſt vis, & potentia integritatis, & vnitatis vt licet, quæ peccando amittunt decus propriū nullo tamen modo, efficiunt, vt non etiam ipſa rectè ordinata cum toto, atq; vniuerſo bona ſint.

5 Sed erectis oculis intellectus noſtri inſpiciamus in rebus creatis iſtam bonitatem, ſeu perfectionem, integritatem, & pulchritudinem, quæ aduenit mundo vniuerſo ob multas cauſas; primo ob rerum varietatem; aliæ enim ſunt incorporeæ, vt Angeli, iique in varias ſpecies; Hierarchias, & Choros diſtributi, ſuntque plurimi, & pene innumeri; aliæ ſunt corporeæ; & harum, aliæ ſunt de facto incorruptibiles, vt Cœli, & ſidera, aliæ ſunt corruptibiles;

Digitized by Google

eæque duplices ideſt inanimes, & animatæ; rurſus Animatæ, aliæ ſunt plantæ, aliæ Animalia; Aliæ denique ſunt partim corporeæ, & partim incorporeæ, vt homines; Iam quanta varietas hominum informa, & vultu in ingreſſu, in voce, in genio lingua, ſtudijs, officijs, moribus, legibus, inſtitutis, & religionibus; ſecundo ob rerum omnium ordinem, & aptiſſimam diſpoſitionem; nobiliores enim ſummum mundi tenẽt locum, ignobiliores infimum, mediæ medium, eæque per ſuperiores aguntur, ſeruantur, & reguntur; tertio ob rerum, plenitudinem, & vniuerſitatem. In mundo enim ſunt omnia tripliciter; primo ſecundum generales gradus rerum qui quattuor ſunt eſſe viuere ſentire, & intelligere, ſecundo ſecundum cuiuslibet horum graduum genera omnia, & ſpecies; tertio quod nihil vnquam ſit, nihilque factum ſit à Deo, quod non in mundo contineatur.

6 Quarto ob omnium partium inter ſe arctam, miramque connexionem non modo ſecundum quantitatem, vt nihil ſit vnquam inane, & vacuum, ſed etiam in ſerie, contextuque naturalium ſpecierum videlicet, vt nulla ſit interruptio, vtque quælibet pars alijs vicinis circumquaque aptiſſime, & amiciſſime aſtricta, & deuinta ſit. Quinto ob rerum inter ſe diſcordem concordiam, obque rerum ſimpathiam, & antipathiam, talis antipathia eſt inter ouem, & lupum, felem, & murem, aliaſque res innumerabiles; Simpathia eſt inter magnetem, & ferrum, inter herbas mares, & fœminas, inter metalla varia, inter liquores, inter Animalia; ſexto ob miram rerum omnium, tum inter ſe, tũ cum toto mundo proportionem; Hæc enim ſimilis eſt proportioni, & pulchritudini humani corporis, quæ ex concinna menbrorum omnium compoſitione conſurgit quo fit, vt ſicut homo eſt parvus mundus, ita mundus ſit magnus, quidam homo.

7 Septimo ob diuinam, optimamque mundi ad miniſtrationem; primo quod Deus ſingulis rebus etiam viliſſimis quæcumque, vel neceſſaria, vel opportuna ſunt ad vitam cuiuſcumque tuendam, finemque conſequendum ſapientiſſime, & liberaliſſime compartit ſecundo quod ſingulas etiam ratione, & ſenſu carentes ad finem ſuum dirigat, quodque eius ductu illę ad finem ſuum perueniant perinde, ac ſi actiones, & fines ſuos cognoſcerent, & intenderent, vt clarè patet in auibus, dum nidos conſtruunt, in motu ſolis, Cœlorum, & ſiderum, tertio quod ſingulas ex æquo, ita temperet, vt vices ſuas viciſſim frãgendo, & ſeſe corrumpendo mundo, ſibique, non ſint exitio, ſed ſaluti, & ornamento, quarto quod ſingulæ publicum bonum priuato præferant, vt cum corpus graue aſcendit ſurſum, & leue deſcendat deorſum, vt vacuum impediant; octauo quod omnes res mundi ad hominis vtilitatem compoſitæ ſint; Aliæ enim pertinent ad vitæ humanæ neceſſitates, & comoditates, aliæ ad varias hominum delectationes, & oblectationes, alię ſunt morborum remedia, & ſanitatis præſidia multę ad exemplum & imitationẽ ſunt propoſitę, omnes conducunt ad ſcientiam rerum, & maxime ad Dei notitiam amorem, & religionem concipiendam, plura alia ſunt ad hoc conducentia, ideſt ad hanc vniuerſi pulchritudinem, ſed relinquamus breuitati conſulentes.

8 Hoc vniuerſum, ſiue iſte mundus non potuit fieri melior; primo ſecundum ſubſtantiam, & eſſentialem rerum perfectionem; quæ nullatenus augeri poteſt; ſecundo penes ordinem, & diſtinctionem partium mundi, & aliorum, quæ in eo ſunt, qui ordo vſque adeo bonus eſt, vt melior eſſe non poſſit; tertio

tio in regimine, & gubernatione, quæ optima, & præſtantiſſima eſt, quarto ſecundum proportionem,& conuenientiam, aptitudinemque partium mundi inter ſe, & ipſo mundo; quinto ex parte agentis, quia mundus non poteſt fieri à meliori agente, quam eſt factus cum ſit factus à Deo optimo maximo, nec ex parte finis, quia finis vniuerſitatis creaturarum iſdem eſt Dominus Deus; vniuerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus Prou. 16. Partes permanentes huius mundi cuius modi ſunt naturæ intellectuales Angelus, & homo, cœleſtes, vt Cœlum, & ſidera, elementales, vt ſunt quattuor elementa non poſſunt corrumpi, vel deſtrui virtute agentis naturalis, & quæ ſunt immediate à Deo productæ, & quæ ſunt de conſtitutione Mundi, ſine quibus Mundus eſſe non poteſt; ſi conſiderentur in ordine ad ſe ipſas, & in ordine ad vltimum finem ipſarum, qui eſt Deus non poſſunt fieri meliores quo ad ſuas proprietates, quas habent, quia proprietates, quas modo habent conueniunt illis ratione finis ipſarum, & ratione ordinis, quem inter ſe habent, ſed finis, & ordo iſtarum vltimatus eſt Deus optimus ergo, & proprietates, quas habent ſunt optimæ, & per conſequens non poſſunt meliorari, quia finis ipſarum non poteſt eſſe melior.

9 Potuit hic Mundus fieri melior, quam ſit factus, ſecundum quantitatem hoc eſt, tam ſecundum magnitudinem, quam ſecundum numerum, nam, & Cœli,& elementa potuerunt fieri maiora, quam ſint, & potuit Deus facere multo plures Cœlos, & in his plura grandiora, & pulchriora ſidera; Secundo penes plenitudinem, & vniuerſitatem rerum, etenim infimæ rerum ſpecies longe plures, quam ſunt, creari potuiſſent; tertio ſecundum durationem potuit enim, ita fieri mundus, vt antiquior eſſet, quam nunc eſt, & futurus eſſet diuturnior; quarto ſecundum perfectionem accidentalem rerum naturalem, quæ perfectio magis, magiſque poteſt intendi, & de facto meliorabitur, & meliorantur partes eius permanentes, & renouabuntur poſt Iudicium vniuerſale, iuxta illud Iſaiæ 30. erit lux Lunæ, ſicut lux Solis,& lux Solis ſicut lux ſeptem dierum, & iuxta illud Apoc. 21. vidi Cœlum nouum, & terram nouam, & prima terra abijt, & mare iam non eſt.

10 Partes tranſeuntes, quæ ſcilicet poſſunt corrumpi, & deſtrui virtute agentis naturalis, & quæ non ſunt immediate à Deo productæ, nec ſunt de integritate vniuerſi, vt indiuidua corruptibilia ſcilicet hic Equus,hic Leo, ſine quibus Mundus eſſe poteſt,& à Deo mediate, ideſt ſimul cum Agente naturali particulari producuntur; iſtę partes inquam quantum ad proprietates, quas habent, poſſunt fieri meliores, quia huiuſmodi partes non ſunt de ſubſtantia, ſeu de integritate vniuerſi, alioquin mundus aliquando eſſet integer aliquando non, quia iſtæ partes quotidie corrumpantur, et generantur, ergo abſque præiudicio mundi poſsũt proprietates illarum fieri meliores, quia per hoc nõ tolleretur natura, nec ordo vniuerſi, & experientia quotidiana conſtat indiuidua ſpeciei humanæ quotidie meliorari, et peiorari quoad proprietates naturales, quantum ad ſanitatem, & ægritudinem, et quantum ad vitia, & virtutes.

11 Valdè probabile eſt Deum produxiſse iam omnes ſpecies poſsibiles rerum Doctor ſubtilis in 3. diſt. 13. q. 1. vbi maxime docet de gratia Chriſti qua non poteſt dari alia maior. Cauendus eſt tamen in primis error VViclef Hæretici, qui dicebat, quod diuina potentia iſtis rebus conditis abſoluitur, et limitatur,

tur, ita refert Thomas VValdeſis libro primo doctrinalis antiquæ fidei à Cap. 10. vſq; ad 19. idem ſenſit Petrus Abailardus ex Diu. Bernardo Epiſt. 190. et Caluinus in comment. Cap. 23. Ezechielis, et lib. de æterna Dei prædeſtinatione, et alibi; Pro reſolutione, et notitia huius difficultatis vere maximæ. An ſcilicet Deus poſsit quacumq; ſpecie creata aliam perfectiorem producere; Vel quod idem eſt, an Deus produxerit iam omnes ſpecies poſsibiles notanda ſunt dicta ſequentia; Primum Deus non poteſt facere Mundos infinitos numero actu eiuſdem rationis cum iſto, quia infinitas in numero ſiue multitudo actu infinita non eſt poſsibilis, ita D. Thomas p. p. q. 7. art. 3. Scotus in 1. diſt. 1. q. 3.

12 Secundum dictum Deus non poteſt facere Mundum iſtum maiorem extenſiue in infinitum, quia corpus actu infinitum non eſt factibile D. Thomas loco citato art. 2 et Scotus loco cit. tertium dictum Deus non poteſt facere meliorem in infinitum bonitatem accidentalē, quia qualitatem intenſiue infinitam non poteſt producere Deus quia non eſt producibilis Scotus in 3. diſt. 13. q. 2; Quartum dictum Deus non poteſt facere infinitos Mundos ſpecie diſtinctos, quia ſi multitudo numeralis in actu nō poteſt dari multo minus dabitur multitudo infinita ſpecierum in actu; Quintum dictum de facto datur ſumma gratia, ita quod maiorem Deus creare non poteſt Scotus in 3. diſt. 13. q. 2. et hæc eſt gratia habitualis Animę Chriſti. Idem videtur ſentire de natura Creata, vbi ſupra, & in reportatis lib. 1. diſt. 44. q. 2. Ex his ſequitur reſponſio ad difficultatem, quod in perfectionibus ſpecificis creaturarum non eſt poſsibilis proceſsus in infinitum, ſed eſt data, vel dari poteſt creatura ita perfecta, qua perfectior dari non poteſt.

13 Oppoſitum affirmant D. Thomas p. p. q. 25. art. 6. et cum eo omnes Thomiſtæ D. Bonau. in 4. diſt. 44. art. 1. q. 2. in corpore, et ratio iſtorum eſt, quia quæcumque creatura producta habet finitam, et limitatam perfectionem, ergo quacumque data Deus poteſt aliam perfectiorem creare; ſecundo probant, quia quacumque creatura perfectiſsima creata adhuc remanet in Deo infinita potentia ad creandam perfectiorem illa, alias eſset in Deo finita potentia, quod eſt hæreticum; tertio, quia quacumque creatura data nulla eſt repugnantia, nec ex parte Dei, nec ex parte creaturæ quin Deus poſsit aliam perfectiorem creare, ergo poteſt, quod non ſit repugnantia ex parte Dei patet, quia eſt omnipotēs; quod non ex parte creaturæ, probatur quia ex hoc non ſequitur quod detur aliqua creatura infinite perfecta; et licet quælibet creatura determinet certam perfectionem, tamen non repugnat quod detur alia, et alia creatura perfectior illa; Reſpondetur ad primum quod petit principium cum aſsumit quod omne finitum poteſt excedi à finito, quia hoc non eſt verum, niſi ponatur poſsibilis proceſsus in infinitum. ſi enim eſt ſtatus, tunc eſt dare ſupremum finitum, quod non poterit excedi niſi ab infinito, et quia de illo proceſsu in infinitum queritur, ideo illud aſsumere eſt petere, quod erat in principio.

14 Vel dicendum eſt clarius quodlibet finitum ratione qua finitum abſolute poteſt excedi à finito implicat contradictionem, quia ſi excederetur ab alio finito, iam non daretur ſupremum inter finita; ſed ponendo ſtatum in gradibus rerum, ponitur ſupremum, atque adeo eſt clara contradictio dicere, quod quodlibet finitum poſsit excedi ab alio finito, et quod ſit dabile ſupremum, et per hoc patet reſponſio ad alia duo nam licet in Deo ad ſupremam Creaturam fini-

Digitized by Google

finitam remaneat infinita potentia diuina non tamen ad ea, quæ contradictionem inuoluunt; producere autem perfectiorem creaturam perfectiſsima ſuprema implicat contradictionem, quia aliàs illa non fuiſſet ſuprema, & perfectiſſima atque adeo licet non ſit repugnantia ex parte Dei, eſt tamen repugnantis ex parte creaturæ, quia implicat dari creaturam perfectiorem ſuprema, & perfectiſſima, vt patet conſideranti. Hæc ſuperius dicta, & concluſa applicanda ſunt tribus ſingularibus perſonis nempe Adamo; Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Beatiſſimæ Virgini Mariæ, & inquirendum an iſtæ tres Perſonæ potuerint eſſe meliores.

15 Et primo de Adamo non ſine ratione fit talis inquiſitio cum Adam ex dictis fuerit perfectiſſime formatus, & creatus, ideo Alexander de Ales p. p. q. 21. membr. 3. art. 4. reſpondet diſtinguendo, quod hominis ſtatus poteſt conſiderari quantum ad ſe, & quantum ad ordinem vniuerſi; Item poteſt conſiderari quantum ad præſens meritum, & quantum ad futurum præmium. Dicit ergo Alexander primo, quod ſi conſideretur homo quantum ad eſſe abſolutū, & ſimpliciter melius eſt illi non poſſe peccare, quam poſſe peccare; ſi tamen conſideretur homo in ordine ad vniuerſum, melius eſt quod habeat libertatem, ſiue naturam liberam qua poſſit peccare, & non peccare, quia ad perfectionem vniuerſi hoc ſpectat, & quia bonum vniuerſi eſt melius bono particulari, ideo melius eſt, quod homo fuerit creatus cum libertate peccandi quam ſine illa.

16 Secundo dicit, quod ſi conſideretur in ſe, & quantum ad præſens ſtatum melior, & nobilior eſſet natura eius ſi non poſſet peccare, non tamen eſſet ei melius quantum ad ſtatum gloriæ futuræ, magis enim meretur regulariter qui poteſt peccare, & non peccat, quam qui non poteſt peccare; Vnde habet homo modo meritum gloriæ per gratiam Dei, & per merita ſua, atque adeo cedit ad maiorē gloriam, & coronam hominis, quod bene operetur, cum tamen poſſet peccare, quam ſi non poſſet peccare ſimilia habet D. Bonauentura in p. diſt. 44. dub. 2. circa litteram Magiſtri; quod aliquid poteſt dici melius dupliciter, vno modo ſimpliciter, alio modo in ordine ad finem ſi loquamur ſimpliciter melior eſt homo confirmatus in gratia, quam ille, qui poteſt labi, ſi loquamur in ordine ad finem per merita ſua, ſic melius fuit facere hominem in libertate peccandi; ſed tamen primum eſt melius ſimpliciter, hoc ſecundum quid; Hæc ex D. Bonauentura loco citato.

17 Sed quomodo Ieſu Chriſto Domino noſtro hæc applicanda ſunt nota ex D. Thoma in p. ſent. diſt. 44. q. 1. art. vbi dicit, quod ſicut quolibet bono creato, quod finitum eſt poteſt eſſe aliquid melius (intellige ſi illud non ſit ſupremum, & perfectiſſimum) ita bono increato, eo quod infinitum eſt nihil melius poteſt eſſe, et ideo bonitas creaturæ poteſt dupliciter conſiderari, vno modo quatenus eſt propria ipſius creaturæ in ſe abſolute conſideratæ, et qualibet creatura (ſi non ſit ſuprema) poteſt eſſe aliquid melius intra fines Creaturæ; Secundo poteſt conſiderari bonitas creaturæ per comparationem ad bonum increatum, et ſic bonitas creaturæ recipit quandam bonitatem infinitam, vel potius quandam infinitatem ex infinito bono increato, cui cōparatur etc. ita ille, ex qua doctrina licet inferre, quod humanitas Chriſti cum ſit finita poteſt admittere meliorationem quatenus in ſe ſimpliciter, et abſolute conſiderata, quatenus vero eſt verbo vnita habet quandam infinitatem, et

non

non poteſt meliorari, ſic ex D. Thoma.

18 Alexander de Alès p. p. q. 21. Membro 3. art. 5. ad hoc propoſitum dicit, quod humanitas Chriſti poteſt conſiderari in eſſe naturæ, et in eſſe gratiæ, et in eſſe vnionis, in eſſe naturæ ad huc dupliciter ſecundum ſe, et in ordine ad aliud, ſi conſideretur Chriſtus per humanam naturam ſecundum ſe melior potuit fieri, quia potuit fieri impaſſibilis, et immortalis, ſi conſideretur in ordine ad noſtram redemptionem, propter quam factus eſt homo, nõ potuit fieri melior, quia melius fuit noſtræ miſeriæ ſanandæ, vt eſſet mortalis & paſſibilis; ſi loquamur de bonitate gratiæ dicendum, quod Chriſtus fuit, ita bonus, quod nullus melior fuit; ſed ſi dicatur optimus, quo nullus potuit eſſe melior diſtinguendum eſt, quod nullus potuit me lior de potentia receptiua, vel paſſiua recipientis, potuit tamen eſſe melior de potentia actiua operantis, cuius omnipotentia eſt infinita; Scotus vero diceret, quod Chriſtus eſt optimus etiam de potentia actiua operantis, quia Deus non poteſt meliorem gratiam creare, gratia Animæ Chriſti, cum illa ſit ſuprema gratia poſitiue, & negatiue, ita Scotus in 3. diſt. 13. q. 2. ſi autem loquamur de gratia vnionis ſic non potuit eſſe melior, quia non poteſt maior participatio bonitatis diuinæ inueniri, quam illa, quæ eſt Chriſto per vnionem.

19 Similiter fere reſpondet D. Bonauentura dicens in 1. diſt. 44. dub. 3. circa litteram Magiſtri, quod tripliciter poſſumus loqui de Chriſto, aut quãtum ad vnionem, aut quantum ad gratiam ſingularis perſonæ, aut quantum ad proprietates naturæ; primo modo quantum ad vnionem, nec Deus poteſt plus dare, nec creatura plus recipere, quia vnionis gratia ex parte alterius extremi eſt dignitatis infinitæ ſcilicet, quod homo ſit Deus, quam vis ex parte humanitatis quicquid eſt, eſt finitũ, et ideo non ponitur limitatio ex parte Dei, nec ex parte creaturæ ponitur capacitas infinita niſi per vnionem, videlicet quia vnitur homo bono infinito, ita quod homo eſt Deus, qui eſt bonitatis infinitæ. Si autem loquamur quãtum ad gratiam ſingularis perſonæ, ſic concedendum eſt (inquit ipſe) quod Deus potuit plus dare, quod Scotus non concederet.

20 Cæterum rationalis creatura non potuit amplius recipere, non quia capacitas Animæ ad gratiam per collationem gratiæ minuatur, quia nec minuitur, nec augetur, ſed conſumatur, et completur, et ideo non eſt poſſibilis ad amplius; ſi vero loquamur quantum ad proprietates naturæ ſic potuit de bonitate dare, & creatura recipere quantum ad ea ſcilicet, quæ ſunt corporis, quia nunc plura habet, quam quando factus eſt, quia modo eſt immortalis, & impaſſibilis, ſed non potuerunt fieri, & ſaluti noſtræ effici congruentiores ſtante decreto voluntatis diuinæ, quæ voluit ſalutem noſtram operari per mortem, & paſsionem filij ſui; Durandus in 1. diſt. 44. q. 4. art. 3. dicit quod Deus potuit facere, & fecit melius humanitate Chriſti quantum ad gradum naturæ, ſcilicet Angelum, & quantum ad dona gratiæ gratis datæ, ipſum meliorauit in reſurrectione quantum ad corpus, & quantum ad Animam ſecundum inferiores vires; ſed nec ipſam, nec aliam inferiorem creaturam potuit vnire meliori ſuppoſito, propter quod gratia vnionis illius humanitatis fuit tanta, quod maior eſſe non potuit.

21 Beata Virgo Maria ſecundum bonitatem ſuam in ſe conſideratam, bonitas ipſius potuit eſſe maior; conſiderata vero in ordine ad finem ſic Beata Virgo non potuit fieri melior ſcilicet quan-

Digitized by Google

quantũ ad eſſe, quod in ea conciperetur Chriſtus, & conſequẽter, quod ipſa erat futura Mater Chriſti, ſic Alexander de Ales p. p. q. 21. membr. 3. art. 6. & D. Thomas dicit, quod B. Virgo ex hoc, quod eſt Mater Dei habet quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt Deus, & ex hac parte non poteſt aliquid fieri melius ea, ſicut nõ poteſt eſſe aliquid melius Deo D. Bonau. loco citato dubio 4. ſic loquitur, quod de B. Virgine poſſumus loqui quantum ad tres condiciones, quas habet ſcilicet quantum ad gratiam cõceptionis Chriſti, quantum ad gratiam ſanctificationis ſiue iuſtificationis, & quantum ad naturam corporis; ſi quantum ad gratiam conceptionis Chriſti, ſic quia fuit Mater Chriſti Dei, quo nihil melius excogitari poteſt, aut nobilius, & Mater nobiliſsimi filij ſic tantam habuit bonitatis dignitatem, quam nulla mulier amplius capere potuit; ſi enim omnes creaturæ quantumcumque aſcenderent in gradibus nobilitatis eſſent præſentes, omnes exhiberent reuerentiam Matri Dei; ſi autem loquamur quantum ad gratiam iuſtificationis tantam habuit, quantum pura creatura humana, quæ facta eſt, recipere potuit; ſi quantum ad corpus, naturalia optima habuit ſecũdum quod fini competens fuit, ſimpliciter tamen meliora poterat recipere, & Deus dare Durandus loco citato ait, quod Deus potuit facere, & fecit aliquid melius B. Virgine, & quantum ad gradum naturę ſcilicet Angelum, & quantum ad dona gratiæ, vt humanitatem Chriſti, non potuit tamen facere, quod ipſa, vel alia eſſet mater melioris filij.

De Ceſſatione Diuina ab opere ſuo, & ſanctificatione ſabbati. Art. II.

1 COmpleuitque Deus die ſeptimo omne opus ſuum, quod fecerat, & requieuit die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat; Liranus, & Toſtatus hic exponentes illud compleuit dicunt, quod duplex eſt completio alicuius rei prima eſt, quando aſſequitur formam debitam ſubſtantialem, & qualitates ipſam formam ſubſtantialem naturaliter conſequentes; ſicut ignis quãdo per generationem aſſequitur formã ignis, & qualitates concomitantes, & ſecundum iſtum modum res dicitur perfecta in ſe ipſa; Alia dicitur perfectio, ſeu completio vltimata quando exit in operationem ſibi debitam, ſicut quando ignis calefacit, vel ignit, ſeu generat ignem; prima perfectio, ſeu completio appellatur actus primus; ſecunda vero actus ſecundus, & prima perfectio ordinatur ad ſecundam, quia actus primus dicit ordinem ad ſecundum; Deus autem in operibus ſuis duo agit principaliter ſcilicet rem ipſam producit, et cõſeruat; per productionem dat rei formam ſubſtãtialem, quæ pertinet ad primam perfectionem, ſeu completionem, per conſeruationem autem dat rei ſecundum perfectionem, quæ eſt agere, vel generare, cum res applicãtur ad ſuas operationes dum in ſuo eſſe conſeruantur; Dicitur ergo compleuiſſe Deus opera ſua ſexta die completione prima, que eſt aſſecutio formæ ſubſtantialis, quia in ſex diebus creauit, vel produxit omnes nouas naturas tam in ſubſtantiali quam in accidentali forma, & perfectione ſeptimo die compleuiſſe dicitur, quia in illo die dedit perfectionem ſecundam, quæ eſt agere; quia ſeptimo

Digitized by Google

die dicitur incepiſſe diem adminiſtrationis, & conſeruationis rerum ſicut ſex dies præcedentes dicuntur tempus productionis, ita dies ſeptimus, & deinceps dicitur tempus gubernationis, per quam res applicantur ad ſuas operationes.

2 Hoc tamen non eſt intelligendum (inquit Toſtatus) ſimpliciter, ſcilicet quod ſimpliciter opus conſeruationis, & gubernationis inceperit à ſeptimo die, quia conſeruatio, & gubernatio Dei non incepit à ſeptimo die, ſed à primo die, Nã ſtatim, quod aliqua res creata fuit, immediate oportuit conſeruari à Deo, alias ſtatim in nihilum rediſſet; Quando ergo dicitur, quod in ſeptimo die incepit opus conſeruationis non eſt intelligendum præciſe, ſed quod ante in ſex diebus concurrebant iſta duo opera ſimul ſcilicet productio, & conſeruatio, in ſeptimo autem die incepit ſola eſſe gubernatio; Non eſt tamen prætereunda ſilentio quædam ſtultitia Iudæorum qui in quodam libello eorum, qui dicitur perequin, vel perechin dicunt, vt refert Toſtatus in Cap. 22. lib. Numerorum qu. 4. quod Deus in Veſpere Sabbati conſumauit opus ſuũ creando tunc res decem; Nam dies ſecundum Hebręos incipit à veſpera pręcedente diem; Creatio autem ſi incepit die Dominica, quæ fuit prima dies mũdi, & durauit per ſex dies incluſiue, harũ vltima eſt ſex feria, quæ dicitur dies veneris in qua eſt creatus Adã, & Eua.

3 Dicunt ergo Iudæi, quod in ſexta feria ad ſolis occaſum incipiente iam Sabbato creauit Deus decem res; & harum prima fuit os terræ, quod deuorauit Dathan, & Abiram; ſecunda fuit os putei, qui ſemper patebat Iudęis viuente Maria ſorore Moyſis, & præcedebat eos in deſerto; tertia fuit os Aſinæ Balaam ad loquendum; quarta fuit Iris apparens in Cœlo; quinta fuit Aries, quem immolauit Abraham pro Iſaac; ſexta fuit Virga Moyſis qua diuiſit Mare rubrum; ſeptima fuit Manna; octaua fuerunt tabulæ legis primæ non ſcriptæ, ſed planatæ ad ſcribendum; nona ſunt ipſi Dæmones apparentes hominibus; decima ſunt ipſæ primæ forcipes, ſiue tanaculæ, ſed Iudæi cęci ſunt, nam poſtquam errauerunt ab vtero locuti ſunt falſa, Dicendum igitur eſt cum D. Thoma, quod ſeptima die aliquid operatus eſt non nouam creaturam condẽdo, ſed creaturam adminiſtrando, & ad propriam operationem eum mouendo, quod aliqualiter pertinet ad inchoationem quandam ſecundæ perfectionis.

4 Cum vero dicitur Deum requieuiſſe die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrauerat, eſt accipiendum inquit D. Griſoſth. hom. 10. in Geneſim, vt intelligamus Deum more noſtro ex fabricatione Mundi quaſi laſſum, & defatigatum cepiſſe requiem à labore, ſed ſcriptura humano more, & quadam attemperatione ad noſtram imbecillitatem loquitur, alioquin niſi hac ratione vſa fuiſſet non poſsibile erat, vt aliquod dictorum ſuorum intelligeremus, nam dicimur nos ab opere quieſcere dum ceſſamus operari; Ita requieuit Deus, id eſt ſubſtitit, & ceſſauit a formandis, producendiſque ex nihilo rebus, vt eſſent, omnia quæcumque oportebat, produxerat, & eum, qui his ſtruturus erat formauerat: Nam poſtquam ſubſtitit opifex, & omnia, quæcumque voluit ſecundum miſericordiam ſuam ſuo præcepto produxit in medium, tunc finem formandi fecit die ſexto; nihil enim aliud die ſeptima producere voluit, eo quod omnia quæ facere voluerat, iam perfecta erant.

5 Beda in Cap. 1. Geneſis, inquit intelligi poteſt Deum requieuiſſe a condendis generibus Creaturæ; quia iam vltra non condidit aliqua genera noua deinceps autem vſque nunc, et vltra, ope-

operatur eorundem generum admini-ſtrationem, quæ tunc inſtituta ſunt; Non enim die ſeptima à Cœli, & terræ omniumque rerum, quas condidit, gubernatione ceſſauit alioquin continuo dilaberentur, neque enim, ſicut ſtructura ædium cum fabricauerit quis, & abſceſſerit, atque illo ceſſante atque abſcedente ſtat opus eius, ita mundus, vel ictu oculi ſtare poterit, ſi ei Deus regimen ſui ſubtraxerit; ſic intelligitur id, quod Saluator dicit Ioan. 5. Pater meus vſque modo operatur, & ego operor, continuationem enim quandam operis eius qua vniuerſam creaturam continet atque adminiſtrat oſtendit.

6 Obijcies Deus de nouo multa facit ſcilicet glorificat homines, & humanam naturam ſibi vniuit, ſacramenta inſtituit, & etiam multa noua eſt facturus, veluti eſt opus iuſtitię punitiuę, qualis apparebit in die Iudicij, & ipſummet vniuerſale Iudicium erit quoddam Dei opus maximum, quod tamen non præceſſit in operibus ſex dierum; Reſpondendum eſt, quod conſumatio operum de qua hic agitur eſt ſecundum perfectionem naturæ; Inde nihil prohibet ad perfectionem gratiæ, & gloriæ alia de nouo poſtmodum Deum feciſſe, vel facturum eſſe; Verumtamen huiuſmodi perfectiones ſupernaturales vniuerſi præceſſerunt aliquo modo in operibus ſex dierum, vel ſecundum potentiam obedientialem creaturæ, quę ſe extendit ad omnia opera ſupernaturalia, aut ſecundum ſimilitudinem ſpeciei quemadmodum omnes Animæ rationales deinceps creatæ, & creandæ quodammodo erant in prima Anima Adæ, omnes nanque ſunt eiuſdem ſpeciei eodem modo ſunt creatæ ad imaginem, & ſimilitudinem Dei ſunt incorruptibiles, immortales, & capaces æternæ beatitudinis, & fœlicitatis.

7 Gloria item Sanctorum hominum in gloria Sanctorum Angelorum præfulſit, & gloria humanorum corporum futura poſt reſurrectionem quodammodo præfulſit in claritate, & gloria Cœli empyrei; obijcies ſecundo in Africa Deus nouas ſpecies Animalium producit ergo; Reſpondetur cum D. Thoma p. p. q. 73. art. 1. ad 3. D. Bonauentura in 2. diſt. 15. art. 2. q. 3. Richardo in 2. diſt. 15. q. 1. quod Deus poſt conditionem rerũ in ſex diebus requieuit, quia poſt illos primos sex dies nihil fecit omnino nouum, quod in operibus illorum ſex dierum non contineretur; Illa autem Animalia noua, quæ in Africa nouiter producuntur ſecundum diuerſas ſpecies continentur potentialiter in ſemine, vel in ſeminibus eorum Animalium quæ ad inuicem commiſcentur, ex quibus naſcuntur talia Animalia nouarum ſpecierum.

8 Non eſt dubium pure gramaticale vbi dubitatur, & quæritur cur dictum eſt quieuiſſe Deũ die ſeptimo ab operibus ſuis, & non in operibus ſuis, ſed habet fundamẽtum in reale miſterium, nam ſic locuta eſt ſacra ſcriptura, vt intelligamus (inquit D. Auguſtinus lib. 4. in Geneſim ad litteram Cap. 15. & Beda in Hexameron) Deum non eſſe adductum ad res creandas vlla neceſſitate vel indigentia, ſed ſua duntaxat bonitate, & munificentia, ſcilicet vt bona ſua cum alijs etiam communiçaret, non igitur requieuit in opere ſuo ex illo vtilitatem vllam, aut voluptatem capiens, ſed requieuit ab opere hoc perfecto, & completo opere requieuit namque in ſe ipſo ſicut ante creationem mundi in ſe ipſo quieſcebat ſe ſolo fruens, & ſe ſolo contentus ac beatus; Requieuit ergo ab opere ſuo ideſt requieuit in ſe ipſo non indigens ſuo opere cum ſine illo ſit perfecte beatus, & ideo dicitur requieuit ab opere, & non in opere ſuo; ideſt licet iſta vere magna, & mirabilia

Deus creaſſet, tamen non habuit gaudium ſuum in illis, ſed ab eis ideſt præter ea, vel ſine eis in ſe ipſo requieuit; non enim eſt magis beatus, vel perfectus Deus poſtquam mundum creauit, quam antequam crearet, & ratio eſt quia diuina eſſentia eſt radix, & fundamentum creandi quodlibet creabile antequam creetur, cum ſit in ſe ipſa, & ex ſe ipſa formaliter infinita, ſicque eſt obiectum beatificum diuini intellectus, & diuinæ voluntatis, & adæquate quietatiuum vtriuſque potentiæ; Vileſceret in ſummo, ſi indigeret quietari extra proprium obiectum beatificum; Infinitum enim in perfectione eſſet vlterius perfectibile, quod implicat; optime igitur eſt dictum, quod Deus requieuit ab opere, & non in opere, quod patrarat.

9 Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum huic diei Deus benedixit inquit D. Griſoſth. hom. 10. in Geneſim, vt oſtenderet diem hunc indicem eſſe perfectionis, & abſolutionis vniuerſi; vel cum alijs, vt innueret diẽ hunc multis, & egregijs beneficijs diuinis, & præclariſſimis factis eſſe honeſtandum, et decorandum; nam Deum alicui benedicere non eſt aliud quam benefacere, & quidem large, & abundanter; Ceterum Deus hunc ſeptimum diem, ab omni labore, & ſeruili opere exemit; ita vt cęteri dies in operando, & laborando conſumerentur, hic autem dies eſſet vacationis, & requiei; Nunc diem Deus ad cultum ſuum applicauit, vt homines à loboribus, & curis terrenis feriati meditationi rerum diuinarum vacuo, et libero Animo vacare poſſent. Hoc die per omnes Sinagogas exponebatur Lex Moyſis, et Verbum Dei explicabatur, vt patet actuum 15. Ab hoc die cęteri omnes Hebdomade dies numerabantur, et nominabantur, apud Iudæos enim prima Sabbati dicebatur dies Dominicus, ſecunda Sabbati dies Lunæ, tertia Sabbati dies martis, et ſic deinceps.

10 Erat dies hic optatiſſimus ſeruis, Ancillis, mercenarijs, et alijs, qui laborando, et ſeruiendo duciter vitam agebant; in eo namque requies ab omni labore dabatur omnibus. Ad huius diei ſimilitudinem quilibet ſeptimus annus erat annus quietis terræ; et tranſactis ſeptem Hebdomadibus annorum vltimus ſeptimæ Hebdomade annus initium dabat Iubileo, quo nihil erat apud Iudæos optatius; Danieli quoque per ſeptuaginta annorum Hebdomadas, ſiue ſeptimanas tempus Meſsiæ aduentus definitum fuit. Ex dictis reſultat difficultas an in principio Mundi fuerit in præcepto obſeruantia Sabbati; De qua re duplex eſt opinio altera affirmans, altera negans; primam ſequitur Philo lib. 3. de vita Moyſis, vbi inquit, quod dies Sabbati habet ex natura ſua hoc priuilegium ante mundum viſibilem conditum, vt obſeruetur, & ideo à principio Mundi putat obſeruari cœpiſſe, cui videtur aſſentire Liranus in lib. Numerorum Cap. 15. & Catharinus in Gen. Cap. 2. nam Moiſes hic narrat in ipſo mundi exordio Deum ſanctificaſſe diem Sabbati, quod nihil aliud eſſe videtur, quam ſanxiſſe, vt hic dies in diuino cultu poneretur ommiſſis laborioſis operibus.

11 Opinionem negantem ſequuntur communiter Theologi, quorum ſententia eſt ante legem ſcriptam ſatis fuiſſe hominibus ſeruare legem naturalem cum ſupernaturali fide, quod etiam ex Apoſtolo colligi poteſt ad Rom. 2. Lex autem naturæ, & ſi aliquo modo colendum eſſe Deum dictet non tamen magis hoc quam alio die, Quod vero Moiſes dicat Deum in exordio mundi ſanctificaſſe diem ſabbati &c. verum eſt ſic tamen quod illa ſanctificatio non fuerit tunc aliquod præceptum, ſed de-

ſtinatio

Digitized by Google

ſtinatio quædam eius ad cultum diuinum, de quo eſſet poſtea ſuo tempore dandum præceptum populo Hebræorum, nempe tempore Moyſis in Deſerto poſt egreſſum populi ex Ægypto duraturum vſque ad Chriſtum verum Meſsiam, quod ſabbatum velut alia Ceremonialia in Chriſti paſsione conſumatum fuit, & translatum in diem dominicum; Et hæc ſufficiant ad complementum quarti libri, & primæ partis Exercitiorum Scholaſticorum, cui quam primum Deo fauente, & auxiliante ſequetur ſecunda pars tres alios libros complectens. Ad laudem, & gloriam Sanctiſsimæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX

RERVM NOTABILIVM, QVÆ IN PRIMA parte Exercitiorum Scholaſticorum in vniuerſam Theologiam practicam, & ſpeculatiuam continentur.

Primus numerus deſignat paginam, ſecundus vero numerum marginalem.

A

Ab vno in quantum vno non prouenit niſi vnum quomodo intelligitur. 369. 3

Abraham Iudæi falſa prædictio. 511. 23

Abſtractum, & concretum ratione formalis ſignificati, tam in diuinis, quam in creaturis importat differentiam rationis ſecundum diuerſum modum concipiendi. 114. 11

Abſtractio eſt duplex præciſiua, & diuiſiua. 316. 2

Ab vltimis diſtinctiuis non poteſt abſtrahi aliquis conceptus cõmunis poſitiuus quomodo eſt intelligendum. 318. 6. & 7.

Accidentia non ſunt prædeſtinabilia. 224. 26.

Accidẽtia vltimatam ſpiritualia, quam materialia reperiuntur in creatis rebus prorſus immutabilia. 101. 6

Accidens exiſtens in ſubiecto corrumpitur tripliciter. 489. 20

Accidentale capitur dupliciter. 308. 13

Accipere eſſe ſtat dupliciter. 300. 17

Actio duplex imminens, & tranſiens. 284. 3.

Actio tranſiens tripliciter accipitur. 422. 27.

Actio non poteſt eſſe in extremum niſi prius fiat in medio propter duas Cauſas. 424. 31

Acta exempla coſtodiæ, & opis Angelicæ ex ſacra ſcriptura. 478. 46

Actus diuini intellectus eſt vnicus ſecundum ſubſtantiam, & realitatem, ſed multiplex eſt terminatiue, ad diuerſa obiecta, ideo multipliciter nominatur. 164. 4

Actus duplex in Deo immanens, & tranſiens. 218. 9

Actus prædeſtinandi quo diuina voluntas tendit ſuper rationales creaturas admittit impropriè quattuor cauſas. 221. 16. & 17.

Actus ſupernaturales voluntatis humanæ præfiniuntur ex intentione efficaci dandi gloriam. 243. 71

Actus huiuſmodi, & ſi præfiniantur non tamen phyſice determinantur. 244. 72

Actus omnes ſupernaturales antecedentes iuſtificationem diſponentes ad ſanctificantem gratiam ſunt prædeſtinationis effectus. 244. 73

Actus omnes de condigno vitæ æternæ meritorij licet mortali peccato interrumpantur ſunt prædeſtinationis effectus. ibid.

Actus voluntatis diuiſio, & ſubdiuiſio. 452. 17.

Actus primus inordinatus Angeli mali fuit velle amicitia ſui ipſius. ibid.

Actus ſecũdus inordinatus Angeli mali fuit velle concupiſcentiæ. 452. 18

Adam intelligens hominem ſub propria ratione proprium etiam nomen ei impoſuit. 113 5

Adam in ſtatu innocentiæ indiguit Angelo cuſtode. 470. 31

Adam in ſtatu Innocentiæ non habuit Dia-

Digitized by Google

Diabolum proprie ad exercitium virtutis. 500.42

Adam dum fuit in Paradiſo terreſtri non comedit de fructu arboris vitæ. 597.16.

Adam primus homo Mundi Dominus poſt mundum creatum creatur à Deo, & varie ornatur. 611.1.& 2

Adæ excellentia varia. 611.2 & 3

Adæ creatio, quare non coniuncta cum creatione aliorum animalium terreſtrium, & in perſona prima pluralis numeri exprimatur faciamus. 612.4.&c.

Adam ſciens lapſum Angelorum malorum poterat fieri cautus ne ipſe caderet. 446.6

Adam in ſtatu Innocentię accepit æqualitatem ſecundum iuſtitiam à diuina iuſtitia. 619.22

Adam creatus fuit in perfecta ætate. 621.28.

Adam an fuerit Gigas, vel ſtaturæ mediocris, & perfectæ magnitudinis. 621.28.29.

Vide V. corpus Adæ, & V. Primi Parentes.

Adamo in ſopore quid contulerit Deus. 625.2.

Adæ coſta quomodo aucta fuit in fabricatione Euæ. 633.17

Adæ verba nunc os de oſſibus meis quomodo intelligantur. 633.18

Adam fuit productus perfectus quoad potētias animæ quæ ob optimam complexionem corporis erant expeditiſſimæ ad operandum. 647.7.8

Adæ intellectus quali ſcientia, & quanta. 647.9

Adam excepto Ieſu Chriſto fuit ſapientior cunctis mortalibus. 648.10

Adam tribus modis præceſſit ſapientia cæteros mortales. ibid.

Adam quomodo potuit proficere in ſciētia. 649.13.14

Adam tria genera ſcibilium habuit ſibi occulta. 649.14

Adam in ſtatu innocentiæ potuit aliqua neſcire non potuit tamen decipi aut errare.

Adā in ſtatu innocentiæ cognouit Deum diſtincte per ſpeciem ſibi inditam non tamen intuitiue. 650.16.17

Adam in ſtatu innocentiæ naturaliter non potuit cognoſcere Deum eſſe trinum. 651.18

Adam non potuit per eſſentiam propriā cognoſcere Deum ſub propria ratione, ſed ſolum vt cauſa. ibid.

Adam per dictam ſpeciem cognouit Deū quidditatiue. 652.21

Adam alijs modis cognouit Deum præter per illam ſpeciem. 652.22

Adam cognouit ſex genera rerum ſupernaturalium. 653.23

Adam habuit præter intellectum aliam potentiam dictam voluntatem, & quidem nobiliorem intellectu. 654.24

Adami voluntas fuit libera tam quoad actus internos tantum quam quoad actus internos, & externos ſimul. ib.

Adam habuiſſe ante lapſum gratiam ſanctificantem eſt de fide. 657.32

Adam ſi non habuit gratiam in inſtanti ſuæ creationis, quod eſt probabile, habuit tamen diſpoſitionem ad eam recipiendam vt colligere eſt ex quattuor indicijs. ibid.

Adam appellauit Euam virago quare? 673.7.

Adam, & Eua quomodo erant nudi. 674.9.

Adæ corpus in ſtatu Innocentię quomodo erat paſſibile. 676.12

Adæ corpus in ſtatu innocentiæ numquā diſſolutum fuiſſet ob tres rationes. 677.14.

Adam in ſtatu innocentiæ loco, & tempore ſuo comedere debebat. 677.15

Adæ datum fuit quadruplex pręceptum in ſtatu innocentiæ. ibid.

Adam quomodo indiguit ſomno, & quomodo

modo dormiſſet in ſtatu innocentiæ. 678.16.
Adæ immortalitas fuiſſet magis ſupernaturalis, quam naturalis. 678.17
Adam habuit duplicem dignitatem. 688.22.
Adæ prohibitus fuit ſolus aſus fructuum ligni ſcientiæ boni, & mali. 696.13
Adoratio aſtrorum Cæli rigoroſe prohibetur in ſacra ſcriptura. 557.25
Aer eſt elementum neceſſarium ad tuẽdam vitam. 571.10
Aeris vtilitates. ibid.
Aeris elementum eſt intra concauum ignis elemeutaris. 571.11
Aeris elementum in tres diuiditur regiones. ibid. & 48.5
Agens triplex. 369.3.4.5
Agens quotupliciter poteſt ſupplere vicem obiecti. 12.24
Agens naturale vnum, vt producat vnũ plura requirit. 369.4
Agens naturale non ſpoliat materiam vna formn niſi inducendo aliam; ideo ſua virtute non poteſt priuare materiam omni forma. 530.14
Agens ſupernaturale non poteſt ſpoliare materiam omni forma reſpectiua, vt creatione paſſiua, eidem identificata. ibid.
Agere propter finem contingit dupliciter. 377.17.& 18
Aggrauatio vid excæcatio.
Amor diuinus erga res poſſibiles duplex. 200.28.29
Amor ſimplex, & amor diſpoſitiuus, quid nam ſint ſecundum Henricum. 362.14.15.
Angelus in aſſumpto corpore non poteſt exercere opera vitæ, & quare. 87.19
Angelus quomodo dicatur audire, videre, guſtare, tangere, & odorare. 88.20.
Angelicarum excellentiarum epilogus. 378.1.e 2.e 3.
Angeli à Philoſophis varie appellantur. 380.5.
Angelorum creationis eſt varia ſententia. 381.5
Angelorum creatio oſtenditur ex ſcripturis. 381.6
Angeli creati ſunt in principio temporis ſimul cum cælo empyreo. 382.7
An Angeli ſint corporei duplex ſententia. 382.8.&c.
Angeli probabilius, & verius incorporei ſic cõmuniter doctores. 382.9.&c.
Angelus proprie nõ componitur ex materia, & forma phyſica. 383.11
Angelus habet materiam metaphoricã, & impropriam. 384.12
Angelus non poteſt dici corporeus eo modo quo anima rationalis dici poteſt corporea. 384.13
Angelica natura, & eſſentia quomodo ſimplex, & incompoſita. 385.14
Angelus poteſt ad plura comparari. ib.
Angeli duplici diſtinctione diſtinguntur intrinſeca, & extrinſeca. 385.15
Angeli quomodo extrinſece diſtinguantur. ibid.
Angeli tribus modis cognoſcunt naturaliter, & ſupernaturaliter. 387.18
Angeli Deo ſeruiunt tribus modis. ib.
An Angeli ſinguli diſtinguantur ſpecie affirmat D. Thomas. 389.22.e 25.e 26. negat Doctor ſubtilis, & alij 389.22.e 23. Angelos omnes eſſe eiuſdem ſpeciei aliqui Patres inſinuant. 390.24 in fine.
Angelus, & anima non differunt ſpecie tanquam duæ ſpecies completæ, ſed tanquam ſpecies, & pars ſpeciei, & per vnibilitatem ad materiã. 391.27
Angeli quomodo ſunt incorruptibiles, & corruptibiles. 392.28
Angelorum numerus vix certo definiri poteſt, non eſt infinitus, ſed innumerabilis. 392.29
Angelis non repugnat motus localis. 395.6
Angelus proprie, & non metaphorice eſt in loco definitiue. 395.7

Digitized by Google

Angelus quomodo contineatur in loco. 395. 6.
Angelus quomodo poſſit eſſe in loco corporeo. 396. 8
Angelus eſt in loco corporeo, vel per applicationem virtutis ad illum ſecundum D. Thomam 396. 8. vel per ſuam ſubſtantiam fundamentaliter ſecundum D. Bonauenturam, & Scotum. ibid. & 397. 10
Angelus de facto eſt in loco per præſentiam ſuæ ſubſtantiæ, & exercitium ſuæ virtutis, iſta duo in Angelo ſunt inſeparabilia. 397. 11
Angelus an poſſit eſſe in pluribus locis ſimul, & quomodo. 398. 12
Angelus habet determinatum locum ſecundum magnitudinem. 399. 14
Angelus an ſit in loco minori determinato; negatur probabiliter, affirmatur probabilius. 398. 14
Angeli plures in eodem loco poſſunt eſſe per potentiam diuinam. 399. 15
Angelus poteſt eſſe in puncto. ibid.
Angelus perficitur aquiſitione vbi. 400. 16. 17.
Angelus vere mouetur localiter. ibid.
Angelus mouetur motu continuo. 401. 18.
Angelus motu conntinuo, & ſucceſſiuo non poteſt moueri in inſtanti. 402. 20
Angelus motu improprie ideſt mutatione poteſt moueri in inſtanti. ibid.
Angelus quomodo poteſt moueri ab extremo ad extremū non tranſeundo per medium. 402. 21
Angelus non mouetur per accidens ad motum alterius. 403. 22
Angelum moueri per accidens quomodo eſt concedendum. 403. 23
Angelus mouet ſe ipſum. 404. 24
Angelus vt plura intelligat requirit plures ſpecies, poteſt tamen intelligere ſimul plura per modum plurium intellectione remiſſa, & imperfecta. 411. 4.
Angelus aliquando intelligit intuitiue, aliquando abſtractiue. ibid.
Angelica cognitio rerum creatarum duplex matutina, ſiue in verbo, & veſpertina ideſt in genere proprio. 411. 5
An Angelus intelligat componendo, diuidendo, & diſcurrendo negat D. Thomas affirmat Scotus. 413. 10. & 414. 11.
Angeli in tribus potiſſimum diſcurrunt. 414. 12.
Angelus in via cognouit diſtinctiſſimè Deum naturaliter per ſpeciem diſtincte Deum, & eſſentiam diuinam repræſentantem ſibi infuſam initio ſuæ creationis. 415. 13
Angelus cognoſcit ſe ipſum per propriā eſſentiam tanquam per rationem cognoſcendi cognitam. 418. 18
Angelus non cognoſcit ſeipſum per habitum ſcientialem ſibi inditum à Deo, vt volebat Henricus. ibid.
Angelus cognoſcit ſeipſum per ſpeciem tanquam per rationem cognoſcendi abſolute. ibid.
Angelus poteſt intelligere alium Angelum, & per eſſentiam eius, & per ſpeciem. ibid.
Angelus naturaliter cognoſcit ea, quæ ſunt futura neceſſario. 419. 21
Angelus naturaliter non cognoſcit futura pendentia à cauſa libera niſi per coniecturam, & indirecte. 420. 21
Angelus in quocumque ſtatu non poteſt naturaliter cognoſcere opera, & myſteria ſupernaturalia. 420. 22
Angeli poſſunt cognoſcere naturaliter Chriſtum hominem in Eucbariſtia. ib.
Angeli boni, & mali non ſolum circa naturalia, ſed etiam circa futura contingentia, & libera poſſunt decipi. 421. 24.
Angeli mali Iudicium poſt peccatum remanſit integrum quoad ſubſtantiam, ſed tamen obnubilatum. ibid.
Angeli quomodo poſſūt obliuiſci. 421. 25

Angeli loquuntur Deo, & Deus illis, item loquuntur inter ſe. 422. 26
Angeli quomodo loquãtur Deo, & Deus ipſis. ibid.
Angeli quomodo inter ſe loquantur. 422. 27.
Angeli non ſolum de internis actibus, ſed etiam de rebus aliis exterioribus loquuntur inter ſe. 423. 28
Angelus vnus pluribus Angelis poteſt loqui, tamen de vno eodemque obiecto non poteſt eſſe locutio ſimul, & ſemel niſi ad vnum audientem. ibid.
Angelus vnus poteſt loqui alteri quin cęteri aſſiſtentes audiant. ibid.
Angelus vnus dum loquitur pluribus Angelis nō poteſt loqui omnibus ęquè diſtincte. 424. 30
Angelus tot locutiones poteſt formare ſimul, & ſemel, quot poteſt in ſuo intellectu ſimul, & ſemel formare intellectiones. ibid.
Angeli ſuperiores illuminantes inferiores loquuntur illis; Inferiores vero loquuntur ſuperioribus non tamen eos illuminant. 426. 34
Angelus ſuperior quomodo illuminat inferiorem. 426. 35
Angelorum modus cognoſcendi res creatas eſt multiplex. 426. 25
Angeli voluntas eſt eadem realiter cum eſſentia Angeli non tamen formaliter. 427. 1
Angeli boni non poſſunt flecti ad malum, nec Angeli mali poſſunt flecti ad bonum quare. 427. 2
Angelus amore elicito naturali habilis erat in via ad Deum diligēdum propter ſe, & ſuper omnia. 430. 8
Angelus naturali dilectione deliberatiua plus Deum diligit quam ſe ipſum. 431. 10.
Angelus poſt Deum diligit ſe ipſum, primo dilectione naturali. 432. 12
Angelus vnus poſt ſe ipſum amat naturaliter alium. 433. 13
Angeli fuerunt à Deo creati perfecti. 435. 1.
Angeli ſtatim creati fruebantur beatitudine naturali. 435. 1
Angeli ſunt creati in gratia ſanctificante ſecundum probabiliorem opinionem. 436. 4. & 5.
Angeli non ſunt conſecuti gratiam ſecundum quantitatem naturalium. 437. 6. e 7.
Angeli non ſunt prędeſtinati ad gratiam, & ad gloriam ex prauiſis meritis eorum, probabiliſſime ex meritis Chriſti. 439. 9
Angeli à primo inſtanti ſuę creationis potuerunt eſſe beati ſecundum potentiam Dei abſolutam, non ſecundum potentiam Dei ordinariam. 439. 10
Angelis bonis non eſt data futura gloria certa praſcientia. 441. 13
Angeli meruerūt beatitudinem per aliquod meritum, & non per merita poſt beatitudinē exhibēda prauiſa. 442. 14
Angelorum beatitudo eſſentialis non poteſt augeri nec minui ſecus dicendum de beatitudine accidentali. 442. 15
Arduum auget rationem meriti. 433. 16
Angelus viator poterat peccare, ſicut de facto peccauit, & non vnus. 446. 6
Angelus primo non peccauit ex errore nec ex ignorantia. 447. 9
Angelus non peccauit ex in conſideratione, ſeu in aduertentia, ſed electione ſciens, & prudens. 448. 10
Angeli mali in primo inſtanti ſuę creationis potuerunt habere malum miſerię, quod habuerunt poſt peccatum. 448. 11
Angelus an in inſtanti ſuę creationis potuerit peccare negat D. Thomas, & alij 448. 11. & 449. 12. affirmat Scotus & alij. 449. 13. 14. 15. 16
Angelus malus appetijt diuinam ſimilitudinem. 453. 20
Angelus malus potuit appeterè ęqualitatem Dei. 454. 21.

An-

Digitized by Google

Angelus malus non potuit appetere æqualitatem Dei volitione ſimplici, & abſoluta, ſed tantum inefficaci, & condicionata. 454. 22

Angelus malus an appetierit vnionem hypoſtaticam. 454. 22

Angelus primus peccauit mortaliter, cuius peccatum fuit cauſa peccati in alijs Angelis per occaſionem non per neceſſitatem. 455. 24

Angelos mitti à Deo in noſtrum miniſterium eſt de fide. 455. 1

Angeli principaliter mittuntur à Deo, ſed vnus Angelus mittit alium minus principaliter. 256. 1

Angelos mitti ad nos ex omnibus ordinibus, & Hyerarchijs eſt valde probabile. ibid. & 457. 4

Angelus mittitur ad nos ad ſupplendam negligentiam noſtram. 452. 2

Angeli dum homini miniſtrant non impediuntur in contemplatione diuina. 456. 3. & 457. 4.

Angeli aſſiſtentes, & miniſtrantes quomodo differant dum mittuntur ex omnibus ordinibus. ibid.

Angeli mali non mittuntur, ſed permittuntur. 458. 5

Angeli mali Deo non aſſiſtunt. ibid.

Angeli mittuntur ad diuerſa officia, & miniſteria. 458. 6

Angeli aliquando mittuntur cum motu locale eorum. 458. 7

Angeli ſæpe apparent incorporibus aſſumptis. 459. 8

Angeli aſſumunt corpora per vnionem accidentalem, quæ in duobus conſiſtit. 460. 9

Angelus poteſt corpus viuum aſſumere, & in illo aliquid operari. 460. 10

Angeli non directe, ſed indirecte poſſunt formare corpora, quę naturaliter vniuocè, vel æquiuocè produci poſſunt. ib.

Angelus poteſt formare corpus phantaſticum, & apparens non tamen vere organicum. 460. 11

Angelus non aſſumit corpus de materia cæleſti ibidem nec ex elemento ſimplici, aut igneum 461. 12. *neque ex terra, vel aqua, ſed tantum ex aere.* 462. 13.

Angeli aſſumpta corpora ex aere volunt ea eſſe mixta mixtione aliqua alterius elementi. 462. 14

Angeli in corporibus aſſumptis non exercent actiones vitales, ſed eas tantum, quæ conferunt ad manifeſtandum miniſterium ſibi à Deo demandatum. 462. 15.

Angelus in corpore aſſumpto poteſt cibũ maſticare. 463. 16

Angelus in corpore aſſumpto non poteſt exercere opera potentia generatiua. 464. 18.

Angelus malus incubus, & ſubcubus plures obſcęnitates exercet cum homine maſculo, & fœmina, ſemen ab eo acceptum, & datum; ſi eſt ratio generandi generatur homo, qui eſt filius nõ Angeli, ſed illius, cuius eſt ſemen. ib.

Angelus poteſt formare voces ſenſitiuas in aere non tamen locutiones. 464. 19

Angeli boni quando apparuerunt hominibus ſub aliqua forma ſenſibili ſemper apparuerunt in forma humana non muliebri, ſed virili, & iuuenili. 465. 20.

Apparitiones diuinæ in veteri teſtamento, probabiliter fuerunt perſonaliter ipſius Dei, & probabiliter Angelorum in perſona Dei. 465. 21. & 22

Angelorum cuſtodia eſt homini multipliciter neceſſaria. 466. 24

Angeli non crearunt nec potuerunt concurrere ad creationem corporis Adæ. 614. 6

Angelus non poteſt organizare corpus humanum. 615. 13

Angelus an eminenter contineat quantitates aut qualitates materiales. 496. 32.

Angelus cuſtos poteſt docere hominem

cuſtoditum pluribus modis. 473. 36. 37
Angelus docendo hominem non poteſt cauſare immediate effectiue intellectionem, nec ſpeciem intelligibilem in intellectu hominis. 473. 36
Angeli Cuſtodes propter bona opera, & ſalutem hominis coſtoditi gaudēt gaudio accidentali. 434. 38
Angeli Cuſtodes offerunt Deo praces noſtras ſicut homines beati, quas multipliciter cognoſcunt. 474. 39
Angeli Cuſtodes, & alij beati quomodo Deo offerant praces noſtras. ibid.
Angeli Cuſtodes pugnant pro nobis tribus modis contra Dæmones. 475. 40
Angelus non relinquit totaliter in hac vita quātumcumque obſtinatum peccatorem. 477. 44
Angeli non compatiuntur miſerijs damnatorum. 477. 45
Angelus cuſtos an doleat de peccatis, & perditione hominis cuſtoditi. ibid.
Angeli omnes amandi honorandi, & colendi cultu duliæ erigendo templa, & altaria in eorum honorem, eoſque inuocando, & pingendo in forma corporea. 479. 47
Angelus non poteſt directè immittere cogitationes bonas in intellectu hominis, nec bonas affectiones in eius voluntate. 498. 36
Angeli virtute diuina poſſunt compellere Dæmones ad aliquid faciendum, vel non faciendum. 499. 39
Angelus, ſiue bonus, ſiue malus immediate non poteſt producere qualitatem corpoream, ſeu materiam alterare. 496. 31.
Altitudo profunditas, & craſſities aſtrorum vix poteſt determinari. 565. 43
Albumazar falſa prædictio aſtrologica iudiciaria. 511. 23
Appetitus naturalis materiæ ſublunarium ad formam Cœli non poteſt expleri per cauſas naturales. 533. 21
Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem. 541. 15
Apoſtoli poſt aduentum Spiritus Sancti fuerunt confirmati in gratia. 488. 16
Apoſtoli, & alij confirmati in gratia habuerunt Angelum Cuſtodem. 471. 25
Ad moueri per accidens ad motum alterius quæ requirantur. 403. 22
Ad quid ecſtaſis, & raptus. 626. 4
Ad pactum implicitum requiritur, vt res aquiratur per medium de ſe inutile abſque auxilio diuino; & ſufficit ſi homo vtatur ſerio ſignis ſuperſtitioſis ſecundū regulas ſuperſtitionis. 503. 13
Anima rationalis non eſt ſibi naturaliter nota quoad eius prædicata propria ex proprijs. 6. 7
Anima Aquilæ, & Anima Bouis differunt ſpecie non tamen ob id vis viſiua hic, & ibi, & multo minus viſio vnius, & viſio alterius in quantum talis, & talis perfectio differunt ſpecie. 133. 42
Anima rationalis naturaliter poteſt corpori ſe vnire vt motor non tamen vt forma niſi diuina potentia. 612. 5
Animam rationalem eſſe, & exiſtere, qui neget pluſquam hæreticus eſt. 636. 4.
Anima rationalis varijs, & pulchris definitionibus definitur. 636. 5. 6. 7. 8
Anima rationalis datur magiſtralis definitio, & declaratur. 637. 8. 9. 10. 11
Anima rationalis à ſolo Deo creatur. 639. 12.
Anima rationalis non prius tempore creata fuit quam corpori infuſa contra Hæreticos. 640. 17
Anima rationalis ob quattuor cauſas fuit creata. 641. 18
Anima rationalis non eſt corpus ſed ſpiritus carens materia, & forma phyſica. 641. 19
Anima rationalis eſt actus ſiue forma corporis humani eſt de fide. 641. 19. 20
Animæ rationales multiplicantur ad multiplicationem corporum humanorum.

Digitized by Google

rum. 643.23.24

Anima rationalis eſt formaliter in homine, & virtualiter continet ſenſitiuam, & vegetatiuam.

Anima rationalis eſt immortalis, quam immortalitatem effectiue habet à Deo & eſt formaliter talis. 644.26.27

Anima rationalis habet tres potentias memoriam intellectum, & voluntatem ſibi realiter identificatas, & à ſe formaliter diſtinctas contra D. Thomam. 644.1.& 646.5

Anima rationalis duæ ſunt portiones ſuperior, & inferior, quæ non ſunt duæ potentiæ diſtinctæ. 645.2.e 3

Animalia irrationabilia adducta ſunt ad Adā in Paradiſo ob duos fines.703 30

Animalium maſculus, & fœmina cuiuſuis ſpeciei tantum fuerunt adducta ad Adam. 702.29

Animalia variæ ſpeciei fuerunt in Paradiſo terreſtri, dum in eo commorarentur primi parentes. 594.8.9

Arcana amicis potiſſimum deteguntur. 9.14.

Animalium irrationalium tria ſunt genera. 603.1

Animalium terreſtrium, tria ſunt genera. 609.15

Animalium nomine, quæ ſexta die creata ſunt non veniunt Animalia, quæ ex congreſſu diuerſarum ſpecierum generantur. 609.16

Animalia minutiſſima, quæ generantur ex putri, & corruptione nō ſunt ſexta die creata, ſed mediate cum creatione rerum ex quarum putri generantur. 610.18

Animalia minuta cognoſcunt Deum, & quo minutiora, & oculis humanis viliora eo magnificentius eundem laudant, & exaltant. 610.19.20

Arabicæ linguæ antiquitas amplitudo, & vſus. 39.52

Arabicæ linguæ magna vtilitas, & præcipue ad exponendam linguam Hebraam. 40.53

Arcana ſcripturarum ſacrarum ſunt difficilia. 43.59

Arcana ſcripturarum ſacrarum quamvis obſcura ſunt tamen ſcrutanda, & quomodo. 45.62

Antiochi pœnitentia conficta, & inutilis. 17.18.

Arida vocata eſt terra, & quomodo. 578.27.

Arboribus Deus ſeptem largitus eſt. 584.10.

Arborum prerogatiuæ, & vtilitates. 585.12.

Arbor vitæ immedio Paradiſi qualem virtutem haberet. 596.13

Arboris vitæ vis ſeruandi hominem ab interitu non fuit illi arbori naturalis, ſed ſupernaturalis. 596.14

Arbor vitæ poſt peccatum non habuit illam vim ſupernaturalem, ſed aliam naturalem, qua natura hominis poterat adiuuari. ibid.

Arboris vitæ fructus, ſiue virtus non erat ad faciendum hominem ſimpliciter immortalem, ſed tantum ad prorogādam vitam ad longiſſimum tempus, in quo poterat non mori. ibid.

Arduum auget rationem meriti. 443.13

A relationibus diuinis originis poteſt abſtrahi aliquis conceptus obiectiuus communis cōmunitate reali. 316.1.3

Arbor vitæ erat vere arbor naturalis ſicut cetera arbores quantum ad veritatem naturæ licet in virtute, & ſpecie differret. 596.13

Ariſtoteles, & Auicennas quid ſenſerint de corporum Cœleſtium, & intelligentiarum neceſſitate, & immutabilitate. 102.9

Ariſtoteles voluit quod intelligere ſubſtantiarum ſeparatarum eſſet ſuum eſſe. 409.1

Aquæ ſuperiores, quanā ſunt. 554.19.20

Aqua elementum pluribus comendatur & eius vtilitates recenſentur. 572.12

Aqua

Aquæ dignificantur portentis, & miraculis diuinis. 572. 13
Aquæ non poſſunt naturaliter eſſe altiores terra. 577. 24
Aquæ diuina virtute congregatæ ſunt, & non quod exſiccatæ ſint. 578. 26
Aquæ diluuij generalis non inundauerunt Paradiſum terreſtrem, ſed immobiles ſteterunt. 593. 7. in fine.
Anguillæ 300. pedum inueniuntur in gange flumine Indiæ. 606. 8
Aſtrologia eſt duplex naturalis, & iudiciaria. 507. 14
Aſtra Cœleſtia non ſunt propriæ cauſæ effectuum ſublunarium. 550. 10
Aſtra Cœleſtia ſunt aliquomodo cauſæ, & ſigna effectum ſublunariũ. 550. 11
Aſtrologia naturalis non eſt quidem prohibita, ſed eſt magna ex parte incerta, & parum vtilis. 507. 14
Aſtrologia iudiciaria eſt mala quia eius vſus eſt diuinæ ſcripturæ, diſciplinæ eccleſiaſticæ, ac doctrinæ Theologicæ contrarius. 508. 15. e 16
Aſtrologi iudiciarij neſciunt enodare faciliores quaſdam quæſtiones de Cœlis, & aſtris. 509 17. & 18
Ad prædicendos futuros euentus non ſufficit perfecta cœli, & aſtrorum ſcientia, ſed neceſſaria eſt cognitio cauſarum proximarum particulariũ. 510. 20.
Armeni impie ſenſerunt Deum eſſe mendacem. 158. 17
Articuli fidei ſunt in duplici differentia. 154. 7.
Ars notoria quid ſit, & eius malitia. 504. 6.
Attributum propriæ quid ſit. 148. 2
Attributa diuina non diſtinguntur inter ſe tantum diſtinctione rationis ratiocinatæ. 89. 25
Attributa, & relationes reales ſunt in diuina eſſentia, ſed diuerſimode. 92. 7
Attributa ſunt in Deo ex natura rei ſecluſa quacumque operatione intellectus noſtri. 149. 4
Attributa diuina ſunt formaliter infinita, alia nimirum infinitate ab infinitate diuinæ eſſentiæ. 149. 5.
Attributa diuina diſtinguuntur formaliter inter ſe, & ab eſſentia diuina. 150. 10. 11.
Attributa diuina ſunt omnino incompoſita, & incomponibilia, & ſe habent ad inuicem, & ad eſſentiam; ſicut actus vltimus ad actum vltimum. 152. 13.
Auguſtini Sancti opinio de cognitione rerum quam habent Angeli in verbo, & in genere proprio non placet communiter Theologis. 412. 7
Auditio Angelica quid ſit. 425. 32
Audire vocaliter, & audire mentaliter quid ſit. ibid.
Auditione eſt certior viſio. 425. 33
Auctor ſacræ ſcripturæ eſt duplex. 35. 46
Authenticum ſcriptum quid ſit. 43. 58
Auicennæ opinio de Anima. 639. 12. 13
Aues, & piſces Deus produxit ex aquis. 605. 5.
Aues, & piſces non ſunt de ſola aqua formati. 605. 6.
Aues, & piſces in multis conueniunt. 605. 56.
Aurum optimum in terra Heuilath. 601. 22.
Auxilia ſpecialia à Deo dantur homini ad duo præſtanda. 208. 19
Auxilia ſpecialia Dei ex ſe ipſis ſemper ſunt ſufficientia ad ſalutem hominis, ſed per accidens dicuntur in ſufficientia. 209. 10
Auxilia ſufficientia omnibus dantur. 209. 12.
Auxilia ſpecialia diuina ſunt iuſtis debita, & quare. 210. 15

B

Beata Virgo probabiliter habuit Angelum Cuſtodem. 472. 34
Beati quantum ad notitiam Theologicam diſcurrunt non tamen cum prioritate tem-

temporis, ſed cum prioritate naturæ. 70.24.
Beati eſto nequeant Deum nolle ſeu odiſſe poſſunt tamen Deum non velle, ſeu non diligere. 79.19
Beati de facto Deum nominant. 112.2
Beati de facto vident Deum ſicuti eſt. 119.34.
Beati videntes Deum intuitiue vident vtique de facto omnia, quæ formaliter ſunt in diuina eſſentia. 134.45
Beati clarè videntes Deum non neceſſario de facto vident libera decreta, & conſilia omnia diuinæ voluntatis. 134.46.
Beatis Deus probabiliter reuelat in viſione beatifica decreta ſuæ diuinæ voluntatis, vel alijs modis ſibi beneplacitis. 134.47. &c.
Beati videntes Deum probabiliter vident aliquas res poſſibiles in eſſentia diuina; excepta Anima Chriſti, quæ omnia videt, quæ videt Verbum. 135.49.
Beati (excepta pariter Anima Chriſti) non vident de facto omnia futura, ſed tantum pertinentia ad ſuum ſtatum non viſionis Beatæ, ſed aliter. 135. 50.51.52.
Beati diſtinctè, & clarè vident de facto in eſſentia diuina omnia myſteria fidei, quæ explicitè in via crediderunt. 136.53.
Beati de facto vident in eſſentia diuina totam vniuerſi huius Machinam, eius compoſitionem, & ordinem eſſentialem, & cætera, tam futura, quam poſſibilia prout à diuina volũtate fuerint limitata. 136.54
Beati vident clarè in diuina eſſentia de facto ſpecies rerum de facto pertinentes ad vniuerſi pulchritudiuem, de indiuiduis eſt incertum. 137.55.56
Beati ſecundum dogma fidei vident orationes quæ ad eos in Eccleſia funduntur. 137.57
Beati de facto vident orationes in Eccleſia ad eos fuſas in eſſentia diuina per reuelationem. 138.58
Beati quomodo cognoſcant pœnas damnatorum. 138.59
Beatitudo nominatur illa ſola perfectio, quę poſſidetur ab ijs qui habent cõpletum gradum intellectualem. 436.3.
Beatitudo eſſentialis Angelorum non poteſt augeri nec vlterius perfici bene tamen accidentalis. 442.15
Beatitudo Angelorum reddit eos impeccabiles ab extrinſeco non ab intrinſeco. 442.15
Beatitudo quomodo ab Angelis potuit tam cito adipiſci. 443.16
Bdelium terræ Heuilath quid ſit. 601.22
Beneficere Dei eſt benefacere. 606.10
Benedictio Diuina quid præſtitit piſcibus, & Auibus. ibid.
Beneficia à Deo hominibus præſtita ſunt duplicia. 372.35. & 36
Beſtiæ nomine, quæ Animalia terreſtria veniant. 409.16
Bonitas eſt triplex. 160.26
Bonitas naturalis duplex. 161.27
Bonitas ſecundaria tribus modis accipitur. ibid.
Bonitas, quę eſt affectio entis tranſcẽdentalis quæ ſit. 161.28
Bonitas vt affectio entis tranſcendentis, quam formalitatẽ importet. 162.29
Bonitas Diuina, vt eſt eius affectio eſt formaliter poſita in ſumma appetibilitate. 162.30
Bona meritoria vitæ æternæ ſemper viuunt in acceptatione diuina licet interrumpantur per peccatum mortale. 245.74
Bona vel mala delectatio ex tribus dignoſci poteſt. 685.15
Bonitas in rebus duplex. 707.3.

C

Cabala quid ſit ſecundum Hebræos. 32.39
Cabala nomen antiquitus horrendum, &

in

manditum. ibid.
Cabala duplex eſt. 32.40
Cabala bona dupliciter declarari poteſt. 33.41
Cabala origo ab ipſo Adamo, vel à Moyſe. ibid.
Cabaliſtici libri admirabilem doctrinam continent quos Sixtus IV. voluit mandare latinis litteris. 34.43
Cabaliſticorum librorum ſtudium debet eſſe moderatum.
Caietanus erronee opinatus eſt Infantes morietes ſine baptiſmo habuiſſe aliud remedium ſalutis. 211.26
Chaldeica verſio à textu Hebraico poſt tranſmigrationem Babilonicam originem habuit. 36.50
Chaldaica interpretatio dicitur Targum 38.50
Chaldaica interpretatio ſiue targum duplex. ibid.
Chaldaica interpretatio ſiue Targum plurimum prodeſt contra Hebręos. ib.
Caluinus. Vide Lutherus.
Capacitas paſſiua intellectus creati eſt ſufficiens ad recipiendam quamcumque cognitionem, quam Deus producere poſſet. 12.23
Cahos, quod Philoſophi ponebant attigiſſe vſque ad Cœlum erat materia omnium corporalium contentorum à Cœlo Empyreo. 531.18
Campus damaſcenus vbi ſit. 622.31
Cauſæ deceptionis in ſomnijs. 514.30
Catena Auicennæ quare dicitur aurea. 368.1
Cauſa prima ſi ad extra neceſſario cauſaret ceſſaret omnis cauſa ſecunda, & & contingentia in rebus. 103.10
Cauſa magnitudinis, & multitudinis piſcium. 606.10.11
Canon librorum Canonicorum ſacrarum ſcripturarum ex Concilio Tridentino. 16.3
Canon librorum Canonicorum non eſt totus ſimul conditus ab Eccleſia. 18.7
Canõ librorum canonicorum ſacræ ſcripturæ ſemel ab Eccleſia conditus non eſt reuocandus in dubium. ibid.
Cœlum empyreum non eſt mobile. 395.5
Cœlum empyreum fuit locus creationis Angelorum. 393.2
Cœlum empyreum eſt corpus ſpirituale, & intellectuale immobile, quietum, nobiliſſimum &c. ibid.
Cœlum empyreum quare ſpirituale, & intellectuale dicatur. 394.2
Cœlum empyreum eſt inter omnia corpora nobiliſſimum, & multis prerogatiuis decoratum. 394.3
Cœlum empyreum proprie conditum eſt propter Angelos, & propter habitationem hominum beatorum. 394.4
Cœlum empyreum vere eſt corpus naturale. ibid.
Cœlum empyreum conſtat ex materia, & forma. 531.18
Cœli quomodo ſunt in loco. 396.6.
Cœlum triplex Aereum, ſydereum, & empyreum. 526.7
Cœli conſtant ex materia, & forma 531.18
Cœlum eſt incorruptibile ſecũdum quid, ob tres rationes. 532.10
Cœli ſunt creati à Deo. 547.4
Cœli quamuis perfecti non ſunt tamen naturaliter beati nec elemẽta. 436.3
Cœli agunt in hæc inferiora. 547.5
Cœli agunt in hæc inferiora non ex ſe, ſed virtute prouenient e à Deo. 548.6.7
Cœli agunt in mixta imperfecta inanimata, & Animata. 550.10
Cœlum empyreum quid influat in hæc inferiora. 547.5
Cœli non mouentur à ſe intrinſecè, ſed extrinſecè ab Angelis. 562.32
Certitudo diuinæ præſcientiæ rerum futurarum à Deo tantum, & futurarum à cauſis ſecundis vnde petenda eſt. 188.21.22
Chriſtiani catholici potiſſimum mulieres ſæpe ſunt ſuperſtitioſi. 59.3.4

Chri

Chriſtus dicitur Angelus. 380.4
Chriſti corpus in Euchariſtia non mouetur per accidens ad motum ſpecierum, ſed à voluntate diuina non nouo miraculo, ſed antiqua voluntate, qua voluit corpus primo ibi eſſe per conſecrationem. 403.22
Chriſtus poſt reſurrectionem an vere comederit, & exercuerit operationem vitalem.. 463.17
Chriſtus non inguit Angelo Cuſtode, nec Dæmone exercente, voluit tamen tamen tentari ob quattuor. 501 43
Cognitio regulariter producitur ab intellectu, & obiecto. 5.6
Cibus in Paradiſo terreſtri futurus erat ex fructibus arborum. 595.11
Cognitio quam in hac vita habemus de Deo, vt vno eſt confuſa, & abſtractiua. 81.2
Cognitio hac dupliciter haberi poteſt. 82.2
Cognitio duplex intuitiua, & abſtractiua, Item cognitio intuitiua eſt duplex. 415.13
Cognitio quam Angelus viator habuit de Deo fuit abſtractiua diſtincta per ſpeciem. 416.14
Cognitio abſtractiua quam habet Angelus de diuina eſſentia per dictam ſpeciem non eſt Angelo naturalis. 417.17
Cognoſcibilia creata ab intellectu Angelico ſunt ſextuplicia. 420.23
Cognitio naturalis manſit in Dæmonibus. 489.19
cognitio ſupernaturalis ſpeculatiua in Dæmonibus eſt diminuta. ibid.
Cognitio ſupernaturalis practica in Dæmonibus ablata eſt totaliter. ibid.
Cognitio quomodo eſt naturalis, & ſupernaturalis. 12.24
Cognitio ſupernaturalis neceſſaria homini non ſemper fuit ſcripta. 21 15
Cognitio diuinarum perfectionum ex perfectionibus creaturarum duplici via ab homine viatore haberi poteſt. 149.3.
Cognitio de Deo quattuor modis haberi poteſt. 652.21
Cognitio non cauſat efficienter actus voluntatis. 655.27 28
Circuli in ſphera aſtronomica ſunt vndecim, quorum duo ſunt viſibiles, reliqui inuiſibiles. 551.12
Circulus Zodiacus quare ſic dictus. ibid.
Circulus quid ſit. 583.7
Ciuitas Conſtatinopolitana anno 1453. à Maometh ſecundo capta eſt, & direpta magno ludibrio Chriſtianorũ. 341.7
Circumincesſio, & modus inexiſtendi diuinarum perſonarum non poteſt perfecte declarari per aliquod exemplum creatum. 348.7
Columba, in qua viſibiliter apparuit Spiritus Sanctus, non fuit vera columba, nec verum Animal. 352.16
Compoſitio, & diuiſio non ſunt formaliter in intellectu diuino. 163.3
Comparatio creaturarum facta cum Deo excludit in eo omnem iuſtitiam legalem in ordine ad ipſas. 277.17
Compoſitio Logica quid ſit. 412.9
cometa quid, & quotuplex ſit. 582.5
cometæ effectus ſeu ſignificata. ibid.
Communicabile duplex. 405.26
Completio alicuius rei duplex. 713.1
Concilium Tridentinum in Canone librorum canonicorum ſeſſ. 4. tria diſponit. 17.5
Concilium Tridentinum definit verſionem latinam Diui Hieronymi eſſe authenticam. & eius vſum vniuerſalem futurum in Eccleſia ſtatuit, & decernit ſeſſ. eadem. 42.58
Concilium Viennenſe in Clement ad noſtrum de Hereticis circa lumen gloriæ duo ſtatuit 124.16
conceptus equiuoce dicitur de actu concipiendi, & de obiecto cognito 316.1.
conceptus communis relationis dicitur in quid de relationibus diuinis, & conceptus perſonæ dicitur in quid de perſonis diuinis. 317.4

concretum, & abſtractum ratione formalis ſignificati, tum in diuinis, tum in creatis importat differentiam rationis ſecundum diuerſum modum concipiendi. 114. 11
confirmatus in gratia dicitur dupliciter. 689. 23
confirmatio in bono non auget neq; minuit libertatis eſſentialis dominiũ. 488. 17
confirmatio in bono auget dominium oppoſitum ſeruituti. 488. 18
concurſus diuinus ad effectus ſecundarum cauſarum eſt ſimpliciter ſufficiẽs ſe ſolo ad ponendum effectum in eſſe. 186. 14
Concurſus diuinus cũ cauſis ſecundis habet fundamentum in decreto diuinæ prouidentiæ, quo ſtatuit ſic regere, ac ſuauiter gubernare res, quas condidit, vt eas proprios motus habere ſineret. 187. 18
Conſcriptus in libro vitæ poteſt excidere à gratia diuina, & tunc vere poteſt eſſe ſimul ordinatus ad gloriam, & ad pœnam. 232. 45
Continentia eſt ſextuplex. 62. 4
Contrahibile eſt duplex. 310. 17
Congregationes aquarum appellauit maria more Hebræorũ, qui cunctas aquarum congregationes tam dulces, quam ſalſas ſolebãt maria appellare. 579. 28
Corpus aſſumptum ab Angelo non poteſt augeri. 364. 19
Corpora naturalia accipiunt ſuam dignitatem, & nobilitatem à forma ſubſtantiali. 547. 3
Corpora cęleſtia inſinuãtur in ſacra ſcriptura corruptibilia quomodo intelligendum. 565. 44. 45
Corpora & elementa cęleſtia conueniunt, & differunt. 568. 3
Corpus Adę fuit conditum, & formatum à Deo non ab Angelis, vel alia creatura. 615. 11
Corpus Adæ quomodo poteſt dici creatũ. 616. 15. & 16
Corpus Adæ non fuit formatum de natura cæleſti. ibid.
Corpus Adæ fuit formatum ex quattuor elementis, ſed pręcipue de terra, ſiue de limo terrę ob prędominium. 617. 17. 18
Corpus Adæ ſine Anima non fuit capax alicuius voluptatis. 619. 23
Corpori humano plures cauſæ finales aſſignari poſſunt. 619. 24. 25
Corpus Adæ quare erectæ figuræ. 620. 25. 27
Corpus Adæ non fuit formatum in Paradiſo terreſtri, & quare. 621. 30
Corpus Adæ ſimul formatum eſt cum creatione Animæ eiuſdem. 622. 32
Corpus Adæ quo loco extra Paradiſum formatum ſit, eſt incertum. 622. 31
Corpus Adę prius natura fuit formatum quam Anima creata. 622. 32
Cõtemplatio organizationis corporis humani. 623. 33. &c.
Coſta Adæ fuit illi abſolute ſuperflua. 628. 8
Corpus Euæ immediate fuit à Deo factũ 629. 9
Corpus Euæ quomodo fuit formatum ex coſta Adæ. 632. 15
Corpus Euæ fuit factum de coſta Adæ dormientis non vigilantis. 632. 16
Creatio quid ſit. 357. 4
Creationis definitio declaratur. 358. 5.
Creatio actiua fundamentaliter, & remote ſumpta eſt ipſemet Deus. 359. 7
Creatio actiua propinquius ſumpta eſt voluntas diuina ſimul cum intellectu. ibid.
Creationis condiciones ſine quibus non; ſunt intellectio, & volitio. ibid.
Creatio actiua pro formali ſumpta eſt relatio rationis in Deo. 359. 8
Creatio quomodo concedi poteſt mutatio. ibid.
Creatio actiua formaliter, & fundamentaliter ſumpta eſt actio Dei immanens. 360. 9
Creatio paſſiua eſt ens reale, ſiue relatio realis

Digitized by Google

realis in creatura. 350. 10
Creari ſtat tripliciter. 631. 12
Creatio non neceſſario, & ſemper terminat ad ſubſtantiam, ſed aliquando ad accidens. 371. 6
Creaturę intellectuales duobus modis cōſiderari poſſunt. 84. 10
Creatura non poteſt eſſe intenſiue infinita. 94. 12
Creatura quacumque inſtrumentaliter non poteſt attingere vltimatum effectum. 367. 27
Creatio multipliciter accipitur. 524. 2.
Creatio ſtrictiſſime sūpta quid ſit. 524. 3
Creatio Animæ rationalis quare nomine inſpirationis, ſeu inſufflationis nominetur. 655. 1.
Creaturas omnes eſſe ſimul conditus opinatus eſt D. Auguſtinus cū alijs 534. 1
Creaturas omnes eſſe conditas eo ordine quo à Moyſe videntur deſcriptę in Geneſi probabilius, & verius affirmant alij Patres. 535. 2. & ſequentibus.
Cultus indebitus veri Dei non eſt vocandus Idolatria. 502. 3
Cultus indebitus veri Dei eſt ſuperſtitio. ibid.
Cumulus peccatorum in nullo peccatore datur in quo denegētur ei auxilia ſufficientia neceſſaria ad ſalutem. 207. 17

D

Damnati omnes poſt diem extremi Iudicij ſunt torquendi in eodem locn infernali. 482. 7
Datur reprobatio negatiua, quæ conſiſtit in ſimplici ſuſpenſione actus prædeſtinandi. 256. 12. 13
Dantur non entia ſimpliciter appellata impoſſibilia. 265. 8
Datur actus indifferens. 654. 25
Datur in Deo de facto ea virtus agendi neceſſario requiſita ad efficiendum ea, quæ nec fecit, nec facturus eſt. 266. 10
Decretum liberum diuinæ voluntatis in ordine ad actus liberos futuros à cauſa libera duplex eſt. 187. 18
Decretum liberum diuinum tendens in omne volibile poteſt dupliciter conſiderari. 188. 19
Decretum liberum diuinum nō eſt in Deo per extrinſecam denominationem. 195. 15
Decretum diuinæ voluntatis ſunt determinationes eiuſeem. 196. 16
Decreta diuina ordinate tendunt in res futuras creatas. ibid.
Decretum abſolutum, & efficax prædeſtinationis non dicit ſuppoſitionem antecedentem. 218. 10
Decretum prædeſtinationis quomodo ſupponat ſcientiam poſſibilium. 219. 12
Decretum illud nullo modo ſupponit abſolutam ſcientiam cuiuſcumque futuri 219. 12. nec etiam condicionati. 22. 14
Decrettum abſolutum omnium prædeſtinatorum extra Chriſtum, vel ſub Chri-Chriſto excluſiue neceſſario præſupponit liberam ſcientiam determinatam, quod Verbum ſit aſſumpturum humanam naturam aut paſſibilem, aut impaſſibilem. 220. 15
Decretum quoad actum illum prędeſtinādi nullam habet cauſam. 221. 16
De libro vitę quomodo nemo poteſt reipſa deleri. 232. 44
Decretum primum ſiue actus primus diuinæ voluntatis ad extra fuit ordinādi aliquas creaturas Angelos, & homines ad gloriam. 236. 54
Decretum hoc non præſupponit ſcientiam condicionatam quam moderni plures præſupponunt. 236. 55
Delectationes ſunt duplices, & differentes. 685. 13
Delineatio proceſſus prædeſtinationis, & reprobationis. 256. 12. 13
Dæmon eſt nomen æquiuocum. 479. 1
De Dæmonum vera exiſtentia tres ſunt erroneæ opiniones, & vera ſententia ſtabilitur. 480. 2

Dæmonum pœnæ in Inferno quot ſunt. 480. 3
Dæmones non poſſunt facere miracula. 493. 35
Dæmones non poſſunt directe immittere cogitationes malas in intellectu hominis nec prauas affectiones in appetitu rationali. 498. 26. 27
Dæmones poſſunt immutare appetitum ſenſitiuum. ibid.
Dæmones intrare, & implere cor hominis quid ſit. 498. 38
Dæmones dum hominem impugnant non mittuntur à Deo. 499. 39
Dæmon non poteſt ab homine eripere bona ſpiritualia abſque eius voluntate. 500. 41
Dæmon nititur intrare in Animam rationalem per quattuor eius feneſtras. ib.
Dæmon periculoſiſſimus hominis inimicus. 501. 1
Dæmon in tentando homine procedit gradatim, & quales ſunt eius gradus. 502. 2
Dæmones aliqui puniuntur nunc in Inferno locali. 481. 4
Dæmones alij puniuntur in Aere. 481. 5
Dæmones ſi ligati in aere quare hinc inde vagantur? 482. 6
Dæmon primus quocumque nominetur nomine preeſt alijs Dæmonibus, & eſt illorum caput. 482. 11
Dæmones ſunt impenitentes, & quare? 485. 12. & 13
Dæmones habent potentiam paſſiuam ad merendum non tantum intentionalem, ſed realem immo habent potentiam actiuam partialem tantum. 486. 14
Dæmones poßunt habere actum bonum ex genere, & etiam bonum moraliter. ibid.
Dæmones de facto nullum actum bonum eliciunt propter eorum malitiam. 487. 15
Dæmones (non homines damnati) proprijs actibus poſſunt accidentaliter non eſſentialiter demereri. ibid.
Dæmones ſunt obſtinati duobus modis. 488. 17
Dæmones triplici modo præſcientia vigent. 489. 19
Dæmones certò non cognouerunt diuinæ Incarnationis Miſterium, ſed ſolum coniecturaliter. ibid.
Dæmones certitudinaliter poſſunt cognoſcere futura, quæ habent cauſam neceſſario determinatam, & infallibilem. 490. 21
Dæmones poſſunt cognoſcere futura contingentia, quæ habent cauſam fallibilem, non tamen cognitione omnino certa. ibid.
Dæmones non poſſunt certo cognoſcere futura contingentia, quæ dependent à libera voluntate. ibid.
Dæmones cur cognoſcant futura libera quattuor aſſignantur cauſæ. 491. 22
Dæmones quando talia verè prædicunt, non eſt illis credendum. 491. 23
Dæmones poſſunt naturaliter cognoſcere futura contingentia libera in facto eſſe non autem antequam fiant. 492. 24
Dæmones poſſunt indirecte, & per ſigna cognoſcere futura contingentia libera. ibid.
Dæmones poſſunt mouere ſeipſos, & corpora. 492. 24
Dæmones non poſſunt alterare, & quare. ibid.
Dæmones nihil aliud immediate circa corpus operantur præter motũ localẽ, quo plura poſſunt efficere. 493. 25. 26
Dæmones circa corpora per motum localem ſex poſſunt operari. ibid.
Dæmones ſuis perſtigijs ac multiplicibus dolis illudere poſſunt ſenſus humanos ſex modis. 494. 27. 28. 29
Dæmon efficere poteſt, vt illud viſibile, quod non eſt præſens appareat præſens. 494. 27
Dæmon poteſt facere, vt res quæ eſt præſens

Digitized by Google

ſens liceat viſum. ibid.
Dæmō poteſt diuerſarum formarum corpora quaſi ſubito formare, & viſui obijcere, & mutare. ibid.
Dæmon illudere poteſt per mutationem aliquam factam in ſpecie, vel habitu in ipſa memoria reſeruata, vel reſeruato. 494.28
Dæmon poteſt facere, vt viſibile appareat alterius coloris quam ſit. ibid.
Dæmon poteſt illudere per ſomnia. 495.24
Dæmon ſicut & Angelus bonus non poteſt producere ſubſtantiam. 495.30
Dæmones poſſunt producere effectus mirabiles, non tamen vere miraculoſos. 496.33
Dæmon inſtruit homines varijs modis. 505.10
Demonſtratio duplex eſt. 84.8
Decem remedia ſupernaturalia ad impediendam vim diabolicam. 520.43
Deus ſpectari poteſt dupliciter. 1
Deus a Creatura participari poteſt. 1
Deus reuelat obſcure ſupernaturalem doctrinam. 13.25
Deus in patria reuelabit clare. 13.26
Deus cum Angelis viatoribus reuelauit perfecte quidem, ſed abſtractiue per ſpem diſtincte rappreſentantem. Idem aſſide Adam, & Eua in ſtatu innocentiæ, & de multis hominibus pro ſtatu iſto. 13.26
Deus poteſt per abſolutam potētiam puro homini comunicare claram notitiā, ſeu euidentiam articulorum, non tamen ſic abſolute poteſt ſimul de eodem credibili cauſare ſcientiam, & fidem. 14.28
Deus erudiuit homines per res abſque ſcripturis ab initio mundi vſque ad Moyſem. 15.2
Deus voluit ſacras ſcripturas eſſe obſcuras, & quare. 43.61
Deus poteſt comunicare Viatori cognitionem abſtractam euidentem articulorum fidei. 59.98
Deus eſt materiale obiectum circa quod tanquam primum adæquatum Sacra Theologia in ſe verſatur. 63.6
Deus non eſt obiectum materiale Theologiæ noſtræ neque motiue, neque terminatiue. 64.10
Deitas eſt obiectum formale Theologiæ in ſe, in intellectu Dei, & Beatorum. 65.12.13
Deus eſt abſconditus intellectui creato, & ab eius naturali intellectualitate remotus. 81.1
Deus dupliciter finis rerum. 84.9
Deus eſt ſpiritualis ſubſtantia formaliter & quiditatiue viuens. 85.14
Deus à parte rei non eſt extenſiue infinitus, neque quo ad molem quantam materialiter, neque formaliter quoad durationem ſucceſſiuam, neque numeralem. 91.15
Deus quomodo eſt infinitus intēſiue. 91.16
Deus ſolus eſt infinitus. 94.12
Deus non eſt compoſitus neque compoſſibilis. 96.17
Deus eſt ſimpliciter, & abſolute immutabilis. 99.1.& Pag.104.14
Deus non mutatur cum de non homine fit homo, de non Creante, non conſeruante, non Domino fit creans, conſeruans, & dominus. 100.2.3.4
Deus eſt æternus, & ab æterno. 109.27
Deus eſt incomprehenſibilis, & ineffabilis eſt de fide. 111.1
Deus perfecte poteſt ſeipſum nominare prout quiditatiue ſe nominauit. 111.12
Deus eſt infinitorum nominum. 113.7
Deus vere eſt ineffabilis comprehenſiue. 117.20
Deus nec videtur, nec viſibilis eſt ſecundum ſuam ſubſtantiam oculis corporeis ſecundum fidem. 108.1
Deus poteſt ſua abſoluta potentia aliquā rationalem creaturā creare, cui non ſit opus lumine gloriæ ad videndum ſimpliciter Deum, vel ad videndum ita

per-

perfecte, ſicut alius cum lumine gloria. 128.29
Deus non poteſt ſua abſoluta omnipotentia efficere aliquam creaturam adeo perfectam cui ſit connaturale lumen gloria. 129.29
Deus quomodo coagat cum cauſis ſecundis in ordine natura, & in ordine gratia. 129.32
Deliberatiuus appetitus Beati totaliter, & plene ſatiatur eo gradu viſionis beata, qui ſibi obuenit ſecundum diuinam iuſtitiam diſtributiuam. 134.44
Deus eſt tripliciter immenſus. 140.2.3.4
Deus quomodo eſt ens perfectiſſimum perfectione prima, & ſecunda. 144. 13, & 14.
Deus ſolus eſt perfectiſſimus per eſſentiam. Creatura vero eſt perfecta per participationem. 145.16
Deus habet veram, & abſolutam neceſſitatem eſſendi. 146.21
Deus quattuor modis cognoſci poteſt. 148.1
Deus quomodo eſt ſumma veritas. 759. 22. e 23
Deus ſolus eſt ſumme bonus per eſſentiá omni modo, & eminentia. 162, 31, & 32.
Deus eſt intelligens: 163.1
Deus cognoſcit ſeipſum per ſuam eſſentiam immediate. 165.8
Deus vere cognoſcit omnia alia á ſe. 167.1
Deus quare dicatur ſedere ſuper Cherubim. ibid.
Deus non cognoſcit cognitione abſtractiua. 168.15
Deus res omnes alias á ſe poſſibiles cognoſcit cognitione intuitiua ſimplicis intelligentia. 168.16
Deus omnia alia á ſe cognoſcit ex ſola eſſentia ſua tanquam ex ratione formali motiua. 169. 17. non tanquam rerum omnium cauſa. 169. 18, nec tanquam in ſpeculo, & ſpecie expreſſa. 169.19
Deus de facto nec cognoſcit, nec reuera poteſt cognoſcere infinita actu in magnitudine moli. 171.23
Deus abſolute non poteſt facere corpus infinite extenſum nec qualitatem corporalem infinitam, nec ſpiritualem. 171.23.24
Deus ſua ſcientia ſiuè ſimplicis intelligentia, ſiue viſionis attingere non valet infinitam actu ſpecierum poſſibilium multitudinem. 172.25
Deus non poteſt cognoſcere nõ entia ſimpliciter ſicut cognoſcit vera entia. 172.26
Deus cognoſcit non entia ad modum verum entium, ſicut finguntur ab intellectu noſtro. ibid.
Deus quomodo cognoſcat reales negationes, priuationes, & malitiam formaliter acceptam. 172.27.e 28
Deus ſublatis decretis efficacibus, & abſolutis diuina voluntatis non poteſt cognoſcere effectus quomodocumque futuros. 185.11, & 12
Deus concurrens cum cauſa libera non eodem modo concurrit ad actus malos ſicut concurrit ad actus ſupernaturales. 187.17
Deus quomodo agat cum cauſis ſecundis dum operantur. 186.19
Deus ſua praſcientia comprehendit non tantum abſolutos effectus cauſarum liberarum ſecundarum, ſed etiam cõdicionatos. 189.25
Deus ad effectus futuros á volũtate creata prouenientes quomodo ſe habeat. 188.20
Deus non poteſt ante omnem ſua voluntatis deliberationem ſcire aliquid ex poſſibilibus ſub ratione determinate futuri, nec abſolute, nec condicionate. 190.26.27
Deus vere, & non metaphorice amat. 199.25
Deus eſt vere Beatus. 199.26.27

Deus

Deus quomodo amat omnia poſſibilia. 200.28
Deus quomodo amat res futuras 201.29
Deus vnus eſt, qui gubernat omnia, & de omnibus habet prouidētiam. 203.5
Duplex prouidentia datur in mente diuina naturalis, & ſupernaturalis. 203.6.7
Deus vult infantes ſaluare, ſed non tenetur eorum mortem impedire, quando premature moriuntur, vel in vteris Matrum, vel alio modo. 211 27.28
Deus denegans concurſum cauſis ſecundis miraculoſe operatur. 211.28.29.30
Deus conſtituit hominem in manu conſilij ſui. 214.34
Deus ab æterno potuit plures Angelos, & homines prædeſtinare, quam de facto prædeſtinauit. 226.31
Deus creauit hominem non vt periret, ſed vt ſaluaretur, & æternam gloriā conſequeretur. 253.6
Deus non obligauit, nec obligat ad pœnā mortis, niſi propter peccatum inobedientiæ. 254.7
Deus propoſuit magis ſuam bonitatem, & miſericordiam, quam iuſtitiam, & ſeueritatem circa nos oſtendere. 254.8
Deus in operibus ſuis duo agit principaliter. 713.1
Deus quomodo compleuit opera ſua. 713
Deus non habuit abſolutum decretum aliquem hominem reprobandi ante præuiſum Adæ peccatum. 255.9
Deus poſt præuiſum Adæ peccatum, & poſt contractionem eius à poſteris non ſtatim abſolute reprobauit hominem. 255.12
Deus pro illo ſigno naturæ, in quo intellectuales aliquas creaturas ad gloriam abſolutè prædeſtinat, alias ſolum negatiue reprobat. 255.11
Deus quomodo, & qua ratione dicitur excæcare, & indurare. 260.21
Deum permittere peccatum quid ſit. 261.23
Deus ſua abſoluta potētia non poteſt aliter res facere, neque ſecundum ordinem naturæ, neq; ſecundum ordinem gratiæ. Si ly aliter dicat modum faciēdi ex parte Dei *facientis.* 267.11.12
Deus poteſt alios mundos iſto iam facto eſſentialiter meliores efficere, non tamen poteſt infinitos. 267.13
Deus quomodo potuit hunc mūdum meliorem facere ſcilicet non eſſentialiter, ſed accidentaliter. 268.14
Deus comparatione creaturarum exercet iuſtitiam commutatiuam, & diſtributiuam non rigoroſe, ſed ſecundū leges ſuas ſibi præfixas ex bonitate, & liberalitate ſua in vtroque ordine naturæ, & gratiæ. 274.10.11.12
Deus cauſat pœnas damnatorum. 276.14.15
Deus nō punit rigoroſe damnato. 277.16
Deus vere proprie, & rigoroſe in operibus naturæ manifeſtat tantum potentiam, & ſapientiam. 280.24
Deus refertur ad creaturam relatione non reali, ſed rationis, & quare? 305.4.5
Deus creat gratiam, & alia dona ſupernaturalia fidem, ſpem, & charitatē. & non educit de potentia materiæ, aut ſubiecti. 371.6
Deus ſi vellet poſſet creare albedinem, & alia accidentia abſoluta, nec educerentur de potentia materiæ, ſed vere crearentur. 371.7
Deus agit propter finem. 377.17
Deus potuit reuelare Diabolo *Lucifero dominium, & non præcipitium.* 442.2
Deus ſolus poteſt illabi mente ſiue Anima rationali. 498.38
Deus propria virtute cogere poteſt Dæmones ad aliquid agendum, vel non agendum. 499.39
Deus vtitur malis ad bonum. 499.40
Deus condidit ſucceſſiue omnia ideſt ſex diebus ob quinque rationes. 536.6
Deus diuiſit, lucem à tenebris, Angelos à Dæ-

à Dæmonibus, gratiam à peccato, gloriam à pœna, & Cœlum ab Inferno. 541.14

Deus arboribus ſeptem largitus eſt. 584.10

Deus tertia die omnes ſpecies plantarum etiam ſpinas, & tribulos produxit. 587.12

Deus plantando Paradiſum terreſtrem non reſpexit breuem horam temporis, quo Adam in Paradiſo moraturus erat. 592.4

Deus quomodo inſtruxit Paradiſum terreſtrem. 595.11.12

Deus quare poſt peccatum primorum Parentum, & eorum eiectionem è Paradiſo poſuit cuſtodiam eidem Paradiſo? 597.15

Deus cum dixit faciamus hominem cum quibus, & qua loquela loquebatur. 613.7. & 614.8.9.10

Deus poteſt ligare vires naturales, & ſenſitiuas relictis ſolutis intellectualibus. 627.5.6.7

Deus duobus modis poteſt ſupplere conuerſionem intellectus ad phantaſmata pro ſtatu iſto. 628.7

Deus non poteſt facere creaturam naturaliter impeccabilem. 656.31

Deus non eſt corporeus, ſed purus ſpiritus. 664.5

Dies primus Creationis fuit dies dominicus celeberrimus ob multa diuina opera præclare in eo geſta. 542.18

Differentia diuinarum operationum ſumitur ex differentia diuinorum effectuum. 537.7

Differunt intellectus Angeli, & intellectus hominis pro ſtatu iſto. 473.36

Differentia inter Propoſitorem vniuerſalem, & particularem. 213.33

Diuinatio ſuperſtitioſa quare ſic dicta. 504.8

Diuinatio deſcribitur. ibid.

Diuinatio per ſomnia fieri poteſt aliquando licitè, aliquando illicitè. 513.26

Diuinatio per ſortes non ſemper eſt ſuperſtitioſa. 515.31

Diuiſio, & ſubdiuiſio actus voluntatis creatæ. 452.17

De latere Adami formata fuit Eua. 634.17

Diuiſio logica quid ſit. 413.9

Diſcurſus triplex. 41.4

Dilectio naturalis, & ſupernaturalis differunt, & conueniunt. 429.5

Dilectio naturalis datur in voluntate Angelica. 429.6

Dilectio naturalis non eſt in Angelis beatis. ibid.

Diuiſibilitas in motu duplex. 401.18

D. Bonauentura redarguit Auicennam. 368.1

Dependentia naturæ ad ſuppoſitum eſt triplex. 405.27

Definitiones Conciliorum Generalium de proceſſione Spiritus Sancti à Patre, & Filio. 341.6.7

Diuinæ perſonæ non conſtituuntur in eſſe perſonali per negationem tantum. 322.16

Diuinæ perſonæ conſtituuntur in eſſe perſonali per aliquid poſitiuum nempe per relationem. ibid.

Donum quomodo eſt proprietas Spiritus Sancti. 344.13

De eſſentia vltimate abſtracta nihil prædicatur formaliter, niſi in primo modo dicendi per ſe. 354.20

De concreto Deitatis poſſunt prædicari notionalia, & actiones perſonales, ſiue notionales. 355.22

Dictio excluſiua (ſolus) cui ſubiecto poteſt apponi in diuinis. 355.23

Dictio excluſiua ſolus poteſt accipi categorematicè, & ſyncathegorematicè. ibid. & 356.24

Dogma Catholicum triplex in materia reprobationis. 253.5

Diſtinctio rationis duplex. 89.24

Doctrina Theologica quomodo ſit, & non ſit ſcientia. 50.77

Duas

Duas tantum productiones eſſe in Diuinis, & duo principia productiua, & duo producta totalia, & adæquata quamuis ſit articulus fidei, poteſt tamen adhuc probari. 301. 18. 19
Duo ſunt ſuper potentiam naturalium cauſarum in hominis generatione. 612. 5
Duratio non poteſt addere exiſtentiæ rei durantis entitatem aliquam realiter diſtinctam tanquam à re. 105. 15 nec modum aliquem, ſiue realitatem poſitiuam ex natura rei diſtinctam ab illa exiſtentia. 105 16. nec rationem mēſuræ, quaſi per eam exiſtētia rei compleatur in ratione durantis. 106. 18, nec coexiſtentiam ſucceſſionis veræ, vel imaginariæ. 96. 19, nec aliquam conſtantiam, vel aliquem reſpectum adeſſe præexiſtens, ſiue prahabitum. ibid.
Duratio addit exiſtentiæ rei durantis negationem deſitionis. 106. 20
Duratio omnino idētificatur actuali exiſtentiæ rei durantis ſaltem negatiue. 107. 21
Duratio ab exiſtentia rei durantis tantum diſtinguitur ex natura rei negatiue. 107. 22
Durationis tres ſunt ſpecies æternitas, æuum, & tempus. 107 23
Durationis quarta ſpecies prædictis an ſit addenda. 108. 24
Durationes omnes habent rationem mēſuræ. 107 23
Durationes principaliter, & eſſentialiter differunt ex diuerſo rerum modo manendi. 108.24

E

Eccleſia quomodo procedit in approbatione libri canonici. 17.6
Eccleſia ſemper proficit, & quomodo. 18 6
Eccleſia comparatur auroræ. ibid.
Effectus contingentes qui a nobis per enūciationes de futuro ſignificantur priuſquam in tempore fiāt ad alteram partem contradictionis ſunt ab æterno determinati. 183.4.5
Effectus prædeſtinationis ſunt tres, ſcilicet vocatio, iuſtificatio, & glorificatio. 241.65
Effectus ſupernaturales pœnitentiæ dicuntur prædeſtinationis effectus. 246. 82
Effectus idem etiam in Creaturis à diuerſis ſuppoſitis poteſt procedere quadrupliciter. 363.16
Effectus aliter rappreſentat ſuam cauſam, & aliter ſpecies intelligibilis rappreſentat ſuum obiectum. 417. 16
Effectus Idolatriæ. 521.45
Efficacia meriti principaliter ex tribus attendi poteſt. 659.27
Electiones Saul in Regem Iſrael, & D. Matthiæ ad Apoſtolatum factæ per ſortes, fuerūt ſpecialiter bonæ 516.33
Eleuari ſupra ſe ſtat dupliciter. 431.9
Elementum definitur. 567. 1
Elementum vnum non poteſt producere aliud diſtinctæ rationis. 367. 2
Elementa duo non poſſunt producere tertium elementum diſtinctæ rationis ib.
Elementa ſunt quattuor. 568.4
Elemēta, & corpora cœleſtia conueniunt inter ſe, & differunt. 568.3
Elementum vnum totum ab alio tranſmutari non poteſt. 568.5
Elementum quodlibet ex quouis immediate generari non poteſt ibid.
Elementum ignis datur ſitum ſub concauo Lunæ. 569 6
Elementa non manent formaliter, ſed virtualiter in mixto. 575. 19
Ens in quantum ens eſt obiectum intellectus Creati quoad naturalem inclinationem non attingentium. 6.7
Ens in quantum ens eſſe obiectum adæquatum noſtri intellectus quo ad naturalem inclinationem non eſt naturaliter notum pro ſtatu iſto. ibid.
Ens tranſcendentale vniuocè dictum de Deo,

Deo, & creaturis non ſecundum eandem rem, aut realitatem communem dicitur, ſed ſolum ſecundum eundem conceptum cõmunem realem. 158. 20
Ens tranſcendentale primo diuiditur in ens quantum, & nõ quantum. 310.15
Entia non quanta, quæ ſint. ibid.
Ens quantum diuiditur infinitum, & in infinitum. 310. 16
Ens tranſcendentale quomodo deſcendat in Deum, & creaturam. 311.18
Errores contra immenſitatem Dei. 140.1
Errores varij contra vnitatem Dei. 153. 12
Eſt certum de fide; Cum infallibilitate, & certitudine diuinæ præſcientiæ rectè cohęrere contingentiam in futurorum euentu, & libertatem in actibus ſecundarum Cauſarum. 189. 23. e 24
Eſau pœnitentia inutilis. 207. 17
Eſdras cabaliſticam expoſitionem, & miſteria poſt captiuitatem Babilonicã redegit in libros 70. ſolis Hebræorum ſapientibus communicandos. 34. 41
Eſſe compoſitum, & venire in alterius compoſitionem differunt. 95.18
Eſſe ęternum, & eſſe ab ęterno differunt. 109.27
Eſt poſſibile cum vnitate eſſentiæ Diuinæ eſſentiæ ſtare Trinitatem perſonarum. 320.12
Eſſe ſubſiſtentię eſt duplex. 324.21
Eſſe in potentia dupliciter. 528.12
Eſſe in loco ſtat quadrupliciter. 534.2
Ædificauit Dominus Deus coſtam cur non dixit, formauit, ſeu fecit, aut Creauit? 631.13
Eſſe imaginem, & eſſe ad imaginem differunt. 663.3
Eſse à natura duobus modis. 678.13
Eſſe in loco per operationem non includit neceſſario eſſe in loco ſecundum ſubſtantiam. 142.9
Eſsentia diuina quid ſit. 82.3.4
Eſſentia diuina non admittit reſpectus reales imitabilitatis, & ſimilitudinis comparatione creaturarum. 179.46
Eſſentia diuina de rigore non poteſt idea rerum factibilium appellari. 179. 47.48
Eſſentiale capitur tripliciter. 308.13
Eſſentiam diuinam fieri de non habente habentem poteſt intelligi duobus modis. 289.15
Eſſentia diuina habet propriam ſubſiſtentiam. 324.21
Eſſentia diuina poteſt eſſe ratio cognoſcẽdi plures quidditates diſparatas. 419.20
Exhalatio quid, & quotuplex ſit. 582. 5
Æqualitas miſcibilium in mixto duplex poteſt eſſe. 617.18
Æqualitas, & inęqualitas diuinę voluntatis. 198.21.22
Æqualitas à iuſtitia penes quid attenditur. ibid.
Æqualitas à pondere tribus modis ſumi poteſt. 618.20
Ætas primorum Parentum. 698.18
Erat autem vterque nudus his verbis ſignificatur duplex excellentia ſtatus innocentiæ. 746.8
Æternum, perpetuum, & ſempiternum differunt. 109.27
Æternitas quid connotet, & quid formaliter ſignificet. ibid.
Æternitas quid ſit. ibid.
Æternitatis definitio vtiliter declaratur. 109.29. & ſeq.
Ethyopia duplex Orientalis, & Occidentalis. 602. 25
Eua mulier verè producta eſt ex viro. 632. 14
Eua facta eſt de coſta Adæ ob tres rationes. 632. 16
Eua vere ſicut Adam habuit Animam rationalem. 636.4. & 659.19
Eua ornata ſcientia ſicut Adam; ad quem addacta eſt ob quattuor rationes. 673.6
Eua fuit valde amata ab Adamo ad euitanda multa inconuenientia. 703.31
Euphratis fluminis origo, & terminus. 603.27

Æuum

Ævum non habet rationem menſuræ actiuæ intrinſecæ, ſed probabiliter extrinſecæ. 407 31
Exiſtentia Dei eſt prædicatum eius quiditatiuum. 82. 5
Exiſtentia eſt communis exiſtentiæ Dei, & exiſtentiæ creaturarũ quomodo ib.
Exiſtentia, duratio, & menſura in Angelis ſunt diſtincta. 406. 28
Exercitium virtutis quid ſit. 500. 42
Exceſſus in cultu Dei quomodo poteſt cõtingere. 499 4
Ex parte hominis ante Diuinationem ſex actus ſunt 505 9
Extenſio obiectiua ſacræ Theologiæ eſt latiſſima, & ampliſſima. 67.16

F

FAbrica Plantarum mirabile opus Dei. 585.13.14
Facta reuelatione credibilium poteſt quis naturaliter aſſentire articulis fidei. 14. 28
Facta Diabolo reuelatione ſui caſus, & damnationis Diabolus non tenetur ſperare beatitudinem. 445 5
Falſa eſt opinio illorum, qui dixerunt tot homines eſſe ſaluandos, quot Angeli corruerunt. 228.36
Fœmina & Maſculus non reperiuntur in natura Angelica. 464.18
Fœmina teſtimonium infirmius, & inualidius eſt teſtimonio viri. 465.20
Feneſtræ Animæ quot, & quænam ſunt. 500.41
Fides parentum non ſufficit infantibus in hac Euangelica Lege, vt ab originali culpa mundentur. 211. 26
Fideles non omnes recipiunt ſacramenta in articulo mortis, & multi qui ea ſuſcipiunt male ſuſcipiunt. 228.36
Fideles plurimi cum confitentur non habent firmum propoſitum emendationis. 228. 37 & ſequentibus.
Filius in Diuinis non producitur ex cognitione creaturarum. 294.3
Filius in Diuinis a ſolo Patre generatur. 230. 1
Filius eſt genitus ex ſubſtantia Patris. 334.8.9
Filius connotat naturam viuentem intellectualem cum habitudine producti a producens. 338. 18
Filius facilius poteſt relinquere Patrem, & Matrem, quam vxorem. 680. 2
Firmamentum quod eſt Cælum ſtellatum expreſſe nominatur in ſacra ſcriptura. 553. 17
Firmamenti nomine quid veniat. 553. 17. 18
Firmamentum diuidit aqua ab Aquis. 553. 17
Fluuius egrediebatur de loco voluptatis. 599 19
Fluuius hic irrigabat Paradiſum, quod quattuor modis præſtare poterat. ibid.
Fluuius hic inde diuidebatur in quattuor capita. ibid.
Forma ſubſtantialis duplex. 405. 26
Forma, vt dicatur educi de potentia Materiæ tres conditiones requiruntur. 371. 7
Formatio, & reformatio corporis Adæ ſunt diſſimiles. 615. 12
Formatio corporis Euæ non fuit miraculum, ſed mirabilis. 630 11
Formatio corporis Euæ an fuerit Creatio. 631. 12
Fulgura & fulmina quid ſint, & quomodo differant. 582 6
Fulminis triplex differentia accidentalis. ibid.

G.

GAngen fluminis origo. 602. 24
Gentiles, & infideles poſt Chriſtum natum poſſunt ſaluari 469 29
Generatio filij Dei efficaciter probatur. 285 6.7 8. obiectiones in contrarium reſoluuntur 287. 11. 12. 13
Generatio duobus modis intelligi poteſt. 289 15
Generatio duplex eſt æquiuoca, & vniuoca, quæ etiam duplex eſt. 330.1
Generatio quid ſit. 331 1

Digitized by Google

Generatio filij in Diuinis eſt propriiſſima. 331.3
Generatio filij in Diuinis ſolum dicit productionem. 332.4
Generatio filij in Diuinis non præſupponit materiam. 333.6
Generatio filij in Diuinis non eſt de nihilo. ibid.
Generatio filij in Diuinis eſt æterna. 333.7
Generatio filij paſſiua, vt termini totalis non eſt communicata aut producta. 333.7
Generatio, & ſpiratio quomodo interſe diſtinguuntur. 344.13
Generatio humanitatis Chriſti quomodo fuit præter, & ſupra naturam, & naturalis. 331.2
Generatio ſola humana eſt vere naturalis inter Creatas. 331.3
Generatione humana comunicatur tantum pars naturæ humanæ; generatione vero Diuina comunicatur tota natura Diuina. 332.4
Generatione humana non comunicatur natura indiuidualis, ſed ſolum ſpecifica. ibid.
Generatio humana duo includit nempe mutationem, & productionem. ibid.
Generatione humana terminus formalis accipit eſſe in generatione Diuina terminus formalis præhabet eſſe. 332.5
Generatio neceſſario requirit triplicem ſpiritum, & triplicē calorem. 464.18
Generatio mixti eſt duplex. 580.2
Generatio actiua quomodo immanens, & tranſiens. 425.27
Generatiua potentia tres virtutes habet ſibi deſeruientes. 464.18
Gcon fluminis interpretatio, an ſit Nilus; ſicut Phiſon an ſit Ganges eſt duplex opinio negans & affirmās. 601.23.24
Gratia ſanctificans per mortalem culpā amiſſa eadem numero non recuperatur per pœnitentiam. 243.70
Gratia dicitur Angelus. 380.5
Gratia nō datur Angelis ſecundum proportionem naturalium. 387.19
Gratia, & dona ſtatus Euangelici ſi reſpiciatur difficultas operis efficaciora ſunt ad merendum, quam gratia, & dona ſtatus Innocentiæ. 659.28
Gratia, & dona ſtatus Innocentiæ ſi attendatur promptitudo voluntatis efficaciora fuiſſent gratijs, & donis ſtatus Euangelici. 659.28
Gratia ſanctificans in ſtatu Innocentiæ an admiſiſſet peccatum veniale eſt probabiles opinio pro vtraque parte, ſed affirmans eſt probabilior. 660.29
Gratia iuſtificans à prima iuſtificatione vſque ad finalem eſt prædeſtinationis effectus. 242.69
Gratia dicitur tribus modis. 679.18
Gratia ſumma datur de facto, qua maior fieri non poteſt. 710.12.13.14
Gradus tentationis Diabolicæ. 498.2
Gloria beatorum eſt prædeſtinationis effectus. 241.66
Gloria duplex in futura remuneratione ſperatur. 394.4
Grando, & glacies quid ſint. 583.8

H

Habitus principiorum Theologicorum, & habitus concluſionum Theologicarum ex ipſis deductarum non ſunt duo habitus diſtincti ſpecie. 50.75. & 76
Habitus, & aſcenſus diuerſorum principiorum fidei, & diuerſarum Concluſionum non diſtinguntur ſpecie, nec obiectiuè, nec terminatiuè. 72.28. 29. & 30
Habitus ſpeculatiuus, & practicus differunt in quattuor. 72.1
Habitus, & ſcientia in communi diuiduntur in practicum, & ſpeculatiuum tanquam in differentias eſſentiales. 73.2
Hebræorum obſcena opinio circa neceſſitatem formandi adiutorium ſimili Adamo. 672.4
Hæretici tam antiqui quam recentiores

reiecerunt libros ſacræ ſcripturæ canonicos. 7.11
Hæretici non admittunt exponentes, nec expoſitiones ſacrarum ſcripturarum. 8.12. & 13
Hæretici quales interpretes ſacrarum ſcripturarum. 9 14
Hæretici potiſſimum Lutherus varia latrant contra Theologos Scholaſticos, ſed non mordent. 10. 17. 18. & pag. 11. 19
Hæretici dicentes ſacram ſcripturam eſſe imperfectam, & inſufficientem dãnandi ſunt. 19.9
Hæretici vnanimiter reijciunt, & damnant traditiones, in qua re peccant in quattuor. 30. 35. & ſeq.
Hæretici tantam claritatem tribuunt ſacræ ſcripturæ, vt eam dicant eſſe controuerſiarum fidei Iudicem ſufficientem, quo nihil abſurdius. 47.69.70
Hæretici vnde tam cæci, & tam turpiter errantes. 47.70.71
Hæretici nituntur probare culpas eſſe in prædeſtinatis propria prædeſtinationis effectus. 249.83
Hæretici qui errarunt circa creationem, & principium eius. 364.18.19
Hæreticum dogma eſt aliqua peccata in hac vita irremiſſibilia, & peccatorem ad talem ſtatum poſſe venire in hac vita, quod non poſſit agere pœnitentiã de ſuis peccatis, & ſaluari. 471.32
Hæretici ſunt ſuperſtitioſi. 50. 34
Hæreticorum deliramenta circa creationem rerum. 537.7
Hæreticorum plurium opinio de ſubſtantia Animæ. 639.14.15
Hæreticorum obſcena Hæreſis concedentium ex verbis Creſcite, & multiplicamini promiſcuum coitum. 681.4
Hyerarchia quaſi ſacer principatus definitur. 386. 15
Hyerarchia Diuina quid ſit, & quomodo reperitur inter Perſonas Diuinas. ib.
Hyerarchia Angelica, & humana quid ſint. 386. 17
Hyerarchia Angelica triplex eſt. 387.18
Hyerarchiarum diſtinctio in quo fundatur. 587. 19
Homo pro ſtatu iſto non poteſt cognoſcere veritates Theologicas ſupernaturales ſine ſuper addito dono. 11.21
Homo quadrupliciter cognoſci poteſt. 62. 5. & Pag. 148.11
Homo pro ſtatu iſto Deum vere, & proprie nominare poteſt. 112.3
Homo pro ſtatu iſto quomodo non poteſt Deum nominare. 112.4
Homines qui ſaluantur electi ſunt, & prædeſtinati ante peccatum Angelorum præuiſum, & ante voluntatem illud permittendi. 222.20
Humana natura ſingularis ſine propria, vel aliena perſonalitate de facto prædeſtinata eſt ad ſummam gloriam. 224. 24
Humana natura (excepta natura Chriſti) non eſt prædeſtinata ſine propria perſonalitate. 224. 24.25
Homo purus non poteſt promereri alteri beatitudinem, neque prædeſtinationem ad illam. 235.51
Homo ſine auxilio Diuinæ gratiæ ſpecialis non poteſt ſe ſufficienter diſponere ad gratiam ſanctificantem contra Pelagianos. 237 61
Homini cuicumque tam Chriſtiano quam infideli deputatus eſt vnus Angelus ad cuſtodiam. 470. 30
Homo indiget Angelo cuſtode propter tria. 471.32
Homines virtute Diuina poſſunt compellere Dæmones ad aliquid agendum, vel non agendum. 495.32
Homo eſt ſufficienter prouiſus contra impugnationes Dæmonum. 495. 40
Homo quicumque dum eſt in via habet Dæmonem ad exercitium deputatum. 496.42
Homo impugnatus à ſuis paſſionibus quare vlterius exercetur à Dæmone. 482. 6

Homo quare ad imaginem Dei creatus eſt? 664. 4
Hominem eſſe ad imaginem Dei ſecundum corpus falſiſſimum eſt. 664. 5
Homo factus eſt ad imaginem Dei non ſecundum corpus, nec ſecundum partem ſenſitiuam, ſed ſecundum rationalem, & intellectiuam. 665. 6
Homo habet imperfecte rationem imaginis ſanctiſſimæ Trinitatis. 338. 9
Hoc nomē cœlum eſt æquiuocum. 545. 12
Henoch, & Elia modo morantur in Paradiſo terreſtri. 194. 20
Heuilath regio vbi ſita. 600. 21

I.

Ideas dari in intellectu Diuino eſt certiſſimum. 176. 39
Idea quid ſit. 177. 39. & 41
Ideas omnium rerum eſſe in mente Diuina eſt de fide. 177. 42.
Ideæ rerum in ſecundo naturæ ordine reperiuntur in intellectu Diuino. ibid.
Ideæ Creaturarum proprie, & formaliter ſumptæ ſecundum rigoroſum ſignificatum formale in mente Diuina ſunt ipſimet Creaturæ præcognitæ à Deo, vt factibiles. 180. 49.
Idearum pluralitatem eſſe in mente Diuina eſt de fide. 180. 50
Ideæ indiuiduorum ſingulorum tantum prædicamenti ſubſtantiæ tam perfectorum, quam imperfectorum, quæ per abſolutam Dei potentiam ſaltem ſolitarie exiſtere poſſunt proprie in Deo reperiuntur. 180. 51
Ideam propriam habent ea accidentia, quæ tam inter ſe, quam etiam à proprijs ſubiectis realiter diſtinguntur, vt ſeparata inter ſe, & ab alijs ſuis ſubiectis ſaltem abſoluta Dei omnipotentia exiſtere poſſunt. 181. 52
Ideæ nullo modo poſſunt determinate rapreſentare futura contingentia. 184. 9. & 10
Idolatria quid ſit. 521. 45
Idolum quid ſit. ibid.
Idolatria triplex eſt. 522. 46
In idolatria tres actus cōcurrant. 521. 45
Idolatriæ exterioris quattuor ſunt genera. 522. 47
Idolatriæ origo, & ortus. 522. 47
Ignis, quo ſpiritus Sanctus viſibiliter apparuit non fuit verus ignis. 352. 16
Ignis Inferni, & noſter ignis ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed accidentaliter differunt quadrupliciter. 482. 7
Ignis inferni infert pœnam Dæmonibus quattuor modis. 483. 8
Ignis elementum datur ſituatum in concauo Lunæ. 569. 6
Ignis illuſtre teſtimonium diuinarum ſimilitudinum, & rerum Cœleſtium. 569. 7. & 8
Ignis miniſterio vſus eſt Deus ad multa patranda miracula. 570. 9
Ignis apud nos exiſtens eſt eiuſdem ſpeciei cum elementari. 569. 6
Ignis multipliciter producitur. 570. 8
Ignis non eſt locus naturalis alicuius rei, nec etiam Salamandræ. 608. 13
Ignis elementaris, & Cœli ornamentum eſt lux ipſa. ibid.
Ieſus Chriſtus in aſſumpta humanitate per ſua merita non fuit cauſa prædeſtinationis totius corporis myſtici ſub ipſo capite incluſiue. 233. 46 in fine.
Ieſus Chriſtus per paſſionem, & mortem præuiſam non potuit mereri Angelis, & hominibus prædeſtinationem ad gloriam, nec ad gratiam primam iuſtificantem. 233. 47
Ieſus Chriſtus merito ſuæ paſſionis præuiſæ hominibus tantum fuit prædeſtinationis cauſa quoad remittendam offenſam, & conferendam gratiam reconciliatricem, Angelis vero ſolum reparationem ruinæ. 233. 48
Ieſus Chriſtus Dominus noſter in aſſumpta humanitate actibus alijs meritorijs a paſſione ſua, & paſſibili carne abſtrahentibus præuiſis omnibus Angelis, & hominibus promeruit prædeſtina-

ſtina-

ſtinationem, & omnem eius eff.ctum. 234. 49. 50

Ieſus Chriſtus non habuit Angelum Cuſtodē,ſed Angelos obſequētes. 471. 32

Ieſus Chriſtus an potuerit meliorari. 711. 17, & ſeq.

Illabi menti hominum quid ſit. 498. 38

Ignorantia contingit tribus modis. 447. 9

Illuminatio fit in inſtanti non eſt motus, nec proprie mutatio. 545. 22

Illuminatio quid ſit. 426. 34

Illuminatio triplex eſt. 426. 35

Illud habet eſſe intentionale quo Anima tendit in alterum, & illud in quod tēdit. 539. 11

Imber quid ſit. 583. 8

Imago Dei ſecundum ſuum complementum æqualiter eſt in viro, ac muliere. 662. 1

Imago Dei in Anima rationali ſecundū diuerſas rationes ponitur à Patribus diuerſis. 662. 1. 2

Imago, & veſtigium quomodo differunt. 664. 4

Imago in homine ad Deum non terminat ad ſolum filium Dei, ſed ad Deum vnum, & trinum. 665. 7

Imago Dei in Homine quale habet fundamentum. 665. 8

Imago Dei in homine conſiſtit in portione ſuperiori eiuſdem hominis. 666. 8

Imago Dei in homine attenditur pænes potentias Animæ actualiter producentes actus ſuos. 666. 10

Imago Dei in homine aſſignatur dupliciter à D. Auguſtino. 667. 11

Imago Dei in homine eſt perfectior cum reſpicit pro obiecto Deum, quam cum reſpicit pro obiecto Deum quam cum reſpicit Creaturam. 668. 12

In homine duplex eſt Imago naturalis, & ſupernaturalis. ibid.

Imago naturalis quid ſit, & quare ſic dicatur. ibid.

Imago Dei ſupernaturalis in homine quid ſit, & in quo conſiſtat. 663. 14

Imago Dei in homine potiſſimum attenditur penes ſubſtantiam, ſimilitudo vero penes accidentia. ibid.

Imagines falſorum Deorum ſunt Idola. 521. 45

Imagines Ieſu Chriſti, B. M, & Sanctorum non ſunt Idola. ibid.

Immediatio, & mediatio multipliciter poſſunt intelligi. 214. 35. 36. 37

Immenſitas Dei quanta, & qualis. 141 6

Immenſitas Dei non eſt mere credita, ſed poteſt demonſtrari à priori, & à poſteriori. 142 7. 8

Immenſitas ſicut, & infinitas eſt modus intrinſecus Diuinæ eſſentiæ. 143. 11

Immenſitas proprie non eſt comunicabilis Creaturæ, nec humanitati Chriſti contra Lutherum, & alios Hæreticos. 143. 12

Immutabilitas tam ſubſtantialis quam accidentalis eſt incommunicabilis creaturæ. 105. 14

Immortalitas innocentiæ, & gloriæ multipliciter differunt. 679. 18

In Angelis datur voluntas. 327. 1

In Angelis eſt liberum arbitrium. 427. 2

In concurſu Diuino cum cauſis ſecundis eſt duplex ordo ſcilicet in quo, & à quo. 186. 16

Incarnatio Verbi in carne paſſibili, paſſio Chriſti, ſacramentorum inſtitutio, & alia opera Chriſti meritoria ſunt prædeſtinationis noſtræ effectus. 245. 76

Indiuiduatio vnde conſurgat. 404 26

Indiuiduum materiæ dum informatur forma corporis corruptibiles nequit per Cauſas naturales informari forma corporis incorruptibilis. 533. 20

Indiuiduum materiæ dum informatur forma corporis incorruptibilis per cauſas naturales non poteſt informari forma corporis corruptibilis. ibid.

Independentia naturæ ad ſuppoſitum triplex eſt. 405. 27

In Deo, & in Angelis conceditur ratio formalis virtutum moralium. 434. 55

Digitized by Google

In Dæmonibus datur prælatio. 484.10
In Dæmonibus per obſtinationem nõ abſorbetur vſus rationis. 488.17
In diuinatione ſuperſtitioſa committitur grauiſſimum peccatum ob duas cauſas. 506.11
In diuinatione ſuperſtitioſa intercedit pactum cum Dæmone expreſſum, vel tacitum. 505.9
In creatione rerum illis ſex diebus, tres fuerunt operationes Diuinæ. 537.7
In corpore humano pro triplici eius ſtatu eſt diuerſa miſcibilium æqualitas ſecundum iuſtitiam. 618.19
In corpore Adæ in ſtatu innocentiæ, nec fuit, nec potuit eſſe ęqualitas à Pondere. 618.20.21
In faciem eius, ideſt Adami quare Anima rationalis inſpirata. 635.2
In homine pręter Animam rationalem datur alia forma ſubſtantialis dicta corporeitatis. 642.21.22
Infinitas Dei à Doctore ſubtili oſtenditur demonſtratiue. 91.4
Infinitas Diuina duplex, ſumpta ab eſſentia, & ſumpta à quantitate Diuinæ virtutis. 92.9
Infinitas modus intrinſecus non importat puram negationem, ſed aliquid poſitiuum. 93.11
Infinitas actiua potentię Dei ſecundum virtutem, & vigorem eſt lumine naturali nota. 265.67
Infinitum vnum poteſt habere maiores partes, quam aliud infinitum. 376.16
Infernus duplex. 480.3
Infernus quaſi lictor Dei exercuit in Angelos malos ſuam poteſtatem in Cælo empyreo, & ius quod ibi habebat. 481.4
Incubi duo ſunt. 498.3
Infideles inuincibiliter ignorantes fidem Chriſti non damnantur propter infidelitatem. 109.22
In futura remuneratione gloria duplex ſperatur. 394.4
Iris quomodo cauſatur. 583.7
In prima productione plantarum terra non ſe habuit cauſaliter effectiue, ſed ſolum paſſiue miniſtrando materiam, & Deus ſolus eas effectiue produxit. 586.15 16
In ſequentibus productionibus terra ſe habet materialiter, & effectiuè, & hoc varijs modis. 587.17
In ſemine eſt triplex calor Cęleſtis igneus & Animalis. 617.7
Ingenium, ſeu indoles, & alia bona naturalia hominis ſunt prędeſtinationis effectus. 246.76.77
Inſtrumentum ſumitur quintupliciter. 268.27
Impeccabilis aliquis poteſt fieri dupliciter. 271.33
In ſtatu innocentiæ qui minimam habuiſſent gratiam longè maiorem habuiſſent, quam plurimi in lege gratiæ. 657.25
In ſtatu innocentię homines multiplicati fuiſſent naturaliter per carnalem propagationem. 682.5
In ſtatu innocentiæ vir, & mulier per deciſionem ſeminum generaſſent. 681.7
In ſtatu innocentię quomodo potentię generatiua, nutritiua, & augmentatiua obediuiſſent rationi. 683.9
In ſtatu innocentię an in ſeminum emiſſione fuiſſet delectatio intenſior quam nunc vtraque pars eſt probabilis. 683.10.11
In ſtatu miſeriæ poteſt homo dominari nutritiuę, & generatiuę. 683.10
In ſtatu innocentię mas, & fæmina publicè ſine pudore concubuiſſent. 684.11
In ſtatu innocentię; In actu carnalis copulę quattuor fuiſſent facta in muliere, & Virginitatem amiſiſſet. 685.14
In ſtatu innocentiæ mulier fuiſſet ſine grauitate grauida, & peperiſſet ſine dolore, & fractione. 685.15

In.

Digitized by Google

In ſtatu innocentiæ niſi cauſa prolis nunquam coijſſent. 686.17
In ſtatu innocentiæ quale ſolatium habuiſſent. ibid.
In ſtatu innocentiæ in quolibet actu Carnali quo ſe cognouiſſent prolem genuiſſent. 687.18
In ſtatu innocentiæ æqualis fuiſſet multiplicatio virorum, ac mulierũ. 687.20
In ſtatu innocentiæ fuiſſet in poteſtate voluntatis generare maſculum, vel fœminam. 688. 20
In ſtatu innocentiæ pueri nati fuiſſent parui non tamen indiguiſſent faſcijs, & ſeruitute obſtreticum 688.21
In ſtatu innocentiæ filij fuiſſent nati cum gratia ſanctificante non tamen in ea ſtatim confirmati fuiſſent 689. 22
In ſtatu innocentiæ homines fuiſſent varij in vultu, & locutione. 690.
In ſtatu innocentiæ tria maxime inſignia. 693.4
In ſtatu innocentiæ per iuſtitiam originalem homo habuiſſet ſpecialem Dei aſſiſtentiam cum ſex magnis bonis eam conſequentibus. 695.11
In ſtatu innocentiæ filij Adæ nati fuiſſent in iuſtitia originali. 696. 12
In ſtatu innocentiæ iuſtitia originalis quo modo poterat dici transfundi ibid.
In ſtatu innocentiæ appetitus ſenſitiuus rationi fuiſſet ſimpliciter ſubiectus. 699.20
In ſtatu innocentiæ quomodo voluntas non ſequta fuiſſet appetitum ſenſitiuum. ibid.
In ſtatu innocentiæ quales paſſiones animi fuiſſent in homine. 699. 21
In ſtatu innocentiæ homo habuiſſet dominium in omnes animantes, & quidem congruenter. 700 22
In ſtatu naturæ corruptæ remanet in homine tale dominium quoad ius & habitum non tamẽ quoad vſum & exercitium niſi in viris magnæ ſanctitatis. 700. 24.25
In ſtatu innocentiæ corpora Cæleſtia, & elementa præſtitiſſent obſequia homini non tamen fuiſſent ſub eius dominium. 721 26
In ſtatu innocentiæ quale dominium habuiſſet homo in hominem. ibid.
Intellectus poſſibilis poteſt ad duo comparari. 12. 23
Intellectus humanus eodem lumine fidei aſſentit notitiæ ſimplici obiecti Theologici, & complexæ articulorum, ſeu principiorum, & concluſionum 50.75
Intellectum Diuinum moueri ab eſſentia Diuina quomodo intelligendum eſt. 67 17
Intellectus diuinus ſciens omnia in eſſentia ſua omnia inquam ad alias ſcientias pertinentia non tamẽ dicitur Logicus, Phyſicus, Metaphyſicus. 67.18
Intellectus Diuinus ſi non moueretur ab eſſentia ſua ad intelligendas creaturas nunquam eas intelligeret. 68. 19
Intellectus creatus non dicitur vere practicus in ſuis actibus. 74. 4
Intellectus Viatoris ob propriam imbecillitatem, & perfectionem diuinæ eſſentiæ eam infinitis modis concipere poteſt. 113.6
Intellectus Diuinus propter ſui excellentiam poteſt vnico, & ſimpliciſſimo actu infinita percipere. ibid.
Intellectus creatus in ſolo ente infinito beatificari poteſt. 119. 3
Intellectus humanus ſecluſa fide ſolis viribus naturalibus pro ſtatu iſto non poteſt ſcire claram viſionem Dei eſſe ſibi poſſibilem, nec actiue, nec paſſiue; neque euidenter ſcire naturam intellectualem eſſe capacem gratiæ, & gloriæ aliorumque ſupernaturalium donorum. 120.5
Intellectus creatus ſecluſa omni reuelatione, & ſublata imperfectione ſui ſtatus naturali ratione probare poteſt claram intuitiuamque viſionem Dei ſaltem eſſe ſibi poſſibilem. 120. 6

Digitized by Google

Intellectus etiam per Diuinam potentiã non poteſt creari, qui in infinitum ſuperet perfectione ſua eſſentiali quemcumque alium creatum intellectum, vel creabilem. 128.27
Intellectui cuicumque Creato attenta quacumque perfectione eſſentiali eſſentia diuina eſt ſimpliciter inuiſibilis. 128.28
Intellectus creatus efficienter concurrit ad beatificam viſionem contra Diu. Thomam. 131. 35.36
Intellectus agens an ſic concurrat vide. 131.36.37
Intellectus beatus videt clare Deum de facto maiori, vel minori viſionis perfectione ſecundum proportionem meritorum non naturalium virium ſic Deo concurrente. 132.38
Intellectus, & voluntas Diuina an ſint attributa diuina. 150.7.8
Intellectus diuinus quomodo concedatur diſcurſiuus. 163.2
In intellectu Diuino vere reperitur ſapientia, ſiue ſcientia. 164.5
In intellectu diuino quomodo datur ſciẽtia in actu primo. ibid.
Intellectus diuinus non poteſt cognoſcere res particulares in vniuerſali. 170.20
Intellectus diuinus proprie non componit, nec diuidit, nec diſcurrit. 170.21
Intellectualis natura, vt ſic, ſeu humanitas abſque perſonalitate eſt vere & proprie per ſe primo prædeſtinabilis. 223.23
Intelligere vnum ſine altero dupliciter contingit. 289.14
Intellectio eſſentialis non eſt de ratione formali actus dicendi. 302.20
Intellectio eſſentialis non eſt formaliter ille actus, quo Pater dicit Verbum. 303.22
Intellectionem eſſentialem concurrere ad productionem Verbi poteſt dupliciter intelligi. 303.23
Intellectio eſſentialis in diuinis eſt operatio improducta communis tribus perſonis. 304 24
Intellectio eſsẽtialis diſtinguitur ab actu dicendi. 304.24
Intelligere non ſignificat actionem, ſed intellectionem. 335.12
In nobis duplex eſt actus intellectus nempe dicere, & intelligere. 336.13
Ita in Deo Patre eſt duplex actus noſtro modo intelligendi. ibid.
Intellectio Angeli non eſt eius ſubſtantia ſed accidens. 409.1
Intellectus agens, & poſſibilis datur in Angelis. 409.2.3
Iſdem numero intellectus dicitur agens, & poſſibilis ob diuerſa munera, quibus fungitur. 410.3
Intellectio Angeli, & eius ſubſtantia habent modum eſſendi diuerſe rationis. 411.4
Inter obiectum, & potentiam eſt ſimilitudo, ſeu æqualitas in eſſendo quomodo eſt verum. 411.4
In Angelis datur voluntas, & liberum arbitrium. 427.12
In voluntate, ſeu appetitu Angeli eſt vis concupiſcibilis, & iraſcibilis. 434.13
In principio creauit Deus Cælum, & terram quomodo intelligitur. 523.1
Inſeparabilitas à forma eſt proprietas materiæ primæ. 531.17
Intentionale eſſe duplex. 539.11
Intentio duplex prima, & ſecunda. 319.8
Inter Perſonas Diuinas eſt ſumma, & perfecta æqualitas. 346.1
Inter Perſonas Diuinas eſt æqualitas in omnipotentia tam intenſiue quam extenſiue ſumpta. 347.3
Incommunicabile duplex. 404.6
In Inferno nullus eſt ordo quomodo verum eſt. 483.9
In quocumque ſtatu beatitudinis, & damnationis falſum eſt dari alternatiuam cõtra originem concedentem talem alternatiuam pœnarum, & Beatitu-

titudinis. 485.12
Impœnitentia Dæmonibus vnde proueniat. 485.12.13
Intelligentia ſeu Angelus mouet Cœlum per ſuam voluntatem ſine labore, & infaticabiliter. 563.39
Intendere eſt actus ſolius voluntatis. 654.26
In primo Homine an fuerit vna potentia immortalitatis, & mortalitatis. 680.20
Induratio vide Excæcatio.
Indurati, & obſtinati differunt. 259.20
Ioannes Baptiſta habuit Angelum Cuſtodem. 271 33
Ioannes Duns Scotus clarum exemplar, ſanctitatis, & doctrinæ. 15.1
Ioanni Duns Scoto intolerabilis impoſtura attributa eſt à maleuolis circa vnitatem principij Spiritus Sancti. 342 8
Iuſtus dicitur Angelus. 380.5
Iuſtitia commutatiua, & diſtributiua quæ, & de earum obiecto 271.4
Iuſtitiæ diſtributiuæ vlterior diuiſio. 271.5
Iuſtitia punitiua eſt duplex. ibid.
Iuſtitia moralis non eſt in diuina voluntate vere, & proprie ponenda comparatione Creaturarum. 272 67
Iuſtitia vnica reperitur in Deo ad ſe ipſam quaſi ad alteram. 273.8
Iuſtitia vera, & propria ſecundum ſuam formalem rationem reperitur in Deo. 272.7
Iuſtitia vera comparatione creaturarum proprie non reperitur in Deo, neque in actu primo, neque in actu ſecundo, niſi ſecundum leges à ſe præſcriptas. 274.9.10
Iuſtitia aliqualis commutatiua in punitione malorum reperitur in Deo. 276.13
Iuſtitia, & Miſericordia in operibus naturæ non ſimul manifeſtantur. 281.24.25
Iuſtitia, & miſericordia in operibus gratiæ ſe inuicem comitantur. 281.25.26.
Iuſtitiæ originalis quiditas. 693.5
Iuſtitia originalis quomodo donum naturale. 693.6
Iuſtitia originalis an fuerit vnus habitus, vel plures. 693 6.7
Iuſtitia originalis fuit in voluntate, vt in ſubiecto. 694.8
Iuſtitia originalis fuit habitus diſtinctus à gratia gratum faciente. 695.9
Iuſtitia originalis quomodo poterat eſſe ſine gratia gratum faciente. ibid.
Iuſtitiæ originalis effectus. 605, 10

L

LAbor nobilium delectabilis antiquitus fuit in agricultura. 687.18
Lata differentia inter neceſſitatem filij Dei ſecundum Theologos, & inter neceſſitatem creaturarum ſecundum philoſophos. 288.13
Lex vetus a bono Deo data eſt. 635.22.23.24
Lex vetus imperfecta reſpectu nouæ legis. 20.13
Lex vetus, & noua non differunt, & contraria, ſed ſicut imperfectum, & perfectum. 21.13
Lex eſt de vniuerſalibus quemadmodum & ſcientia. 271.4
Liber vitæ, vere, & proprie reperitur in Deo. 231.43
Liber vitæ formaliter eſt idem, quod prædeſtinatio ipſa differunt tamen aliquo modo. 231.43.44
Liber vitæ pertinet ad actum voluntatis et connotat actum intellectus. 231.44
Liber vitæ ſecundum D. Thomam eſſentialiter pertinet ad intellectũ. 232.45
Liber Apocryphus quid ſit. 17.5
Liber Apocryphus quomodo poteſt fieri canonicus. 18.7
Libri ſacri an aliqui perierint. 18.8
Libri ſacri ſi perierunt, quare perierunt. 199
Libri Cabaliſtici in maximo honore habentur apud Hebræos. 34.44
Libertas duplex. 340.3

Libertas accidentalis duplex. 195.13
Liberè agentis duplex eſt libertas. 94.12
Libertas arbitrij in Deo eſt ſimilis, & diſſimilis libero creato. 427.2
Liberum arbitrium Creatum naturaliter eſt mutabile flexibile, & vertibile ſupernaturaliter tamen poteſt confirmari in gratia. 487.16
Liberum arbitrium eſt in Dæmonibus. 488.17
Liberum arbitrium habet tres actus. 654.2
Liberum arbitrium non ab eodem dicitur liberum, & arbitrium. ibid.
Lignum ſiue arbor ſcientiæ boni, & mali poſuit Deus in Paradiſo ad experiendam obedientiam primorum Parentum. 598.17
Lignum ſiue arbor ſcientiæ boni, & mali fuit vera arbor naturalis. ibid.
Lignum ſiue arbor ſcientiæ boni. & mali ſic dicta ab Euentu, qui promiſſus fuit à ſerpente. 598.18
Loca topica, ſeu ſedes argumentorum quibus vtitur ſacra Theologia ad arguendum &c. 54 85
Locus habet triplicem comparationem ad locatum. 395.5
Locutio duplex exterior & interior. 422.16
Locutio Angelorum, & locutio hominum partim conueniunt, & partim differunt. 424.26
Locutio Angelorum non poteſt impediri diſtantia locali quantumcumque magna ſit. 424.31
Lumen naturale eſt à Deo, & ſecundum ſe non inclinat ad malum, in eius tamen vſu errare poſſumus. 59.97
Lumen gloriæ ad videndum Deum neceſſarium quid ſit entitatiue, & quidditatiue non definit Concilium Vienenſe. 123.15
Lumen gloriæ de facto ſecundum ordinatam Dei potentiam quattuor modis in propoſito accipi poteſt. 124.18
Lumen habituale eſt triplex ſcilicet fidei gloriæ, & medium. 125.19
Lumen gloriæ non concurrit ad videndum Deum in genere cauſa materialis. 126.23
Lumen gloriæ poteſt ſuppleri per Diuinã potentiam abſolutam, quæ poteſt ſupplere cauſalitatem, cuiuſuis cauſæ efficientis. 127.24.25
Lumen gloriæ dupliciter concurrit ad viſionem beatificam. 127.26
Lumen gloriæ quomodo à Deo Beatis datur æquale, vel inæquale. 127.
Lumen non educitur de potentia medij. 543.20
Lumen eſt forma realis, & intentionalis. 544.21
Luminaria Cæli agunt in elementa quoad generationem, alterationem, & loci mutationem. 549.8
Luminaria Cæli (ſumpto ſigno quo ad vſum) facta ſunt in ſigna, ideſt in ſignificationem futurorum quorundam effectuum naturalium. 551.13
Luminaria Cæli nullo modo ſunt ſigna eorum, quæ dependent à libero arbitrio. 552.14
Luminaria Cæli ſuis varijs motibus faciunt diſtinctiones vtiles in ſublunaribus. 552.15
Luna luminare minus eſt in ſignificationem temporum annorum menſium & dierum apud Iudæos maxime quoad ſolemnitates ſicut apud Chriſtianos eſt ſol, & quidem rationabiliter. 552.15
Luna quare vocatur luminare magnum. 557.27
Lunæ excellentiæ. 552.15
Luna quomodo eſt, & lucet in firmamento Cæli. 558.28
Lucretij opinio de productione Animæ. 640.16
Lutherus, & alij Hæretici ſenſerunt ex vnione hypoſtatica corpus, ſeu humanitatem Chriſti id obtinuiſſe, vt ſit vbique ſicuti eſt vbique Perſona Diuina filij

Digitized by Google

filij cui humanitas eſt inſeparabiliter vnita. 143. 12

Lutherus, & Caluinus impijſſime ſenſerunt Deum propria intentione poſitiue quoſdam reprobaſſe abſque praua Cauſa ex parte ipſorum. 258. 16. 17

Lucis Creatio ſeu factio ſola voluntate Diuina. 538. 8. 9

Lucis excellentia. ibid.

Lux principaliter ſignificat lucem ſpiritualem, ſed in factione Lucis intelligitur Lux corporalis. 539. 10

Lux non eſt forma ſubſtantialis. 539. 10 & 543. 19

Lux illa eſt qualitas realis, & intentionalis. 539. 11

Lucis ſubiectum quid nā fuerit illis tribus primis diebus eſt varia opinio. 540. 12. 13

Lux non fuit proprie creata, ſed facta. 541.14

Lux lumen radius, & ſplendor differunt. 543. 19

M

Magia duplex, & quid vtraque. 517. 36

Magiæ primus inuentor Diabolus, primum eius inſtrumentum Cus primogenitus Cham. ibid.

Magia ſuperſtitioſa magnam malitiam dicit, quia plura alia peccata habet annexa. 519.10

Mala omnia tum natura, tum pœna poſſunt inter effectus prædeſtinationis cōputari, & de facto numeri. 248. 81

Mala culpæ nullo modo poſſunt computari inter effectus prædeſtinationis, ſolum conceditur reprobos actualiter exiſtere in ordine ad prædeſtinatos. 248. 81, 82

Maleficium quomodo à Magia differat. 519.41

Maleficium quid ſit oſtenditur. ibid.

Maleficij duæ ſunt ſpecies Amatorium, & Veneficium. ibid.

Malefici maleficio amatorio non poſſunt cogere nec compellere vllius voluntatem ad amandum, vel odio habendum quia hoc nec Dæmones poſſunt facere. 521.42

Malefici non habent vim includendi Dæmonem in anulis, in vaſculis, aut in ampullis. ibid.

Manducantes homines de fructu arboris ſcientiæ boni, & mali ineuitabilem incurrebant pœnam mortis. 598. 17

Manichæorum error circa cauſam prædeſtinationis. 232.46

Macedonius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus negans Diuinitatem Spiritus Sancti damnatur in Concilio Generali primo Conſtantinopolitano. 345.15

Manichæorum deliramenta circa duo principia. 364. 18. 19

Manichæorum aliud deliramentum circa veterem, & nouam legem confutatur. 365. 21

Manichæorum hæreſis circa Lucem. 539.10

Manifeſtatio fit per quadruplicem operationem. 351. 12

Magnum miraculum ſiue mirabile, quod ſupra Cælum Diuina omnipotentia immenſam aquarum vim contineat. 553.21

Maris Caſpij origo. 602. 24

Mare Caſpium tanto ſpacio diſſitum ab Oceano arctico, tamen eidem vnitur. 577.25

Maria Virgo ampliſſime fuit confirmata in gratia. 487. 16. quomodo potuit meliorari. 712.21

Maris diuiſio. 366. 21

Maſticatio cibi quam facit Angelus non eſt commeſtio. 463. 17

Maſculus, & fœmina non reperiuntur in natura Angelica. 464. 18

Maſculus, & fœmina diſſimiles in exercitio actuum ſecundorum Animæ. 670.17

Manifeſta eſt contradictio Diuinā omnipoten-

potentiam Creaturis communicari. 269.19
Materia Dæmoniacæ infeſtationis in hominem eſt ampliſſima. 501.1
Materia duplex propria, & metaphorica. 383.11
Materiæ propriæ quinque condiciones. 383.11
Materia metaphorica quid ſit. 384.12
Materia informis non eſt Chaos. 523.8
Materia prima non eſt purum nihil, ſed verum ens reale. 527.9
Materia prima præciſe ſumpta eſt ſubſtantia. 528.10
Materia prima non eſt ſolum in potentia obiectiua, ſed eſt in potentia ſubiectiua. 528.10
Materia prima præciſa forma, & actu à forma proueniente habet entitatem actualem. 529.12
Materia prima habet propriam exiſtentiam. 529.13
Materia prima virtute Agentis naturalis non poteſt eſſe ſine omni forma. 530.14
Materia prima per Diuinam potentiam poteſt produci abſque omni forma ſubſtantiali, & illam ſic conſeruare. 530.15
Materia prima eſt definibilis, & de facto definitur. 531.16
Materiæ primæ quattuor ſunt proprietates. ibid.
Materia & ſi ſit ſub forma perfecta non ideo deſinit eſſe in potentia ad alias formas. ibid.
Materiam eſſe ſimplicem, ingenerabilem, & incorruptibilem phyſicè eſt proprietas eiuſdem materiæ primæ. 531.17
Materia Cælorum, & ſublunarium eſt eiuſdem rationis. 532.19
Materiam eſſe vnam, & eiuſdem rationis poteſt tripliciter intelligi. ibid.
Materia ſecundum Theologos ponenda eſt in Cælo. 532.20.
Materia præciſe ſumpta ſi daretur eſſet in loco definitiue; materia vero quanta, & extenſa eſt in loco circumſcriptiue. 534.22
Materia diſpoſita ad vnam formam, eſt ſimul inclinata ad alias formas quaſcumque corporales. 547.4
Metallorum genera ſeptem. 367.4
Miſſio eſt manifeſtatio per effectum perſonæ emanantis. 349.9
Miſſio in Creaturis poteſt comparari ad tria. 349.8
Miſſionis definitio declaratur. 349.9. & ſeqq.
Mittere actiue non eſt commune tribus. 550.11
Miſſio paſſiua tria dicit. ibid.
Miſſionis duo effectus generales viſibilis, & inuiſibilis 351.12
Miſſio duplex viſibilis, & inuiſibilis ib.
Miſſio inuiſibilis quid ſit. ibid.
Miſſio viſibilis. 352.16
Miſſio inuiſibilis fit dupliciter. 351.12
Mitti quid dicat. ibid.
Mittitur inuiſibiliter perſona Diuina ſecundum donum gratiæ gratum faciẽtis. 351.13.14
Miſſio Filij, & miſſio Spiritus Sancti inuiſibiles ſunt inſeparabiles, & indiuiſæ. 352.15
Miſſione viſibili miſſus eſt filius, & Spiritus Sancti, & manifeſtati ſigno viſibili. 352.16
Miſſio viſibilis filij, & miſſio viſibilis Spiritus Sancti tripliciter differunt. 353.17
Miſericordiam in Deo dari ſecundum propriam, & formalem rationẽ eius eſt plus quam certum. 278.18
Miſericordia poteſt duobus modis accipi. ibid.
Miſericordia accepta ſecundum ſuam ſpecificam rationem eſt in Deo attributum diſtinctum formaliter ab eſſentia, & alijs attributis. 278.19
Miſericordia, & iuſtitia quo ordine ſunt

in

Digitized by Google

in Deo. 278.20
Miſericordiæ actus ſunt duo. 279.21.22
Miſericordia licet ſit vnica in ſe, eſt tamen multiplex reſpectu obiecti. 280.23
Miſericordia eſt duplex reuelatiua, & præſeruatiua. ibid.
Miſericordia, vide iuſtitia.
Miſericordia non poteſt ſumme manifeſtari in aliquo opere gratiæ, ſi aliquo modo in eo concurrat iuſtitia, & è côtrario ipſa iuſtitia non poteſt ſumme manifeſtari in opere gratiæ. Si aliquo modo cum eo concurrat miſericordia. 282.29
Miſericordia, & iuſtitia in punitione malorum vere, & proprie ſe inuicem comitantur. 283.30
Membra Deo tribuuntur in ſacris ſcripturis ad adiuuandum imbecillem noſtri intellectus intelligentiam de Dei perfectionibus. 99.26
Melior intellectus in naturalibus cum æquali lumine gloriæ vere poteſt perfectiorem viſionē Dei efficere ſi Deus ſineret &c. 131.35
Menſura extrinſeca diſtinguitur realiter à ſuo menſurato. 105.16
Menſurare quid ſit. 105.17
Menſuratiua certitudo duplex. ibid.
Menſura, vide exiſtentiam.
Menſura quid ſit. 406.30
Menſura in Angelis, & Animabus dicitur Euum. ibid.
Menſura neceſſario dicit ordinē ad menſuratum. ibid.
Miniſtrare duplex principaliter, & ſecundario. 456.2
Miniſterium duplex ſubiectionis, & præſidentiæ. 466.23
Memoria dupliciter conſiderari poteſt. 421.25
Memoria quomodo eſt in Dæmonibus. 489 20
Medici dicunt eſſe intendendum ſomnijs ad cognoſcendas interiores diſpoſitiones corporis. 513.27
Miraculi nomen quid ſignificet. 496 33
Miraculū dupliciter definitur, & quattuor condicionibus qualificatur. 497. 35
Miraculum poteſt tripliciter dici. 497.34
Miracula pro monſtris poſuere Antiqui. 496 33
Mirum vel mirabile; Miraculum, virtutes ſigna portenta, & prodigia differunt. ibid. & 629. 10
Mixtionis Etymologia, & diuiſio. 580.1
Mixtio propria tribus concurrentibus fit. ibid.
Mixtionis propria definitio, & eiuſdem declaratio. 580.2
Mixtio non ſolum eſt mutatio, ſed etiam plures dicit mutationes. ibid.
Mixtio eſt vere generatio. 581. 3
Miſcibilia, quæ ſint, & quas habeant condiciones. 581.3
Modus Angelorum cognoſcēdi res creatas eſt multiplex. 426.36
Modus intrinſecus rei quid ſit. 90.1
Modi intrinſeci, & attributa partim conueniunt, & partim differunt. 90. 2. 3
Modi intrinſeci eſſentiæ Diuinæ ſunt, Infinitas, ſimplicitas, immutabilitas, æternitas, inuiſibilitas, incomprehenſibilitas, ineffabilitas, immenſitas ſumma perfectio, & neceſſe eſſe. 90.3
Modi quibus Deus per ſuam immenſitatem eſt in rebus ſunt in re diſtincti, & diuerſi. 141.5
Modi, quibus Angeli cognoſcunt ſunt tres. 387. 18
Modi, quibus Angeli Deo ſeruiunt ſunt tres. ibid.
Modus producēdi, ſeu generandi in Animalibus, & plantis eſt diuerſus. 587. 18
Modi varij operandi Diuinæ potentiæ. 629. 10. 11
Modus adducendi Animalia ad Adam. 703. 32

Digitized by Google

Moyſes in Monte dicitur duplicem legẽ accepiſſe. 33.41.42
Moyſes quare de mixtis imperfectis nullam fecit mentionem. 581.4
Morula ſtatus viæ Angelorum varia aſſignantur. 440.11.12
Montium vtilitates variæ. 574.16
Mirabilia Dei in germinibus nec minora in minimis quam in maximis. 585.11
Mortis cauſa varie aſſignatur. 676.13
Mors primorum parẽtum corporalis ſtatim incepit poſt peccatum. 698.18
Mors quadruplex, ad quam primi Parentes obligati ſunt per peccatum. 698.19
Mors quomodo naturalis, & quomodo pœna peccati. ibid.
Mouere ſe quomodo dicit, & non dicit imperfectionem. 86.15
Mediatio, & immediatio multipliciter poſſunt intelligi. 224.35.36.37
Motiuum Auicennæ Deum creaſſe tantum vnam intelligentiam falſum eſt. 368.1
Motus localis non repugnat Angelis. 395.5
Motus rependi, & motus gradiendi differunt. 604.2
Motus per ſe, & immediate eſt ad relationem extrinſecus aduenientem non autem extrinſecus aduenientem. 398.12
Medium inter extrema motus eſt duplex. 402.21
Michael Archangelus vnus ex ſeptem Principibus Angelorum ſicut olim in veteri teſtamento præfuit Synagogæ Iudæorum, ſic in nouo eſt defenſor, & Patronus Eccleſiæ Chriſtianæ. 468.27
Motus Cœli quomodo eſt naturalis, & neuter. 543.40
Motus primi mobilis eſt vnicus.
Mulier adiutor viri in quibus. 625.1
Mulier mas occaſionatus quomodo. 656.29
Multiplex diuiſio iuſtitiæ, & partes eius declarantur. 270.1.2.3
Munia ſpeciei impreſſæ creatæ ſex ſunt. 170.11
Mundum de facto creatum eſſe ex nihilo eſt de fide tenendum, & credendum. 372.8.9.10.11
Mundum ſic eſſe factum diſputatur ad maiorem intelligentiam locis citatis. ibid.
Mundum potuiſſe creari ab æterno diſputatur ſententia affirmatiua eſt probabilior. 374.12. & ſeqq.
Mundus quo anni tempore fuerit conditus an verno tempore an in autumno vtraque pars eſt probabiliſſima. 589.22.23.24.25
Mundi infiniti numero actu eiuſdem rationis cum iſto ſunt impoſſibiles. 709.11
Mundi infiniti ſpecie diſtincti ſunt impoſſibiles. 710.12
Mundus iſte maior extẽſiue in infinitum eſt impoſſibilis. ibid.

N

NAtura eſt prima ſcriptura Diuina. 15.2
Naturalis appetitus Beati non ſatiatur per quemcumq; gradum viſionis Beatificæ. 133.43
Naturalia dona prædeſtinatorum diſtinguuntur in ſex genera. 246.78
Naturalia dona prædeſtinati eſſe effectus prædeſtinationis quomodo ſit veritas Catholica, & non Hæreſis Pelagiana. 247.79.80
Naturale dicitur pluribus modis. 668.13
Natura, & eſſentia Angelica quomodo ſimplex, & incompoſita. 385.14
Naturæ modus operandi eſt operari in tempore, & non inſtanti. 496.35
Naturalis appetitus ad formas eſt proprietas materiæ primæ. 531.17
Natura non poteſt ligare potentias naturales ſolutis ſenſitiuis, & intellectiuis. 629.5.6
Negantes omnino Deum ſuæ ſciẽtiæ actu

infinita ſcibilia, ſiue poſſibilia, ſiue futura in quacumque ſpecie entium indiuidua ſimul attingere, male ſentiũt, & ſunt ſuſpecti in fide. 171. 22
Negationes, & priuationes non habent propriam Deam. 181. 53
Negans Paradiſum terreſtrem eſſe aliquem determinatum locum eſſet temerarius. 592. 3
Neceſſe eſſe quid, & quotuplex. 145. 18. 19
Neceſſitas quomodo perfectior, contingentia. 103. 11
Neceſſitas immutabilitatis nõ repugnat libero arbitrio. 488 18
Neſcientia cadit in Dæmonibus. 488. 20
Nili fluminis prima origo; & ſecunda. 602. 24
Nili fluminis inundatio creſcens 40 diebus, & totidem decreſcens. 602. 25
Nimbus & nix, quid ſit. 583 8
Nomina Diuina ſunt in multiplici differentia. 113. 7. 8
Nomina myſtica, & ſymbolica Dei differunt. 114. 9
Nominum ſimbolicorum tres ſpecies. 114. 10
Nomen hoc (Qui eſt) eſt propriiſſimum nomen Diuinæ eſſentiæ cæteris peculiarius, & excellentius. 116. 15
Nomen Deus dicitur nomen proprium diſtinctiſſimè ſignificans Diuinam eſſentiam. 116. 16
Nomen concretum Deus ſecundum ſuũ rigoroſum ſignificatum vere communicatur ad intra tribus perſonis. 116. 17
Nomen Deus impropriè ſumptum communicatur etiam Creaturis. 117. 18
Nomina dantur aliqua, quæ vniuoca dicuntur de Deo, & creaturis. 117. 19
Nomen hoc Deus capitur multipliciter. 153. 4
Nomine Dei quid ſignificetur. 155. 8
Nomen miſſio eſt translatum à Creaturis ad Diuina. 349. 8
Nomen miſſio transferendum eſt ſecundum ea, quæ dicunt perfectionem. ibid.
Nomen Creatio multiplex. 357. 4
Nomen Angelus eſt nomen officij non naturæ. 380. 4
Nomen Angelus pluribus conuenit. ibid.
Nomine Angelorum veniunt quædam ſubſtantiæ intellectuales. 380. 5
Nomen miraculi quid ſignificet. 497. 33
Nomine Cæli, & terra plura poſſunt venire, & ſignificari. 525. 4. & ſeq.
Nomen elementi eſt æquiuocum. 567. 1
Nomen Arbor ſcientiæ boni, & mali à quo fuerit impoſitum. 598. 18
Nomina Virgo, & Eua quomodo conueniant primæ Mulieri. 673. 7
Nomina hæc tria fœmina Mulier, & Virago quomodo differant. 746. 8
Notitia duplex intuitiua, & abſtractiua. 59. 98
Notitia practica quomodo regulet praxim. 75. 8
Notitia non eſſentialis, ſed genita eſt verbum. 336. 14. 15
Notitia qualibet genita non eſt Verbum perfectum. 336 16
Notitia Creationis difficilis, & obſcura, ſed vtilis delectabilis, & iocunda. 357. 2. 3
Notitia ſimplex, & notitia diſpoſitiua quidnam ſint ſecundum Henricum. 362. 14. 15
Notitia duplex eſt apprehenſiua, & iudicatiua. 454. 21
Notitia iudicatiua includit notitiam finis, & notitiam mediorum. ibid.
Notionalia propria Diuinarum perſonarum dantur communiter in Diuinis. 315. 17
Notionalia comuniter aſſignantur quinque. ibid.
Notionalia in Diuinis ſecundum Scotum aſſignantur ſex. 315. 18
Notio relatio, & proprietas ſe habent per ordinem. 315. 19
Notabilia ſex inferuntur ex Doctrina

à Dæmonibus, gratiam à peccato, gloriam à pœna, & Cœlum ab Inferno. 541.14
Deus arboribus ſeptem largitus eſt. 584.10
Deus tertia die omnes ſpecies plantarum etiam ſpinas, & tribulos produxit. 587.12
Deus plantando Paradiſum terreſtrem non reſpexit breuem horam temporis, quo Adam in Paradiſo moraturus erat. 592.4
Deus quomodo inſtruxit Paradiſum terreſtrem. 595.11.12
Deus quare poſt peccatum primorum Parentum, & eorum eiectionem è Paradiſo poſuit cuſtodiam eidem Paradiſo? 597.15
Deus cum dixit faciamus hominem cum quibus, & qua loquela loquebatur. 613.7. & 614.8.9.10
Deus poteſt ligare vires naturales, & ſenſitiuas relictis ſolutis intellectualibus. 627.5.6.7
Deus duobus modis poteſt ſupplere conuerſionem intellectus ad phantaſmata pro ſtatu iſto. 628.7
Deus non poteſt facere creaturam naturaliter impeccabilem. 656.31
Deus non eſt corporeus, ſed purus ſpiritus. 664.5
Dies primus Creationis fuit dies dominicus celeberrimus ob multa diuina opera præclare in eo geſta. 542.18
Differentia diuinarum operationum ſumitur ex differentia diuinorum effectuum. 537.7
Differunt intellectus Angeli, & intellectus homini: pro ſtatu iſto. 473.36
Differentia inter Tronuſorem vniuerſalem, & particularem. 213.33
Diuinatio ſuperſtitioſa quare ſic dicta. 504.8
Diuinatio deſcribitur. ibid.
Diuinatio per ſomnia fieri poteſt aliquando licitè, aliquando illicitè. 513.26
Diuinatio per ſortes non ſemper eſt ſuperſtitioſa. 515.31
Diuiſio, & ſubdiuiſio actus voluntatis creatæ. 452.17
De latere Adami formata fuit Eua. 634.17
Diuiſio logica quid ſit. 413.9
Diſcurſus triplex. 41.4
Dilectio naturalis, & ſupernaturalis differunt, & conueniunt. 429.5
Dilectio naturalis datur in voluntate Angelica. 429.6
Dilectio naturalis non eſt in Angelis beatis. ibid.
Diuiſibilitas in motu duplex. 401.18
D. Bonauentura redarguit Auicennam. 368.1
Dependentia naturæ ad ſuppoſitum eſt triplex. 405.27
Definitiones Conciliorum Generalium de proceſſione Spiritus Sancti à Patre, & Filio. 341.6.7
Diuinæ perſonæ non conſtituuntur in eſſe perſonali per negationem tantum. 322.16
Diuinæ perſonæ conſtituuntur in eſſe perſonali per aliquid poſitiuum nempe per relationem. ibid.
Donum quomodo eſt proprietas Spiritus Sancti. 344.13
De eſſentia vltimate abſtracta nihil prædicatur formaliter, niſi in primo modo dicendi per ſe. 354.20
De concreto Deitatis poſſunt prædicari notionalia, & actiones perſonales, ſiue notionales. 355.22
Dictio excluſiua (ſolus) cui ſubiecto poteſt apponi in diuinis. 355.23
Dictio excluſiua ſolus poteſt accipi categorematicè, & ſincathegorematicè. ibid. & 356.24
Dogma Catholicum triplex in materia reprobationis. 253.5
Diſtinctio rationis duplex. 89.24
Doctrina Theologica quomodo ſit, & non ſit ſcientia. 50.77

Duas.

Digitized by Google

Duas tantum productiones eſſe in Diuinis, & duo principia productiua, & duo producta totalia, & adæquata quamuis ſit articulus fidei, poteſt tamen adhuc probari. 301. 18. 19
Duo ſunt ſuper potentiam naturalium cauſarum in hominis generatione. 612. 5
Duratio non poteſt addere exiſtentiæ rei durantis entitatem aliquam realiter diſtinctam tanquam à re. 105. 15 nec modum aliquem, ſiue realitatem poſitiuam ex natura rei diſtinctam ab illa exiſtentia. 105 16. nec rationem mẽſuræ, quaſi per eam exiſtẽtia rei compleatur in ratione durantis. 106. 18, nec coexiſtentiam ſucceſſionis veræ, vel imaginariæ. 96. 19, nec aliquam conſtantiam, vel aliquem reſpectum adeſſe præexiſtens, ſiue præhabitum. ibid.
Duratio addit exiſtentiæ rei durantis negationem deſitionis. 106. 20
Duratio omnino identificatur actuali exiſtentiæ rei durantis ſaltem negatiue. 107. 21
Duratio ab exiſtentia rei durantis tantum diſtinguitur ex natura rei negatiue. 107. 22
Durationis tres ſunt ſpecies æternitas, æuum, & tempus. 107 23
Durationis quarta ſpecies prædictis an ſit addenda. 108. 24
Durationes omnes habent rationem mẽſuræ. 107 23
Durationes principaliter, & eſſentialiter differunt ex diuerſo rerum modo manendi. 108. 24

E

Eccleſia quomodo procedit in approbatione libri canonici. 17. 6
Eccleſia ſemper proficit, & quomodo. 18 6
Eccleſia comparatur auroræ. ibid.
Effectus contingentes qui a nobis per enũciationes de futuro ſignificantur priuſquam in tempore fiat ad alteram partem contradictionis ſunt ab æterno determinati. 183. 4. 5
Effectus prædeſtinationis ſunt tres, ſcilicet vocatio, iuſtificatio, & glorificatio. 241. 65
Effectus ſupernaturales pœnitentiæ dicuntur prædeſtinationis effectus. 246. 82
Effectus idem etiam in Creaturis à diuerſis ſuppoſitis poteſt procedere quadrupliciter. 363. 16
Effectus aliter rappreſentat ſuam cauſam, & aliter ſpecies intelligibilis rappreſentat ſuum obiectum. 417. 16
Effectus Idolatriæ. 521. 45
Efficacia meriti principaliter ex tribus attendi poteſt. 659. 27
Electiones Saul in Regem Iſrael, & D. Matthiæ ad Apoſtolatum factæ per ſortes, fuerũt ſpecialiter bonæ 516. 33
Eleuari ſupra ſe ſtat dupliciter. 431. 9
Elementum definitur. 567. 1
Elementum vnum non poteſt producere aliud diſtinctæ rationis. 567. 2
Elementa duo non poſſunt producere tertium elementum diſtinctæ rationis ib.
Elementa ſunt quattuor. 568. 4
Elemẽta, & corpora cæleſtia conueniunt inter ſe, & differunt. 568. 3
Elementum vnum totum ab alio tranſmutari non poteſt. 568. 5
Elementum quodlibet ex quouis immediate generari non poteſt ibid.
Elementum ignis datur ſitum ſub concauo Lunæ. 569 6
Elementa non manent formaliter, ſed virtualiter in mixto. 575. 19
Ens in quantum ens eſt obiectum intellectus Creati quoad naturalem inclinationem non attingentium. 6. 7
Ens in quantum ens eſſe obiectum adæquatum noſtri intellectus quo ad naturalem inclinationem non eſt naturaliter notum pro ſtatu iſto. ibid.
Ens tranſcendentale vniuocè dictum de

Deo, & creaturis non ſecundum eandem rem, aut realitatem communem dicitur, ſed ſolum ſecundum eundem conceptum cõmunem realem. 158. 20
Ens tranſcendentale primo diuiditur in ens quantum, & nõ quantum. 310.15
Entia non quanta, quæ ſint. ibid.
Ens quantum diuiditur infinitum, & in infinitum. 310.16
Ens tranſcendentale quomodo deſcendat in Deum, & creaturam. 311.18
Errores contra immenſitatem Dei. 140.1
Errores varij contra vnitatem Dei. 153. 12
Eſt certum de fide; Cum infallibilitate, & certitudine diuinæ præſcientiæ rectè cohęrere contingentiam in futurorum euentu, & libertatem in actibus ſecundarum Cauſarum. 189. 23. e 24
Eſau pœnitentia inutilis. 207. 17
Eſdras cabaliſticam expoſitionem, & miſteria poſt captiuitatem Babilonicã redegit in libros 70. ſolis Hebræorum ſapientibus communicandos. 34. 41
Eſſe compoſitum, & venire in alterius compoſitionem differunt. 95.18
Eſſe ęternum, & eſſe ab ęterno differunt. 109.27
Eſt poſſibile cum vnitate eſſentiæ Diuinæ eſſentiæ ſtare Trinitatem perſonarum. 320.12
Eſſe ſubſiſtentię eſt duplex. 324.21
Eſſe in potentia dupliciter. 528.12
Eſſe in loco ſtat quadrupliciter. 534.2
Ædificauit Dominus Deus coſtam cur non dixit, formauit, ſeu fecit, aut Creauit? 631.13
Eſſe imaginem, & eſſe ad imaginem differunt. 663.3
Eſse à natura duobus modis. 678.13
Eſſe in loco per operationem non includit neceſſario eſſe in loco ſecundum ſubſtantiam. 142.9
Eſsentia diuina quid ſit. 82.3.4
Eſſentia diuina non admittit reſpectus reales imitabilitatis, & ſimilitudinis comparatione creaturarum. 179.46
Eſſentia diuina de rigore non poteſt idea rerum factibilium appellari. 179. 47.48
Eßentiale capitur tripliciter. 308.13
Eſſentiam diuinam fieri de non habente habentem poteſt intelligi duobus modis. 289.15
Eßentia diuina habet propriam ſubſiſtentiam. 324.21
Eſſentia diuina poteſt eſſe ratio cognoſcẽdi plures quidditates diſparatas. 419.20
Exhalatio quid, & quotuplex ſit. 582.5
Æqualitas miſcibilium in mixto duplex poteſt eße. 617.18
Æqualitas, & inęqualitas diuinę voluntatis. 198.21.22
Æqualitas à iuſtitia penes quid attenditur. ibid.
Æqualitas à pondere tribus modis ſumi poteſt. 618.20
Ætas primorum Parentum. 698.18
Erat autem vterque nudus his verbis ſignificatur duplex excellentia ſtatus innocentiæ. 746.8
Æternum, perpetuum, & ſempiternum differunt. 109.27
Æternitas quid connotet, & quid formaliter ſignificet. ibid.
Æternitas quid ſit. ibid.
Æternitatis definitio vtiliter declaratur. 109.29. & ſeq.
Ethyopia duplex Orientalis, & Occidentalis. 602. 25
Eua mulier verè producta eſt ex viro. 632. 14
Eua facta eſt de coſta Adæ ob tres rationes. 632.16
Eua vere ſicut Adam habuit Animam rationalem. 636.4. & 659.19
Eua ornata ſcientia ſicut Adam; ad quem adducta eſt ob quattuor rationes. 673.6
Eua fuit valde amata ab Adamo ad euitanda multa inconuenientia. 703.31
Euphratis fluminis origo, & terminus. 603.27

Digitized by Google

Æuum non habet rationem menſuræ actiuæ intrinſecæ, ſed probabiliter extrinſecæ. 407 31

Exiſtentia Dei eſt prædicatum eius quiditatiuum. 82.5

Exiſtentia eſt communis exiſtentiæ Dei, & exiſtentia creaturarũ quomodo ib.

Exiſtentia, duratio, & menſura in Angelis ſunt diſtincta. 406. 28.

Exercitium virtutis quid ſit. 500. 42

Exceſſus in cultu Dei quomodo poteſt cõtingere. 499 4.

Ex parte hominis ante Diuinationem ſex actus ſunt 505 9

Extenſio obiectiua ſacræ Theologiæ eſt latiſſima, & ampliſſima. 67.16.

F

FAbrica Plantarum mirabile opus Dei. 585.13.14

Facta reuelatione credibilium poteſt quis naturaliter aſſentire articulis fidei. 14.28

Facta Diabolo reuelatione ſui caſus, & damnationis Diabolus non tenetur ſperare beatitudinem. 445 5

Falſa eſt opinio illorum, qui dixerunt tot homines eſſe ſaluandos, quot Angeli corruerunt. 228.56

Fœmina & Maſculus non reperiuntur in natura Angelica. 464.18

Fœminæ teſtimonium infirmius, & inualidius eſt teſtimonio viri. 465.20

Feneſtræ Animæ quot, & quænam ſunt. 500.41.

Fides parentum non ſufficit infantibus in hac Euangelica Lege, vt ab originali culpa mundentur. 211. 26.

Fideles non omnes recipiunt ſacramenta in articulo mortis, & multi qui ea ſuſcipiunt male ſuſcipiunt. 228.36.

Fideles plurimi cum confitentur non habent firmum propoſitum emendationis. 228. 37 & ſequentibus.

Filius in Diuinis non producitur ex cognitione creaturarum. 294.3.

Filius in Diuinis a ſolo Patre generatur. 230.1.

Filius eſt genitus ex ſubſtantia Patris. 334.8.9

Filius connotat naturam viuentem intellectualem cum habitudine producti a producens. 338.18

Filius facilius poteſt relinquere Patrem, & Matrem, quam vxorem. 680.2.

Firmamentum quod eſt Cœlum ſtellatum expreſſe nominatur in ſacra ſcriptura. 553.17

Firmamenti nomine quid veniat. 553. 17.18

Firmamentum diuidit aqua ab Aquis. 553.17

Fluuius egrediebatur de loco voluptatis. 599.19

Fluuius hic irrigabat Paradiſum, quod quattuor modis præſtare poterat. ibid.

Fluuius hic inde diuidebatur in quattuor capita. ibid.

Forma ſubſtantialis duplex. 405.26

Forma, vt dicatur educi de potentia Materiæ tres condiciones requiruntur. 371.7

Formatio, & reformatio corporis Adæ ſunt diſſimiles. 615.12.

Formatio corporis Euæ non fuit miraculum, ſed mirabilis. 630.11

Formatio corporis Euæ an fuerit Creatio. 631.12

Fulgura & fulmina quid ſint, & quomodo differant. 582 6.

Fulminis triplex differentia accidentalis. ibid.

G.

GAngen fluminis origo. 602. 24

Gentiles, & infideles poſt Chriſtum natum poſſunt ſaluari 469 29

Generatio filij Dei efficaciter probatur. 285 6.7 8. obiectiones in contrarium reſoluuntur. 287. 11, 12. 13

Generatio duobus modis intelligi poteſt. 289 15

Generatio duplex eſt æquiuoca, & vniuoca, quæ adhuc duplex eſt. 330.1

Generatio quid ſit. 331 1

Generatio filij in Diuinis eſt propriſſima. 331.3
Generatio filij in Diuinis ſolum dicit productionem. 332.4
Generatio filij in Diuinis non præſupponit materiam. 333.6
Generatio filij in Diuinis non eſt de nihilo. ibid.
Generatio filij in Diuinis eſt æterna. 333.7
Generatio filij paſſiua, vt termini totalis non eſt communicata aut producta. 333.7
Generatio, & ſpiratio quomodo interſe diſtinguuntur. 344.13
Generatio humanitatis Chriſti quomodo fuit præter, & ſupra naturam, & naturalis. 331.2
Generatio ſola humana eſt vere naturalis inter Creatas. 331.3
Generatione humana comunicatur tantum pars naturæ humanæ; generatione vero Diuina comunicatur tota natura Diuina. 332.4
Generatione humana non comunicatur natura indiuidualis, ſed ſolum ſpecifica. ibid.
Generatio humana duo includit nempe mutationem, & productionem. ibid.
Generatione humana terminus formalis accipit eſſe in generatione Diuina terminus formalis præhabet eſſe. 332.5
Generatio neceſſario requirit triplicem ſpiritum, & triplicē calorem. 464.18
Generatio mixti eſt duplex. 580.2
Generatio actiua quomodo immanens, & tranſiens. 425.27
Generatiua potentia tres virtutes habet ſibi deſeruientes. 464.18
Geon fluminis interpretatio, an ſit Nilus; ſicut Phiſon an ſit Ganges eſt duplex opinio negans & affirmās. 601.23.24
Gratia ſanctificans per mortalem culpā amiſſa eadem numero non recuperatur per pœnitentiam. 243.70
Gratia dicitur Angelus. 380.5
Gratia nō datur Angelis ſecundum proportionem naturalium. 387.19
Gratia, & dona ſtatus Euangelici ſi reſpiciatur difficultas operis efficaciora ſunt ad merendum, quam gratia, & dona ſtatus Innocentiæ. 659.28
Gratia, & dona ſtatus Innocentiæ ſi attendatur promptitudo voluntatis efficaciora fuiſſent gratijs, & donis ſtatus Euangelici. 659.28
Gratia ſanctificans in ſtatu Innocentiæ an admiſiſſet peccatum veniale eſt probabiles opinio pro vtraque parte, ſed affirmans eſt probabilior. 660.29
Gratia iuſtificans à prima iuſtificatione vſque ad finalem eſt prædeſtinationis effectus. 242.69
Gratia dicitur tribus modis. 679.18
Gratia ſumma datur de facto, quâ maior fieri non poteſt. 710.12.13.14
Gradus tentationis Diabolicæ. 498.2
Gloria beatorum eſt prædeſtinationis effectus. 241.66
Gloria duplex in futura remuneratione ſperatur. 394.4
Grando, & glacies quid ſint. 583.8

H

Habitus principiorum Theologicorum, & habitus concluſionum Theologicarum ex ipſis deductarum non ſunt duo habitus diſtincti ſpecie. 50.75. & 76
Habitus, & aſcenſus diuerſorum principiorum fidei, & diuerſarum Concluſionum non diſtinguntur ſpecie, nec obiectiuè, nec terminatiuè. 72.28.29. e 30
Habitus ſpeculatiuus, & practicus differunt in quattuor. 72.1
Habitus, & ſcientia in communi diuiduntur in practicum, & ſpeculatiuum tanquam in differentias eſſentiales. 73.2
Hebræorum obſcœna opinio circa neceſſitatem formandi adiutorium ſimili Adamo. 672.4
Hæretici tam antiqui quam recentiores

Digitized by Google

reiecerunt libros ſacræ ſcripturæ canonicos. 7.11
Hæretici non admittunt exponentes, nec expoſitiones ſacrarum ſcripturarum. 8. 12. & 13
Hæretici quales interpretes ſacrarum ſcripturarum. 9 14
Hæretici potiſſimum Lutherus varia latrant contra Theologos Scholaſticos, ſed non mordent. 10. 17. 18. & pag. 11. 19
Hæretici dicentes ſacram ſcripturam eſſe imperfectam, & inſufficientem damnandi ſunt. 19.9
Hæretici vnanimiter reijciunt, & damnant traditiones, in qua re peccant in quattuor. 30. 35. & ſeq.
Hæretici tantam claritatem tribuunt ſacræ ſcripturæ, vt eam dicant eſſe controuerſiarum fidei Iudicem ſufficientem, quo nihil abſurdius. 47.69.70
Hæretici vnde tam cæci, & tam turpiter errantes. 47.70.71
Hæretici nituntur probare culpas eſſe in prædeſtinatis propria prædeſtinationis effectus. 249.83
Hæretici qui errarunt circa creationem, & principium eius. 364.18.19
Hæreticum dogma eſt aliqua peccata in hac vita irremiſſibilia, & peccatorem ad talem ſtatum poſſe venire in hac vita, quod non poſſit agere pœnitentiã de ſuis peccatis, & ſaluari. 471.32
Hæretici ſunt ſuperſtitioſi. 50. 34
Hæreticorum deliramenta circa creationem rerum. 537.7
Hæreticorum plurium opinio de ſubſtantia Animæ. 639.14.15
Hæreticorum obſcæna Hæreſis concedentium ex verbis Creſcite, & multiplicamini promiſcuum coitum. 681.4
Hyerarchia quaſi ſacer principatus definitur. 386. 15
Hyerarchia Diuina quid ſit, & quomodo reperitur inter Perſonas Diuinas. ib.
Hyerarchia Angelica, & humana quid ſint. 586. 17
Hyerarchia Angelica triplex eſt. 587. 18
Hyerarchiarum diſtinctio in quo fundatur. 587. 19
Homo pro ſtatu iſto non poteſt cognoſcere veritates Theologicas ſupernaturales ſine ſuper addito dono. 11.21
Homo quadrupliciter cognoſci poteſt. 62. 5. & Pag. 148. 11
Homo pro ſtatu iſto Deum vere, & proprie nominare poteſt. 112.3
Homo pro ſtatu iſto quomodo non poteſt Deum nominare. 112.4
Homines qui ſaluantur electi ſunt, & prædeſtinati ante peccatum Angelorum præuiſum, & ante voluntatem illud permittendi. 222.20
Humana natura ſingularis ſine propria, vel aliena perſonalitate de facto prædeſtinata eſt ad ſummam gloriam. 224. 24
Humana natura (excepta natura Chriſti) non eſt prædeſtinata ſine propria perſonalitate. 224. 24.25
Homo purus non poteſt promereri alteri beatitudinem, neque prædeſtinationem ad illam. 235.51
Homo ſine auxilio Diuinæ gratiæ ſpecialis non poteſt ſe ſufficienter diſponere ad gratiam ſanctificantem contra Pelagianos. 237 61
Homini cuicumque tam Chriſtiano quam infideli deputatus eſt vnus Angelus ad cuſtodiam. 470. 30
Homo indiget Angelo cuſtode propter tria. 471.32
Homines virtute Diuina poſſunt compellere Dæmones ad aliquid agendum, vel non agendum. 495.32
Homo eſt ſufficienter prouiſus contra impugnationes Dæmonum. 495. 40
Homo quicumque dum eſt in via habet Dæmonem ad exercitium deputatum. 496. 42
Homo impugnatus à ſuis paſſionibus quare vlterius exerceatur à Dæmone. 482.

Homo quare ad imaginem Dei creatus eſt? 664. 4
Hominem eſſe ad imaginem Dei ſecundum corpus falſiſſimum eſt. 664. 5
Homo factus eſt ad imaginem Dei non ſecundum corpus, nec ſecundum partem ſenſitiuam, ſed ſecundum rationalem, & intellectiuam. 665. 6
Homo habet imperfecte rationem imaginis ſanctiſſimæ Trinitatis. 338. 19
Hoc nomẽ cælum eſt æquiuocum. 545. 12
Henoch, & Elia modo morantur in Paradiſo terreſtri. 194. 20
Heuilath regio vbi ſita. 600. 21

L

IDeas dari in intellectu Diuino eſt certiſſimum. 176. 39
Idea quid ſit. 177. 39. & 41
Ideas omnium rerum eſſe in mente Diuina eſt de fide. 177. 42
Ideæ rerum in ſecundo naturæ ordine reperiuntur in intellectu Diuino. ibid.
Ideæ Creaturarum proprie, & formaliter ſumptæ ſecundum rigoroſum ſignificatum formale in mente Diuina ſunt ipſimet creaturæ præcognitæ à Deo, vt factibiles. 180. 49
Idearum pluralitatem eſſe in mente Diuina eſt de fide. 180. 50
Ideæ indiuiduorum ſingulorum tantum prædicamenti ſubſtantiæ tam perfectorum, quam imperfectorum, quæ per abſolutam Dei potentiam ſaltem ſolitarie exiſtere poſſunt proprie in Deo reperiuntur. 180. 51
Ideam propriam habent ea accidentia, quæ tam inter ſe, quam etiam à proprys ſubiectis realiter diſtinguntur, vt ſeparata inter ſe, & ab alys ſuis ſubiectis ſaltem abſoluta Dei omnipotentia exiſtere poſſunt. 181. 52
Ideæ nullo modo poſſunt determinate repreſentare futura contingentia. 184. 9. & 10
Idololatria quid ſit. 521. 45
Idolum quid ſit. ibid.
Idolatria triplex eſt. 522. 46
In idolatria tres actus cõcurrant. 521. 45
Idolatriæ exterioris quattuor ſunt genera. 522. 47
Idolatriæ origo, & ortus. 522. 47
Ignis, quo ſpiritus Sanctus viſibiliter apparuit non fuit verus ignis. 352. 16
Ignis Inferni, & noſter ignis ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed accidentaliter diſſerunt quadrupliciter. 482. 7
Ignis inferni infert pœnam Dæmonibus quattuor modis. 483. 8
Ignis elementum datur ſituatum in concauo Lunæ. 569. 6
Ignis illuſtre teſtimonium diuinarum ſimilitudinum, & rerum Cæleſtium. 569. 7. & 8
Ignis miniſterio vſus eſt Deus ad multa patranda miracula. 570. 9
Ignis apud nos exiſtens eſt eiuſdem ſpeciei cum elementari. 569. 6
Ignis multipliciter producitur. 570. 8
Ignis non eſt locus naturalis alicuius rei, nec etiam Salamandræ. 608. 13
Ignis elementaris, & Cæli ornamentum eſt lux ipſa. ibid.
Ieſus Chriſtus in aſſumpta humanitate per ſua merita non fuit cauſa prædeſtinationis totius corporis miſtici ſub ipſo capite incluſiue. 233. 46 in fine.
Ieſus Chriſtus per paſſionem, & mortem præuiſam non potuit mereri Angelis, & hominibus prædeſtinationem ad gloriam, nec ad gratiam primam iuſtificantem. 233. 47
Ieſus Chriſtus merito ſuæ paſſionis præuiſæ hominibus tantum fuit prædeſtinationis cauſa quoad remittendam offenſam, & conferendam gratiam reconciliatricem, Angelis vero ſolum reparationem ruinæ. 233. 48
Ieſus Chriſtus Dominus noſter in aſſumpta humanitate actibus alis meritoriys a paſſione ſua, & paſſibili carne abſtrahentibus præuiſis omnibus Angelis, & hominibus promeruit prædeſtina-

ſtinationem, & omnem eius eff ctum. 234. 49. 50
Ieſus Chriſtus non habuit Angelum Cuſtodē, ſed Angelos obſequētes. 471. 32
Ieſus Chriſtus an potuerit meliorari. 711. 17, & ſeq.
Illabi menti hominum quid ſit. 498. 38
Ignorantia contingit tribus modis. 447. 9
Illuminatio fit in inſtanti non eſt motus, nec proprie mutatio. 545. 22
Illuminatio quid ſit. 426. 34
Illuminatio triplex eſt. 426. 35
Illud habet eſſe intentionale quo Anima tendit in alterum, & illud in quod tēdit. 539. 11
Imber quid ſit. 583. 8
Imago Dei ſecundum ſuum complementum æqualiter eſt in viro, ac muliere. 662. 1
Imago Dei in Anima rationali ſecundū diuerſas rationes ponitur à Patribus diuerſis. 662. 1. 2
Imago, & veſtigium quomodo differunt. 664. 4
Imago in homine ad Deum non terminat ad ſolum filium Dei, ſed ad Deum vnum, & trinum. 665. 7
Imago Dei in Homine quale habet fundamentum. 665. 8
Imago Dei in homine conſiſtit in portione ſuperiori eiuſdem hominis. 666. 8
Imago Dei in homine attenditur pœnes potentias Animæ actualiter producentes actus ſuos. 666. 10
Imago Dei in homine aſſignatur dupliciter à D. Auguſtino. 667. 11
Imago Dei in homine eſt perfectior cum reſpicit pro obiecto Deum, quam cum reſpicit pro obiecto Deum quam cum reſpicit Creaturam. 668. 12
In homine duplex eſt Imago naturalis, & ſupernaturalis. ibid.
Imago naturalis quid ſit, & quare ſic dicatur. ibid.
Imago Dei ſupernaturalis in homine quid ſit, & in quo conſiſtat. 663. 14
Imago Dei in homine potiſſimum attenditur penes ſubſtantiam, ſimilitudo vero penes accidentia. ibid.
Imagines falſorum Deorum ſunt Idola. 521. 45
Imagines Ieſu Chriſti, B. M. & Sanctorum non ſunt Idola. ibid.
Immediatio, & mediatio multipliciter poſſunt intelligi. 214. 35. 36. 37
Immenſitas Dei quanta, & qualis. 141 6
Immenſitas Dei non eſt mere credita, ſed poteſt demonſtrari à priori, & à poſteriori. 142 7. 8
Immenſitas ſicut, & infinitas eſt modus intrinſecus Diuinæ eſſentiæ. 143. 11
Immenſitas proprie non eſt comunicabilis Creaturæ, nec humanitati Chriſti contra Lutherum, & alios Hæreticos. 143. 12
Immutabilitas tam ſubſtantialis quam accidentalis eſt incommunicabilis creaturæ. 105. 14
Immortalitas innocentiæ, & gloriæ multipliciter differunt. 679. 18
In Angelis datur voluntas. 327. 1
In Angelis eſt liberum arbitrium. 427. 2
In concurſu Diuino cum cauſis ſecundis eſt duplex ordo ſcilicet in quo, & à quo. 186. 16
Incarnatio Verbi in carne paſſibili, paſſio Chriſti, ſacramentorum inſtitutio, & alia opera Chriſti meritoria ſunt prædeſtinationis noſtræ effectus. 245. 76
Indiuiduatio vnde conſurgat. 404 26
Indiuiduum materiæ dum informatur forma corporis corruptibiles nequit per Cauſas naturales informari forma corporis incorruptibilis. 533. 20
Indiuiduum materiæ dum informatur forma corporis incorruptibilis per cauſas naturales non poteſt informari forma corporis corruptibilis. ibid.
Independentia naturæ ad ſuppoſitum triplex eſt. 405. 27
In Deo, & in Angelis conceditur ratio formalis virtutum moralium. 434. 55

In

In Dæmonibus datur prælatio. 484. 10
In Dæmonibus per obſtinationem nō abſorbetur vſus rationis. 488. 17
In diuinatione ſuperſtitioſa committitur grauiſſimum peccatum ob duas cauſas. 506. 11
In diuinatione ſuperſtitioſa intercedit pactum cum Dæmone expreſſum, vel tacitum. 505. 9
In creatione rerum illis ſex diebus, tres fuerunt operationes Diuinæ. 537. 7
In corpore humano pro triplici eius ſtatu eſt diuerſa miſcibilium æqualitas ſecundum iuſtitiam. 618. 19
In corpore Adæ in ſtatu innocentiæ, nec fuit, nec potuit eſſe ęqualitas à Pondere. 618. 20. 21
In faciem eius, ideſt Adami quare Anima rationalis inſpirata. 635. 2
In homine prẹter Animam rationalem datur alia forma ſubſtantialis dicta corporeitatis. 642. 21. 22
Infinitas Dei à Doctore ſubtili oſtenditur demonſtratiue. 91 4
Infinitas Diuina duplex, ſumpta ab eſſentia, & ſumpta à quantitate Diuinæ virtutis. 92. 9
Infinitas modus intrinſecus non importat puram negationem, ſed aliquid poſitiuum. 93. 11
Infinitas actiua potentię Dei ſecundum virtutem, & vigorem eſt lumine naturali nota. 265. 67
Infinitum vnum poteſt habere maiores partes, quam aliud infinitum. 376. 16
Infernus duplex. 480. 3
Infernus quaſi lictor Dei exercuit in Angelos malos ſuam poteſtatem in Cælo empyreo, & ius quod ibi habebat. 481. 4
Incubi duo ſunt. 498. 3
Infideles inuincibiliter ignorantes fidem Chriſti non damnantur propter infidelitatem. 109. 22
In futura remuneratione gloria duplex ſperatur. 394. 4
Iris quomodo cauſatur. 583. 7
In prima productione plantarum terra non ſe habuit cauſaliter effectiue, ſed ſolum paſſiue miniſtrando materiam, & Deus ſolus eas effectiue produxit. 586. 15 16
In ſequentibus productionibus terra ſe habet materialiter, & effectiuè, & hoc varijs modis. 587. 17
In ſemine eſt triplex calor Cęleſtis igneus & Animalis. 617. 7
Ingenium ſeu indoles, & alia bona naturalia hominis ſunt prędeſtinationis effectus. 246. 76. 77
Inſtrumentum ſumitur quintupliciter. 268. 27
Impeccabilis aliquis poteſt fieri dupliciter. 271. 33
In ſtatu innocentiæ qui minimam habuiſſent gratiam longè maiorem habuiſſent, quam plurimi in lege gratiæ. 657. 25
In ſtatu innocentię homines multiplicati fuiſſent naturaliter per carnalem propagationem. 682. 5
In ſtatu innocentiæ vir, & mulier per deciſionem ſeminum generaſſent. 682. 7
In ſtatu innocentię quomodo potentię generatiua, nutritiua, & augmentatiua obediuiſſent rationi. 683. 9
In ſtatu innocentię an in ſeminum emiſſione fuiſſet delectatio intenſior quam nunc vtraque pars eſt probabilis. 683. 10. 11
In ſtatu miſeriæ poteſt homo dominari nutritiuę, & generatiuę. 683. 10
In ſtatu innocentię mas, & fœmina publicè ſine pudore concubuiſſent. 684. 11
In ſtatu innocentię; In actu carnalis copulę quattuor fuiſſent facta in muliere, & Virginitatem amiſiſſet. 685. 14
In ſtatu innocentiæ mulier fuiſſet ſine grauitate grauida, & peperiſſet ſine dolore, & fractione. 685. 15

Digitized by Google

In ſtatu innocentiæ niſi cauſa prolis nunquam coiſſent. 686. 17
In ſtatu innocentiæ quale ſolatium habuiſſent. ibid.
In ſtatu innocentiæ in quolibet actu Carnali quo ſe cognouiſſent prolem genuiſſent. 687. 18
In ſtatu innocentiæ æqualis fuiſſet multiplicatio virorum, ac mulierū. 687. 20
In ſtatu innocentiæ fuiſſet in poteſtate voluntatis generare maſculum, vel fœminam. 688. 20
In ſtatu innocentiæ pueri nati fuiſſent parui non tamen indiguiſſent faſcijs, & ſeruitute obſtreticum 688. 21
In ſtatu innocentiæ filij fuiſſent nati cum gratia ſanctificante non tamen in ea ſtatim confirmati fuiſſent 689. 22
In ſtatu innocentiæ homines fuiſſent varij in vultu, & locutione. 690.
In ſtatu innocentiæ tria maxime inſignia. 693. 4
In ſtatu innocentiæ per iuſtitiam originalem homo habuiſſet ſpecialem Dei aſſiſtentiam cum ſex magnis bonis eam conſequentibus. 695. 11
In ſtatu innocentiæ filij Adæ nati fuiſſent in iuſtitia originali. 696. 12
In ſtatu innocentiæ iuſtitia originalis quo modo poterat dici transfundi ibid.
In ſtatu innocentiæ appetitus ſenſitiuus rationi fuiſſet ſimpliciter ſubiectus. 699. 20
In ſtatu innocentiæ quomodo voluntas non ſequuta fuiſſet appetitum ſenſitiuum. ibid.
In ſtatu innocentiæ quales paſſiones animi fuiſſent in homine. 699. 21
In ſtatu innocentiæ homo habuiſſet dominium in omnes animantes, & quidem congruenter. 700 22
In ſtatu naturæ corruptæ remanet in homine tale dominium quoad ius & habitum non tamē quoad vſum & exercitium niſi in viris magnæ ſanctitatis. 700. 24. 25
In ſtatu innocentiæ corpora Cæleſtia, & elementa præſtitiſſent obſequia homini non tamen fuiſſent ſub eius dominium. 721 26
In ſtatu innocentiæ quale dominium habuiſſet homo in hominem. ibid.
Intellectus poſſibilis poteſt ad duo comparari. 12. 23
Intellectus humanus eodem lumine fidei aſſentit notitiæ ſimplici obiecti Theologici, & complexæ articulorum, ſeu principiorum, & concluſionum 50. 75
Intellectum Diuinum moueri ab eſſentia Diuina quomodo intelligendum eſt. 67 17
Intellectus diuinus ſciens omnia in eſſentia ſua omnia inquam ad alias ſcientias pertinentia non tamē dicitur Logicus, Phyſicus, Metaphyſicus. 67. 18
Intellectus Diuinus ſi non moueretur ab eſſentia ſua ad intelligendas creaturas nunquam eas intelligeret. 68. 19
Intellectus creatus non dicitur vere practicus in ſuis actibus. 74. 4
Intellectus Viatoris ob propriam imbecillitatem, & perfectionem diuinæ eſſentiæ eam infinitis modis concipere poteſt. 113. 6
Intellectus Diuinus propter ſui excellentiam poteſt vnico, & ſimpliciſſimo actu infinita percipere. ibid.
Intellectus creatus in ſolo ente infinito beatificari poteſt. 119. 3
Intellectus humanus ſecluſa fide ſolis viribus naturalibus pro ſtatu iſto non poteſt ſcire claram viſionem Dei eſſe ſibi poſſibilem, nec actiue, nec paſſiue; neque euidenter ſcire naturam intellectualem eſſe capacem gratiæ, & gloriæ aliorumque ſupernaturalium donorum. 120. 5
Intellectus creatus ſecluſa omni reuelatione, & ſublata imperfectione ſui ſtatus naturali ratione probare poteſt claram intuitiuamque viſionem Dei ſaltem eſſe ſibi poſſibilem. 120. 6

Intellectus etiam per Diuinam potentiā non poteſt creari, qui in infinitum ſuperet perfectione ſua eſſentiali quemcumque alium creatum intellectum, vel creabilem. 128.27
Intellectui cuicumque Creato attenta quacumque perfectione eſſentiali eſſentia diuina eſt ſimpliciter inuiſibilis. 128.28
Intellectus creatus efficienter concurrit ad beatificam viſionem contra Diu. Thomam. 131. 35.36
Intellectus agens an ſic concurrat vide. 131.36.37
Intellectus beatus videt clare Deum de facto maiori, vel minori viſionis perfectione ſecundum proportionem meritorum non naturalium virium ſic Deo concurrente. 132.38
Intellectus, & voluntas Diuina an ſint attributa diuina. 150.7.8
Intellectus diuinus quomodo concedatur diſcurſiuus. 163.2
In intellectu Diuino vere reperitur ſapientia, ſiue ſcientia. 164. 5
In intellectu diuino quomodo datur ſciētia in actu primo. ibid.
Intellectus diuinus non poteſt cognoſcere res particulares in vniuerſali. 170.20
Intellectus diuinus proprie non componit, nec diuidit, nec diſcurrit. 170.21
Intellectualis natura, vt ſic, ſeu humanitas abſque perſonalitate eſt vere & proprie per ſe primo prædeſtinabilis. 223.23
Intelligere vnum ſine altero dupliciter contingit. 289. 14
Intellectio eſſentialis non eſt de ratione formali actus dicendi. 302.20
Intellectio eſſentialis non eſt formaliter ille actus, quo Pater dicit Verbum. 303.22
Intellectionem eſſentialem concurrere ad productionem Verbi poteſt dupliciter intelligi. 303. 23
Intellectio eſſentialis in diuinis eſt operatio improducta communis tribus perſonis. 304 24
Intellectio eſſētialis diſtinguitur ab actu dicendi. 304.24
Intelligere non ſignificat actionem, ſed intellectionem. 335.12
In nobis duplex eſt actus intellectus nempe dicere, & intelligere. 336.13
Ita in Deo Patre eſt duplex actus noſtro modo intelligendi. ibid.
Intellectio Angeli non eſt eius ſubſtantia ſed accidens. 409.1
Intellectus agens, & poſſibilis datur in Angelis. 409. 2. 3
Iſdem numero intellectus dicitur agens, & poſſibilis ob diuerſa munera, quibus fungitur. 410. 3
Intellectio Angeli, & eius ſubſtantia habent modum eſſendi diuerſe rationis. 411.4
Inter obiectum, & potentiam eſt ſimilitudo, ſeu æqualitas in eſſendo quomodo eſt verum. 411.4
In Angelis datur voluntas, & liberum arbitrium. 427. 12
In voluntate, ſeu appetitu Angeli eſt vis concupiſcibilis, & iraſcibilis. 434.15
In principio creauit Deus Cælum, & terram quomodo intelligitur. 523.1
Inſeparabilitas à forma eſt proprietas materiæ primæ. 531. 17
Intentionale eſſe duplex. 539. 11
Intentio duplex prima, & ſecunda. 319. 8
Inter Perſonas Diuinas eſt ſumma, & perfecta æqualitas. 346. 1
Inter Perſonas Diuinas eſt æqualitas in omnipotentia tam intenſiue quam extenſiue ſumpta. 347. 3
Incommunicabile duplex. 404. 6
In Inferno nullus eſt ordo quomodo verum eſt. 483. 9
In quocumque ſtatu beatitudinis, & damnationis falſum eſt dari alternatiuam cōtra originem concedentem talem alternatiuam pœnarum, & Beatitu-

Digitized by Google

titudinis. 485.12
Impœnitentia Dæmonibus vnde proueniat. 485.12.13
Intelligentia ſeu Angelus mouet Cœlum per ſuam voluntatem ſine labore, & infaticabiliter. 563.39
Intendere eſt actus ſolius voluntatis. 654.26
In primo Homine an fuerit vna potentia immortalitatis, & mortalitatis. 680.20
Induratio vide Excæcatio.
Indurati, & obſtinati aſſerunt. 259.20
Ioannes Baptiſta habuit Angelum Cuſtodem. 271 33
Ioannes Duns Scotus clarum exemplar, ſanctitatis, & doctrinæ. 15.1
Ioanni Duns Scoto intolerabilis impoſtura attributa eſt à maleuolis circa vnitatem principij Spiritus Sancti. 342 8
Iuſtus dicitur Angelus. 380.5
Iuſtitia commutatiua, & diſtributiua quæ, & de earum obiecto 271.4
Iuſtitiæ diſtributiuæ vlterior diuiſio. 271.5
Iuſtitia punitiua eſt duplex. ibid.
Iuſtitia moralis non eſt in diuina voluntate vere, & proprie ponenda comparatione Creaturarum. 272 67
Iuſtitia vnica reperitur in Deo ad ſe ipſam quaſi ad alteram. 273.8
Iuſtitia vera, & propria ſecundum ſuam formalem rationem reperitur in Deo. 272.7
Iuſtitia vera comparatione creaturarum proprie non reperitur in Deo, neque in actu primo, neque in actu ſecundo, niſi ſecundum leges à ſe praſcriptas. 274.9.10
Iuſtitia aliqualis commutatiua in punitione malorum reperitur in Deo. 276.13
Iuſtitia, & Miſericordia in operibus naturæ non ſimul manifeſtantur. 281.24.25
Iuſtitia, & miſericordia in operibus gratiæ ſe inuicem comitantur. 281.25.26.
Iuſtitiæ originalis quiditas. 693.5
Iuſtitia originalis quomodo donum naturale. 693.6
Iuſtitia originalis an fuerit vnus habitus, vel plures. 693 6.7
Iuſtitia originalis fuit in voluntate, vt in ſubiecto. 694.8
Iuſtitia originalis fuit habitus diſtinctus à gratia gratum faciente. 695.9
Iuſtitia originalis quomodo poterat eſſe ſine gratia gratum faciente. ibid.
Iuſtitiæ orginalis effectus. 605.10

L

LAbor nobilium delectabilis antiquitus fuit in agricultura. 687.18
Lata differentia inter neceſſitatem filij Dei ſecundum Theologos, & inter neceſſitatem creaturarum ſecundum philoſophos. 288.13
Lex vetus à bono Deo data eſt. 635.22.23.24
Lex vetus imperfecta reſpectu nouæ legis. 20.13
Lex vetus, & noua non differunt, & contraria, ſed ſicut imperfectum, & perfectum. 21.13
Lex eſt de vniuerſalibus quemadmodum & ſcientia. 271.4
Liber vitæ, vere, & proprie reperitur in Deo. 231.43
Liber vitæ formaliter eſt idem, quod prædeſtinatio ipſa differunt tamen aliquo modo. 231.43.44
Liber vitæ pertinet ad actum voluntatis et connotat actum intellectus. 231.44
Liber vitæ ſecundum D. Thomam eſſentialiter pertinet ad intellectū. 232.45
Liber Apocryphus quid ſit. 17.5
Liber Apocryphus quomodo poteſt fieri canonicus. 18.7
Libri ſacri an aliqui perierint. 18.8
Libri ſacri ſi perierunt, quare perierunt. 199
Libri Cabaliſtici in maximo honore habentur apud Hebræos. 34.44
Libertas duplex. 340.3

Libertas accidentalis duplex. 195.13
Liberè agentis duplex eſt libertas. 94.12
Libertas arbitrij in Deo eſt ſimilis, & diſſimilis libero creato. 427.2
Liberum arbitrium Creatum naturaliter eſt mutabile flexibile, & vertibile ſupernaturaliter tamen poteſt confirmari in gratia. 487.16
Liberum arbitrium eſt in Dæmonibus. 488.17
Liberum arbitrium habet tres actus. 654.2
Liberum arbitrium non ab eodem dicitur liberum, & arbitrium. ibid.
Lignum ſiue arbor ſcientiæ boni, & mali poſuit Deus in Paradiſo ad experiendam obedientiam primorum Parentum. 598.17
Lignum ſiue arbor ſcientiæ boni, & mali fuit vera arbor naturalis. ibid.
Lignum ſiue arbor ſcientiæ boni. & mali ſic dicta ab Euentu, qui promiſſus fuit à ſerpente. 598.18
Loca topica, ſeu ſedes argumentorum, quibus vtitur ſacra Theologia ad arguendum &c. 54 85
Locus habet triplicem comparationem ad locatum. 395.5
Locutio duplex exterior & interior. 422.26
Locutio Angelorum, & locutio hominum partim conueniunt, & partim differunt. 424.26
Locutio Angelorum non poteſt impediri diſtantia locali quantumcumque magna ſit. 424.31
Lumen naturale eſt à Deo, & ſecundum ſe non inclinat ad malum, in eius tamen vſu errare poſſumus. 59.97
Lumen gloriæ ad videndum Deum neceſſarium quid ſit entitatiue, & quidditatiue non definit Concilium Viennenſe. 123.15
Lumen gloriæ de facto ſecundum ordinatam Dei potentiam quattuor modis in propoſito accipi poteſt. 124.18
Lumen habituale eſt triplex ſcilicet fidei gloriæ, & medium. 125.19
Lumen gloriæ non concurrit ad videndum Deum in genere cauſæ materialis. 126.23
Lumen gloriæ poteſt ſuppleri per Diuinã potentiam abſolutam, quæ poteſt ſupplere cauſalitatem, cuiuſuis cauſæ efficientis. 127.24.25
Lumen gloriæ dupliciter concurrit ad viſionem beatificam. 127.26
Lumen gloriæ quomodo à Deo Beatis datur æquale, vel inæquale. 127.
Lumen non educitur de potentia medij. 543.20
Lumen eſt forma realis, & intentionalis. 544.21
Luminaria Cœli agunt in elementa quoad generationem, alterationem, & loci mutationem. 549.8
Luminaria Cœli (ſumpto ſigno quo ad vſum) facta ſunt in ſigna, ideſt in ſignificationem futurorum quorundam effectuum naturalium. 551.13
Luminaria Cœli nullo modo ſunt ſigna eorum, quæ dependent à libero arbitrio. 552.14
Luminaria Cœli ſuis varijs motibus faciunt diſtinctiones vtiles in ſublunaribus. 552.15
Luna luminare minus eſt in ſignificationem temporum annorum menſium & dierum apud Iudæos maxime quoad ſolemnitates ſicut apud Chriſtianos eſt ſol, & quidem rationabiliter. 552.15
Luna quare vocatur luminare magnum. 557.27
Lunæ excellentiæ. 552.25
Luna quomodo eſt, & lucet in firmamento Cœli. 558.28
Lucretij opinio de productione Animæ. 640.16
Lutherus, & alij Hæretici ſenſerunt ex vnione hypoſtatica corpus, ſeu humanitatem Chriſti id obtinuiſſe, vt ſit vbique ſicuti eſt vbique Perſona Diuina filij

Digitized by Google

filij cui humanitas eſt inſeparabiliter vnita. 143. 12
Lutherus, & Caluinus impijſſime ſenſerunt Deum propria intentione poſitiue quoſdam reprobaſſe abſque prauia Cauſa ex parte ipſorum. 258. 16. 17
Lucis Creatio ſeu factio ſola voluntate Diuina. 538. 8. 9
Lucis excellentia. ibid.
Lux principaliter ſignificat lucem ſpiritualem, ſed in factione Lucis intelligitur Lux corporalis. 539. 10
Lux non eſt forma ſubſtantialis. 539. 10 & 543. 19
Lux illa eſt qualitas realis, & intentionalis. 539. 11
Lucis ſubiectum quid nã fuerit illis tribus primis diebus eſt varia opinio. 540. 12. 13
Lux non fuit proprie creata, ſed facta. 541. 14
Lux lumen radius, & ſplendor differunt. 543. 19

M

Magia duplex, & quid vtraque. 517. 36
Magiæ primus inuentor Diabolus, primum eius inſtrumentum Cus primogenitus Cham. ibid.
Magia ſuperſtitioſa magnam malitiam dicit, quia plura alia peccata habet annexa. 519. 20
Mala omnia tum naturæ, tum pœnæ poſſunt inter effectus prædeſtinationis cõputari, & de facto numeri. 248. 81
Mala culpæ nullo modo poſſunt computari inter effectus prædeſtinationis, ſolum conceditur reprobos actualiter exiſtere in ordine ad prædeſtinatos. 248. 81. 82
Maleficium quomodo à Magia differat. 519. 41
Maleficium quid ſit oſtenditur. ibid.
Maleficij duæ ſunt ſpecies Amatorium, & Veneficium. ibid.
Malefici maleficio amatorio non poſſunt cogere nec compellere vllius voluntatem ad amandum, vel odio habendum quia hoc nec Dæmones poſſunt facere. 521. 42
Malefici non habent vim includendi Dæmonem in anulis, in vaſculis, aut in ampullis. ibid.
Manducantes homines de fructu arboris ſcientiæ boni, & mali ineuitabilem incurrebant pœnam mortis. 598. 17
Manichæorum error circa cauſam prædeſtinationis. 232. 46
Macedonius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus negans Diuinitatem Spiritus Sancti damnatur in Concilio Generali primo Conſtantinopolitano. 345. 15
Manichæorum deliramenta circa duo principia. 364. 18. 19
Manichæorum aliud deliramentum circa veterem, & nouam legem confutatur. 365. 21
Manichæorum hæreſis circa Lucem. 539. 10
Manifeſtatio fit per quadruplicem operationem. 351. 12
Magnum miraculum ſiue mirabile, quod ſupra Cœlum Diuina omnipotentia immenſam aquarum vim contineat. 553. 21
Maris Caſpij origo. 602. 24
Mare Caſpium tanto ſpacio diſſitum ab Oceano arctico, tamen eidem vnitur. 577. 25
Maria Virgo ampliſſime fuit confirmata in gratia. 487. 16. quomodo potuit meliorari. 712. 21
Maris diuiſio. 366. 21
Maſticatio cibi quam facit Angelus non eſt commeſtio. 463. 17
Maſculus, & fœmina non reperiuntur in natura Angelica. 464. 18
Maſculus, & fœmina diſſimiles in exercitio actuum ſecundorum Animæ. 670. 17
Manifeſta eſt contradictio Diuinã omnipoten-

potentiam Creaturis communicari. 269.19
Materia Dæmoniacæ infeſtationis in hominem eſt ampliſſima. 501.1
Materia duplex propria, & metaphorica. 383.11
Materiæ propriæ quinque condiciones. 383.11
Materia metaphorica quid ſit. 384.12
Materia informis non eſt Chaos. 523.8
Materia prima non eſt purum nihil, ſed verum ens reale. 527.9
Materia prima præciſe ſumpta eſt ſubſtantia. 528.10
Materia prima non eſt ſolum in potentia obiectiua, ſed eſt in potentia ſubiectiua. 528.10
Materia prima præciſa forma, & actu à forma proueniente habet entitatem actualem. 529.12
Materia prima habet propriam exiſtentiam. 529.13
Materia prima virtute Agentis naturalis non poteſt eſſe ſine omni forma. 530.14
Materia prima per Diuinam potentiam poteſt produci abſque omni forma ſubſtantiali, & illam ſic conſeruare. 530.15
Materia prima eſt definibilis, & de facto definitur. 531.16
Materiæ primæ quattuor ſunt proprietates. ibid.
Materia & ſi ſit ſub forma perfecta non ideo deſinit eſſe in potentia ad alias formas. ibid.
Materiam eſſe ſimplicem, ingenerabilem, & incorruptibilem phyſicè eſt proprietas eiuſdem materiæ primæ. 531.17
Materia Cælorum, & ſublunarium eſt eiuſdem rationis. 532.19
Materiam eſſe vnam, & eiuſdem rationis poteſt tripliciter inteligi. ibid.
Materia ſecundum Theologos ponenda eſt in Cælo. 532.20.
Materia præciſe ſumpta ſi daretur eſſet in loco definitiue; materia vero quanta, & extenſa eſt in loco circumſcriptiue. 534.22
Materia diſpoſita ad vnam formam, eſt ſimul inclinata ad alias formas quaſcumque corporales. 547.4
Metallorum genera ſeptem. 367.4
Miſſio eſt manifeſtatio per effectum perſonæ emanantis. 349.9
Miſſio in Creaturis poteſt comparari ad tria. 349.8
Miſſionis definitio declaratur. 349.9. & ſeqq.
Mittere actiue non eſt commune tribus. 550.11
Miſſio paſſiua tria dicit. ibid.
Miſſionis duo effectus generales viſibilis, & inuiſibilis 351.12
Miſſio duplex viſibilis, & inuiſibilis ib.
Miſſio inuiſibilis quid ſit. ibid.
Miſſio viſibilis. 352.16
Miſſio inuiſibilis fit dupliciter. 351.12
Mitti quid dicat. ibid.
Mittitur inuiſibiliter perſona Diuina ſecundum donum gratiæ gratum facientis. 351.13.14
Miſſio Filij, & miſſio Spiritus Sancti inuiſibiles ſunt inſeparabiles, & indiuiſæ. 352.15
Miſſione viſibili miſſus eſt filius, & Spiritus Sancti, & manifeſtati ſigno viſibili. 352.16
Miſſio viſibilis filij, & miſſio viſibilis Spiritus Sancti tripliciter differunt. 353.17
Miſericordiam in Deo dari ſecundum propriam, & formalem rationē eius eſt plus quam certum. 278.18
Miſericordia poteſt duobus modis accipi. ibid.
Miſericordia accepta ſecundum ſuam ſpecificam rationem eſt in Deo attributum diſtinctum formaliter ab eſſentia, & alijs attributis. 278.19
Miſericordia, & iuſtitia quo ordine ſunt in

Digitized by Google

in Deo. 278.20

Miſericordiæ actus ſunt duo. 279.21.22

Miſericordia licet ſit vnica in ſe, eſt tamen multiplex reſpectu obiecti. 280.23

Miſericordia eſt duplex reuelatiua, & præſeruatiua. ibid.

Miſericordia, vide iuſtitia.

Miſericordia non poteſt ſumme manifeſtari in aliquo opere gratiæ, ſi aliquo modo in eo concurrat iuſtitia, & è cōtrario ipſa iuſtitia non poteſt ſumme manifeſtari in opere gratiæ. Si aliquo modo cum eo concurrat miſericordia. 282.29

Miſericordia, & iuſtitia in punitione malorum vere, & proprie ſe inuicem comitantur. 283.30

Membra Deo tribuuntur in ſacris ſcripturis ad adiuuandum imbecillem noſtri intellectus intelligentiam de Dei perfectionibus. 99.26

Melior intellectus in naturalibus cum æquali lumine gloriæ vere poteſt perfectiorem viſionē Dei efficere ſi Deus ſineret &c. 131.35

Menſura extrinſeca diſtinguitur realiter à ſuo menſurato. 105.16

Menſurare quid ſit. 105.17

Menſuratiua certitudo duplex. ibid.

Menſura, vide exiſtentiam.

Menſura quid ſit. 406.30

Menſura in Angelis, & Animabus dicitur Euum. ibid.

Menſura neceſſario dicit ordinē ad menſuratum. ibid.

Miniſtrare duplex principaliter, & ſecundario. 456.2

Miniſterium duplex ſubiectionis, & præſidentiæ. 465.23

Memoria dupliciter conſiderari poteſt. 421.25

Memoria quomodo eſt in Dæmonibus. 489.20

Medici dicunt eſſe intendendum ſomnijs ad cognoſcendas interiores diſpoſitiones corporis. 513.27

Miraculi nomen quid ſignificet. 496 33

Miraculū dupliciter definitur, & quattuor condicionibus qualificatur. 497.35

Miraculum poteſt tripliciter dici. 497.34

Miracula pro monſtris poſuere Antiqui. 496 33

Mirum vel mirabile; Miraculum, virtutes ſigna portenta, & prodigia differunt. ibid. & 629.10

Mixtionis Etymologia, & diuiſio. 580.1

Mixtio propria tribus concurrentibus fit. ibid.

Mixtionis propria definitio, & eiuſdem declaratio. 580.2

Mixtio non ſolum eſt mutatio, ſed etiam plures dicit mutationes. ibid.

Mixtio eſt vere generatio. 581.3

Miſcibilia, quæ ſint, & quas habeant condiciones. 581.3

Modus Angelorum cognoſcēdi res creatas eſt multiplex. 426.36

Modus intrinſecus rei quid ſit. 90.1

Modi intrinſeci, & attributa partim conueniunt, & partim differunt. 90.2.3

Modi intrinſeci eſſentiæ Diuinæ ſunt, Infinitas, ſimplicitas, immutabilitas, æternitas, inuiſibilitas, incomprehenſibilitas, ineffabilitas, immenſitas ſumma perfectio, & neceſſe eſſe. 90.3

Modi quibus Deus per ſuam immenſitatem eſt in rebus ſunt in re diſtincti, & diuerſi. 141.5

Modi, quibus Angeli cognoſcunt ſunt tres. 387.18

Modi, quibus Angeli Deo ſeruiunt ſunt tres. ibid.

Modus producēdi, ſeu generandi in Animalibus, & plantis eſt diuerſus. 587.18

Modi varij operandi Diuinæ potentiæ. 629.10.11

Modus adducendi Animalia ad Adam. 703.32

Moy-

Digitized by Google

Moyſes in Monte dicitur duplicem legē accepiſſe. 33.41.42
Moyſes quare de mixtis imperfectis nullam fecit mentionem. 581.4
Morula ſtatus viæ Angelorum varia aſſignantur. 440.11.12
Montium vtilitates variæ. 574.16
Mirabilia Dei in germinibus nec minora in minimis quam in maximis. 585.11
Mortis cauſa varie aſſignatur. 676.13
Mors primorum parētum corporalis ſtatim incepit poſt peccatum. 698.18
Mors quadruplex, ad quam primi Parentes obligati ſunt per peccatum. 698.19
Mors quomodo naturalis, & quomodo pœna peccati. ibid.
Mouere ſe quomodo dicit, & non dicit imperfectionem. 86.15
Mediatio, & immediatio multipliciter poſſunt intelligi. 224.35.36.37
Motiuum Auicennæ Deum creaſſe tantum vnam intelligentiam falſum eſt. 368.1
Motus localis non repugnat Angelis. 395.5
Motus rependi, & motus gradiendi differunt. 604.2
Motus per ſe, & immediate eſt ad relationem extrinſecus aduenientem non autem extrinſecus aduenientem. 398.12
Medium inter extrema motus eſt duplex. 402.21
Michael Archangelus vnus ex ſeptem Principibus Angelorum ſicut olim in veteri teſtamento præfuit Synagogæ Iudæorum, ſic in nouo eſt defenſor, & Patronus Eccleſiæ Chriſtianæ. 468.27
Motus Cœli quomodo eſt naturalis, & neuter. 543.40
Motus primi mobilis eſt vnicus.
Mulier adiutor viri in quibus. 625.1
Mulier mas occaſionatus quomodo. 656.29
Multiplex diuiſio iuſtitiæ, & partes eius declarantur. 270.1.2.3
Munia ſpeciei impreſſæ creatæ ſex ſunt. 170.11
Mundum de facto creatum eſſe ex nihilo eſt de fide tenendum, & credendum. 372.8.9.10.11
Mundum ſic eſſe factum diſputatur ad maiorem intelligentiam locis citatis. ibid.
Mundum potuiſſe creari ab æterno diſputatur ſententia affirmatiua eſt probabilior. 374.12. & ſeqq.
Mundus quo anni tempore fuerit conditus an verno tempore an in autumno vtraque pars eſt probabiliſſima. 589.22.23.24.25
Mundi infiniti numero actu eiuſdem rationis cum iſto ſunt impoſſibiles. 709.11
Mundi infiniti ſpecie diſtincti ſunt impoſſibiles. 710.12
Mundus iſte maior extēſiue in infinitum eſt impoſſibilis. ibid.

N

Natura eſt prima ſcriptura Diuina. 15.2
Naturalis appetitus Beati non ſatiatur per quemcumq; gradum viſionis Beatificæ. 133.43
Naturalia dona prædeſtinatorum diſtinguntur in ſex genera. 246.78
Naturalia dona prædeſtinati eſſe effectus prædeſtinationis quomodo ſit veritas Catholica, & non Hæreſis Pelagiana. 247.79.80
Naturale dicitur pluribus modis. 668.13
Natura, & eſſentia Angelica quomodo ſimplex, & incompoſita. 385.14
Natura modus operandi eſt operari in tempore, & non inſtanti. 496.35
Naturalis appetitus ad formas eſt proprietas materiæ primæ. 531.17
Natura non poteſt ligare potentias naturales ſolutis ſenſitiuis, & intellectiuis. 629.5.6
Negantes omnino Deum ſuā ſciētiā actu in-

infinita ſcibilia, ſiue poſſibilia, ſiue futura in quacumque ſpecie entium indiuidua ſimul attingere, male ſentiũt, & ſunt ſuſpecti in fide. 171. 22
Negationes, & priuationes non habent propriam Deam. 181. 53
Negans Paradiſum terreſtrem eſſe aliquem determinatum locum eſſet temerarius. 592. 3
Neceſſe eſſe quid, & quotuplex. 145. 18. 19
Neceſſitas quomodo perfectior, contingentia. 103. 11
Neceſſitas immutabilitatis nõ repugnat libero arbitrio. 488 18
Neſcientia cadit in Dæmonibus. 488. 20
Nili fluminis prima origo; & ſecunda. 602. 24
Nili fluminis inundatio creſcens 40 diebus, & totidem decreſcens. 602. 25
Nimbus & nix, quid ſit. 583 8
Nomina Diuina ſunt in multiplici differentia. 113. 7. 8
Nomina myſtica, & ſymbolica Dei differunt. 114. 9
Nominum ſimbolicorum tres ſpecies. 114. 10
Nomen hoc (Qui eſt) eſt propriſſimum nomen Diuinæ eſſentiæ cæteris peculiarius, & excellentius. 116. 15
Nomen Deus dicitur nomen proprium diſtinctiſſimè ſignificans Diuinam eſſentiam. 116. 16
Nomen concretum Deus ſecundum ſuũ rigoroſum ſignificatum vere communicatur ad intra tribus perſonis. 116. 17
Nomen Deus improprie ſumptum communicatur etiam Creaturis. 117. 18
Nomina dantur aliqua, quæ vniuoca dicuntur de Deo, & creaturis. 117. 19
Nomen hoc Deus capitur multipliciter. 153. 4
Nomine Dei quid ſignificetur. 155. 8
Nomen miſſio eſt translatum à Creaturis ad Diuina. 349. 8
Nomen miſſio transferendum eſt ſecundum ea, quæ dicunt perfectionem. ibid.
Nomen Creatio multiplex. 357. 4
Nomen Angelus eſt nomen officij non naturæ. 380. 4
Nomen Angelus pluribus conuenit. ibid.
Nomine Angelorum veniunt quædam ſubſtantiæ intellectuales. 380. 5
Nomen miraculi quid ſignificet. 497. 33
Nomine Cœli, & terra plura poſſunt venire, & ſignificari. 525. 4. & ſeq.
Nomen elementi eſt æquiuocum. 567. 1
Nomen Arbor ſcientiæ boni, & mali à quo fuerit impoſitum. 598. 18
Nomina Virgo, & Eua quomodo conueniant primæ Mulieri. 673. 7
Nomina hæc tria fœmina Mulier, & Virago quomodo differant. 746. 8
Notitia duplex intuitiua, & abſtractiua. 59. 98
Notitia practica quomodo regulet praxim. 75. 8
Notitia non eſſentialis, ſed genita eſt verbum. 336. 14. 15
Notitia qualibet genita non eſt Verbum perfectum. 336 16
Notitia Creationis difficilis, & obſcura, ſed vtilis delectabilis, & iocunda. 357. 2. 3
Notitia ſimplex, & notitia diſpoſitiua quidnam ſint ſecundum Henricum. 362. 14. 15
Notitia duplex eſt apprehenſiua, & iudicatiua. 454. 21
Notitia iudicatiua includit notitiam finis, & notitiam mediorum. ibid.
Notionalia propria Diuinarum perſonarum dantur communiter in Diuinis. 3 5. 17
Notionalia comuniter aſſignantur quinque. ibid.
Notionalia in Diuinis ſecundum Scotum aſſignantur ſex. 315. 18
Notio relatio, & proprietas ſe habent per ordinem. 315. 19
Notabilia ſex inferuntur ex Doctrina

Scoti in materia Angelorum. 438.8
Numeralis, ſiue extenſiua infinitas non datur in Diuinis. 149.6
Nudus duobus modis dicitur. 746.8. vel 674.8
Nuditas dupliciter accipitur. 674.9
Nuditas pro ſtatu iſto eſt ſine crubeſcentia. 675.11
Nulla ſcientia Diuina, ſiue ſimplicis intelligentiæ, ſiue viſionis poteſt vllo modo dici practica. 173.29.30
Nulla ſcientia Diuina eſt cauſa rerum ad extra. 174.31.32
Nullus datur effectus cauſæ ſecundæ, in quem Deus vere, & immediate reali influxu non influat. 186.13
Numerus prædeſtinatorum quomodo certus, & quomodo incertus. 225.27. 28. & Pag. 226.32
Numerus duplex. ibid. & 321.14
Numerus hominum prædeſtinatorum eſt minor numero reproborum. 227.33. 34
Numerus prædeſtinatorum Angelorum, & hominum eſt maior numero reproborum Angelorum, & hominum. 226.32
Numerus prædeſtinatorum fidelium eſt minor numero reproborum fidelium. 228.35
Numerus fidelium ſaluandorum eſt ſoli Deo notus, & ſola ipſius reuelatione ab hominibus ſciri poteſt. 228.36
Numerus tranſcendentalis ponitur in Diuinis cum iſto addito numerus Diuinarum Perſonarum. 322.15
Numerus Angelorum vix definiri poteſt non eſt Infinitus, ſed innumerabilis. 392.29
Numerus Cælorum eſt incertus. 153.16
Nutritiua virtus ad quid data eſt viuenti. 463.16
Nutritiuæ virtuti datæ ſunt quattuor vires ei deſeruientes. ibid.

O

Obiectum ſcientiæ quattuor nominibus appellatur. 61.1
Obiectum ſiue ſubiectum habet ſuas cōditiones. 61.3
Obiectum ſcientiæ eſt duplex materiale, & formali. 61.2
Obiectum ſiue ſubiectum dicitur primū multipliciter. 61.2
Obiectum Diuini Intellectus, & ſcientiæ Diuinæ eſt duplex. 166.10
Obiecti primarij, & ſecundarij Diuini quinque ſunt differentiæ. 166.11
Obiectum prædeſtinationis eſt ſola natura intellectualis perſonata creata Angelica, & humana. 224.26
Obiectum Intellectus Angelici eſt duplex. 417.17
Duplex eſt Angelorum modus cognoſcendi res creatas. 426.36
Obiectum adæquatum voluntatis Angelicæ eſt bonum in communi. 428.3
Obiectum materiale Theologiæ noſtræ nō eſt Deus neque motiue, neque terminatiue. 64.10
Obiectum terminativum Theologiæ noſtræ eſt ens infinitum. 65.11
Obſcuritas ſacrarum ſcripturarum eluceſcit, & clareſcit ex Intelligentia variorum ſenſuum earum. 61.1
Obſcura cognitio Dei pro ſtatu iſto ab homine dupliciter haberi poteſt. 148.2.3
Obſeruantia vana, & Diabolica quid ſit. 500.5.
Obſeruantiæ vanæ malitia. 504.6
Obſeruantiæ vanæ quattuor ſunt ſpecies. 500.4.6
Obſeruantia ſanitatum quid ſit. 500.47
Obſeruantia reliquiarum quid ſit. ibid.
Obſeruantia futurorum euentuum. ibid.
Obſtinatio ad malum in Dæmonibus dicit duo. 438.17
Obſtinatio in malo non auget, neque minuit libertatis dominium eſſentiale. ibid.
Obſtinatio in malo minuit libertatis dominium

Digitized by Google

minium oppoſitum ſeruituti. 488.18

Obliuio quomodo cadat in Dæmonibus. 489.20

Oculi corporei per abſolutam Dei potentiam non poſſunt eleuari ad videndum Deum. 119.2

Obdurati differunt ab alijs peccatoribus. 259.20

Omnis Creatura ſi non annichilatur Diuinæ bonitati attribuẽdum eſt. 104.13

Omnis creatura mutationi ſubiecta eſt. 104.12

Omnis peccator ſecundum ordinatam Dei potentiam cum Diuino auxilio (quod omnibus datur) poteſt ſaluari, & diſponere ſe ad gratiam ſanctificantem. 210.23 24

Omnium Creabilium, & producibilium ad extra eſt vnum numero principium extrinſecum primum ſimpliciter. 369.2

Omnes Angeli ſunt adminiſtratorij ſpiritus in ſalutem hominum. 467.26

Omnia peccata poſſunt eſſe in Angelis ſecundum reatum, & obligationem ad pœnam. 446.7

Omnes damnati æqualiter affliguntur pœna damni cum ſit communis omnibus damnatis. 480.3

Omnes electi, qui nunc ſunt, & futuri, naſcituri erant in ſtatu Innocentiæ. 589.2

Omnis creatura eſt bona quia ab vno ſolo Deo creata eſt. 706.1.2

Omnipotentia datur in Deo. 262.1

Omnipotentia Dei non poteſt facere ſpecies actu ſecundum numerum infinitas, ſed poteſt facere in eadem ſpecie indiuidua infinita. 266.9

Omnipotentia, & potentia generandi non ſunt idem. 347.4

Ordo & diuiſio totius iſtius operis. P.1

Ordines duo dantur in diuinis, & qui. 178.44

Ordo prior quattuor continet ſigna, vel inſtantia. 178.45

Ordo triplex reperitur in rebus. 196. 17.18

Ordo verus, & realis originis datur inter Diuinas perſonas producentes, & productas. 197.19. & 295.4. communiter admittitur.

Ordo duplex intentionis, & executionis reperitur in quolibet Agente rationabiliter operante, & volente. 197.20

Ordo prioris in decretis Diuinis vnde deſumendus eſt. 198.21

Ordo executionis Diuinæ circa effectus prædeſtinationis. 240.63.64

Ordo ſpecialis prouidentiæ quam Deus habet de prædeſtinatis duplex eſt. 242. 68

Ordo horum trium finale peccatum, poſitiua reprobatio, & æterna pœna. 260. 22

Ordines naturæ ſecundum Scotum ſunt duo. 295.4

Ordines naturæ declarantur. 295.5

Ordo naturæ continet tria inſtantia, ſeu ſigna naturæ. 295.4.

Ordo originis duplex eſt in Diuinis verus & ſimilitudinarius. 296.6

Ordo originis verus continet tria ſigna, ſeu inſtantia originis. 296.7

Ordo ſecundus originis aſſignatur inter diuinas perſonas. 297.9

Ordines Angelorum ſunt nouem. 385. 15

Ordines Angelorum eſſe nouem probatur ex ſcriptura. 388.20

Ornamentum ignis. 608.13

Onichinus terræ Heuilath quid ſit. 601. 22

Ordo in viſione inter eius requiſita. 544. 21

Operatio voluntatis eſt perfectior operatione Intellectus. 200.27

Operationes naturales, & ſupernaturales ſiue beatificæ Angelorum non diſtinguntur ſpecie 391.27

Operationes prædictæ Angelorum beatificæ non diſtinguntur ſpecie ab opera-

ſtionibus beatificis hominum licet diſtinguantur principiatiue. ibid.

Operationes Angelorum transeuntes menſurantur tempore non æuo. 407.32

Operationes Angelicæ, & humanæ immanentes tam naturales quam ſupernaturales menſurantur Euo. ibid.

Opus laborioſum, & difficile dupliciter. 443.16

Operatio duplex immanẽs, & tranſiens. 458 7

Opera diuina ſiue naturalia, ſiue ſupernaturalia præceſſerunt aliquo modo in operibus ſex dierum. 715.67

Opinio fuit Caietani exiſtimantis primos Parentes Adamum, & Euam ſimul in eodem inſtanti eſſe productos, ſed omnino falſa eſt. 672.5

Opinio fuit Caietani Animalia verè non fuiſſe adducta ad Adamum, ſed tantummodo quodam intellectuali, ſed comuniter reprobatur. 702 28

Opinio Caietani de Cœlo empyreo improbabilis. 526.6

Opinio eſt falſa, quæ negat reipſa transferri ſagas à Dæmone, & Reipublicæ Chriſtianæ pernicioſa. 518.38

Opinio D. Auguſtini de Creatione Mundi conſideratur. 525.4

Opinio Catholicorum concedens materiã primam, ex qua omnia corporalia facta ſunt non incidit in opinionem illorum philoſophorum qui ponebant confuſum chaos. 536.5

Opinio D. Auguſtini de cognitione rerum quam Angeli habent in Verbo, & in Genere proprio ſiue matutina, & veſpertina non placet comuniter Theologis. 412.7

Opinio dicentium numerum prædeſtinatorum eſſe æqualem numero reproborum non probatur. 230.41.42

Opinio D. Thomæ, & Caietani non probatur ſuſtinentiam, prouidentiam diuinam non tantum reſpicere ordinem mediorum ad proprium finem, ſed etiã inuoluere formaliter finis conſecutionem. 204 9.10.11

Origenes turpiter errauit aſſerens merita ante hanc vitam geſta in cauſam fuiſſe, vt quidam prædeſtinarentur alij vero non. 236.53

Opus hominis, vt ſit cauſa diſpoſitiua ad gratiam ſanctificantem debet habere quinque condiciones. 238.58

P

PActum cum Dæmone tacitum, & expreſſum, & hoc fit dupliciter. 503.5

Pagani aliqui negauerunt prorſus diuinitatem. 201.1.2

Pagani alij conceſſa Deitate prouidentiam negauerunt. ibid.

Paradiſi ſignificatum duplex. 591.1

Paradiſus ſpiritualiter ſignificat tria. ibid.

Paradiſus terreſtris ſignificat quem locum amœniſſimum. ibid.

Paradiſus terreſtris fuit locus corporeus. 591.2

Paradiſus terreſtris an adhuc ſit. 470.31 & 594.8

Paradiſus fuit locus in partibus Orientis conſtitutus, ſed in qua parte adhuc dubium eſt. 592 3

Paradiſi ſalubritas, & longitudo. 595 6

Paradiſus terreſtris non attingit globum lunarem. 593.7

Paradiſi locus merito à Genere humano ignoratur. 594.9

Paradiſi terreſtris amœnitas ex pluribus colligitur. 671.3

Praxis definitur ſecundum Doctorem ſubtilem. 73.3

Pater in diuinis abſolute non poteſt dici Principium Deitatis. 326.2

Pater non eſt ſapiens ſapientia genita. ib.

Pater generat filium eſſentia, & Intellectu ſimul. 326.3.4

Patris voluntas quomodo ſe habeat ad generationem filij. 327.5.6.7.8

Pater

Pater non eſt Cauſa filij in Diuinis. 329. 12.13
Patrem dicere eſſe Cauſam filij ab Eccleſia Latina fuit toleratum in Græcis. 330.14
Pater, & filius non ſunt duo ſpiratores, ſed vnus tantum duo tamen ſpirantes. 343.10
Pater, & filius quomodo diligant ſe Spiritu Sancto. 344.12
Paulus ſanctus Idearum aſſertor. 177.40
Paruulis deputantur Angeli cuſtodes. 472.35
Pœnæ damnatorum quot, & quæ. 138. 59.60
Perfectiones finitæ Creaturarum quomodo ſunt in Deo. 144.15
Permiſſio Diuina quid ſit. 198.23
Perfectus, & confirmatus in gratia duobus modis. 226 30
Permiſſio peccati comparatione electorum vere, & proprie dicitur prædeſtinationis effectus. 249.83
Permiſſio Diuina nec dicit negationem ſufficiẽtis auxilij nec ordinatur ad peccatum. 261.24
Permiſſio peccati non ſemper eſt reprobationis effectus. 261.25
Pœnitentia in extremis difficulter vera maximis peccatoribus. 209.21
Pœna, & æterna damnatio tantum ſunt effectus poſitiuæ reprobationis. 262.26
Peccatum finale cauſa damnationis; in Infantibus eſt peccatum originale, etiam in adultis in quibus non eſt deletum cum peccato actuali, in quibus vero deletum eſt, per peccatum actuale. 257.15.& 16
Perfectionis ſimpliciter definitio declaratur. 313.22.23
Perſona quid ſit. 319.8.& 405.26
Perſona non ſignificat ſecundam intentionem. ibid.
Perſona importat aliquid poſitiuum. 319.9
Perſona Patris conſtituitur in eſſe perſonali per paternitatem non per ingenitum aut innaſcibilitatem. 325.1
Perſona ſecunda Sanctiſſimæ Trinitatis habet tria nomina nempe filij Verbi, & Imaginis. 335.10
Perſona ſecunda ſanctiſſimæ Trinitatis, ideſt filius eſt perfectiſſima Imago Patris. 339.19
Perſonæ productæ filius, & Spiritus Sanctus diuerſa ſortiuntur nomina ſecunda præter iam dicta dicitur etiam notitia genita, tertia Spiritus Sanctus amor ſpiratus, & donum. 344.13
Perfectio poteſt accipi tripliciter. 346.2
Perſona Diuina mittitur inuiſibiliter ſecundum donum gratiæ ſanctificantis. 351.13.14
Peccatum ſpirituale tantum ex 7 Capitalibus, ideſt Superbia, & Inuidia poteſt eſſe in Angelis formaliter. Cæteræ vero non ſic. 447.8
Peccatum includit duo formale, & materiale. 451.16
Peccatum primum Angeli non fuit ſuperbia, ſed immoderata complacentia ſui. 453.19
Petri de Aliaco falſa prædictio aſtrologica Iudiciaria. 511.23
Per ſomnia Diuinatio fieri poteſt aliquando licitè, aliquando illicitè. 513.26
Pertinẽtia ad fidem ſunt duplicia 536.5
Peccati venialis diuiſio, & ſubdiuiſio. 660.30
Peccatum veniale non potuit eſſe in ſtatu Innocentiæ in ſummo accepta. 661.32
Peccatum veniale potuit eſſe in ſtatu Innocentiæ in quo actualiter erat Adam 661.33.34
Peccatum mortale quomodo diſtinguatur à Veniali. 660.30
Phariſæi reprehenduntur à Chriſto in eorum traditionibus. 25.24
Phiſon varie interpretatur. 600.20
Phiſon an ſit Ganges varia opinio. ibid.
Plantæ omnes ſunt bonæ diuerſa bonitate. 388.20

Digitized by Google

Plato Idearum Auctor. 177.19

Plato, & Platonici cognouerunt Angelos. 363 17

Platonis opinio circa arborem vitæ, & arborem ſciẽtiæ boni & mali. 598.17

Plato, & Auicennas non ſolum Creaturã poſſe creare, ſed de facto creaſſe. ib.

Plantauerat (ſcilicet tertia die) Paradiſum voluptatis ſpeciali applicatione, & modo. 592.3

Poſſe Creare, & poſſe producere de nihilo eſt proprium Dei, & Creaturæ incommunicabile. 367. 26

Piſces, & aues produxit Deus ex aquis. 605. 5

Piſces, & Aues in multis conueniunt. 605. 5.6

Piſces in magnitudine, & multitudine ſuperant terreſtria animalia. 606 8.9

Piſces, & Aues non ſunt de ſola aqua formati. 605.6

Potentia multipliciter diuiditur. 262. 1.2 3

Potentia actiua Diuina non eſt formaliter Intellectus. 264.4

Potẽtia actiua Diuina non eſt aliqua tertia potentia diſtincta ab Intellectu, & voluntate Diuina, ſed eſt ipſamet voluntas Diuina. 264.5

Potentia actiua Diuina cauſatiua rerum ad extra eſt infinita intenſiue, & extenſiue. 264.6

Potentia Dei ordinaria, & abſoluta ſecundum Doctorem ſubtilem. 269. 17

Potentia ordinaria, & abſoluta explicatur alijs quattuor modis quos reprobat Scotus. 268.15.16

Potentia abſoluta, & ordinaria vere reperitur in Deo. 269 18

Poſſibile duplex logicum, & phyſicum. 289.14

Potentia generandi in Patre non eſt ſola potentia logica, ſed eſt quid reale poſitiuum nimirum memoria fœcunda conſtans ex eſſentia Diuina, & intellectu diuino. 329.12.13

Poteſtas cuſtodiendi in Angelis eſt à natura tanquam principio. 466. 25

Poteſtas Dæmonibus conceſſa eſt maior, quam cõceſſa malis hominibus ad impugnandos bonos. 499.40

Potentia peccandi addita libero arbitrio ipſum diminuit. 488.18

Poſtulanti per diuinationem ſuperſtitioſam rerum occultarum cognitionem Dæmon expreſſe dupliciter reſpondere. 505.10

Potentia duplex obiectiua, & ſubiectiua. 528.11

Potentia phyſica eſt proprietas materiæ primæ. 531.16

Poſito Adamo in Paradiſo creata eſt ex coſta eius Eua in adiutorium ſimile ſibi. 672. 4

Poſt peccatũ veſtes ſunt neceſſariæ. 674.9

Potentia non moriendi prius indeterminata facta eſt determinata per additam neceſſitatem. 680.20

Potentiæ vegetatiuæ ſunt tres. 685.9

Prædeſtinationis materia qualis. 215.1

Prædeſtinationis nomẽ declaratur. 216.2.

Prædeſtinatio quid ſit 216. 3. 4

Prædeſtinatio pertinet eſſentialiter ad actum Diuinæ voluntatis. 217.5

Prædeſtinatio connotat duplicem actum intellectus. 217.6

Prædeſtinatio formaliter accepta nullo modo dici poteſt pars prouidẽtiæ. 217.7

Prædeſtinatio ordinata ad alium finem præter vltimum, ad alium inquam finem ſupernaturalem ſic poteſt dici ſpecialis prouidentia. 218.8

Prædeſtinatus in ſenſu diuiſo poteſt damnari nõ tamẽ in ſenſu cõpoſito. 219.11

Prædeſtinatorum omniũ primus eſt Chriſtus Dominus ſecundum probabiliter eſt eius ſanctiſſima Mater, & Virgo. 221.18

Prædeſtinatio omnium electorum fuit ab æterno facta ſimul ad gloriam, & determinatum eius gradum. 223.21.22

Prædeſtinatus poteſt excidere à gratia Dei. 225.29

Prædeſtinationis cauſa duplici modo conſiderari poteſt. 232.46
Prædeſtinatio quoad ſuam eſſentiam non poteſt iuuari precibus Sanctorum, ſed ſolū quoad aliquē eius effectū. 235.52
Prędeſtinatio, ſeu electio ad gloriam fit gratis à Deo. 237.56
Prædeſtinatio Pelagianorum. 237.57
Prædeſtinatum in hac vita de neceſſitate ſemper eſſe in gratia eſt Hæreſis Vviclef, & Caluini. 245.74
Perſeuerantiæ donum eſt prædeſtinationis effectus. 241.66.67
Prædeſtinatus non poteſt eſſe certus certitudine abſoluta de ſua prędeſtinatione, ſed ſolum certitudine condicionata & eo melius per reuelationē. 249 84
Prædeſtinatus poteſt eſſe certus coniecturaliter de ſua prædeſtinatione quinque indicijs. 250 86
Prædeſtinatio generaliter eſt incerta ob duas cauſas. ibid.
prędeſtinatio ſi eſſet certa prędeſtinatus nō deberet ceſſare à bono &c. 250.87
prędicata, quæ de Deo habemus, & cognoſcimus ſunt quattuor. 82.2
prædicatū Dei quiditatiuū quid ſit. 82.3
prędicata diuerſa quiditatiua Dei non diſtinguntur ratione ratiocinante, ſed ratione ratiocinata. 88.23
prędicata quę repugnant creaturis, & reperiuntur in Deo non ſunt attributa, vt æternitas &c. 151.12
prædicatio enunciatiua quadruplex eſt. 152.14. & 353.18
prędicatio formalis quiditatiua, & prędicatio formalis denominatiua, ambę habent quattuor gradus. 353.18
prædicatio identica quid ſit. 354.19
prædicatio eſſentialis quid ſit. ibid.
prędictio ex aſtris non eſt per ſe vniuerſaliter illicita, ſed eorum tantum effectuum, quorum aſtra cauſa eſſe non poſſunt. 507.14
prędictiones verę multorum Aſtrologorum iudiciarium. Vnde habent veritatem. 512.24.25
prima principia humanæ ſcientiæ nullus nec negare poteſt, ſed principia Theologiæ, ideſt articulos fidei multi negāt & de illis multi dubitāt quare? 56.96
principium agendi, & operandi duplici diuiſione diuiditur eſſentiali, & accidentali. 194.10.11
pręterita poſſunt Diuina omnipotentia reparari. ſed non fuiſſe pręterita fieri non poteſt. 265.8
principium vtriuſq; productionis duplex eſt vt quod, & vt quo. 291.1.2
principia productiua in Diuinis ſunt tantum duo. 290.16.17
prioritas, & poſteritas vera probatur in Diuinis perſonis. 296.7.8
principium totale productiuum filij, vt quo in patre eſt potētia generandi precedens relationem paternitatis. 327.5
principium, ſeu potentia generandi vere datur in Patre. 328.9
principium ſufficientiſſimē productiuum Spiritus Sancti datur in diuinis. 339.2
principium hoc ſi per impoſſibile eſſet in ſolo Patre Pater poſſet producere Spiritum Sanctum. 340.4.5
principium, & cauſa creationis rerum æque eſt in tribus perſonis. 361.12
principia productiua in productione creata poſſunt multipliciter eſſe defectioſa. 616.14
Principia naturalis propagationis debēt eſſe in ſuo ordine ſufficiētia aliter aliquid creationis intercedit. 616.15
Prærogatiuæ linguæ Hebreæ, & totius populi Hebræorum. 705.35.36.37.38
Problema in doctrina Scoti eſt eandē notitiam reſpicientem idem obiectum formale eſſe poſſe in vno ſuppoſito practicam, & in alio ſpeculatiuam. 80.21
Propoſitio hæc Deus eſt eſt propoſitio per ſe nota. 83.6
Propoſitio per ſe nota quid ſit. ibid.
Propoſitio hæc Deus eſt eſt immediata, & indemoſtrabilis. 83.7

Pro-

Digitized by Google

Propoſitio hæc ens infinitum eſſe actualiter exiſtens demonſtratur à poſteriori. 85.12

Propoſitio hæc ens infinitum eſt actualiter exiſtens eſt vtroque modo demonſtrabilis. 84.11. & 85.12

Proceſſio eſt nomen translatum à Creaturis. 283.1

Proceſſio in Diuinis non eſt accipienda ſecundum modum, quo effectus à Cauſa procedit. 283.2.

Proceſſio in Diuinis non eſt ponenda ſecundum quam Cauſa procedit ad effectum in quantum, vel mouet ipſum, vel ſimilitudinem ſuam ipſi imprimit. ibid.

Proceſſiones Diuinarum perſonarum nō ſunt ſecundum operationes tranſeuntes, ſed immanentes Intellectus, & voluntatis. 284.3.4

Productiones in Diuinis ſunt tantum duæ. 290.16

Productiones Diuinas eſſe tantum duas non poteſt demonſtrari cum ſit de fide poſſunt tamen plus quam probabiliter probari. 291.18.19.20.21

Productio vtraque Diuina eſt de ſe hæc. 292.21

Productiones Diuinæ ſeipſis realiter diſtinguntur. 293.24

Proceſsio Spiritus Sancti minus cognoſcitur à nobis quam generatio filij. 339.1

Propoſitiones in materia de Sanctiſsima Trinitate quomodo debeant verificari. 353.18

Prælatio multiplex. 484.10

Plures rationes efficaciſſime probantes vanitatem Aſtrologiæ iudiciariæ. 511.21.22.23

Petri de Aliaco falſa prædictio Aſtrologiæ iudiciariæ. 511.23

Pruina quid ſit. 583.8

Proceſſus prædeſtinationis, & proceſſus reprobationis diſsimiles, & quare. 256.13

Præceptum datum Adæ de non comedendo de ligno ſcientiæ boni, & mali mediante Adamo datum fuit etiam Euæ. 697.14.15

Præceptum de non comedēdo &c. Siſtetiſſet ſtatus Innocentiæ poſteros Adæ probabiliter non obligaſſet. 698.17

Præſcientia, viſio, & memoria quomodo differant. 441.13

Primus Parens Adam per ſcientiam Animalium, & plurium votum quā habebat nomina Animalibus impoſuit. 704.33

Primus parens talia nomina impoſuit Idiomate hebraico à Deo accepto. 704.33.34

Primus Parens quomodo potuit, & non potuit fieri melior. 711.15.16

Prouidentia vniuerſalis datur in Deo. 201.1

Prouidentiam dari in Deo non ſolum eſt articulus fidei, ſed euidenter naturalibus rationibus probari poteſt. 202.3

Prouidentiam Diuinam dari cognouerūt ferè omnes Gentes tam barbaræ quā litteris excultæ. 202.3 4

Prouidentia proprie ſumpta in Deo formaliter dicit actum Diuinæ voluntatis, & connotat duplicem actum Intellectus. 204.8

Prouidentia Diuina effectibus à Cauſis naturalibus eſſentialiter dependentibus reipſa immutabilem neceſſitatem imponit. 205.12

Prouidentia Diuina effectibus eſſentialiter à Cauſis liberis prodeuntibus immutabilem non infert neceſſitatem. 206.3

Prouidentiæ ſpecialis amplitudo. 206.14.15

Prouidentiæ Diuinæ eſt ſubiecta omnis poſitiua entitas ſecundum omnem gradum genericum ſpecificum, & indiuidualem, quæ reperitur in effectibus Cauſarum omnium cum omnibus circumſtantijs. 213.31.32

Pro-

Digitized by Google

Prouidentia Diuina an immediate ſe extendat ad omnia. 214.35

Probabilius eſt determinationique Viennenſis Concilij conſonantius Lumen gloriæ eleuans Intellectum Beati ad videndum Deum eſſe habitum quendam ſupernaturalem illi inhærentem, & ordine cauſalitatis antecedentem tāquam cum principium eius. 124.17

Profectus in ſcientia triplici via fieri poteſt. 649.13

Q

QVadruplex eſt productio rerum. 357.4

Quādo incipit cuſtodia Angelica. 472.35

Quadruplex eſt ſimilitudo. 453.20

Quare Moyſes non fecit mentionem elementorum ignis, & aeris in ſua Geneſi. 175.2

Quando principium, & id quod procedit ſunt eiuſdem naturæ, & ordinis neceſſario habent relationes reales, quibus ad inuicem referuntur. 305.3

Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum, & Matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, hæc verba poſſunt dupliciter explicari. 680.1

Quadruplex eſt varietas hominum. 691.28

Qualitas actu infinita eſt impoſſibilis. 710.12

Quattuor ſunt operandi modi. 293.23

Quattuor dicuntur coæua Cælum empyreum materia prima Angelica natura, & tempus. 382.7

Quattuor ſunt modi eſſendi in loco. 397.9

Quattuor ſunt attributa, & data Angelis ab initio ſuæ creationis. 409.1

Quattuor ſunt Cauſæ propter quas congruum eſt Angelos mitti ad miniſterium hominum. 456.3

Quattuor ſunt genera hominum. 467.25

Quattuor ſunt ſpecies vanæ obſeruantiæ. 500.6

Quattuor ſunt Cauſæ ob quas Dæmonis poſſunt cognoſcere futura contingentia libera. 491.22.23

Quattuor ſunt Cauſæ deceptionis in ſomnijs. 514.30

Quattuor ſunt proprietates materiæ primæ. 531.16

Quattuor ſunt elementa. 568.4

Quattuor elementa ſunt propriè miſcibilia. 581.3

Quattuor de cauſis Coniuges poſſunt intelligi vna caro. 680.1

Qualis erat ſerpens ante peccatum primorum Parentum. 594.9.10

Quare Animalia, & Plantæ benedicuntur à Deo. 607.12

Quinque ſunt genera legum diuinarum. 697.16

Quinque indicia mala acta confeſſionis, & pænitentia quæ fit à fidelibus. 228.37.38.39.40

Quomodo Angelus, & Anima ſunt natura pares. 669.15.16

Quomodo Angelus, & Anima ſunt donis diſſimiles. ibid.

Quies Diuina ab operibus ſuis. 714.4.5

Quæ tractanda de iuſtitia originali. 691.1

Quinque maximæ differentiæ inter generationem Diuinam, & humanam. 332.4

Quæcumq; realiter identificantur eſſentiæ Diuinæ prædicari verè poſſunt de eadem eſſentia Diuina etiam vltimate abſtracta ſecundum prædicationem identicam. 354.20

Quid ſit eſſe in peccatum ſecundum reatum, & non formaliter. 446.7

Qui mittitur ab alio quis nam ſit. 458.5

Quislibet homo quantumuis peccator dum eſt in uia poteſt ſaluari eſt de fide. 476.43

Quislibet homo dum eſt in uia habet Angelum Cuſtodem, & vnum Diabolum ad exercitium. 500.42

Quid à ſacra ſcriptura appelletur ſors. 516.33

Quomodo congregantur aquæ, quæ ſub Cælo ſunt. 576.21

Ddddd Quo-

Quomodo, & in quo loco congregari poſſunt aquæ ſi totum plenum erat aquis. 476. 22. 23
Quid ſit eſſe in potentia formali, & in actu virtuali. 404. 24. 25
Quot, & quæ conſiderantur in Angelo. 404. 26
Quot ſunt diligibilia ab Angelo naturaliter. 420. 7
Quot ſunt Angelorum modi cognoſcendi res Creatas. 426 36
Quid ſit eſſe in potentia obiectiua, & in potentia ſubiectiua. 528. 11
Quot ſunt orbes tot ſunt Intelligentiæ motrices, ſiue Angeli motores. 562. 37

R

Ratio inexiſtendi vnius perſonæ eſt eſſentia vna cum relatione. 348. 6
Ratio eſſendi aliquid in loco poteſt dupliciter accipi. 397. 10
Ratio formalis eſſendi Angelum in loco definitiue eſt reſpectus realis ad locum definitiuum. 398. 12
Ratio naturalis oſtendit naturæ intellectuali eſſe aliquid ſumme diligendum. 431. 9
Rationes ſeminales per quas producuntur Animalia herba, plantæ &c. in aliquo ſunt ſimiles, & in aliquo ſunt diſſimiles. 587. 17
Radius triplex. 543. 20
Rectitudo duplex. 660. 31
Realitas obiectiua duplex eſt. 317. 4
Regulæ quibus traditiones cognoſcuntur Apoſtolicæ. V. traditiones.
Relationes perſonales non ordinantur ad eſſentiam Diuinam tanquam ad actū ſuum. 97 20
Relationes Diuinæ ſicut formaliter non ſunt quantæ, nec formaliter finitæ, vel infinitæ, ita formaliter ſecundum ſe, neque ſunt ſimplices, neque compoſitę neque componibiles. 97 21
Relatiuorum tria ſunt genera. 115. 14
Relationes reales dari in Diuinis eſt de fide. 304. 12
Relatio realis in Diuinis habet quattuor requiſita ad relationem realem. 305. 2
Relatio realis creaturę ad Deum eſt prior relatione rationis Dei ad Creaturam. 306. 6
Relationes in Diuinis non ſunt reales niſi ad intra quæ ſunt duplices communes & perſonales. 306. 7
Relationes Diuinę non habent eſſe in ſe ſed tantum eſſe ad. ibid.
Relationes reales Diuinę non ſunt res reales, ſed potius realitates, & modi. 307. 8
Relationes cōmunes in Diuinis ſunt reales quia habent condiciones neceſſario requiſitas ad relationem realem. 307. 9. 10
Relationes Diuinæ quomodo diſtinguantur ab eſſentia Diuina, & inter ſe. 308. 11. 12. 13. 14
Relationes Diuinę maxime originis an dicant perfectionem infinitam affirmant Thomiſtæ, ſed probabilius negāt Scotiſtę. 311. 19. 20. 312. 21. 22
Relatio paſſiua Creationis creaturæ ad Deum eſt eadem realiter fundamento, ideſt eidem Creaturę. 361. 11
Relatio dependentię Creaturæ terminatur ad Deum ſub ratione ſoluta. ibid.
Reptilia ſunt piſces ſecundum Moyſem. 604. 2
Reptile dicitur quattuor modis. 604. 4
Reptilium nomine, quæ Animalia terreſtria veniant. 609 15
Requieuit Deus ab opere ſuo quare non in opere ſuo. 715. 8
Requiſita ad diſcurſum proprie dictum ſunt tria. 163. 2
Res, quæ tractantur in ſacra ſcriptura ſunt quadruplices. 43 60
Res, quę tractantur in ſacra ſcriptura quenam ſint obſcuræ, & vnde earum obſcuritas. ibid.
Res creatæ, vel creabiles quomodo non ſunt, & ſunt vitæ in Deo. 88. 21. 22
Res, & realitas creata eſt neceſſario cōpoſita

Digitized by Google

poſita pluribus modis potiſſimum expoſitiuo, & priuatiuo. 97.22
Rei Creatę ſumma ſimplicitas etiam per abſolutam Dei potentiam eſt incomunicabilis. 98.23
Res creata prius quam à Deo initio temporis realiter producerentur, & ab ęterno vere, & proprie intelligerentur, & in eſſe cognito producerentur nullum habuerunt eſſe proprium formale. 175.33
Res non eodem modo dicuntur principiatiue impoſſibiles logice ab Intellectu, ſicut poſſibiles logice ab eodem dicuntur. 176.37
Res dicuntur obiectiue poſſibiles neceſſario a potentia actiua in Deo. 176.38
Res ſunt prius naturaliter à Deo cognitę, & formaliter poſſibiles ex ſuis rationibus formalibus, & principiatiue ab Intellectu antequam dicantur poſſibiles obiectiue. 148.43
Res quęcumque creatę temporaneæ ſiue ſint preteritę, ſiue ſint futurę vere, & proprie Deo realiter in ęternitate coexiſtere non poſſunt. 183.6
Res futurę vt certo cognoſcerentur ſufficit, vt tantum obiectiue pręſentia ſuo Diuino Intellectui precęſſerint. 183.7
Reprobus ſemper benefacere. 250.83
Reprobi pertinent ad perfectionem vniuerſi minus principaliter & ſecundario. 251.1
Reprobatio malorum datur in Deo, non quidem metaphoricè, &c. 252.2.3
Reprobatio pertinet formaliter ad actum voluntatis, & concomitanter ad actũ Intellectus. 252.4
Reprobatio formaliter definitur. 253.5
Reprobationis negatiuæ cauſa adęquatiſſima eſt ſumma libertas Diuinæ voluntatis; Reprobationis vero poſitiuæ eſt peccatum finale. 257.14
Reprobationis negatiuæ effectus, ſiue in paruulis, ſiue in adultis. 261.23
Reuelatio alicuius veritatis Theologicæ poteſt fieri dupliciter. 12.25
Reuelatio triplex. 13.27
Reuelatio clara aliquarum veritatum probabiliter facta eſt Moyſi, D. Paulo, & pro ſtatu iſto. 13.26
Reuelatio facta à Deo, & formale obiectum motiuum in Theologia Viatorum. 66.14
Reuelatio caſus Petri an facta à Chriſto, & quoquo modo. 444.3
Remedia decem ſupernaturalia ad impediendam vim Diabolicam. 520.43.44
Repugnat Angelo informare corpus, ſeu materiam. 563.38
Ros quid ſit. 583.8

S

Sabbati dies ſanctificatus benedictione Diuina. 716.9
Sanctificatio hæc an fuerit obſeruanda de præcepto. 716.10.11
Sabbati dies optatiſſimus apud Hebręos. 716.9.10
Sacra ſcriptura quomodo Eccleſiæ Dei eſt neceſſaria. 7.10
Sacra ſcriptura varijs nominibus appellatur. 15.1
Sacrarum ſcripturarum ſcriptores infallibilis veritatis, & irrefragabilis Auctoritatis. 16.3
Sacra ſcriptura reprehendit confidentiã, & ſpem habent in ſomnijs. 513.26
Sacra doctrina eſt ſufficiens homini pro ſtatu iſto, & quare. 20.10.11.12
Sacra ſcriptura eſt ſic ſufficiens addita tamen traditione. 21.14
Sacra ſcriptura Auctor duplex. 35.48
Sacri Codices Hebræorum fuerunt Authentici vſque ad Chriſtũ ſacra ſcriptura non poteſt eſſe Iudex contrauerſiarum fidei. 48.72
Salomonem excelluiſſe omnes, qui ante eum fuerant quattuor modis interpretari poteſt. 548.22
Sex in rebus creatis magnificant ſapientiam, & potentiam Diuinam. 280.24
Scientia multipliciter concipitur, definitur.

tur, & condicionatum. 51.77.78
Scientiarum ſubalternatio duplex. 56.89
Sex ſunt munia ſpeciei impreſſa. 122.13.14
Sex ſunt, qua per motum localem poſſunt Dæmones operari circa corpora. 493.25 26
Sex ſunt genera ſomniorum. 514.28
Sex humanæ naturæ ſtatus deſignari poſſunt. 691.1.2.3
Secreta cordis ſunt duplicia. 492.24
Sex notabilia inferuntur ex Scoto in materia Angelorum. 438.8
Septem ſunt Archangeli, quibus cura, & gubernatio huius mũdi ſpecialiter demandata eſt. 467. 26
Scientia proprie non habet Cauſam materialem nec formalem. 60. 1
Sex ſunt conſideranda circa res vniuerſas creatas. 377. 19.20
Sex Regulæ quibus cognoſcuntur, quæ opera fiunt Dæmonum virtute, & auxilijs. 518.39
Scientia vnitas duplex. 70.23
Scientia dicitur practica ab obiecto extrinſeca ſcilicet denominatione. 74. 5
Scientia poteſt tribus modis accipi. 165.6
Scientia Dei non eſt extra eius quiditatem, & eſſentiam, ab eſſentia tamen eſt formaliter diſtincta. 165.7
Scientia quam habet Deus de ſe eſt tota practica. 166. 9
Scientia Dei comparatione obiectorum ſecundariorum ſufficienter diuiditur in ſcientiam ſimplicis Intelligentiæ, & viſionis, ſiue in antecedentem, & conſequentem determinationem Diuinæ voluntatis, ſiue in naturalem, & liberam. 163. 13
Scientia libera Dei ſufficienter ſubdiuiditur in abſolutam, & condicionatam. 168. 14
Scire per coniecturam quid ſit. 445.4
Scientia aſtrologica oſtendit falſam eſſe diuinationem aſtrologicam Iudiciariam. 509.17
Si Adam non peccaſſet, & Chriſtus non incarnatus fuiſſet in ſtatu Innocentiæ ſtatus Euangelicus intenſiue fuiſſet fecundior gratia, quam ſtatus innocentiæ. 658.26
Si Adam non peccaſſet, & Chriſtus incarnatus fuiſſet in ſtatu Innocentiæ adhuc ſtatus Euangelicus fuiſſet fecũdior gratia quam ſtatus Innocentiæ ob meritum paſſionis, & mortis Chriſti. ibid.
Schiſmata quindecim inter Latinam, & Græcam Eccleſias. 342. 7
Spacia imaginaria ſunt nihil. 141.6
Species impreſſa Diuinæ eſſentiæ in intellectu Beatorum, quæ ſit principium ſufficiens Deum videndi intuitiuè eſt impoſſibilis. 121.10
Species impreſſa diuinæ eſſẽtię entitatiue, & rappreſentatiue adæquata eidem eſsentiæ eſt pariter impoſſibilis, etiam per abſolutam Dei potentiam. 121.9
Species impreſſa Deum rappreſentans diſtincte in cognitione tantum abſtractiua non ſolum eſt poſſibilis, ſed de facto reperitur in pluribus. 122.11.12
Species impreſſa ob tria capita eſt neceſſaria. 122.12
Species impreſſæ ad ſuum obiectum duplex poteſt excogitari adæquatio. 123.14
Species intelligibiles an dentur in Intellectu Angelico Henr. cum alijs negat, Doctor ſubtilis cũ alijs affirmat 412.8
Species intelligibilis aliquid rappreſentans poteſt tripliciter dici ei adæquata. 417.16
Species in Intellectu Angelico rappreſentans diſtincte eſſentiam Diuinam quomodo eſt eidem eſſentiæ adæquata. ibid.
Species intelligibilis Deum diſtincte rappreſentans conceditur in Adam. 652.20
Species intelligibilis aliter rappreſentat ſuum obiectum, & aliter effectus rap-

Digitized by Google

præſentat ſuam cauſam. ibid.
Species plures neceſſariæ ſunt ad plura obiecta cognoſcenda. 410.19
Scotus negauit lumen gloriæ ſex modis dari tanquam improprijs. 125.20
Scotus ad mentem Concilij Viennenſis antequam celebraretur poſuit prædictum lumen gloriæ neceſſarium propter duo. 125.21
Scotus ante Concilium Viennenſe confutauit errores Begardorum, & Beguinarum circa lumen gloriæ. 126.22
Scotus malignè trahitur in ſententiam ſemipelagianorum. 240.62
Scotus numquam negauit neceſſitatem Diuini auxilij ſpecialis ad opera ſupernaturalia. 238.59.60
Scoti tria dicta. 532.20
Sermocinari de Deo nihil appetibilius. 1
Sermocinari de Deo idem eſt quod theologizare. ibid.
Senſus non ordinatur ad perfectionem ſupra ſuam naturalem virtutem, & quare. 6.8
Senſus ſacrarum ſcripturarum quot, & qui ſint. 44.63
Senſus ſacrarum ſcripturarum demonſtrantur. 45.64
Senſus litterales plures poſſunt eſſe ſub eadem littera. 45.65
Solus ſenſus litteralis vtilis eſt ad arguendum in materia fidei contra Hæreticos. 46.66
Senſus particularis circa proprium obiectum ſi adſint tres conditiones. 500.41
Signum quid ſit, & quotuplex. 550.11
Signi vſus duplex. ibid.
Singulis Regnis atque Prouincijs etiam Infidelibus ſinguli Angeli ſunt præpoſiti. 469.29
Singulæ res Creatæ, vt ab inuicem ſeparatæ habent vnam bonitatem, & vt vnitæ habent aliam bonitatem. 707. 3.4.5.6.7
Similitudo eſt Cauſa amoris, & odij. 434.14
Sicut conſuetudo cum Angelis in hac vita eſt inchoatio quædam æternæ beatitudinis, ita commercium cum Dæmone eſt initium quoddam æternæ damnationis. 596.12
Simplicitas Diuina, & perfecta. 95.15
Simplicitas, & compoſitio quotuplex. ibid.
Simplicitas Diuina eſt perfectio ſimpliciter. 97.21
Simplex præciſe, ſummè ſimplex, & ſimpliciter ſimplex differunt. 95.16
Summa Dei ſimplicitas non excludit actualem multitudinem, & multiplicitatem realitatum ex natura rei diſtinctarum. 96.19
Sententia eſt Hæretica formaliter, quæ abſolutè negat regulariter lumen gloriæ non eſſe neceſſarium ad videndum Deum in ſe. 123.15
Spiritus naturalis vitalis, & animalis quomodo diffundantur per totum corpus humanum. 624.36.37.38
Spiratio Spiritus Sancti efficaciter probatur. 287.11.12.13
Spiritus Sanctus non producitur ex amore Creaturarum. 294.3
Spiritus Sanctus procedit à Patre, & filio. 341.6
Spiritus procedit à Patre, & filio in quãtum vno ſpecificatiue, & reduplicatiue ordine quodam. 342.9
Si Spiritus Sanctus non procederet à filio adhuc realiter perſonaliter diſtingueretur ab eo. 343.11
Spiritus Sanctus dicitur amor ſpiritus, & donum. 344.13
Spiritus Sanctus cõſtituitur in eſſe perſonali per ſpirationem paſſiuam. ibid.
Spiritus Sanctus tertia perſona ſanctiſſimæ Trinitatis eſt verus Deus, cuius Diuinitas habet plures contradictores. 345.14.15
Spiritus Sanctus eo ipſo eſt Deus, quo eſt donum identice. 345.16
Spiraculum vitæ non fuit Spiritus Sanctus

ctus. 636.3
Spiratio actiua quomodo tranſiens, & immanens. 423.27
Spiritus Sanctus eſt donum quo omnia gratuita donantur.
Si per impoſſibile non eſſet productio ad intra, & vna eſſet tantum Perſona illa nihilominus poſſet producere ad extra, & Creare quia vna perſona non eſt alteri ratio producendi. 362.13.14.15
Somnium definitur. 513.26
Somniorum cauſæ, & origines. 513.26.27. & Pag. 678.16
Somnia aliquando ſunt Cauſa futurorum euentuum aliquando ſigna, aliquando Caſualia ſiue accidentia. 514.29
Sopor immiſsus Adæ à Deo nō fuit ſomnus naturalis, ſed ecſtaſis. 626.2
Somnus naturalis ex quibus accidat. ib.
Somnus, & ſopor ſiue ecſtaſis differunt, & conueniunt. 626.3
Solis excellentia. 556.22.23.24
Sol quare non agit actione adæquata. 400.19
Sol quomodo eſt, & lucet in firmamento Cœli. 558.23
Sol, & Luna quomodo facta ſunt. 558.29
Solis, & aſtrorum Cœli adoratio rigoroſè probibetur in ſacra ſcriptura. 557.25
Sortes, quæ dicantur. 515.31
Secūdum directionem ſortium poteſt ſpectari intentum, vel à Cœlo, vel à Caſu, vel à Deo, vel à Diabolo. ibid.
Sortes diuiſoriæ quomodo ſunt licitæ. 515.32
Sortes conſultoriæ regulariter ſunt illicitæ, aliquando tamen ſunt licitè. 516.34
Sortes diuinatoriæ ſunt omnino illicitæ. 517.35
Sortes Diuinatoriæ dupliciter exerceri poſsunt. ibid.
Sortes Diuinatoriæ ſunt ordinatæ ad duo. ibid.
Stella ducens Magos ad Chriſtum adorandum fuit prodigioſa, & plurimum differens ab alijs Stellis. 559.30.31
Stellæ alię fixę, alię errantes. 560.32
Stellę fixę quot ſint, ſunt duę opiniones. 560.32.33
Stellę à Deo poſitę ſunt in firmamento Cœli fixę, & immobiles. 560.34
Stellarum magnitudo mirabilis ſicut, & vis influendi in hęc inferiora. ibid.
Stellę Caniculę vis ineffabilis. ibid.
Superficies terrę cum Oceani ſuperficie eſt ſphericę figurę. 574.17
Structura mirabilis venarum. 624.37
Structura mirabilis arteriarum. 624.38
Structura Neruorum mirabilis. 625.39
Subiectio mulieris viro in ſtatu Innocentię qualis fuiſset. 634.20
Spurciſſima opinio quorundam Iudęorum exiſtimantium Adamum commixtum eſſe cum fœmellis Animantium quando ad eum fuerunt adducta in Paradiſo terreſtri. 703.31
Stultitia Iudæorum circa Creationem. 714.13
Succeſſio in motu oritur ex triplici reſiſtentia. 401.19
Succeſſio in motu ex quintuplici Cauſa. ibid.
Succeſſio in exiſtentia Angeli an ſit concedenda. 406.29
Succeſſionis diei bona, & vtilitates. 542.16.17
Summa, & abſoluta neceſſitas eſsendi eſt propria Dei, & incommunicabilis creaturæ. 147.23.24
Status damnationis eſt Cauſa obſtinationis, & impenitentiæ Dæmonum, & damnatorum. 485.13
Status in communi quid ſit, & quotuplex ſit. ibid.
Status Viatorum Beatorum, & damnatorum quid ſit. ibid.
Status Innocentię, & ſtatus gratię in donis, & gratijs gratis datis ſe ille permanſiſset ſe habuiſsent, ſicut excedens, & exceſsum. 659.27

Digitized by Google

Status gratiæ habet efficaciora dona ad merendum ſi reſpiciatur Charitatis donum quam ſtatus Innocentię ob efficaciam meritorum Chriſti. 659.28
Status Innocentiæ poteſt dupliciter ſumi. 660.29
Subſiſtentia natura, eſſentia, quidditas, & formalitas ſe habent per ordinem. 319.10.11
Subſiſtentia eſt duplex. 324.21
Subſiſtentiæ quattuor reperiuntur in Diuinis vna abſoluta, & tres relatiuæ. 324.21.22
Subſtantiæ corporeæ quomodo ſunt in loco. 395.6
Subſtantia tribus modis poteſt produci. 495.30
Superfluitas duplex eſt. 683.8
Syriaca lingua vnde orta, quæ erat Hebræis Materna, & vernacula tempore Ieſu Chriſti, & Apoſtolorum, ideò in ſumma veneratione habetur apud Orientales. 38.51

T

Theologiæ Etymologia. P.1
Theologia ſcholaſtica non ſolum eſt vtiliſſima, ſed neceſſaria in Eccleſia Dei. 9.15
Theologia ſcholaſtica vſus eſt Chriſtus, & Apoſtoli, nec non Concilia, & Patres. 9.15.16
Theologia eſt Doctrina Diuina non ſolum obiectiue, ſed etiam cauſatiuæ 10.20
Theologia ſacra tribus modis accipi poteſt. 50.75
Theologia in Intellectu Beatorum quoad propoſitiones neceſſarias probabilius eſt, quod ſit dicenda ſcientia. 51.79
Theologia in intellectu viatoris nullo modo eſt proprie ſcientia. 52.80
Theologia in intellectu Diuino, & in ſe non eſt proprie ſcientia. 51.78
Theologia de contingentibus in nullo intellectu habet veram rationem ſcientiæ. 52.81
Theologia ſacra omnimode eſt anteferẽda omnibus ſcientijs. 53.82.83
Theologiæ ſeruiunt omnes aliæ ſcientiæ. 53.84
Theologia ſacra eſt vere argumentatiua. 54.84
Theologia non probat ſua principia, ideſt articulos fidei. 558.6
Theologia argumentatur contra aduerſarium negantem quædam principia ſi tamen alia admittat. 55.88
Theologus, ſi nihil concedat aduerſarius, ad argumenta aduerſarij contra articulos facta reſpondere debet. 56.88
Theologia Viatorum non eſt perfecte ſubalternata, nec ſacræ ſcripturæ, nec Theologiæ Dei, nec Theologiæ Beatorum. 56.90
Theologia Viatorum improprie ſubalternatur Theologiæ Dei, & Beatorum. 57.92
Theologia eſt habitus omnium ſcientiarum certiſſimus. 57.93
Theologia eſt vere ſapientia. 60.99
Theologia Beatorum de quibus poſſit eſſe, & ſit. 68 20
Theologia noſtra de quibus non ſit, & de quibus ſit. 69.21
Theologia quacumque quomodo dicatur vna. 69.22.23
Theologia neceſſariorum in Intellectu diuino probabiliter eſt notitia practica; ſed probabilius non eſt notitia practica. 77.12.13
Theologia in intellectu Diuino de rebus omnibus creatis tam ſecundum eſſe poſſibile, quam ſecundum eſſe reale, eſt ſimpliciter, & abſolute ſpeculatiua. 77.14
Theologia neceſſariorum in quocumque creato intellectu eſt notitia &c. 78.17
Theologia de contingentibus in intellectu creato eſt per ſe, & eſſentialiter ſpeculatiua. 80 20
Theologia noſtra, ſiue de neceſſarijs, ſiue de contingentibus &c. 80.22
* Reſpice vlterius in fine totius Indicis

Theo-

Textus Hebraicus ipſorummet Prophetarum, vel ſcriptorum Agiographorum ſiue Canonicorum manu conſcriptus fuit authenticus. 35.46
Textus Hebraicus quo vſi ſunt 70 Interpretes fuit authenticus. ibid.
Textus Hebraicus quo vſus eſt D Hieronymus fuit authenticus. 364.8
Textus Hebraicus quo nunc vtimur ſecundum graues Auctores Iudæorum malitia corruptus eſt. 36.48
Textus Hebraicus Samaritanus proximum ſibi locum vendicat quoad antiquitatem poſt textum Hebraicum. 37.49
Textum Hebraicum ſequitur Caldaica interpretatio tanquam riuus ex fonte deductus. 37 50
Theodoretus primus qui negauit Spiritum Sanctum procedere à Patre, & filio. 341.6
Terminus productionis Diuinæ, & generaliter omnis actionis ideſt formalis, ſiue quo, & adæquatus, ſiue quod. 299.14
Tertulliani opinio de productione Animæ rationalis. 640.16
Termino formali, ſiue quo Creaturarum competunt duo. 299 15
Terminus generationis dupliciter conſideratur. 300 15
Terminus formalis ſecundum ſuam rationem non accipit eſſe poſt non eſſe. 300 16
Terra elementum varijs prærogatiuis ornatum. 573.14
Terra ex varijs interpretationibus eſt materia prima. 527.8
Terra hominum Mater in ſcriptura appellatur. 573.15
Terra tribus magnis miraculis in ſcriptura celebratur. ibid.
Terra circuibilis, & quomodo. 574.18
Terra triplex Diuiſio. ibid.
Terra veſtitur à Deo. 584.9
Tota pœna in damnatis reducitur ad quattuor triſtitias. 276.14
Tonitru quid ſit. 583.7
Transcendentia comunia Deo, & Creaturæ non ſunt aliquæ naturæ, ſed ſunt conceptus obiectiui. 317.3
Trinitas Diuinarum perſonarum probatur. 221.13
Tribus modis poſſumus peruenire in cognitionem Angelorum. 356.1
Tractatio de Angelis iocunda. 37.9
Tres condiciones neceſſariæ ſunt ad cognitionem vere comprehenſiuam. 118.21.22
Tridentinum Concilium decernit liberũ arbitrium in homine poſt Adæ peccatum non eſſe extinctum. 206.13
Triplex eſt differentia inter dilectionem naturalem, & ſupernaturalem. 429.5
Tres ſunt ſortium ſpecies. 515.31
Tria viſcera principalia in corpore humano. 623.34
Triplex ſpiritus in corpore humano. ibid.
Tres gradus Imaginis, ſiue in Imagine excogitari poſſunt. 663.3
Tribus modis interpretari poteſt illud Gen. tulit ergo hominem &c. 670 1
Tria concurrebant ad immortalitatem in ſtatu Innocentiæ. 678.17
Tres ſunt modi generationis. 682.6
Tria ſunt delectationis cauſa. 684.2
Tria ſunt quæ homines mouere ſolent ad leges ſibi datas ſeruandas. 698.17
Triplex lingua Hebræorum pro diuerſis temporibus. 705.36
Turelupinorum, & aliorum Hæreticorum pudenda Hæreſis.

V

Vadiani Hæretici dicti Antromorphitæ dixerunt Deum eſſe corporeum. 98.24
Variæ ſententiæ de loco Angelorum. 393.1
Varietas opinionum de Cauſis fluxus & refluxus Maris. 549.9
Varietas opinio non offi it veritati ſacrarum ſcripturarum, ſed potius eis illi-

illuſtrat. 536 5
Valde probabile eſt Deum produxiſſe iã in illis ſex primis diebus omnes ſpes poſſibiles rerum. 709. 11
Vapor quid ſit. 582. 5
Vapores quomodo reſoluantur. 583. 8
Verba illa Creſcite, & multiplicamini continent præceptum affirmatiuum. 681. 2.
Verbum Creatum definitur. 335. 10
Verbum creatum quomodo repræſentet Verbum Diuinum. 336. 12
Verbum creatum habet neceſſario condiciones ſeu proprietates. 335. 10. 11
Verbum Diuinum, & Verbum creatum quomodo differant. ibid.
Verbum Diuinum non producitur ex cognitione Diuinarum Perſonarum. 337. 17
Verbum eſt nomen proprium Perſonæ genitæ, & eſt idem quod filius licet aliquo modo differant. 338. 18
Verbum connotat actualem notitiam. ib.
Verbum Diuinum eſt duplex, & duplicem reſpectum denotat. ibid.
Verbum Creare multiplex. 257. 4
Velocitas motus Cælorum eſt prorſus ineffabilis humanæ capacitati pro ſtatu iſto. 564. 42
Verſio ex Hebræo in Græcum quã verterunt Vetus teſtamentum ſeptuaginta Interpretes ſecundum probabiliorem ſentẽtiam eſt prima, & antiquiſſima inter omnes alias verſiones ex Hebræo in Græcum. eius origo. 40. 54
Verſio hæc fuit prorſus Diuina. 40. 55
Verſio hæc authentica declarata a Sixto V. ſummo Pontifice. 40. 55
Verſiones aliæ ſunt quibus vetus teſtamentum tranſlatum eſt ex Hebræo in Græcum. 41. 56
Verſio ex Græco in latinum fuit vna latina communis Eccleſiæ primis temporibus ante D. Hieronymum, & D. Auguſtinum, & vulgata inter omnes alias, iſſaque optima, & authentica. 41. 57.
Verſio hæc tractu temporis aliiſque cauſis plurimum corrupta eſt. ibid.
Verſio Latina vulgata in Eccleſia vigilantia Damaſi Papæ, & laborioſo ſtudio D. Hieronymi facta eſt Veteris teſtamenti ex Hebræo in Latinum. 41. & 42. 57
Verſio hæc vulgata quomodo creditur facta aſſiſtentia Spiritus Sancti. 42 57
Veritas quadruplex. 158. 17. 18
Veritas quomodo addat enti cuius eſt realitatem poſitiuam formaliter ex natura rei diſtinctam. 158. 19
Veritas Dei eſt ſumma puriſſima, & prima. 160. 25
Veritas Dei, in quo præciſe conſiſtat, & poſita ſit. 160. 24
Veritas quid addat enti creato. 159. 22
Viſio clara Dei atq; intuitiua quoad naturalem attingentiam eſt omnino ſupernaturalis cuilibet creato, vel creabili intellectui ex natura potentiæ. 121. 7
Viſio clara Dei ſimpliciter, & abſolute eſt ſupernaturalis intellectui lumine gloriæ illuſtrato. 129. 31
Viſio clara Dei in ordine gratiæ ex ordinatione Diuina de communi lege tali Intellectui debita eſt. 129. 32
Viſio clara Dei pluribus modis poteſt dici connaturalis coniunctio ex intellectu, & lumine gloriæ 130. 33
Viſio reuelatio raptus, & oraculum diſcrepant. 441. 13
Viſio clare Dei habet condiciones omnes perfectæ ſcientiæ. 132. 39. 40
Viſiones beatæ in Angelis, & hominibus non differunt ſpecie licet Angelus & Anima differant tanquam ſpecies, & pars ſpeciei. 133. 41. 42
Viſio Beata de potentia Dei abſoluta quomodo homini in via communicari poteſt. 139. 61
Viſio beata fuit certiſſima in hac vita communicata ſoli Chriſto, & probabiliter B. Virginis Mariæ, Moyſi, &

D. Paulo. 139 61 62.63 64
Virtutes morales quomodo conceduntur in Deo. 145.17
Vita Intellectualis eſt prædicatum Dei quidditatiuum eſt de fide. 86.16. & Pag. 87.17
Vita Intellectiua Angelica, & humana quomodo differant. 87.18.19
Vita vegetatiua eminenter continetur in ſenſitiua, & ſenſitiua humana, non autem in Intellectuali Diuina, & Angelica. 87.18
Vltima perfectio naturæ rationalis, & intellectualis ex duobus conſtat. 436.2
Vnum dicitur multipliciter. 154.5
Vnitas Dei multipliciter probatur. 154.56
Vnitas Dei à Doctore ſubtili multipliciter demonſtratur à priori. 155.9.10.11.12.13.14 15.16
Vnitas Dei quamuis ita demonſtrabilis vtiliter tamen traditur communitati Iudæorum per auctoritatem propter tria. 157.16
Vnica tantum iuſtitia reperitur in Deo. 273.7
Vnica tantum miſericordia reperitur in Deo. 279.21
Vnio duplex vna ſubſtantialis altera accidentalis. 459.8
Vnio ſubſtantialis duplex. ibid.
Vnio ſubſtantialis, ſiue per informationē, ſiue hypoſtatica non habet locum in Angelis. 459.8
Vnicum eſt principium ſimpliciter primum, & independens creator omniū rerum Creatarum. 365.20
Voluntas eſt actiue indifferens, & indeterminata ex ſe ad contradictoria non indiget extrinſeco determinante. 76.11
Voluntas, & intellectus Diuinus an ſint attributa Diuinam. 150.7.8.9
Voluntas reperitur in Deo non tantum accepta pro appetitu libero vere, & proprie operatiuo, & productiuo, ſed etiam pro appetitu naturali. 191.1.2
Voluntatis Diuinæ duplex eſt obiectum. ibid.
Voluntas Diuina eſt in ſe vnica, & ſimpliciſſima, quoad tendentiam vero in varia obiecta ſecundaria diuiditur primo in voluntatem ſigni, & beneplaciti. 191.3.4. *ſecundò in abſolutā, & condic onatam.* 192.5. *tertiò in antecedentem. & conſequentem.* 192.6.7. *quartò à Caluino.* 193.8
Voluntas diuina tendit neceſſario liberè tamen in eſſentiam ſuam. 193 9
Voluntas diuina ſimiliter tendit liberè in Creaturas præciſe poſſibiles libertate eſſentiali, ſed neceſſario ſicut in eſſentiam ſuam diuinam. 195.14
Volūtas diuina duobus modis poteſt verſari circa res poſſibiles. ibid.
Voluntas Dei quomodo ſemper impleatur. 199.24
Voluntas Dei vere amat non amore metaphorico. 199.25
Voluntas fecunda eſt principium non naturale, ſed liberum Spiritus Sancti. 340.3
Voluntas in quantum eſt actus primus quomodo ſit libera. 370.4
Voluntas Angeli eſt eadem realiter cum eſſentia Angeli non tamen formaliter. 427.1
Voluntas poteſt immoderate velle beatitudinem tripliciter. 452.18
Voluntas Angelica, & humana quomodo ſunt eiuſdem ſpeciei, & differant ſpecie. 427.1
Voluntas Angelica circa ſua obiecta poteſt elicere plures actus. 428.4
Voluntas ſiue appetitus rationalis duplex eſt. 445.2
Voluntas eſt potentia Animæ productiua, & receptiua volitionis. 654.26
Volitio duplex ſimplex & efficax. 454.21
Vocatio ſuper naturalis ad ſupernaturaliter operandum eſt prædeſtinationis

ef-

effectus. 245.75

Vti ſomnijs ad præcognoſcenda futura quatenus ſomnia procedunt ex Diuina reuelatione, vel ex Cauſa naturali intrinſeca, vel extrinſeca quantum virtus talis Cauſæ ſe poteſt extendere Diuinatio non eſt illicita. 514.28

Vti ſomnijs oppoſito modo Diuinatio eſt illicita. ibid.

Vt operaretur, & cuſtodiret illum, Hæc Verba poſſunt dupliciter interpretari. 671.2

Theologi habent à Philoſophis in hac propoſitione Cœlum eſt neceſſarium, & incorruptibile. 532.20

Traditiones ſunt neceſſariæ ad ſalutem humani generis, & minime poſtponendæ ſacris ſcripturis tum in neceſſitate, tum in Auctoritate. 21.14

Traditio eſt antiquior ſacra ſcriptura. 21.15.16.17

Traditiones fuerunt neceſſariæ ſtatui naturæ. 24.20

Traditiones Moſaicæ fuerunt neceſſariæ ſtatui Veteris legis. 24 21

Traditiones Phariſeorum reprehenduntur à Chriſto Domino. 24.22.23.24

Traditiones Euangelicæ in lege noua fuerunt, ſunt, & erunt quæ ſunt neceſſariæ ad ſalutem. 26.25

Traditiones Euangelicæ mirè prædicantur à Paulo. ibid.

à Patribus Antiquis. 26.26

à Concilijs Generalibus. 26.27

Traditionum Euangelicarum variæ diuiſiones. 27.28

Traditiones Diuinæ, & Apoſtolicæ quæ. ibid.

Traditiones cognoſcũtur Apoſtolicæ quinque Regulis. 27.29.30.31.32

Traditiones Eccleſiaſticæ quæ. 29.33

Traditionum vis, & Auctoritas. ibid.

Traditiones iterum diuiduntur. 23.4

Traditio de fide, & moribus quæ. ibid.

Traditiones ab Hæreticis vnanimiter reijciuntur, in qua re peccant quadrupliciter. 30.35

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google